R. P.

GABRIELIS DE HENAO

SOCIETATIS IESV,

EMPYREOLOGIÆ

PARS PRIMA.

R·P· GABRIELIS

DE HENAO

VALLISOLETANI.

SOCIETATIS IESV,

PROFESSORIS THEOLOGIÆ

in eiusdem Societatis Salmanticensi Regio Collegio;

EMPYREOLOGIA,

SEV PHILOSOPHIA CHRISTIANA, DE EMPYREO CŒLO.

Pars Prima.

Nouum opus, maximéque necessarium Philosophis, Theologis scholasticis, & mysticis, Interpretibus sacrarum litterarum, Concionatoribusque diuini verbi.

NVNC PRIMVM PRODIT.




LVGDVNI,

Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.



REVERENDISSIMO,

ET ILLVSTRI ADMODVM DOMINO

D. SANCTIO DE DORIGA ET VALDES,

QVONDAM COLLEGII MAIORIS SALMANTICENSIS, quod Archiepiscopi vocant, Socio litteratissimo; pòst Granatensis Sanctæ Inquisitionis Fiscali spectatissimo; nunc à Consiliis Regiis, & in eodem Granatensi sacro Tribunali Inquisitori integerrimo, Ecclesiaque Toletanæ Hispaniarum Primariæ dignissimo Canonico.

QVINQVE propè iam sunt anni à destinato hoc ad Te munusculo, REVERENDISSIME DOMINE, venerationis, & reuerentiæ nostræ erga Te symbolo. Degebam Oueti in Asturiis, cùm illuc è Salmantica aduentasti, remissurus tantisper animum patriis in sedibus à litterariis curis, ac sudoribus, quibus per multos retrò annos puerum ferè, iuuenem, ac virum te exercuisti in Academia totius orbis celeberrima. Vix enim pueritiam euaseras, & iam S. Pelagij addictus Collegio, quod Illustrissimus ille tuus Auunculus Ferdinandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis, Inquisitor Generalis, Præses Castellæ, & Hispaniarum Gubernator erexit, Iuri Canonico, ac Cæsareo, conatus omnes vividæ mentis, ingeniíque felicis impiger impendisti, tanta sodalium

laude, tantáque externorum approbatione, vt optatus fueris, ac cooptatus socius Collegij Maioris, sub Archiepiscopi Toletani nomine Clarissimi, & ob insignes viros quos suo aluit in sinu: inde in Academiam prodeunti, quà subtilissimis argumentationibus, quà eruditissimis prælectionibus, quà doctissimis conclusionibus patrocinatis nullus propè dies sine linea fuit, vt nec sine spectantium, audientiúmque commendatione. Rediisti itaque in patriam, quo ego tempore ibi commorabar. Et licèt iam Te ex fama nossem, tuorúmque Fratrum antiqua in me beneficia obsequio me tuo deuinxissent; talis, tantúsque mihi visus es in egregiis virtutum, naturæ, doctrinæque dotibus, qualem, quantúmque exprimere fama non potuisset; eis me prosequutus es officiis, quæ nec ab amico veteri accepta vnquam meminissem. Excolebam tunc Empyreologiam succisiuis horis, quas tradendæ Theologiæ meis Auditoribus detrahebā; interpolabas laborantem, humanissiméq; extorquebas, vt quæ scripserā, recitarem Tibi, placebántque auscultanti, aut quia amici, aut potiùs quia de Cœlo Empyreo. Intereà lætus nobis allatus est nuntius, creatum Te esse Fiscalē sanctæ Inquisitionis Granatensis ab Illustrissimo Domino D. Didaco de Arce Reynoso Episcopo Plasentino, & Hispaniarum supremo, Generalíque Inquisitore: is namque præstantissimus vir summè intentus conquirendis vbiq; Administris egregiis, ac selectissimis, quorum humeris onus Fidei Catholicæ tutandæ imponeret, Te elegit, nihil minus cogitantem. Vt dicere liceat Illustrissimo Inquisitori quod Athalarico Regi apud Cassiodorum lib. 9. variarum, epistola 22. *Electio nostra de meritis venit, & tantò quis* Inquisitoris Generalis *animo proximatur, quantò bonis studiis societate coniungitur. Non vereamini absentes, nec sitis de* Inquisitoris *ignoratione soliciti. Latere potest forsitan vulgare hominum genus, nesciri non potest proles Senatus, quando benè noti sunt, qui meritis afferuntur: & abundè cognoscitur quisquis fama teste laudatur. Quapropter Te longissimè constitutum mentis nostræ oculus serenus inspexit, & vidit meritum, quod non habebatur occultum. Propositum siquidem tuum celebrata dilatauit opinio, faciens fidē generis morum pondere, non ætate. Neq; enim fas erat, vt quem familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inueniret. Semen generis morum fructibus reddidisti.* Hactenus illustrissimus Inquisitor. Et inuidit quidē sæculari statui, Regiis Tribunalibus tantum Candidatum, Téque togæ Senatoriæ, quam Catholica Maiestas iam apparabat, præripuit. Gestiebamus omnes gaudio, Tibíq; adgratulabamur, quòd quam alij Dignitatem exquisitis, importunis, continuisq; petitionibus non assequuntur, spontè oblatam videremus. Tu solus mærebas, quia altissimæ, ac dignissimæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ imparem Te iudicabas. Premebas tamen corde tristitiam, ne putaretur magni à Te non haberi, quod à cunctis magni æstimabatur munus. Paucis, quos inter vnus fui secretorum conscientiæ particeps, anxietates illas tui aperuisti animi. Obtinuimus tandem, vt sedatis scrupulis delatum susciperes honorem, aut impositum subires onus. Non potui tunc non mirari insignem tuam pietatem, ac religionem; sacris namq; initiādus ordinibus id in primis curasti,

vt

vt aliquorum dierum secessu, & anteactæ vitæ generali confessione, quam ipse excepi, Diuinis mentem præparares. Euasisti repentè ad Ecclesiasticam normam tam compositus, ac si ab ineunte ætate id vitæ genus Tibi præstituisses sequendum; nimirùm morum honestas viam tacitè munierat, præluseráttque sacratiori statui. Vix hunc auspicatus, cùm ex illustrissimi Inquisitoris imperio nobis ademptus es, ne Granatensis Inquisitio ardentissimo Tui desiderio diutiùs teneretur. Comitati sumus abeuntem vnius diei itinere, & inter vltimos amplexus, ac Vale, promisimus Granatam nos breui accessuros, vt Te salutaremus. Transisti Matrito, ibíque apud Illustrissimum Inquisitorem adeò te probasti, vt opinione de Te concepta, ob famæ præconia, longè maior fueris iudicatus. *Enimverò tales prouehere Principem* Ecclesiasticum *decet, vt quoties procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se cognoscat recta iudicia habuisse*, vt ait Cassiodorus lib. 4. variarum, epistola 3. sub Theodorici Regis persona.

Deliberatum iam nobis erat, cùm illud promisimus, Empyreologiam nostram, de cuius agebamus editione, sub tanti Patroni vmbra, seu potiùs luce in publicum emittere, eámque quantocyus ad Te mittere, vt nostro Te nomine saluere iuberet. Sed cùm editio longiùs protenta sit, quàm sperabamus; en datam liberamus fidem, quando post optimè functum Fiscalis officium electus es Inquisitor, & amplissimæ Ecclesiæ Toletanæ Canonicatum adiisti; quorum posterius vt tribuendum sit iudicio priuati hominis, qui Te sibi viuenti coadiutorem impetrauit ab Ecclesiæ summo Dispensatore, & cui morienti successisti: at priùs referendum est in singularem de Te existimationem Illustrissimo ingeneratam Inquisitori, cui post paucos menses sic commendatus extitisti, vt ad Inquisitoris apicem vltrò euexerit. Fiscalis munia exequutus es tam sedulò atque exactè, vt promotionis festinatus fauor intempestiui notam non incurrerit. Nunc verò sic Te in Inquisitoris officio geris, vt in dies deligendus ad supremum Tribunal vulgò existimeris. Inuigilas diligentissimè causis fidei Tibi commissæ. Testor nuperam illam tuam visitationem per totum fermè tractum Granatensis Inquisitionis. Qua æquitate, quàm suaui seueritate, quàm dexterè, & prudenter, quo omnium plausu, & acclamationibus difficilem prouinciam obiisti? Neque in his tantùm, quæ publica sunt, sed & in domesticis maximam tibi laudem comparasti. Religiosi, modestíque tui mores intra priuatos parietes, miráque affabilitas famulorum reuerentiam inuitant, amorémque alliciunt. Nunquam non Te aut orationi, aut litteris, aut negotiis incumbentem inuenire est. Largissimè pauperibus subuenis, quorum id est commune votum, vt maioribus Te Ecclesiasticis redditibus Deus cumulet ad certum egenorum subsidium. Familia tua Herum æmulata tum domi, tum foris virtutum emicat radiis, & deseruientium probitate crescit Domini fama. Quæ cùm ita sint, non alium debui, nec potui Mæcenatem

mihi

mihi adſciſcere, ſiue obſeruantiæ, atque amicitiæ iura, ſiue ornamenta virtutum, ſapientiæ, & dignitatis oporteat ſpectare in aduocando Patrono.

Præter hæc,ſplendor generis non leuem ſolet authoritatem, maieſtatémque nominis conciliare Mæcenatibus. Quantum hinc Tibi pondus accedat, is ſolus ignorabit, qui Collegiorum ad quæ admiſſus; Toletanæ Eccleſiæ, cuius es Canonicus; & Inquiſitionis ſanctæ, quam adminiſtras, ſtatuta de puritate ſanguinis non audiuit. Domus Doriga, quam Frater natu maior Dominus, D. Garcia de Doriga Valdes, Iacobæus Eques poſſidet, iuxta illuſtre Cænobium Benedictinorum S. Saluatoris Cornelianenſis Antiqua, Magnifica, ac diues eſt, ſi quæ alia in Aſturiis Ouetenſibus. Ferdinandus Garcia de Doriga tuus Atauus, quem Senem nominarunt, & ad quem extant honorificentiſſimæ Auguſti Imperatoris Maximi, Inuictiſſimíque Caroli V. litteræ, procreauit ex Domina, D. Maria Valdeſia tres filios: quorum primus tuus Proauus, Ferdinandus etiam nomine, iunctus matrimonio cum Domina, D. Maria de Tuñon hærede Domus Tuñonenſis deriuatæ ex conſpicua Tineenſi. Secundus, Ioannes dictus, in Patrimonium accepit domum Villamarenſem, appellatam alio nomine de Doña Palla muliere nobiliſſima Domina Prauiæ, vbi ſita eſt Domus Villamarenſis; ex qua antiquitus prodiit D. Petrus Perez Villamar Alcaldus Regius Cordubæ; ſepulchrale ipſius elogium æra M. CC II. ſeu anno Chriſti 1164. refertur ab Ambroſio de Morales lib. 16. Chron. Hiſpaniæ cap. 8. accepit etiam in vxoris dotem domum de Yebra apud Bierçum. Tertius, vocatus Garſias, Peñaluæ locum, qui eſt proximus Dorigæ, obtinuit in hæreditatem paternam, duxítque vxorem fœminam Valdeſiam,& ab eis originem trahit Dominus, D. Garſias de Doriga Valdes, & Oſorio primus Peñaluæ Comes. Genuit præterea tuus Atauus Dominam D. Viracam de Doriga matrem D. Didaci Florez de Valdes Militaris ordinis Iacobæi, & Commendatarij de Oreja, Præpoſitíque Regiis nauibus bellicis. Genuit inſuper Dominam, D. Annam de Doriga, à qua deſcendunt Domini Domus de Quiros. Et vt ad Proauum redeam, is vltra tuum Auum generauit D.Ioannem de Doriga, & Salas, Equitem Calatrauenſem, & claſſi Regiæ Præfectum, Gubernatorémque oppidi, quod in Peruano Regno nuncupatur *La Rica.* Ne verò Progenitorum tuorum altiùs, & diffuſiùs proſequar heroicam ſeriem, vix in Aſturiis eminet eximia aliqua familia, quæ in Doriganam, aut non transfuderit ſanguinem, aut ab ea non acceperit. Sat ſit capitatim recenſuiſſe Valdeſios, & Salas deſcendentes ab Infanti quodam Regis I. Bermudi filio, quorum Marchionatus de Mirallo deuoluitur iam nunc hæreditario iure ad Peñarandæ Duces, Hiſpaniæ Magnates: Bernaldos Quiroſios Bernardi Carpienſis progeniem, de quibus Aſturicenſe Adagium, *La Caſa de Quiros deſpues de Dios:* Mirandas, trophæo quinque virginum, quas è Maurorum manibus,

regnante

regnante I. Bermudo, diripuerunt, Insignes, Marchiones modò Vallis Carzanæ, & Vicecomites Infantatus: Estradas, Comites Vegæ Sellanç: Queipos de Llano, Maiores Vexilliferos Principatus Asturicensis, & in Bierço Toparchas Toreni, Rones, (quorum splendidissima stirps numerabat iam olim nonnullos Tredecim viros Iacobęos, authore Rade Andrada; & cum Hispaniam moderaretur Alphonsus sextus è Legionensibus, primúsque è Castellanis Regibus, *Toda Aluarezia Ron* nupta Petro Suarez optimæ conditionis inter Gallæcos Equites prælustrem Fajardorum inchoauit familiam vt consignat litteris Salazar de Mendoza) Alas, Inclanes, Malleças, Arangos. Et quod magnopere confert ad tuæ gentis decora, tuus ex Sorore nepos Dominus, D. Rodericus Aluarez de Asturias lineam paternam ducit ab Aluareziis de Asturias Comitibus vetustissimis, & celebratissimis Nauæ, ac Noroñæ, horúmque sepulchra, patronatum Capellæ Maioris in Ecclesia Nauæ, compluréśque Vassallos retinet.

Vt autem de natali solo nonnihil delibem tum ad Tui commendationem, tum ad aliquam Asturibus referendam gratiam, qui me, dum ibi manerem, beneuolentissimè tractarunt. Natus es in ea prouincia, quam non Astyr armiger Memnonis, vt fingit Silius Italicus, non Astyri Gallæci, vt dictitant alij, sed Tubal, cum primùm in Hispaniam appulit, Coloniis populosam fecit; inter quas celebrant aliqui Tudelæ tractum, vitiato temporis iniuria Tubellæ primæuo nomine; Et sunt qui scribant, oppidum Nauiæ in Asturiis conditum à Noëmo; sed veritatis constantia penes eos sit, vt & cum tradunt nescio quid de siccitate quadam generali, & de perfugio incolarum reliquæ Hispaniæ ad Asturias. Natus es in ea prouincia, quæ Annibali, & Carthaginensibus aduersùs Romanos dedit robustissimorum militum copias, si credimus Silio; quæ Romanorum potentissimo Imperio vix colla submisit, vt narrant Lucius Florus, Dio Cassius, Paulus Orosius; & is *fortissimas Hispaniæ gentes* appellat *Astures*; Siliúsque *Belligeros*, & *Exercitos in armis*; Lucanus verò *Impigros*. Vidimus nos ipsi in S. Michaëlis templo, quod mira arte fabricatum imposuit monti Naranco propè Ouetam Rex Ramirus I. inscriptionem Augusto Cæsari dicatam, illustre monumentum vrbis Lanciæ occupatæ à Publico, vel Tito Carisio, cui belli præfecturam delegauit Augustus Tarraconem ab Asturiis secedens *in summis difficultatibus constitutus*, *ac ex labore*, *curísque in morbum prolapsus*, vt ait Dio. Collis etiam asperrimus Olloniego imminens, & Oueto distans non multis passibus nuncupatur ad hodiernum vsque diem *Pico de Lança* Imperante Tiberio, Proconsul vnus cum valida militum manu continendis Asturibus incumbebat, & Trajano Dominante addita est, vel substituta legio gemina septima in confinio Asturiarum, vbi Legio ciuitas assurgit. Sed qui Romanis tandiu restiterant, in fædera iam, & amicitiam adunati, postremi

Hiſpanorum diſceſſerunt. Natus es in ea prouincia, quam S. Iacobus Apoſtolus, prout refertur in antiqua Hiſtoria Cæſaraugustana peragrauit; radiiſque Chriſtianæ Religionis primitùs illuſtrata Catholicam fidem ſemel ſuſceptam nunquam dimiſit, quin potiùs fuit Aſylum, quo in Maurorum irruptione, miſerandáque Hiſpaniarum ſtrage, ſacri libri, Sanctorum oſſa, ac Cineres, Epiſcopíque totius gentis confugerunt. Hinc Ouetenſi Eccleſiæ cognomen Sanctæ adquiſitum, hinc Ouetum nominari *Epiſcoporum Ciuitas* conſueuit. Et licèt Ouetenſem Eccleſiam erexerit Rex Fruela anno Chriſti 757. tranſtulit tamen ex Aſturum Luco, nunc Sancta Maria de Lugo, quo loci ab Oueto parùm remoti, & Romanorum tempore populoſiſſimi ſedes Epiſcopalis valdè antiqua, & Religioni Chriſtianæ ferè coæua præceſſerat. Nec deſunt glorioſiſſimi Martyres Saturninus, Theophylus, Reuocata, qui ſanguine fuſo ſub annum 300. ſuam, Aſturúmque profeſſionem Chriſtianam teſtati ſunt Argenteolæ, quod eſt oppidum Auilès, vt ex dextri Chronico ad annum 300. num. 20. & ex Commentario Franciſci Biuarij diſcimus. Natus es in ea prouincia, ex eíſque fortiſſimis Progenitoribus, qui Maurorum retardarunt impetum, ne Hiſpanias, quàm longè, latéque patent, ſuam redigerent in ditionem, & qui Pelagio adiuncti in Couadonga reliquias Hiſpanorum illic incluſas aſſeruarunt, póſtque non procul à Cangis de Onis Mauros ipſos conſerto debellarunt prælio, & Pelagium Aſturiarum crearunt Regem, ac Regni vndecim, & ampliùs ſucceſſores in ſceptro confirmarunt, & bellis contra Mauros geſtis egregiam nauarunt operam, vt meritò Aſtures dicantur Regni Hiſpanici Reſtauratores, & Regum Caſtellæ Primogenitis Aſturiarum Principatus ſit adiudicatus anno 1388. Natus denique es in ea prouincia, quæ nulli primas deferat, & pleriſque antiſtet, ſiue Religionis integritatem, ſiue Nobilitatis ſplendorem, ſiue facinorum magnitudinem, ac numeroſitatem, conſultis tam priſcis, quàm recentibus Hiſtoricis iuſta expendendi lance tempus nobis ſuppeteret, & occaſio.

Supereſt Reverendissime Domine, vt Empyreologiam noſtram tot Tibi titulis debitam benignè, amicéque excipias. *Regnum habent cælorum, qui in terra ambulant, quaſi in cœlo degentes abſque affectionibus.* quæ eſt pulchra Theophylacti ſententia in cap. 3. Mathæi. Cum itaque vitam agas tam ab affectionibus liberam, támque dignam Eccleſiaſtico homine, habes in terra regnum cœlorum: hinc mihi ſpes eſt, gratam Tibi fore tractationem de illo. Auſimque Te alloqui eis verbis, quibus S. Bernardus Eugenium Papam in lib. 5. de conſideratione. *Totiens peregrinabitur conſideratio tua, quotiens ab illis rebus quæ ſupra ſunt, ad iſta deflectetur inferiora, & viſibilia, ſiue intuenda ad notitiam, ſiue appetenda ad vſum, ſiue pro officio*

diſponenda

disponenda, vel actitandâ. Si tamen ita versatur in his, vt per hæc illa requirat, haud procul exulat. Sic considerare, repatriare est. Conducet istud opus, in quo agitur de cœlo Empyreo, & de supernis vt repatries, nam quò cælestia notiora fuerint, eò in terrenis, & mundialibus minus hærebitur, maioríque cura ad requirenda procedetur cælestia. Quibus vt in Empyreo fruaris post diuturnæ vitæ spatium, & post functionem clariorum in Ecclesia Dignitatum in votis semper habebit.

Obsequentissimus Tui seruus

GABRIEL DE HENAO.

Facultas R.P. Prouincialis Castellanæ Prouinciæ.

EGo Franciscus Antonius Cabezon Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à R admodùm P.N. Vincentio Carrafa Præposito nostro Generali, facultatẽ facio, vt tomus, cui inscriptio *Empyreologia seu Philosophia Christiana de Cælo Empyreo*; compositus à P. GABRIELE DE HENAO nostræ Societatis, Sacræque Theologiæ Professore, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu & sigillo nostro munitas dedimus. Oueti, In Collegio nostro S. Mathiæ, die vigesima quinta Maij, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIONES DOCTORVM.

REuerendi Patris GABRIELIS DE HENAO Societatis IESV perlustratam à nobis inscriptis Doctoribus Almæ Facultatis Parisiensis *Empyreologiam* tamquam bonis moribus & Doctrinæ Ortodoxæ consonam probauimus Lugduni die 31. Ianuarij 1652.

Fr. PAVLVS LOMBARD. *Prouincialis Carmel.*

Fr. CYRILLVS MOREL, *Camelit. Lugd. Prior.*

Approbatio Provicarij Generalis.

ANNVIMVS Nos etiam cum prædictis Magistratis vt *Empyreologia* R.P. GABRIELIS DE HENAO typis prodeat, Lugduni prima Februarij 1652.

DE VILLE *Vic. Gen. Subftit.*

Consensus Procuratoris Regij.

VISA Doctorum approbatione, Ego infra scriptus Regio nomine non impedio quin hic liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunensibus excusus in lucem prodeat, cum defensione tali casu requisita & solida. Actum Lugduni die prima Februarij 1652.

LORIN.

PERMISSIO.

ITA & me non dissentiente fiat, Lugduni die prima Februarij 1652.

SEVE.

INDEX

INDEX LIBRORVM,

Exercitationum, & Sectionum, primæ Partis Empyreologiæ.

Index Librorum,

LECTORI

LECTORI.

CVM multa sint, de quibus te (amice, & studiose Lector) præmonitum velim, ea digessi in varia præloquia, Antiquorum verbis plerúmque tesseleta, & concatenata, sunt enim, quibus hoc præfandi, etsi spissum, densúmque genus est non ingratum. Lustra oculis subiectum Præloquiorum Syllabum, vt ex eis legas, quæ malueris, si omnia nolis.

SYLLABVS PRÆLOQVIORVM.

R. P.

R.P. GABRIELIS
DE HENAO
SOCIETATIS IESV.
PRÆLOQVIA
AD EMPYREOLOGIAM,
Seu Philoſophiam Chriſtianam de Cœlo & Empyreo.

NE abruptè incipere videar, & tractationis habitæ præ manibus requiratur à lectore ratio, operæ pretium duxi me facturum, ſi ante loquerer nonnulla, quæ in limine cuiuſvis ſcientiæ, aut artis ſolent præmitti, & quæ alij in præfamine ad lectorem tradere conſueuerunt. Sicut enim corpus capite, arbor radice, & flumen fonte indiget, ita & ſermo prooemiis, *vti docet S. Ioannes Chryſoſtomus, homilia de ferendis reprehenſionibus, & conuerſione S. Pauli.*

PRÆLOQVIVM PRIMVM.

De Inſcriptione huiuſce operis.

1 EMPYREOLOGIAM voco, non ſecus ac ſcientia, & ſermo de Aſtris, dicitur Aſtrologia. Nomen *Empyreum* prolatum ſine adminiculo ſubſtantiui ſignificat ex communi vſu Cælum, quod eſt Beatorum ſedes; ideo dictio Cælum deſiderari non debet in conſtructa nomenclatura, quæ etſi noua fictaque nuper, habebit fidem, ſiquidem ex Horatij arte Poëtica conſilio.

Græco fonte cadat parte detorta.

Voco etiam *Philoſophiam Chriſtianam de Cælo Empyreo*, per imitationem ad naturalem, ſeu ad ſcientiam, quæ agit de ente naturali, quæque contractiori vocabulo nuncupatur Phyſica, ſeu Phylologia; nam Philoſophia naturalis comprehendit in omni ſua latitudine Dialecticam, Phyſicam, & Metaphyſicam. Addo Epitheron *Chriſtiana*, vt diſcriminem à Philoſophia quaſi prophana, ſiquidem ens quod in præſenti tractatu elucidandum ſuſcipio, aut ignotum omnino fuit, antiquis, Philoſophis Ethnicis, aut non niſi ex ſacris, & Chriſtianis litteris agnoſci perfectè poteſt. Explicui titulum, ac materiam operis. Num Authori continget, quod expertus eſt Auſonius in præfatione ad Parentalia? *Quoſdam ſolet commendare materia, & aliquotiens fortaſsè lectorem ſolum lemma ſolicitat tituli.*

PRÆLOQVIVM. II.

De Scientia, ad quam pertinet præſens Tractatus.

2 CVm conſtet, nullam hactenus inſtitutam ſcientiam, quæ ſingulariter tractet de Empyreo,

pyreo, videndum est, ad quam ex communibus pertineat, aut reducatur hoc opus. P. Franciscus Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 5. n. 17. inquit Philosophicum videri, re tamen vera Philosophicum non esse; quia cælum Empyreum, *Licet ens materiale sit, in rigore tamen non est ens mobile secundum ordinariam potentiam, nec per motum cognosci potest. Et propter similem rationem non cadit sub Metaphysica naturalis considerationem, præsertim quia eiusmodi cælum etiam est extra obiectum eius, eo quòd materiale sit. Sola ergo Theologia potest aliquid de proprietatibus huius Cæli inuestigare; nam per reductionum quandam, ad accidentalem gloriam Beatorum pertinet.* Hactenus eximius doctor. Sed P. Petrus Fonseca lib. 5. Metaphysicæ cap. 4. q. 2. sect. 7. v. *licet quoque*, significat, Emphyreum non sine absurdo excludendum à consideratione Physica. Quare ad eam spectat per sapientissimum hunc virum; cui adhæsit P. Bartholomæus Amicus tract. 8. Physicorum q. 11. dub. 4. art. & conclusione 3.

3 In eadem ego sum existimatione. Mouet, quia Physica respicit, vt obiectum attributionis ens naturale pro vt naturale includit naturam, quæ est principium motus & quietis. Sub ente autem naturali continetur Cælum Emphyreum, tanquam species sub genere, vti continetur Cælum sydereum. Ergo &c. Minoris probationem remitto in Excercit 9. Inquies, existentiam Empyrei explorari non posse per Philosophiam, cum illud sit expers motus. Respondeo, desumpta instantia ex subsistentia, quæ licet latuerit veteres Philosophos, & à Christianis sit agnita ex mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, quin ad eius notitiam sufficiens fuerit indagatio Metaphysicę, tamen inter huius attributa obiecta numeratur. Addo, existentiam Empyrei nonnullis Philosophis fuisse fortè aliqualiter notam. Et saltem possibilitas Empyrei, seu Cæli immobilis non est supra vires cognoscitiuas naturales. Quod satis est, ne excludatur à consideratione physica quemadmodùm satis est possibilitas corporis simplicis completi cognita viribus naturæ, licet existentia ignoretur, ne corpus simplex completum alienum sit à Physiologia.

4 Ad hanc itaque pertinebit agere de Empyreo, quatenus hoc Cælum est ens naturale, ingenerabile, & incorruptibile, non verò quatenus est domicilium corporum glorificatorum; nam sub hac ratione spectat ad Theologiam. Sic actus charitatis erga deum vt authorem gratiæ pertinet ad facultatem Theologicam, quatenus est supernaturalis; & ad Animasticam, quatenus vitalis est. Sanè nemo ibit inficias, solius Theologiæ proprium esse agere de Cælo vt conueniente habitationi glorificatorum corporum. Etenim conuenientia in Cælo supremo per modum loci realis extrinseci ad corpora humana post resurrectionem prætergreditur obiectiuam sphæram omnium aliarum scientiarum, quæ non nisi ex fidei supernaturalis principiis possunt inuestigari.

PRÆLOQVIVM III.

De Nobilitate Empyreologiæ.

5 Nobilitas dignitasque Empyreologiæ apparet adeo clarè ex obiecto, quod contemplatur vt longa oratione opus non sit. Superat Empyreum in perfectione substantiali corpora elementaria, & sydерea, nec non & mixta omnia inanimata, gaudet eximiis proprietatibus, quales sunt lux, immobilitas, & incorruptibilitas, ornatur præstantissimis incolis. Quapropter magnam trahet Empyreologia excellentiam ex obiecto tam insigni. *Quale est enim ad cælos animo subire, totamque illam machinam supernam indagabili ratione discurrere, & inspectiua mentis subtilitate ex aliqua parte colligere, quod tanta magnitudinis, arcana velauerunt?* Sic Cassiodorus in l. de Astronomia; quam cum Empyreologiâ superet, ad hanc non iniuriâ transferuntur à nobis Cassiodori verba.

PRÆLOQVIVM IV.

De Vtilitate,

6 Horatius lib. 1. Carminum Ode 28. Sic alloquitur Architam insignem Astrologum.

Nec quicquam tibi prodest.
Aereas tentasse domos, animoque rotundum
Decurrisse polum morituro.

Ast nobis tam pro hac, quam pro altera vita futura proderit magnopere accurata Empyrei notitia, illudque mente permeasse. Et quidem præsentis operis vtilitatem nullus non fatebitur, qui peregrinus non sit in literis Theologicis, & Biblicis Patrumque antiquorum monumentis. Innumera sunt in Theologia, Scriptura sacra, & Patrum thesauris, quæ ex non perfunctoria cognitione Empyrei dependent. Perspicuum id erit in decursu operis. Quo intellectus Philosophi Christiani affluenter satis instruetur, spero. Quid de voluntate dicam? *Inardescet* procul dubiò, *iamque illic cupiet assistere, vbi se sperat sine fine gaudere*, vt ait S. Gregorius Magnus homilia 37. in Euangelia, & vt S. Bernardus in sermone de S. Martino, *Nonne enim piè, & fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentiuum amoris, & prouocatio flagrantissimi desiderij erit consideratiò ipsa tam lucidissimæ regionis?* Iulius Firmicus Maternus Procemio ad lib. 8. Astronomicon laudat in Philosopho studium adhibitum sydereo cœlo & astris; *Quia dabunt*, inquit, *nobis hæc instituta quantamcumque diuinæ scientiæ notitiam, & ad originis nostræ secreta perducent. Diuinis enim semper disputationibus occupati, & animum nostrum cælestibus potestatibus applicantes, ac diuinis ceremoniis initiantes ab omnium prauarum cupiditatum desideriis separamur. Quæ res illud magnopere perficit, vt contemptis omnibus, quæ in rebus humanis, vel mala, putantur esse, vel prospera, animum, nostrum naturali virtute, & authoritate compositum, incorruptum origini suæ, illibatumque seruemus.* Hunc in modum gentilis Astrologus. Et à me quidem optandum fuisset, atque enitendum, vt dum Christianum, ac Religiosum Empyreologum ago, hasque de Empyreo institutiones elucubro, animus à terrenis affectibus depuratus, & mundialibus curis liber nihil nisi cæleste, æternum, ac diuinum anhelaret. Sed tamen in suscepto tractatu, deditâ curâ, non voluntati, sed intellectui lectoris inseruio; non enim scriptionem ad mores principaliter dirigo; aliis hanc Spartam relinquo, & in ea ornanda laborarunt strenuè tam veteres, quàm recentes

recentes non pauci. Iam quando de vtilitate Empyreologiæ dixi, &

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,

deuenio ad dulcedinem, & amœnitatem.

PRÆLOQVIVM. V.

De Amœnitate.

7 SVauitas, & Amœnitas Empyreologiæ deducitur à pari ex tractatione de cœlo sydereo. Quantæ hæc sit delectationis exprimit Aristoteles lib. 1. de partibus Animalium cap. 5. vbi ita fatur: *Substantia, quæ naturâ constant, partim ingenita, immortalesque sæculis omnibus sunt, partim ortus participes, atque interitus intelligumur. Sed partem illam æternam, ac proinde nobilem, ac diuinam minus contemplari propterea possumus, quod admodùm pauca illius modò sensibus pateant, quorum beneficio tum de ea ipsa parte diuina, tum de iis, quæ nosse cupimus, facultas nobis indagandi, cogitandique suppeditet. Res mortales, atque caducas, vt stirpes, & animantes, quòd eas socias, familiaresque habemus, nosse vberius possumus. Quippe cum multa inesse quoque in genere percipere possit, quicumque non laborem recusat pleniorem; vtrumque tamen studium nos delectat. Res namque illas superiores, tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam ampliùs oblectamur, quam cum hæc nobis iuncta omnia tenemus.* Hæc Aristoteles. Quod si penes ipsum adeo nos oblectat speculatio cœlorum mobilium, quî oblectabit consideratio cœli immobilis? cum hoc ab illis longè distet nobilitatis interuallo. Et sanè eò cumulatius erit gaudium, quò à nostris sensibus est magis abstrusum Empyreum. Vnde rectè ad Alethium scripsit S. Paulinus in epistola 33. *Non modica animis credentium voluptas est promissa fidelibus bona dulci cogitatione præsumere, & in paradiso iam animis deambulare.* Legatur S. Teresia in via perfectionis cap. 38. vbi eius voluptatis causas expendit dulcissimè.

8 Cæli mobiles habuere multos sui assiduos contemplatores, Cæsar apud Lucanum prædicat de se lib. 10.

Media inter prælia semper
Stellarum, cælique plagis, superisque vacaui.

Sed relictis Ethnicis, Philo in lib. de gigantibus scribit de Abrahamo, *Quando hærebat in Chaldæorum terra opinione, & nondum mutato nomine vocabatur Abram, homo cæli erat sublimis, athereaque natura scrutator, in effectibus, eorumque causis, & id genus aliis philosophando: ex quo studio, & appellationem præsentem sibi quæsiuit, Abram enim interpretatur Pater sublimis; nomen conueniens consideranti sublimia, cælestiaque intellectui, præsertim cum concreta huius natura nostra pater sit intellectus pertingens ad atherem, & vlteriùs.* Sic Philo. Abrahamum parentem proposuit sibi imitandum Isaac, de quo in cap. 24. Genesis v. 63. *Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die*, idest, ad contemplandum cœlum, ac sydera; quæ est interpretatio Hebræorum, & Lyræ, atque Tostati. Deipara virgo describitur ab Hieronymo Vida in hymno de ipsa,

Nunc animo cælum peragrans.

Origenes homilia 11. in Lucam ait de S. Ioanne Baptista, *Non expectauit, vt à Patre nutriretur, sed recessit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, & abiit in deserta, vbi purior aer, & cælum apertius.* In S. Melanio Episcopo commendat Vsuardus sexto Ianuarij, fuisse *ingiter intentum cælo.* S. Martinus Turonensis tam continuè intuebatur cælum, *vt cæli suspex*, vulgò cognominaretur, & de eo inquit S. Bernardus, *Crebrò homo Dei, vt pote terram despiciens cælum suspiciebat, nempe sciebat ad hoc se rectam in corpore accepisse staturam.* Sanctissimus societatis Nostræ Patriarcha Ignatius frequentabat Solatium, ex quo liberè in cælum posset suspicere, ibique illa eius vox, *O quam mihi sordet terra, dum cælum aspicio!* S. Teresia vbi supra ait, animum suum ex solo cæli adspectu interiùs reuocatum, mitéque recreatum. Similia alia Sanctorum exempla licebit videre apud Patrem Cornelium Cornelij à Lapide in cap. 1. Actuum Apostolorum v. 10.

9 Crediderim, diuinos illos viros oculis quidem stitisse in sydereo orbe; mente vero Empyreum penetrasse, eorumque, vt Pauli ad Philippenses 3. v. 20. *Conuersationem in cælis fuisse cælorum.* Hinc S. Anselmus, (aut quisquis est Author Commentariorum in epistolas Pauli) explicans indicatum Apostoli locum fatur sic ad rem, *Nostra conuersatio iam secundùm fidem, & secundum spem est in cælis. Si enim non est in cælis, quomodo habemus sursum cor? corpore ambulamus in terra, sed corde habitamus in cælo. Sicut enim domus exterioris conuersationis est adificium, quod inhabitat corpus, ita domus nostra cogitationis est res qualibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Omne enim, quod diligimus, quasi in hoc quiescentes habitamus. In supernis cor fixerat; in terra quidem positus, sed tamen à terra extraneus, de se, suisque similibus dicit, Nostra conuersatio in cælis est.* In eos intendit Protomartyr Stephanus, vt narratur in Actis Apostolorum cap. 7. v. 55. *Quia*, expendente Petro Damiani in sermone de hoc sancto, *qui spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cælestibus inhiat, & æternis*; & quia adnotante S. Petro Chrysologo sermone 4. *Qui Christum videre quærit, cælum, vnde Christus est, non terram, de qua natus, intuetur. Et certè quisquis rectum vitæ iter tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cælum*, vt hortatur Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum cap. 8. non illam, sed hoc contemplari sedulò debet, solicitus, *vt quærat, & sapiat, quæ sursum sunt*, vti Colossenses, & Christicolas omnes instruit S. Paulus cap. 3. epist. ad Colos. v. 1. & 2. verendumque est, ne ex Gentili Poëta Persio Satyra 2. audiamus,

O curuæ ad terras animæ, & cælestium inanes!

Et ne Christianus homo non queat verè dicere, quod Anaxagoras intendens digitum in cælum, *Ingens mihi patria cura est.* Vtinam sim ego vnus ex quærentibus, & sapientibus, quæ sursum sunt! Nam iuxta S. Leonem serm. 3. in Epiphania, *Quicumque in Ecclesia sapit, quæ sursum sunt, non quæ super terram, cælestis quodammodò instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem seruat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat.*

10 Persuasum fuit ipsis Ethnicis Philosophis, factum esse hominem ad cœlum contemplandum, vt refert in oratione exhortatoria ad Gentes, Clemens Alexandrinus, laudans eorum existimationem. Hinc forsan ortum traxit oculorum patefactio in demortuis corporibus proiectis ad rogum indicata à Virgilio lib. 4. Æneidos in illo v.244.

Lumina morte resignat.

Quasi nefas esset, (Sic Plinius lib.11. Historiæ naturalis cap.37.) cœlo non ostendi vel in funere lumina, quæ vt instrumentum ad consideranda cælestia dedit hominibus artifex Deus. Sed quicquid sit de hoc indicio, Cicero lib. 2. de natura Deorum inquit, *homines humo excitatos, & erectos constitutos, vt Deorum cognitionem, cælum intuentes capessere possent. Sunt enim in terra homines, non vt incolæ, & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet.* Silius Italicus lib.5. de bello Punico canit,

Nonne vides, hominum, vt celsos ad sydera vultus
Sustulerit Deus, & sublimia finxerit ora,
Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem, atque obscænam passim strauisset in aluum?

Pulchrè Italicus: pulchriùs Christianus Poëta carmine in Genesim sub nomine S.Hilarij Pictauiensis, sed rectiùs adscribitur Hilario Arelatensi,

O felix animal, summi cui dextra Tonantis
Est pater, ô felix nimiùm, qui ducis olympo
Et genus, & formam, si te non noxia terræ
Vitia decipiant, nec blandus subruat error.
Numen eris, cæloque redux mirabere regna,
Quæ promissa bonis fido pater exhibet ore.
Nam tibi multa Deus nascenti contulit vltrò
Æthercam faciem primùm, vultumq; paternum,
Incessumque pedum rectum, sublimia colla
Ne qua mora in cœlum oculis spectantibus esset.

Pulcherrimè S. Basilius, tum homiliâ 9. in Examerōn, tum homiliâ in illud Moysis. *Attende tibi ipsi.* Appono solius prioris loci verba, *Iumenta terrea sunt, & ad ipsam nutantia terram; at planta cælestis homo, quantùm figurâ, formâque corporis cæteris animantibus antecellit, tantùm & dignitate animæ præstat. Qualis namque est animantium quadrupedum forma? caput illis ad humum est pronum, ad ventrem spectat, voluptatem ventris omnibus modis persequitur. Caput tuum ad ipsum cælum exurgit, oculi tui res supernas conspiciunt. Quòd si vnquam & tu, carnis affectionibus succumbens, te ipsum dehonestaris, ventrique, & his, quæ sunt sub ventre, seruieris, comparatus es iumentis insipientibus, & illis persimilis es effectus. Alia te cura decet, supernas res, inquam, explorare, ac quærere, vbi Christus est, terrenis contemptim transmissis, cælestia mente transcendere, vti forma te natura insigniuit, sic & te ipsum, & tuam vitam disponere velis. In republica cælesti versare. Vera tibi patria est superna illa Hierusalem, conciues, atque contribules ipsi primogeniti, qui sunt conscripti in cœlis.* Sic Basilius, consonant S. Bernardus serm. 24. in cantica, aliique collecti à Pontano in v. 85. lib.1. Metamorphoseos. Ouidij,& à Bisciola tom.2.Horarum succeßiuarum lib. & cap. 1. Non ergo mirum, quin potiùs debitum, si Christianus, & Religiosus Philosophus Empyrei cæli se se addicat contemplationi.

11 Dixerim cum Seneca in epistola 65. *Ego ista non quæram? semel ista videnda mihi sunt, an sæpe? Nesciam, quo hinc iturus sim? quæ sedes expectet animam solutam legibus seruitutis humanæ? Vetas me cælo interesse, idest, iubes me viuere capite demisso? Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis.* Hæc de Sydereo cœlo Seneca; quæ nos aptiùs ad Empyreum transferimus. *Naturaliter hominibus insitam cum cælo societatem*, affirmauit Clemens Alexandrinus in oratione ad Gentes, quæ verba de cæli notione, ad quam ipsa natura homines inclinat, explicantur à Gentiano. Scripsit Aquilles Tatius in Isagoge ad Arati phænomena cap. 1. *Neque verò incredibile dictu est ab humanis ingeniis tantam vim contemplationis (Syderei cœli) ortum habuisse. Etenim cum est anima omnis immortalis, è cæloque delapsa; tum ad cognatum sibi cælum aspirans, eadem omnia sibi familiaria prospicit, & ad illud allicitur, ad quod efferri naturâ suâ festinat.* Hæc Ethnicus homo. Quidni Christiana documenta, & pietas nos alliciant, vt Empyreo cognoscendo allaboremus? vbi scimus, esse thesaurum nostrum, & sedere in Patris dextera Christum, ac nos nunquam donec illuc perueniamus, quod desideramus, adsequuturos. Aliorum cælorum conspectus, tam nociuus fuit multis, quàm delectabilis, cò namque deuenerunt plerique gentiles, vt Solis, Lunæ, & stellarum adorarint pulchritudinem. Vnde S.Leo sermone 2. de Epiphania admonebat, *Sol, Luna, & sydera sint commoda vtentibus, sint speciosa cernentibus, sed ita vt de illis gratia referantur Authori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura, quæ seruit.* Ast Empyrei cœli meditatio tam vtilis erit, quàm iucunda Philosopho Christiano.

12 Asterius homiliâ in Euangelij locum de œconomo iniquitatis secundùm Lucam permittit nobis syderei cœli intuitionem, vt quæ possit esse non damnosa. Ita enim aiebat, *Accepisti corpus à creatore ex partibus pluribus compositum, & quinque sensibus ad vsum, commoditatemque vitæ instructum, qui nec ipsi liberi sunt, verùm pro se quisque legibus certis adstringitur. Et quod ad vsum attinet, qui princeps censetur, cerneere naturam, & contemplare, quæ visu pulchra, ac præclara, solem terrarum orbem collustrantem, lunam tristem, & obscuram faciem noctis illuminantem, Stellas cæteras exiguum illas quidem, neque nobis sufficiens ex se lumen præbentes verumtamen decus nescio quod, speciemque scintillantem, quam sortita sunt, eiaculantes::: Ad hæc, & talia licet, oculis vtare, cætera vero spectacula, quæ per oculos noxam animæ inferunt, fuge, & præter curre, velumque, ne videant, obducito.* Hactenus Amasea Præsul, qui multò potiùs permitteret, imò & suaderet spiritualium nostrarum facultatum frequentem vsum circa Empyreum cælum; nam nullum inde damnum, sed maxima emolumenta reportabimus. *Si cælum videris*, inquit S. Basilius in Psalm. 32. *Ipsiusque ordinem consideraueris, fidei tibi est dux, per id namque artifex tibi ostenditur.* Author epistolæ ad Demetriadem positæ inter Ambrosianas, *In pulchritudine cœli, & terræ quasdam esse paginas ad omnium oculos semper patentes, & Authorem suum nunquam tacentes, quarū protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum.* S.Eutherius in epist.ad Valerianum.

Per

Per istos etiam oculos in futurum cupiditate magnâ ex parte rapiamur, si admirationem, quam ex mundi contemplatione capimus, retorqueamus in ipsum tantæ machinæ Authorem, aut si cogitemus quantus in posterum splendor lucis possit luminibus occurrere, cum se nunc tantus insinuet; quàm magnifica fulgebit perpetuis forma rebus, cum sit nunc speciosa periturus. Euthymius item in Psalm. 18. *Ipsi cœli vbique Dei magnificentiam prædicant, proprioque aspectu ad id vtuntur pro voce, à magnitudine enim, ac pulchritudine creatarum rerum, quasi propositione quadam earum artifex consideratur: nam qui cœli magnitudinem spectat, & pulchritudinem, & formam & situm, & cætera huiusmodi, visuque veluti Doctore quodam vtitur, hic facillimè summam Dei potentiam & dignoscet, & credet.* Hi percipiuntur fructus ex Syderei cœli visione, sed cumulatiores illi, qui ex contemplatione Empyrei: excitabit namque nos non solùm ad Deum, summamque ipsius potentiam rimandam, sed ad demirandam etiam benignissimam prouidentiam erga iustos, pro quibus condidit tam magnificum palatium; nec poterit non istius cœli attenta, & exquisita consideratio ingentem parere voluptatem.

PRÆLOQVIVM VI.

De difficultate.

13 CVM *difficile æstimemus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu nostro sunt, inueniamus cum labore; quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Rogat meritò Sapiens cap. 9. v. 16. & S. Hilarius in Ps. 129. scribit: *Quis causas, naturasque cœli, & huius, & superioris, & cæterorum sciet? Secreta illa, & profunda inscrutabilis iudicij secreta mens terrena non penetrat. Inuestigare quidem ea, perscrutarique, pium est; sed inscrutabilia ea esse, & inuestigabilia confitenda sunt; quorum est alterum religiosæ voluntatis, alterum imperspicabilis naturæ.* Olympiodorus in Ecclesiastem cap. 8. *Nullus, neque sæcularis scientiæ, neque diuinæ sapientiæ mediocriter consultus, vel, quantum hominibus licet, perfectè eruditus, poterit substantias rerum neque mensuram cœli, terræ, ac maris, aut quomodò hæc ipsa concreta coaluerint, quibusue adminiculis innixa consistant, intelligere. Quod si fortè quisquam sapiens videatur probabiles rationes afferre, ipsam tamen intimam veritatem inuenire prorsus non poterit.* Hinc Aristoteles lib. 2. de cœlo textu 17. 34. 60. & 61. prudentissimè fatetur multarum rerum cælestium coniecturalem tantùm, & opinabilem notitiam à se adquisitam. Nihilominus; vt in simili de qualitate vitæ cælestis lego apud S. Augustinum lib. de diligendo Deo cap. 18, & apud Iulianum Pomerium, vel S. Prosperum lib. 1. de vita contemplatiua cap. 2. *Non ideo debeo inde tacere, quod valeo, quia dicere, quantum volo, non valeo. Neque enim quia Deum ineffabilem credimus, fari de illo, quod possumus, non debemus. Ita sanè vt plus credatur de illa vita, quam scribatur, quia nec potest tantum inde proferri sermone, quantum potest mente complecti, & minus concipit mentis humanæ quamlibet profunda complexio, quàm se habet reipsius magnitudo.*

14 Timebam ego aliquando, ne mihi diceretur cum Iuuenali Satyra 11.

Noscenda est mensura sui spectandaque rebus
In summis, minimisque.

Cum Horatio lib. 1. epistola 7.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est:

Et in arte Poëtica.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam.
Viribus, & versate diu quid ferre recusent
Quid valeant humeri.

Ignoras, quæ sub oculis tuis sunt, & nosse tentas Empyreum? Parem audiuit obiurgationem Philosophus quidam, qui, vt cum Platone in Thæteto, Laertio lib. 1. de vitis Philosophorum, & Stobeo serm. 78. enarrat Petrus Damiani lib. 5. epistola 1. *Dum noctE stellarum cursus, & meatus syderum subtiliter rimaretur, in puteum repente corruit, & blandi, sicut dicitur, immanitate profundum, & obscænis sordium squaloribus plenum. Cui nimirùm Philosopho domestica erat ancilla nomine* Iambi, *quæ in Dominum suum liberè, ac prudenter inuecta per metrum iambicum, quod ex ea post modum tale nomen accepit, super eo plausibilem dixit, Dominus, inquit, meus ignorabas stercora, quæ sub pedibus eius erant, & nosse tentabat sydera.* Noster Lælius Bisciola tom. 2. horarum succesiuarum lib. 10. cap. 15. hanc carminis iambici nomenclaturam, & originem demiratur in Petro Damiani, cum in nullo alio inueniatur. Quicquid de hoc sit, Diogenes Cynicus apud Laertium lib. 6. carpebat Mathematicos, *quod Solem, & Lunam, & sydera intuentes, quæ ante pedes essent, negligerent.* Rursus ipse Diogenes ad eum, qui de cælestibus disserebat, *quando,* inquit, *de cœlo venisti?* Antiquus Poëta Pauerius dixit apud Nostrum Eusebium Nierembergium in prooemio Theopolitici,

Quod ante pedes est, nemo spectat,
Cœli scrutantur plagas.

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 2. de Theologia, *Cum quæ ante pedes sunt, ignores, neque te ipsum permiseri possis, tamen, quæ supra naturam tuam sunt, anxio, multóque labore inquiris, & rebus mensuram non subeuntibus inhias?* Minutius in Octauio, *Si quid sapientiæ vobis, aut verecundiæ est, desinite cœli plagas rimari: satis est pro pedibus aspicere.* S. Cæsarius Dialogo 1. *Quid nos iuuabit summum, & numero superius scire cœlum, cum ne quidem id, quod est ante, & super capita nostra, conscendere mente velimus, materie crassa grauati, & affectibus id, quod mente percipi potest, obscurantes, inferioribus, & humi positis semper inhiantes.*

15 Verùm non ideo non tentabo nosse Empyreum, fretus manuductione cælestis Magistri, cuius doctrinæ initium, progressio, & consummatio fuit regnum cœlorum, seu Empyreum, vt doctissimus, piissimusque Hæreologorum Princeps Cardinalis Bellarminus lib. & cap. 1. de æterna fælicitate Sanctorum deducit ex Euangeliis. Vnde etsi Empyrei natura sit prope *incomprehensibilis,* vt inquit S. Anastasius Synaita lib. 2. contemplationum Anagogicarum in Exameron, etsi etiam *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum,* possumus cum Paulo 1. ad Corinth. 2. v. 10. fidenter pronuntiare, *nobis* ea *reuelasse Deum per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quo præsente, etiam, quod inextricabile est, explicari facilè potest,* vt asseuerat Synesius epist. 137. liceat itaque, diuine spiritus, dicere,

Per te iam cœlum in terris, iam sydera nota.

16 Fido prætereà manuductioni Patrum Theologorum, Philosophorumque præstantissimorum, quos in

in Empyrei hac inuestigatione diues nactus sum; esto enim regnum cælorum thesauro in agro compararetur Math.13. v. 44. *Quoniam eius diuitiæ nondum omnibus manifestè apparent, inueniuntur tamen; licet non ad plenum, quia sanctorum prædicatione qualis quantusue sit magna ex parte declaratur.* Quæ sunt verba Eusebij Gallicani sermone in Natali vnius Virginis. Et fas sit huc adducere præloquium illud Authoris libri de Mundo ad Alexandrum, *Cum minus corpori liceret in cælestem emigrare sedem, & relicta terra ipsum cælum inspicere, quod olim dementes Aloidæ facere cogitarunt, animus post mentem beneficio Philosophiæ ducem sibi assumptam per omnia transit, peregrè que profectus est; cumque in viam quandam, ex qua nullam lassitudinem sensurus foret, ingressus esset, quæ locorum interuallo plurimum inter se discreta essent cogitatione vna comprehendit,* sic Pseudo-Aristoteles, imitatus ab Apuleio in lib. etiam de Mundo.

17 Via quidem ardua est; sed non ideo deiicitur, quin potiùs erigitur animus: Quique teste S. Claudiano Mamerco lib. & cap. 2. de statu animæ, *Mortalium generi naturâ datum est, vt abstrusa fortiùs quærat, vt negata magis ambiat, vt tardiùs adepta plus diligat, & eò fragrantius ametur veritas, quò vel diutiùs desideratur, vel laboriosiùs quæritur, vel tardiùs inuenitur.* Quod si hanc ex integro non inuenerimus, Scimus ex Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 13. & si quædam eius conditionis sint *vt effectum præstare debeant, quibusdam pro effectu esse omnia tentasse, vt efficerent.* Nec tristabimur, quinimò *gaudebimus* cum S. Leone in serm. 9. de Natiuitate Domini, *quòd ad eloquendum impares sumus, sentiemusque nobis bonum esse, quod vincimur. Nemo enim ad agnitionem veritatis magis accedit, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiamsi multùm proficiat, semper sibi superesse, quod quærat, Nam si se ad id, in quod tendit peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.*

18 Ptolomeus in procœmio ad quadripartitum ait, *Multorum ad inuestigandum difficilia vilipendere; & quosdam, quòd præ difficultate nimia scire nequeunt, alios scire posse, nequaquam existimare.* Hinc nos vidimus aliquos, aut audiuimus, qui nostrum in hac difficili tractatione laborem parui facerent; aliquos etiam, qui cum de Empyreo pauca inuenissent, eaque difficulter, dicerent, nec nos posse. Sed posterioribus respondebam,

——Labor improbus omnia vincit.
Omnia conando docilis solertia vicit.

Et cum S. Damasceno c. 1. Dialecticæ, *Naturâ comparatum est, vt omnia diligentia, & labore ac præsertim dei donantis fauore, ac beneficio percipiantur.* Priores autem si nostras has elucubrationes legerint, operam positam non adeò despicatam habebunt.

19 Ingenuè fatebor, vitam religiosam addidisse mihi non nihil audaciæ ad difficile hoc de Empyreo opus. Religiosa vita imago est illius, quæ in Emphyreo agitur. Hinc S. Bernardus scribit ad fratres de Monte dei, *Habitantes in cælis potius, quàm in cellis exclusò à vobis toto seculo, totos vos inclusistis cum deo. Cella quidem, & cæli habitatio cognata sunt, quia sicut Cælum, & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis; à cælando enim cælum, & cella nomen habere videntur, & quod cælatur in cellis, hoc & in cælis. Quidnam est hoc? vocare deo, frui deo. Quod cum secundum ordinem piè, & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, sancti Angeli dei cellas habent pro cælis, & aquè delectamur in cellis, ac in cælis. Nam in cella iugiter cælestia actitantur, cælum cellæ & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu proximum efficitur; nec iam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti à cella in cælum longa, vel difficilis via inuenitur.* Hactenus S. Bernardus satis dulciter. S. Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis cap. 7. ait. *In humanis rebus, & in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cælestis patriæ, quàm Monastica conuersatio, & eo gregatio diuino cultui dedicata, supernis namque ciuibus vna est mansio, vna gloria, lætitia communis, concors voluntas, mutua dilectio, & sempiterna securitas. Atquè in congregationibus vniformiter de gentibus reperitur; vna quippe est omnium habitatio indistincta, & cunctis ad vsum æqualiter concessa.* S. Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 25. laudat Domnulum, *quòd iam cælestibus, supernisque præludat habitaculis,* dum libenter solitus est ascendere in Monasteria. Cum ergo Religiosi æmulemur cælestes ciues, sutor vltra crepidas non habeat, si de eorum agam domicilio, & Philosophicas litteras in cælestis Regiæ famulitium conuertam. *Sancti tui,* idest sacrati tibi, *benedicent tibi, gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.* Ita iubet, & sperat Psaltes Regius Psalm. 144. à v. 10. S. Teresia in via perfectionis cap. 37. dicebat, *Religiosas* domus debere esse Regias, in quibus homines doceantur aulici esse cæli. Quidni vt discant candidati esse sapientiæ cælestis?

PRÆLOQVIVM. VII.

De Nouitate Empyreologiæ.

20 MVltorum vestigiis insisto, nullius tamen qui ex professo discusserit, collegeritque in vnum corpus pertinentia ad Empyreum. Accedo ad materiam non tantùm non consumptam, sed nec subactam. *Qui præcesserunt non præripuisse mihi videntur, quæ dici possunt, sed aperuisse*, vt loquitur Seneca in epistola 79. *Et quoniam hoc argumentum nos iam primi aggredientes quasi desertam, & inusitatam viam inire molimur, idcircò precibus magnopere petimus tum à Deo Patre, vt itineris ducem se præbeat, tum à Domino nostro Iesu Christo, vt virtute sua, ac potentia nobis adiumento sit*: Sic Eusebius Cæsariensis lib. & cap. 1. Ecclesiasticæ Historiæ. Et quia iuxta S. Claudianum Mamercum lib. & cap. 1. de statu animæ, *Mortalium generi mos est, noui operis agnitione pellici*; Erunt forsan aliqui, quorum huius operis nouitas alliciat. Rursus quia, vt Iuuenalis satyra x 1.

Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.

Et vt S. Sidonius Apollinaris lib. 2. epistola 10. *Naturâ comparatum est, vt in omnibus artibus hoc sit scientia pretiosior pompa, quò rarior, quippe facilè inuestigata plerúmque vilescant.* Vt arguté S. Augu

S. Augustinus cap. 6. lib. 2. de doctrina Christiana, & vt eius discipulus S. Prosper Epigrammate 68.

Vltro obiectorum vilius est pretium.

Erit forsan aliquibus in pretio Christianæ istius Philosophiæ raritas.

21 Et quamuis Empyreum pro dignitate non illustrauerim, *Attamen quando adæquissimum illum iudicem definita merces est, haud quaquam aspernabilis, vel soli voluntati ad decentia opera propensæ, ne quæso ad captam rerum indaginem simus cunctatiores; nam tametsi rerum sublimium attingere dignitatem minimè possumus, si modò à genuino sensu scripturæ, & scopo spiritus ope subnixi, non excederimus, non vsquequaque retellicij censebimur, sed & cooperante gratia Ecclesiæ dei nonnihil impartiemur commoda ædificationis.* Fas sit mihi sic fari cum S. Basilio homiliâ 2. in Examer. liceat etiam veniam à lectoribus expectare, *Nouo namque operi venia concedenda*, vt aduertit S. Hieronymus Proœmio in quæstiones, siue traditiones Hebraicas libri Genesis. Occurrent nonnulla, quæ lectores perfectiora vellent. Sed nouerint ex Cicerone, *Nihil esse simul inuentum & perfectum nonaque diem suppeditare incrementa*: Ex Aristotele lib. 2. Elenchorum cap. 9. *quæ ab initio comperiuntur, paruum in primis sumere solere incrementum*: ex Seneca lib. 6. naturalium quæstionum cap. 5. *Nullam rem consummatam esse dum incipit; longéque semper à perfecto fuisse principia*: Ex Apuleio lib. 1. Floridorum, *Nec quidpiam omnium esse, quod possit in primordio perfici; sed in omnibus fermè ante esse spei rudimentum, quàm rei experimentum*: Ex Cassiodoro lib. 2. var. epist. 3. *Solere initia pertendere meliora, dum à paruis inchoant, quæ in sequentibus magna se admiratione sublimant.*

PRÆLOQVIVM. VIII.

De Authoribus antiquis, qui adiumento fuere.

22 QVantum contulerint ad Empyreologiam hanc sacræ litteræ, Patrum Ecclesiæ, & interpretum, tam veterum, quàm recentium scripta in vtrumque Testamentum, ipsæ paginæ, me tacente, prouulgabunt. Licet autem sacræ litteræ expressis verbis Empyreum nobis non tradant, non idcirco irrito labore cælum istud in eis inuestigamus. Scitum est illud S. Augustini scribentis contra Adimantum cap. 17. *In scripturis sacris aliquando ipsa diuina authoritas non siletur, aliquando occultatur, vt & manifestis lector instruatur, & obscuris exerceatur.* Nec prætereundum est illud Philippi Abbatis epist. 2. *Ob hoc nonnulla occultantur, vt diligentiùs inquirantur, & inuenta strictius teneantur.* Si quis ex nonnullis nostris paginis demat, quæ sunt propria antiquorum Patrum, vacuæ relinquentur, vt in Chrysippi libris cõmendauit Apolodorus apud Laertium lib 7. de vitis Philosophorum, & ipse Laertius lib. 10. in Epicuri operibus Exaroinvegrè Patrum testimonia, petita ex suis fontibus, vt eorum mens clarè appareat. Cui id fastidio fuerit, aduertat, se cura, & labore liberari adeundi ipsos Patres, quorum vix vllum præsentabo locum à me non visum. *Tardi enim ingenij est*, ex Tullij nota censura, *riuulos consectari, & fontes non videre.* Quapropter admodùm confido cum S. Anastasio Sinaita lib. 1. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, *nihil deprehensum iri dissentaneum, & a veritate alienum; quin potiùs singula quæque esse consentanea incorruptis Maiorum documentis, quorum ergo doctrinam vt sequerer, magnopere contendi etiandum infans, atque adeò iuxta peritam vulgo parœmiam à tenellis vnguiculis.*

23 Duo hic circa Patres tempestiuè commonefaciam. Primum vnius nonnunquam, eiusdemque Patris Græci authoritates à me apponi iam ex hac, iam ex illa versione latina, prout ad manus fuerunt in diuersis Societatis collegiis, in quibus Empyreologiæ operam nauaui. Secundum, citari à me interdum vetustum Patrem nomine Beatum, Monachum, & Presbyterum in Asturiis Liebanensibus, tandemque Vxamæ Antistitem, expositione super Apocalypsim; quod opus nondum typis commissum extat in Bibliotheca nostri Vallisoletani Collegij S. Ambrosij. Beatus socius fuit Etherij antecessoris sui in Episcopatu Vxamensi; cui eam expositionem dicauit, & vterque scripsit contra Elipandum illos libros, quos luci commissos habemus in Bibliotheca Colonensi varij PP. de Beato, & eius expositione super Apocalypsim agunt Iulianus Perez in Chronico n. 401. Morales lib. 13. Generalis Historiæ Hispaniæ cap. 26. & 27. lib. 14. cap. 3. atque Aluarum Cordubensem in epistolis meminisse eius; Lopes in Chronico Generali Benedictinorum tomo. 3. Christ. anno 783. ac 784. Sandobal in notis pro Sylonis Regis gestis à pag. 114. vsque ad 127. Gillius Gonzalez Dauila in Theatro Ecclesiæ, Episcoporumque Vxamensium lib. & cap. 2. Mariana lib. 7. de rebus Hispaniæ cap. 9. Ioannes Grial in notis ad cap. 30. libri Isidoriani de viris illustribus, Vazques tomo 1. in 3. p. disp. 89. cap. 1. à num. 2. Posseuinus in Apparatu, Aubertus Myreus in Auctario Bibliothecæ Ecclesiasticæ cap. 224. Baronius in annalibus Ecclesiasticis tomo 9. anno Christi 783. à num. 5. Andreas Schotus in Bibliotheca Hispana tomo & c. 1. Ludouicus Alcazar lib. 1. in Apocalypsim notatione 26. sect. 1. sed in sect. 3. suum à se exemplar M. S. Vallisoletan. nostri Collegij attribuit Apringio, vel Aprigio Hispano, & Episcopo Pacensi. Ausim tamen dicere M S istud non esse Apringij. Nam in eo Author profitetur allaturum se, quæ reperit in Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Fulgentio, Gregorio, Ticonio, Irenæo, Apringio, & Isidoro finitque præfationem his verbis, *Hunc ergo, Sancte Pater Etheri, ob ædificationem study fructum tibi dicaui, vt quem consortem profiteor Religionis, cohæredem faciam & mei laboris* Labitus etiam Alcazar, dum sect. 1. inquit, Beatum absoluisse suum opus Æra Hispana 1008. qui est annus Christi 970. cum enim Beatus scripserit anno 783. contra Elipandum, iamque grandæuus, constat apertè lapsus Alcazaris. Non ergo anno 970. absoluit opus Beatus, sed librarius transcriptionem. Vnde M. S. habet, *In nomine Domini Iesu Christi; initiatus est liber iste Apocalipsis. Ioannis, sexto Idus Iunias, & finiuit exaratus tertio Idus Septembris sub æra 1008. deo gratias. Amen.* Vixit Beatus vsque ad annum saltem 796. Nam Iulianus Perez in Chronico n. 411. tradit, Beatum eo anno tanquam

quam Episcopum Vxamensem adstitisse in quodam Concilio Toletano. Apringuis vero florebat anno 529. vt in Maximi Episcopi Cæsaraugustani Chronico legitur, & de illo inquit S. Isidorus cap. 17. *interpretatum esse Apocalypsim B. Ioannis Apostoli, subtili sensu, atque illustri sermone, meliùs penè, quàm veteres Ecclesiastici viri exposuisse videantur.* Testamentum S. Gennadij Episcopi Asturiensis conditum anno 905. vel 915. transcriptum ab Ambrosio de Morales, tomo 2.fol.16. tomo 3. lib. 15. cap. 45. memorat *librum Aprigij*, & hunc celebrant Honorius Augustodunensis, Tritemius, Sixtus Senensis, Posseuinus, Myreus, & ex Nostratibus Garibay lib. 8. cap. 16. Mariana lib.5. cap.7. Moralez lib. 11.cap. 9. in Hispaniæ historia, aliique recensi à Roderico Caro in notis ad chronicon Maximi, audioque in posthumis Francisci Biuarij Cisterciensis ad idem Chronicon Commentariis quæ iam sunt sub prælo, contineri multa de Apringio.

24 Theologos antiquos euolui non segniter, maximè sententiarios; multa enim sparsim tradunt de Empyreo, *operis mei fuit, & studij eos legere, vt ex pluribus diuersos flores carperem, non tam probaturus omnia, quàm quæ bona sunt, electurus. Assumpsi multos in manus meas, vt ex multis multa cognoscerem*, imitatus Doctorem Maximum Ecclesiæ Hieronymum, cuius sunt superiora verba in epistola 77. contra *vigilantium*. Atque, vt docemur à Macrobio in Prologo Saturnalium, *Apes quodammodò debemus imitari, quæ vagantur, & flores carpunt, deinde quicquid attulere, disponunt, ac per fauos diuidunt, & succum varium in vnum saporem mixtura quadam & proprietate spiritus sui mutant. Nos quoque quicquid diuersa lectione quæsiuimus, committimus stilo, vt in ordinem eo digerente coalescat. Nam & in animo meliùs distincta seruantur, & ipsa distinctio non sine quodam fermento, quo conditur vniuersitas, in vnius saporis vsum varia libamenta confundit, vt etiamsi quid apparuerit, vnde sumptum sit, aliud tamen esse, quàm vnde sumptum noscetur, appareat. Quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam. Alimenta, quæ accepimus, quandiu in sua qualitate perseuerant, & solida innatant, malè stomacho oneri sunt. At cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tum demum in vires, & sanguinem transeunt. Idem in iis, quibus aluntur ingenia, præstemus, vt quæcunque hausimus, non patiamur integra esse, sed in quandam digestionem concoquantur, alioquin in memoriam ire possunt, non in ingenium. Ex omnibus colligamus, vnde vnum fiat ex omnibus, sicut vnus numerus fit ex singulis. Hoc faciat noster animus, omnia, quibus est adiutus, abscondat, ipsum tamen ostendat, quod effecit. Vt qui odorata pigmenta conficiunt, ante omnia curant, vt nullius sint odoris propria, quæ condiuntur, confusuri videlicet omnium succos odoraminum in spiramentum vnum. Vides, quàm multorum vocibus constet chorus? vna tamen ex omnibus redditur, aliqua est illis acuta, aliqua grauis aliqua media, accedunt viris fœmina, interponitur fistula: ita singulorum illic latent voces, omnium apparent, & fit concentus ex dissonis. Tale hoc præsens opus volo. Multæ in illo artes, multa præcepta sunt, multarum ætatum exempla, sed in vnum conspirata.* Sic Macrobius.

25 Qui lib.6.cap.1. *Veritus, ne dum ostendere cupit quantum Virgilius ex antiquorum lectione profecerit, & quos ex omnibus flores, vel quæ in carminis sui decorem ex diuersis ornamenta libauerit, occasionem reprehendendi, vel imperitis, vel malignis ministraret exprobrantibus tanto viro alieni vsurpationem.* Addit, *hunc esse fructum legendi, æmulari ea, quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem vsum tuum, opportuna deriuatione conuertere. Quod & nostri tam inter se, quàm à Græcis, & Græcorum excellentes inter se sæpe fecerunt. Et vt de alienigenis taceam, possem pluribus edocere, quantum se mutuò compilarint Bibliothecæ veteris Authores. Vnum nunc exẽplum proferam, quod ad probanda, quæ assero, penè sufficiet. Africanus enim Togatarum scriptor in ea Togata, quæ* compitalia *inscribitur, non inuerecundè respondens arguentibus, quòd plura sumpsisset à Menandro. Fateor*, inquit, *sumpsi non ab illo modò, sed vt quisque habuit, quod conueniret mihi, quodque me non posse meliùs facere, credidi, etiam à latino. Quod si hæc societas, & rerum communio Poetis, scriptoribusque omnibus inter se exercenda, concessa est, quis fraudi Virgilio vertat, si ad excolendum se, quædam ab antiquioribus mutuatus sit? Cui etiam gratia hoc nomine est habenda, quod nonnulla ab aliis in opus suum, quod æternum mansurum est, transferendo, fecerit, ne omnino memoria veterum deleretur. Quos (sicut præsens tempus ostendit) non solùm neglectui, verum etiam risui habere iam cœpimus. Denique & iudicio transferendi, & modo imitandi consequutus est vt quod apud illum legerimus alienum, aut illius esse malimus, aut meliùs hic, quàm vbi natum est, sonare miremur.*

26 Legenti mihi Authores antiquos, & insignes præ oculis fuit, illud Quintiliani lib.10. Institutionum oratoriarum cap. 1. *Non omnia, quæ magni Authores dixerunt, vtique esse perfecta, nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur.* Ac sanè *Cum semper, aut plurimùm vera dicere, diuinum sit, aut diuino quàm proximum*, vt censebat Synesius de Insomniis, si aliquando discedo ab antiquo aliquo Doctore veritatis, compellor vt. *Neque enim quorumlibet disputationes quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, aut respuere, si fortè inuenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Ita aiebat S. Augustinus epist.61.ad Fortunatianum, inculcatque alibi sæpe vt in epist.7.ad Marcellinum, & 19.ad S.Hieronym. lib.11.contra Faustũ c.5.lib. de bono Perseuerãtiæ c.21.lib.1.de Trinitate cap.2.& 3. lib.3. in proœmio. Breuiùs S. Claudianus Mamercus lib.3. de statu animæ cap.11. *Eatenus diuinarum tractatoribus scripturarum fidem adhiberi par est, quoad vsque eidem tenore veritatis adstipulantur.* Similia habent Rupertus in c.11. Apocalypsis v.1. Zacharias Episcopus Mytelenensis de Mundi creatione, & S. Vincentius Lyrinensis c.39 cõmonitorij aduersus prophanas nouitates, Facundus Hermianensis lib. 11. pro defensione trium capitulorum Concilij Chalcedonensis cap.6. Petrus Cluniacensis lib 3. epistola 7. Cassiodorus c.24. diuinarũ lectionum, Eusebius Bruno Episcopus Andegauensis in epistola ad Berengarium excepta de veteri codice à Claudio Menardo in notis ad libros S. Augustini contra

contra Iulianum Pelagianum pag. 501. Abulensis locupletissimè parte 2. defensorij cap. 18. & à cap. 81. vsque ad 86.

27 Quod si quandoque refutetur à nobis Authoris vetusti, & famigerati sententia, rationumque ipsarum vis ostendat, fuisse non leuiter improbatam nullus ob id sinistrè censeat, aut in animum suum inducat, existimari à nobis minus benè de tali Doctore, quisquis ille sit. *Attendamus*, ait Richardus de S. Victore in Prologo ad expositionem. Tabernaculi fœderis, *quàm multa, quàm magna, quàm profunda cum omni diligentia pertractauerunt, & tunc desinet esse mirum, si alicui loco minus sufficientem expositionem reliquerunt. Non ergo est magnum, vel mirum, si in vno aliquo aliquid possimus addere, quod ad maiorem euidentiam, vel planiorem intelligentiam possit proficere. Hac propter illos dicta sint, qui nil acceptant, nisi quod ab antiquissimis Patribus acceperunt, sed, qui assiduè producit nonos fructus ad recreationem hominis exterioris, nunquam credendum est, nullos de cætero scientiæ profectus impertiri ad innouandos sensus hominis interioris? Vbi ergo illud est, quæso pertransibunt plurimi, & abundabit scientia?* Accinit S. Anselmus in præfatione ad librum de Incarnatione verbi. *Illi, quia breues dies hominis sunt non omnia, quæ possent, si diutiùs vixissent, dicere potuerunt, & veritatis ratio tam ampla, tamque profunda est, vt à mortalibus nequeat exhauriri, & Dominus in Ecclesia sua, cum qua se esse vsque ad consummationem sæculi promittit, gratiæ suæ dona non desinit impertiri.*

28 Colui amaui semper antiquitatem, & ideo conatus sum vt in meis opinionibus *origo maneret ex veteri*, vti vult S. Gaudensius Episcopus Brixiensis tract. 1. super lectionem Euangelij vix aliquid scribo quod antiquorũ authoritate nõ muniã, tum quia antiquiora honorabiliora, teste Aristotele lib. 2. Retoric. c. 15. & antiquissima, honorabilissima, eodem teste lib. 1. Met. cap. 3. apud Baptistam Fragosum parte 1. de regimine Reipublicæ Christianæ lib. 1. disp. 2. §. 7. num. 221. tum quia iuxta S. Ennodium lib. 3. epistola 36. *Exponit consueta sententiam suam quisquis quod eligit (antiquitatis fulcris) non tuetur.* Tum quia ex Cassiodoro lib. 3. variarum epist. 9. *propositi nostri est noua construere, sed amplius vetusta seruare, quia non minorem laudem de inuentis, quàm de rebus possumus adquirere custoditis; proinde moderna sine priorum imminutione desideramur exigere.* Vnde laudantur æquè à Boetio in lib. de disciplina scholarium cap. 6. *Qui vetustissimis innouatis, & tanquam propriis riuis manantibus credentium intelligentias excitant.* Et S. Hieronymus præfatione in Prouerbia ait de se, *Neque enim noua sic cudimus, vt vetera destruamus.* Multa videbuntur siue ab aliis Neothericis, siue à me recenter inuenta; sed si benè inspiciantur, veterum sunt superstructa fundamentis. *An non videmus* (Rogat Ruffinus scribens aduersus S. Hieronymum) *vetustas ædes nouellis ædificiis profuisse? Et interdum assumitur lapis de abditis & abstrusis antiquæ domus partibus, qua nouæ domus frontem decoret, & exornet ingressum. Et interdum totum nouellæ constructionis ædificium vnius antiquæ trabis stabilitate munitur.* Ob religionem hanc nostram erga vetustatem, præsumptuosi non erimus, si cum Cassiodoro lib. 1. variarum epistola 25. dicamus, nobis *debere suas laudes antiquos principes, quorum fabricis dedimus longissimam iuuentutem vt pristina nouitate reluceant, quæ iam fuerant vetusta senectute fuscata.*

29 Colunt, amant nonnulli antiquitatem, sed vno in collectore repertam. Theologi, *qui sunt ex hac farragine, qui neque veterum quemquam, neque scripturarũ quicquã legunt in si in sententiis, & earum commentariis, hi perinde mihi videntur facere, ac si quis Authoribus omnibus, qui latinè scripserunt, amissis, constructionum præceptis ab Alexandro petitis reliquum ex Perotti Cornucopia, & Calepino conentur ediscere, quòd persuasum habeat, in his omnia latina linguæ vocabula se se reperturum; & profectò reperiet plurima, eaque selectissima; nempe vt apud recentiores Theologos priorum dicta Authoritatis loco locuntur inserta; ita hic quoque veteres Poetæ, atque oratores, aliquot etiam, qui nunc nec stant quidem. Sed neque hæc vnquam faciunt latinum; nec illa Theologum, si sola sint, etiam si decem millibus spinosissimarum quæstionum fueris instructus.* Sic Thomas Morus, Romanæ, Catholicæ quæ fidei testis præclustris, in epistola ad dorpium. Alij, si vnius classici Authoris, ac prisci conspiciant Citationes, verbis que verba hinc, & inde petita, sed perfunctoriè librata, agglomerent, reliquos valere iubent. Cæterùm, vt optimè vidit S. Claudianus Mamercus lib. 2. de statu Animæ cap. 7. *Non refert ad agnitionem veri, quid de eodem sapiùs quisque dixerit, quam quid senserit, quærere; quia in sæpe dictis nec est vberior cognitio rerum, quàm sit prolixitas onerosa verborum. Quapropter in astructionem veri magis considerandum est, quid vnũ multi senserint, quam quid vnus sæpe dixerit.* Addit Philipus. Abbas epistola 2. *ea, quæ necesse est sciri, vno in loco nõ possũt omnia reperiri, & ideo necesse est: legendo frequentius multa reuolui, vt frequenti lectione, possit ignorantiæ caligo resolui.* His de causis ego nulli parco diligentiæ vt antiquos quosque legam, eorumque explorem mentem, assequar senia vellemque Authores nouisse omnes velut vngues digitosque meos.

30 Alij suas chartas, cum ditent effossis ex antiquitate thesauris, callidè occultant, per quos pro fecerint, forsan vt quæ ab antiquis sunt elaborata, diuendant tanquam noua, & proprij Martis inuenta, *& dum nihil inuenire possunt ex se, ea, quæ dicta sunt ab aliis, ipsi scribere sub alia verborum forma nituntur*, Vt inquit Albertus Magnus apud Prusium cap. 7. vitæ Alberti eiusdem. Timere autem debuissent illud de Cornicula in Horatio lib. 1. epistola 3.

> *Ne cum fortè suas repetitum venerit olim*
> *Grex auium plumas, moueat cornicula risum*
> *Furtiuis nudata coloribus.*

Nos cunctis nota faciemus accepta à veteribus, ob temperantes consilio S. Basilij in epistola 1. ad S. Gregoriũ, Theologũ *Neq; verò* inquit *ad discendum verecundum esse oportet, neque ad docendum malignum. Quod ab alio tutè didiceris, nequaquam clam habendum, eiusmodi facere mulieres improbæ solent, quæ ex aliis ipsæ quæsitos liberos viris suis tollendos subiiciunt, patrem ementientes. Authorem verò ipsum prodere grata commemoratione decet, verumque ipsius scientiæ parentem.* Et vero, vt notat Ioannes Philoponus lib. 1. de mundi creatione cap. 2. *æquum non est alienis tanquam propriis se iactare.* Plinius senior in præfatione ad Vespasianum prudenter arbitratur, *benignum esse, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris*, & è contra, *obnoxij animi, & infelicis ingenij esse, deprehendi in furto malo, quam mutuum reddere præsertim cum*

26

cum fors fiat ex vsura. Nepotianus, vt in eius epitaphio ad Heliodorum laudat S. Hieronymus, *ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius esset, simpliciter confitebatur, atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando eruditissimus habebatur.*

PRÆLOQVIVM. IX.

De S. Thoma Aquinate speciatim.

31 IMirabimur in discipulatu Angelici Magistri Franciscum victoriam, & Melchiorem Canum & Nobilissimos Thomistas, posterior scribit hæc de priori, & de se in proœmio ad lib.12. de locis. *Memini de præceptore meo ipso* (Francisco Victoria) *audire cum nobis secundam secundæ partem cepisset exponere, tanti D. Thomæ sententiam esse faciendam, vt si potior alia ratio non succurreret, satis, sapientissimi, & doctissimi viri satis esset nobis authoritas. Sed admonebat rursum, non oportere S. Doctoris verba sine delectu, & examine accipere; imo verò si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiam, & industriam, qui nec authoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, neque in sententiam eorum ratione in contrarium vocante transit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim vllam, non D. Thomæ dico sed ne magistri mei opinationem quidem reuocaui ad arbitrium meum, nec cordi tamen fuit iurare in verba Magistri. Nam & vir erat ille natura ipsa moderatus; at eum D. etiam Thomæ aliquando dissensit; maioremque, meo iudicio, laudem dissentiendo, quàm consentiendo assequebatur. Tanta erat in dissentiendo reuerentia.* Sic Canus. Nos itaque Angelici Magistri doctrinæ securissimæ, & solidissimæ ex corde affecti plerumque adhærebimus. Quòd si semel à nobis ab aliqua eius opinione recedamus penè inuiti, coget tunc rationum pondus, nec deerit authoritas Patrum Ecclesiæ, aut probatorum, & antiquorum Theologorum, seruabimusque semper debitam erga tantum Doctorem reuerentiam.

32 Ipsi, qui Thomistarum nomine celebres sunt, deseruere aliquando Theologiæ Principem. Catherinus in lib.4. annotationum aduersus Caietanum transcribit hæc eius verba 3. p. q.78. art.3. *Si quis contendat expositiones has posse conuenire litteræ, sed non intentioni Authoris* (nempe S. Thomæ) *qui videtur ex proposito docere oppositum, meminerit, me ab authore didicisse post Augustinum talem exhibere aliorum lectorem, qualem meorum expeto.* Desunt iam hæc verba cum commentario articuli 3. in editionibus recentibus. Hieronymus ab oleastro, magnus Pentatheuci interpres, discordat tum in cap.1. Genesis v.28. tum in cap.2. v.19. à S.Thoma, cuius in verba à se non iuratum profitetur apertè vtrobique, videlicet pag.180. & 181. dum iterùm explicat dicta in annotationibus. Dominicus Sotus lib.1. Physicorum q.6. art.2. dub 1 conclusione 2. docet, posse diuinitus conseruari materiam primam sine forma substantiali; quo nihil repugnantius S.Thomæ. Sed adiicit Sotus. *Neque in hoc puto derogari grauissimæ authoritati S.Thomæ, quia res non est tanti momenti.* Idem Sotus 3. Physicorum q.1. conclusione, & propositione 5. impugnans sententiam, quam Angelico Doctori attribuebant Thomistæ, ait. *Quando contrarium in S. Thoma reperirem, aut exponerem, aut nihil crederem eius honori, & authoritati obuiari, si in rebus his minimis communem potiùs modum concipiendi amplecterer.* Possem aliis exemplis Confirmare Thomistarum à S. Thoma dissidium, non sine eorundem confessione.

33 Video, displicituras non tarò Thomistis rigidioribus interpretationes nostras adhibitas verbis S.Thomæ. Sed cum tanta sit apud Patres varietas in exponendis sacræ scripturæ verbis compluribus nihil mirum si Angelici Doctoris scripta hanc subeant fortunam. Non iis solis quibus felix faustumque Thomistarum cognomen contigit, datum est, scrutari, & noscere S. Thomæ mysteria, vt iustò confidèntius aiebat Rispoltus lib.2. de Auxiliis 91. ante conclus. 1.§. *Relinquant.* Versamus diu, noctuque eosdem S.Doctoris libros, cupimus illos percallere, & intellectu conspicere, diuina fauente gratia; quam sibi, & non aliis adesse in isto negotio, haud quaquam asserent. Quid? Quod inter ipsos experimur non insequentes discordias circa mentem Præceptoris Angelici. Nihil huic conformius esse publicatur à permultis, quàm supernaturalem actum intellectus, aut voluntatis fieri non posse, diuinitus etiam, absque habitu, aut auxilio supernaturali intrinseco. At Ioannes à Neapoli Dominicanus, qui vicinus fuit temporibus S. Thomæ, & fortè eius auditor in 1. quæstionum variarum puncto 1. pag.7. statuit. *Spiritum sanctum posse de potentia absoluta mouere voluntatem ad actum dilectionis supernaturalis sine omni habitu supernaturali inhærente voluntati.* Et cum conclusionem hanc firmiter, & auctè vallasset, subiungit pag.8 col.2. *Nec contra prædicta videtur loqui Frater Thomas, si diligenter dicta eius inspiciantur. Hoc enim solùm probat vbique, quòd si talis habitus non ponatur in anima, actus charitatis non esset nobis sic connaturalis, & facilis, & delectabilis, & perfectus, sicut actus aliarum virtutum; non autem quòd nullo modo voluntas possit in hunc actum moueri à spiritu sancto.* Ita Neapolitanus. Nec minus disertè Didacus Deza Archiepiscopus Hispalensis in 4. sententiarum dist.49. q.4. art.3. notabili 5. per totum fol.213. Præstantissimus is Theologus, nulli inter Thomistas secundus, scribebat anno 1517. Paludanus in 4. dist. 49. q.1. art.3. conclus.2. num.34. & cum ipso S.Antoninus 3. p. summæ Theologicæ tit.30. cap.4. §.1. eandem sententiam suis suffragiis nobilitant; vt & Franciscus Victoria relatus à Zumel 1. p. q.12. art.5. disp.2. conclus.3. Heruæus verò, Generalis Magister ordinis Prædicatorum quodlib.5. q.7. Ripa q. illa 12. dub. & cap.1. v. vltimo, Vincentius Asturicensis, Relectione de gratia Christi q.6. pag.803. Valde probabilem esse denuntiant. Huic controuersiæ est affinis alia de totali, vel partiali actiuitate proxima habitus supernaturalis in actum supernaturalem; & quantùm dissentiant Thomistæ pro asserendo S. Doctore in vnam vel alteram partem, ostendit Luculenter P. Ioannes Martinez de Ripalda disp. 30. de ente supernaturali sect.2. & 20.

34 Rursus iudicant communiter, haberi expressum non posse adhuc de potentia absoluta constitui idem corpus extensum in duobus locis adæquatis. Sed Dominicus Sotus insignis Thomista, si quis alius, lib.4. Physicorum q.2. art.3. §. *Et 3.* subscribens oppositæ opinioni, inquit, *nec forsan voluit negare S. Thomas, nisi quòd stando in rigore circumscriptionis, non potest idem corpus existere in duobus locis circumscriptiuè. Et prætereà quia illud non dixit repetendo in summa, vbi proprias opiniones*

opiniones, atque vltimam voluntatem testatus est. Caietanus in 1.p.q.75.art.7.ait, Cæcos esse, qui non vident doceri à S. Thoma inæqualitatem substantialem animarum rationalium. Attamen Sotus in prædicamento substantiæ q.2. concedit, se esse vnum ex illis Cælis.

33

35 Post Dominicum Bannez fuit apud Thomistas, præsertim Hispanos, constantissimum, doceri à S. Thoma physicas prædeterminationes in voluntate creata tanquam comprincipium, aut conditionem necessario requisitam ad exercendum quemcunque actum, etiam liberum, maximè si bonus sit, cum quo illa habeat essentialem, & metaphysicam connexionem, quin sit in potestate voluntatis creatæ aut impedire existentiam prædeterminationis, aut existente prædeterminatione, & in eius sensu composito non prodire in actum prædeterminatum. Sedem in his diebus illustrissimus Dominus D. Frater Fráciscus de Araujo Episcopus Segobiensis, & Primarius Theologiæ Magister quondam in Academia Salmanticensi, Dominicanæ familiæ, & nostræ Hispaniæ decus, tom.2. in l.2. q.111. art.5. dub.6. reiicit acriter physicas eius generis prædeterminationes, eisdem vtens authoritatis, & rationis argumentis, quibus Societatis Iesu Theologi, & in num.41. v. *Sed accedat* scribit. *Mirum planè est, quòd quidam Nouitij Theologi, quorum multi absque vllo examine suorum Magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint haberi, vt indubitanter posteri Theologi credere teneamur, hunc dei physicum humanæ voluntatis prædeterminatiuum concursum, cuius nec sacra Concilia, nec SS.PP. aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confictus.* Inn.43. v. *vnde crediderim* allegat quædam S. Thomæ verba q.6.de veritate art.3. pronuntiatque esse manifesta contra physicas prædeterminationes? Reuerendissimus Frater Thomas Turchus Generalis Prior Ordinis S. Dominici, cum in vniuersali Capitulo Valentiæ Cidi celebrato anno 1648. adesset conclusionibus, inquibus Hispanus Thomista tuebatur pro virili physicas illas prædeterminationes, vt quæ à S. Thoma fuissent edoctæ, prorupit in hæc verba, quæ Notarij publici testimonio consignata habemus, *Fateor esse doctrinam plurium Thomistarum, Sed : : : . à S.Thoma longè aberrantium; quibus, si mihi ostenderis, S.Thomam alicubi fauere, promitto tibi Magisterium.* Sic vir maximæ doctrinæ, & in S.Thoma versatissimus. Sufficiant hæc in specimen non leuium inter Thomistas discordiarum circa sensum Angelici Præceptoris.

36 Nostro hoc sæculo solennes sunt in scholis multæ controuersiæ, quas S. Thomas fortè non attigit, aut non nisi sub obscurè indicauit quia verò non semper cum Thomistis concordant alij, adducuntur apud vulgus à nonnullis in inuidiam nouatorum, & dissidentium à S.Thoma, quasi necesse sit, eandem esse causam huius, & ipsorum, aut quasi antiquitatis notitia solis ipsis sit reseruata; nouumque videri debeat quicquid alij proferunt continua Patrum, & Thelogorum veterum lectitatione adiecti. Non sentit contra S. Thomam, qui præter eum sentit. Et iam admonuit S. Bernardus in excusatione ad Homilias super *Missus est, siquid dictum est præter Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus, neque cuiquam displicere debere.*

37 Præterea S. Thomas *in quibusdam loquitur opinatiuè, & interdum retractat, quod prius etiam in Theologica summa dixerat*, Vt scribit Henricus Henriq.lib.1.de Pótificis Romani claue c.15.§.5. vbi Angelicum Doctorem eximio cómendaret encomio, vir ipsi & deditissimus & eruditissimus. *Ac sanè cum ex ratione temporis agatur, vt vna, eademque res, siue salubris, siue noxia indicetur, imò ipsa Ecclesiastica sacramenta suorum temporum vicissitudines quærant, vigoremque suum ex deputati temporis congruitate concipiant*, docente Petro Damiani in opusculo 41. cap.1. ac 2. simile verò est, S. Thomam si etiamnum inter mortales degeret, reuocaturum aliquid, quod in summa reliquit, conuenientius suæ, quàm nostræ ætati. Ita saltem de opinione contracti à Deipara virgine peccati originalis in conceptu coniectatur Ioannes de S. Thoma in approbatione doctrinæ ipsius disp.2. art.2. pag.229. licet Franciscus de Araujo 1.2.q. 81. art.3. pag.421. hanc non probet diuinationem. Et ne plura; abundent Thomistæ, in suo sensu, sinant dum alios in suo abundare, siquidem per S.Bernardum in epist.77. *ibi vnusquisque in suo sensu securus abundat, vbi aut certa rationi, aut non contemnenda authoritati quod sentitur non obuiat.*

PRÆLOQVIVM X.

De Authoribus modernis.

38 S*Vm ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, vt quidã temporum nostrorum ingenia despicio, neque enim quasi lassa, & effeta natura nihil iam laudabile parit.* Sic censeo; & pronuncio cum Plinio Iuniori lib. 6.epistola 21. ad Caninium. De Lampridio refert S. Sidonium lib.8. epistola 11. *Legisse incessanter Authores cum reuerentia antiquos, sine inuidia recentes.* Et ipse S.Sidonius lib.3.epistola 8.affirmat dese, *Veneror antiquos non tamen ita vt qui æquanorum meorum virtutes, aut merita postponam.* Venerationis erga Syncronos assignat causam Paschasius Rathbertus Prologo in Matthæi Euangelium, *Neque enim putandum est, nulli nunc temporis gratiam intelligentiæ largiri Deum, cum pateat illud Propheticum, Pertransibunt plurimi, & erit multiplex scientia. Sed & Philosophis sæculi tale aliquid post priorum studia ratione vrgente probatur concessum, quorum Doctores, quantò iuniores fuere, tantò vtique perspicatiores.*

39 Aliam præstat rationem, satisque congruentem gloriosissimus nostræ Societatis parens S. Ignatius in fine aurei libri Exercitiorum spiritualium regula 11. intereas, quas proponit, vt cum orthodoxa Ecclesia verè sentiatur, cum enim suasisset *plurimi facere doctrinam sacram tum eam, quæ positiua dici solet, tum quæ scholastica, sicut enim sanctis Doctoribus antiquis, Hieronymo, Augustino, Gregorio, & consimilibus scopus fuit ad amorem, & cultum dei amplectendum, animos mouere: ita peculiare est Beato Thomæ, Bonauenturæ, Magistro sententiarum, & aliis recentioribus Theologis dogmata ad salutem necessaria exactius tradere, ac definire, pro vt conuenit suis temporibus, & posteris ad hæresum errores confutandos.* Adiicit, *siquidem Doctores huiusmodi, vt sunt tempore posteriores non solùm scripturæ sacræ intelligentia præditi sunt, & veterum Authorum iuuantur scriptis, sed etiam cum influxu diuini luminis, Conciliorum sanctionibus, decretis, & variis Ecclesiæ sanctæ sanctionibus ad salutis*

salutis nostræ subsidium feliciter vtuntur. In quibus verbis animaduertendum est, quanto in pretio fuerint apud S. Ignatium Theologiæ scholasticæ Proceres S.Thomas, S.Bonauentura, & Magister sententiarum. Illud etiam est adnotandum, non ideo aliis Theologis recentioribus nomen, & locum denegasse.

40 Quamobrem *extollens veteres & non incuriosus recentium* ex Cornelij etiam Taciti voto in lib. 2. Annalium studiosè cito Theologos, & Philosophos modernos in eorum operibus vt recentissimis, emendatissimis, diligenter versatus; nec illos sileo, qui adhuc viuunt, & inter nos. *Non enim debet operibus eorum obesse, quod viuant. An si inter eos, quos nunquam vidimus, floruissent, non solum libros eorum, verùm etiam imagines conquireremus; eorumdem nunc honos præsentium, & gratia quasi satietate languescet? Ast hoc prauum, malignumque est, non admirari homines admiratione dignissimos, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantùm, verùm etiam amare contigit.* Hæc de Pompeio Saturnino Plinius Iunior lib.16. ad Euricium, quæ ego in communi transtuli. Erras, qui cum vacerra apud Martialem lib. 8. Epigrammate 69.

Miraris veteres :.:. Soles
Nec laudas nisi mortuos Poetas.

Inuidiæ vitium plerumque id est, vt post Nasonem lib. 3. de Ponto Elegia 4 alibique sæpe, & post Senecam lib. de breuitate vitæ cap.15. aliosque apud Amenissimum Ramiresium de Prado ad lib. & Epigram 1. ipsiusmet Vatis Bilbilitani, obseruat Martialis lib.5. Epigramm. 10.

Esse quid hoc dicam, quod viuis fama negatur,
Et sua quòd rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidia nimirùm, Regule, mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompeij quærimus vmbram
Et laudant catuli Iulia templa senes.
Ennius est lectus, saluo tibi, Roma, Marone,
Et sua riserunt secula Meonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro,
Norat Nasonem sola Corynna suum.
Vos tamen, ò nostri, ne festinate libelli
Si post facta venit gloria, non propero.

Hoc sibi solatio blanditus est Propertius lib. 3. Elegia 1.

Ast mihi quod viuo detraxerit inuida turba
Post obitum duplici fœnore redde thonos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exequiis nomen in ora venit.

Statius in fine libri 12. Thebaidos,

Mox, tibi si quis adhuc prætendit nubila liuor,
Occidet, & meriti post me referentur honores.
Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit,

Ouidius alicubi.

Tunc suus ex merito quemque tuetur bonos.

Velleius Paterculus lib.2. Historiarum cum narrasset insigne quoddam facinus, & nuperum, subiungit, *Quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor, nisi quòd naturaliter, audita visis laudamus libentiùs, & præsentia inuidiâ, præterita veneratione prosequimur, illis nos obrui his instrui credimus.* Tacitus in libro de Oratoribus agnoscit, *Malignitatis humanæ vitium esse, vt vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio: & vetera, antiquaque miremur nostrorum temporum studia rideamus, & contemnamus.* Horatius l. 2. ep.st. 1.

Nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt fastidit, & odit.

Verumtamen non solùm sine inuidia, aut fastidio sed & cum veneratione modernos adducemus Authores tam extraneos, quàm domesticos.

41 Ast in his allegandis diligentiores, & copiosiores erimus, *Iucunda sunt nobis externa poma, modò sapore delectent, sed longè nostro gratiora gustui propria, quàm peregrina; præterquàm quòd & gloriam quandam nobis conferre videntur.* Vt inquit S.Basilius oratione in S. Gordium Martyrem. Sic sequemur domesticos, vt iustam Dominici Soti lib. 1. de natura, & gratia cap. 2. *Vitemus reprehensionem in eos, qui opinionem quamlibet suæ familiæ adeò ardenter propugnant, ac si ex illa conuicta periculum immineret Orthodoxæ fidei.* Sic etiam sequemur, vt cum Theodoreto lib. 1. de curandis Græcorum affectionibus, *Nulli nostrorum magis parendum esse, quàm rationi existimemus, quæ consultantibus nobis optima videatur. Quippe nomen sententia pereat, quando non illud dicitur, quod sentitur,* Vt ingenuè Facundus Hermianensis lib. 12. pro defensione trium Capitulorum Concilij Chalcedonensis cap. 3.

PRÆLOQVIVM XI.

De Recentioribus in manuscriptis.

42 Nostrorum etiam Recentiorum manuscriptis perlegendis intentus fui non mediocriter, ipsorum elucubrationibus, luce publica dignissimis, multa, quæ profero, debita velim. Quòd si eorum nomina, & laudes prætermitto, id in causa est, quia vt notauit Lucianus Dialogo, quomodò historia scribenda sit, *Ipsæ laudes vtì fortassis alicui iucunda, ac delectabiles sunt, ei puta, qui laudatur; cæteris verò molesta: & maximè si immodicos veri excessus, siue hyperbolas habuerint, quales ipsas plerumque faciunt, dum beneuolentiam eorum, quos laudant, venantur, & eo vsque immorantur illis, donec omnibus adulationem hanc manifestam faciant.* Adde, commendationem vnius forsan non forè sine illaudari alterius inuidia: quippe, docente S. Zenone Veronensi vel potiùs S.Basilio in homilia de inuidia, *Ex Salomonis sententia, zelus hominis ex socio ipsius. Et profectò sic res habet. Non enim Ægyptio vir Scyta inuidebit; sed suæ genti quilibet; & in eadem gente, non ignotis, sed familiaribus, & vicinis, & eiusdem artis hominibus, aut alia de causa coniunctis, & his denique coæuis, cognatis & fratribus. Et omnino vt ærugo frumenti est vastatio, sic inuidia amicitiæ pestis.* Sed non silebo, duos optimos, & præcipuè meos Magistros Patres Martinum de Lezaun, & Ioannem Chacon, illum in Philosophia, hunc in Theologia, illum tam litteris, quàm regimini, cui nunc incumbit, natum apprimè; hunc triginta, & plures annos summa omnium laude edocendæ Theologiæ deditum Vallisoleti, & Salmanticæ, virum quidem profundi adeò, & perspicui ingenui, tantæque eruditionis, vt nisi importuna obueniisset mors anno 1639. cum de suis scriptis edendis in publicum meditaretur, clarescerer eius nomen inter primores nostri seculi Theologos.

PRÆLO

PRÆLOQVIVM. XII.

De consultis ab Scriptore viris.

43 HAud contentus librorum, & Manuscriptorum lectitatione consului in rebus difficilioribus viros complures ingenij, ac omnigenæ litteraturæ fama celebres,& mihi notos experiētia *Semper gratum est*, teste Cassiodoro lib 2.variarū epist.40.*de doctrina colloqui cū peritis*.Mihi & vtile fuit; nam quæ accipiebam ex hominum voce, & sermone,tantū subsidij afferre deprehendi,quantū quæ ex litteris petebantur. Quæ sunt fermè verba Papiæ apud Eusebium lib.3.historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. & apud S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum. *Occursus mehercle ipse sapientum iuuat; & est aliquid quod ex magno viro, vel tacens proficias*, ait Seneca in epistola 94. & Parisiensis Cancellarius Gerson Epist.ad studentes Collegij Nauarræ, *Prosunt probatorum virorum colloquia, qui ascensum contemplationis & sua arduitatis discrimina suo labore,suisque periculis experti sunt.* Possem in hoc loco eos cōmemorare, quos siue præsens, siue absens consului, & ex quibus nonnulli prouulgatis operibus æternam sibi famam compararunt. Sed me retardat Hugo de S. Victore lib. 3.eruditionis Didascalicæ inquiens, *Multos noui, qui cum primis adhuc elementis indigeant, non nisi summis interesse dignantur, & ex hoc solummodò se magnos fieri putant, si magnorum, & sapientum scripta legerint, vel audierint verba. Nos, inquiunt, vidimus illos, nos ab illis legimus, sæpe nobis loqui solebant. Illi summi, illi famosi cognouerunt nos. Sed vtinam me nemo cognoscat, & ego cuncta nouerim?* Remoratur me etiam Velleius Paterculus, qui post memoratos viros de Romana Republica ante suam ætatem optimè meritos, accedens jam ad coæuos scribit, *Penè stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio. Nam viuorum vt magna admiratio, ita censura difficilis est.*

PRÆLOQVIVM XIII.

De Correctione, & publicis disputationibus, quibus Scriptor exposuit suas opiniones.

44 NEquid intentatum relinquerem pro veritate comparanda, multis mea tradidi corrigenda scripta *permittens inquisitionem in sobolem*, ex Synesij in epistola 1. monitione, *fauor enim corrumpendis suffragiis efficacissimus est.* Certo certiùs est illud S.Ambrosij lib.7. epist.40.ad Sabinum, *vnumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptores indecori sermones suos palpant.* Vt commune hoc subterfugerem periculum, & ne *in prole censuram negligens, conceptum magis designarem mihi placere, quàm meritum*, Vt præcauet S. Ennodius lib.& epistola 4.quæsiui alios, qui essent arbitri. *Tunc quippe suis instrumentis res rationis expenditur, cum iudicium cogitur subire prudentum*, vti ait Boetius in præfatione ad libros de Arithmetica. Publicis etiam disputationibus exposui coram doctissimis viris plura, quæ in hoc opere continentur. Et plerumque, vt animaduertit idem Boetius in lib.de disciplina scholarium cap.6. *differendo inuenitur faciliùs scintillula difficultatis, quàm si studij obseruationi committeretur.* Ioannes Gerson in epistola ad studentes Collegij Nauarræ notat, *Theologiam robur sumere inter consocios disputatione non proterua,non ceruicosa, non amara, non tumultuante, perspicaci animositate, sed modesta, qualem esse decet veritatis inquisitionem, qua acuat, & excitet ingenium, qua studium renouet, & inflammet, qua stabiliat quoque veritatis positionem falsitatis appositione patefacta.*

PRÆLOQVIVM XIV.

De Prophanis, humanioribus litteris traductis ad obsequium Empyreologiæ.

45 NOn rarò veritates Christianas comprobo,& exorno testimoniis Gentilium; quo constet, tantam esse illarum lucem, vt etiam inter Cymmerias Ethnicorum tenebras emicuerint. *Et sicut pretiosa in stercore gemma à prudente debet curari, colligi, & reperta dignitati ingenuæ renocari; ita vndecumque veritas clareat Catholica defendenda est vnitati*, suadente Primasio in Prologo ad Apocalipsim. *Neque refert* inquit Philippus Abbas epistola 7. *à quo quis accipiat vtilem veritatem,cum illa rectè intelligentis sua commendet puritatem; nec tam propter Doctorem veritas teneatur, quàm propter veritatem Doctor commendabilis habeatur.* Insisto Patrum Ecclesiæ, imò & Apostolorum exemplo, vt de se fatetur Rupertus lib.7. de diuinis officiis cap.22. dicens *de Gentibus quoque exemplo Apostolorum, atque Doctorum solemus auferre, si qua ab illis probè dicta, vel facta sunt, & tanquam captiuæ mulieris vngues, pilosque superfluos amputare, vt ab alienigena falsitate mundata sententia thalamum veritatis digna sit introire.* Alludit Tuitiensis Abbas ad locum Deutoronomij cap. 21. v.12 quem eleganti, & multiscio calamo pertractat Noster Paulus Sherlogus Anteloquio 11. in Salomonis Canticorum Canticum sect.5. *Certè omnes Patres*, vt testatur S.Hieronymus in epistola ad Magnum Oratorem Romanum, *tantorum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos resarciunt libros, vt nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum.* Hinc S. Paulinus in epistola 38. hortatur Iouium. *Animi philosophiam non deponas, licet dum eam fide condias, & religione conserta vtare sapientiùs, vt sis Dei Philosophus, & Dei vates.*

46 Qui, me, ignorato sanctorum Doctorum exemplo, cui adhæreo, audeat nimis religiosus vellicare, Vti nonnulli Synesium quasi Theologū *litterarum osorem esse oporteat, solaque diuinarum rerum inuestigatione districtum*, quemadmodùm conqueritur ipse Synesius in epistola 153. legat hæc S. Gregorij Nazianzeni verba in oratione funebri pro S.Basilio, *illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere. Non*

de hac nostra solùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omnis sermonis lepore, atque ornamento, salutem vnam, earumque rerum, quæ ratione atque animo intelliguntur, pulchritudinem artissimè complectitur, sed etiam de externa, quam plerique Christiani prauo quodam indicio, vt insidiosam, ac periculosam, & procul adeo auertem repudiant. Quamobrem non id circò contemnenda est eruditio, quòd ita quibusdam videatur, quin potiùs insulsi, & præposteri habendi sunt, qui hoc existimant, omnesque sui similes esse optarint, vt priuata eorum ignorantia, communis ignorationis tenebris obtegatur, nec quisquam ipsorum inscitiam prodat, & coarguat. Legat etiam Damascenum cap. dialecticæ dicentem, *Qandoquidem autem admonet Diuinus Apostolus, vt omnia probantes, id quod bonum est, teneamus; exterorum quoque sapientium libros consulamus; nam etiam fortasse apud eos mercium aliquid nanciscemur, atque aliquid, quod animo prosit, ex ipsis decerpemus. Nam cum artifex omnis ad operum suorum constructionem quibusdam instrumentis opus habeat, consentaneum etiam est, vt regina ancillæ quadam inseruiant, ac proinde veritatis famulos libros sumamus, atque impietatem, qua sceleratam tyrannidem in eos exercuit, propulsemus; nec eo quod bonum est, malè vtamur.* Adeat prætereà eundem S. Damascenum lib. 4. de fide orthodoxa cap. 18. Cassiodorum cap. 27. diuinarum lectionum V. Bedam relatum à Pratiano in cap. *Turbas* 7. Dist. 37. S. Naziamzenum oratione aduersus Iulianum, si pluta ex Patribus reponi velit.

47 Ob hæc meritò P. Maximilianus Sandæus p. 1: Theologiæ commentatione 8. Exercit 3. num. 1. scripsit, *Ad probandam dogmatis alicuius persuasionem apud Gentes etiam fuisse, aut natura quodam instinctu, vel luminis solùm naturalis ductu veritatis cuiusdam fuisse participes vetustissimos Ethnicos, aut consensum, conspirationemque populorum, non infructuosè adducuntur à Theologo Poetarum testimonia, eorumque fabulæ, è quibus latentes receptæ veritatis strictura sæpe emicant, licet figmentorum quasi cinere sopita.* Confirmatur id insigniter ex S. Claudiano Mamerco lib. 2. de statu animæ cap. 7. *Animaduertamus (ait ille) præter natiuum humanæ mentis vigorem, hasce videlicet animas, quæ tam remota perfecutæ sunt, tam clausa adiecerunt, tam persia viderunt, idcirco scilicet lumine veritatis afflatas, vt in salutem generis humani toti quàndoque mundo diuinitus editum esset dogma, apud rudes veri Gentilium mentes, Gentilium testimoniis vterentur, quo magis ignorantiæ nubilo cæcata, & infidelitatis frigore in quandam glaciem durata Gentilitas Euangelicæ veritatis calori cederet, si eadem veritas aduersantium quoque sibi metore sonuisset. Aut cur non hæc eadem per Philosophos nobis in vsum veri cælitus procurata credamus, quæ ad redarguendam nostrorum quoque imperitiam vtilia fore cognoscimus?* Tantùm S. Claudianus Mamercus. Fas proinde sit in his, quæ nec honestati, nec veritati repugnant, sed potiùs fauent, vti Ethnicorum libris, tanquam spoliis saltem Ægypti: quam comparationem affert. S. P. Ignatius parte 4. Constitutionum Societatis Iesu cap. 6. in Declarationibus littera *E*. Parisiensis Cancellarius Gerson in epistola ad studentes Nauarræ, nequaquam improbat in Theologo *se commodare, sed non tradere scriptis Gentilium; & ea velut peregrinando percurrere tum pro copia sententiarum, moralium, tum pro stylo, & ornatu verborum, tum pro poematum, & historiarum qualicumque peritia, tum pro oblectamento quodam ex varietate lectionis.*

48 Sed adhuc obiectas, quid cum Seria Philosophia ac Theologia versus Gentilium Poetarum? Tamen *si id reprehendis, agnosce*, inquit S. Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum *non solùm sententias, sed etiam versiculis Poetarum scripturis insertos diuinis.* S. Pacianus Antistes Barcinonensis obiurgatus à Symproniano, quòd Virgiliano carmine esset vsus, respondet, *Quid Paulus Apostolus? Erubescit, cum Athenienses illum versum & dicit, & comprobat? Non in Actis Apostolorum ita ponit, Quidam etiam secundum vos dixerunt, Huius namque genus sumus, cum igitur genus sumus Dei. Et rursus ad Titum dixit, Dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Et addidit, Testimonium hoc verum est. Sic peccamus exemplo. Nec Rhetores sumus, sed quamcumque vocem copiam Dei credimus Hactenus* Pacianus in epistola 2. Vt omittam, Ethnicorum Poetarum Carminibus condecoratas à Pontificibus Romanis, ab Imperatoribus, & Iurisconsultis suas leges, quas allegat Franciscus Torreblanca in Prologomenis ad pratica bilia Iuris spirituaiis num. 76. & 77.

PRÆLOQVIVM. XV.

De nouellis aliquibus opinionibus contentis in Empyreologia.

49 ETsi plerumque malui cum Solino in Præfatione, *opiniones eligere, quàm innouare*; aliqua tamen produco in litterarum theatrum, aut à iunioribus aut à me excogitata, quibus priscorum Doctorum præsidium adiungere non licuit: adiungent fortè eruditiores alij. *Efferuntur aliqui de suis velut, tanquam de penitus recentibus, & excogitatis à se, cum sint iam pridem inuenta. Exemplo possunt esse*, ait Lorinus in cap. 1. Ecclesiastis v. 9. *bombarda, & typi grafici apud synas in vsu, priusquam apud nos.* Arietis muralis vsum inuenere Carthaginenses; vt nouam tamen machinam admirati sunt, cum à Romanis libratus auderet in suos muros. Excipe Carthaginensem Tertullianum cap. 1. de Pallio, *Arietem nemini adhuc libratum, illa dicitur Carthago, studiis asperrima belli, prima omnium armasse in oscillum penduli impetus. Cum autem vltimarent tempora patria, & Aries iam Romanus in muros quondam suos auderet, obstupuere illicò Carthaginenses, vt nouum extraneum ingenium.*

Tantùm aui longinqua valet mutare vetustas.

S. Sidonius Apollinaris lib. 4. epistola 3. laudans librum S. Claudiani Mamerci de statu Animæ ait. *Noua ibi verba, quia vetusta.* Sanè multa in Theologicis, & Philosophicis noua sunt, vel ob audientium; aut legentium imperitiam vel quia adeò sunt vetusta, vt in obliuionem, & desuetudinem abierint. Satis est decantatum illud Ecclesiastis cap. 1. v. 10. *Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, hoc recens est; iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Et Petrus Fonteius dixit in Poetica eorum verborum paraphrasi.

Quæ

Quæ nunc dici fierique notamus.
Vt noua præteritis tam dicta, aut gesta fuerunt.
Temporibus; sed cum semel interiere, resurgunt,
Atque renascuntur, quasi facta recentia, cum sint
Antiqua, & Patribus iam dudum cognita nostris.

Terentius in Eunucho,

Nullum est iam dictum, quod non sit dictum prius.

48 Solinus in Præfatione, *Quid enim afferre nouum possumus? Quid proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc vsque cui permaneat.*

50 Quamobrem permitto cum Seneca in epistolà 64. *omnia à veteribus inuenta esse. Ast hoc semper nouum erit, vsus & inuentorum ab aliis scientia, & dispositio. Præterea* (prosequitur Seneca in epistola 79.) *conditio optima est vltimi. Parata verba inuenit, quæ aliter instructa nouam faciem habent, nec illis manus iniicit tanquam alienis, sunt enim publica.* Melchior Canus Proœmio in libros de locis Theologicis, etsi putet, *post priores Theologos in rerum inuentione tribuere sibi posteriores vix quicquam posse*, asserit tamen, *si sibi assumunt ordinem, dispositionem, perspicuitatem, videri ea iure suo quodammodò vendicare.* Scripserat paulò antè, *licet prisci doctrinarum Authores doctissimi quibusque ac diligentissimis magnam diuitiarum copiam suppeditauere, at recentiorũ inopia docendi facultate pensatur: quæ in rudium, & inertiũ animos artificiosius influunt, & quæ fusè olim disputabantur, ac liberè, ea nunc articulatim, pressèque dicentes, lucem non paruam iuuentis priscorum obscurioribus afferant. Atque hac vna in re, quantum animi mei coniectura colligere possum, iuniores vel pares antiquis, vel etiam superiores reperientur, cæteris omnibus longè inferiores.* Hæc Canus de recentioribus suæ ætatis; quæ nostri temporis modernis quandò aptiùs congruant, quisque facile diiudicabit.

49

51 Sed esto, aliqua à nobis producta, priscis nota non fuisse, non ideo tamen sunt exsibilanda. *Neque enim graue, ac sceleratum, est aliquid innouare, cum vtilitas nouitati adiuncta est. Non enim noxia, & vtilia vetustate perpenduntur. Verùm id explorandum est, an in antiquioribus rebus vitium inueniatur, ac contra in recentioribus virtus reperiatur.* Hoc examine probandas, aut improbandas nouitates existimat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epistola 46. Vnde hortatur Cassiodorus lib. 3. variarum Epistola 17. *Non sit nouitas molesta, quæ proba.* Sed delectabit audire Arnolphum, ex Comite Monachum, in Epistola quadam apud Henricum Canisium tomo 2. antiquæ actionis pag. 7. *Consurgunt* (ait ille) *ad versumque quorundam animi fratrum dicentiũ, haud æquum à me dictis antiquitatis quid addi, vel minui, maximè cum hac peritiores, ac perfectiores omiserint. Quibus videtur, probum meapte sic temperare responsum. Quare illis hoc fecerint, imò quod vtile fuit hac in parte non fecerint à vilitate mei temerarium est discussum iri. Hoc tantum dixerim, pace eorum, & omnium bonorum quia non solùm nobis vetera licet mutare, sed etiam, si sint inordinata penitus abiicere, sin verò odinata, sed minus vtilia, cum veneratione sepelire; & quia dispensatione diuina à præcedentibus multa relinquuntur sapientibus, in quibus possint mereri alicuius aut admissionem, aut remissionem peccati.*

52 Rupertus Abbas explicans in Prologo Apocalypsis illud Geneseos 26. v. 28. *Rursum fodit alios puteos, quos foderant serui Patris sui Abraham*, obiiciendum ab aliquo credit, *Iam satis est, quod alij meliores, & sanctiores, nihilominus, & Doctiores inuenerunt atque scripserunt, illicitum est, temerarium est adiicere quidquam ad ea, quæ à nominatis, Catholicisque Patribus dicta sunt, atque ita facere legentibus fastidium, augendo multitudinem commentariorum.* Sed quid respondeat, videamus, *Sanctarum scripturarum speciosus ager omnibus Christi confessoribus communis est, & tractandi illas nulli iure negari potest licentia, dummodò salua fide, quæ sentit, dicat, aut scribat. Quis namque rectè indignetur eò, quod in eadem possessione post vnum, aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio fodiant labore filij succedentes? itaque iuxta hanc regulam nobis quoque concedant, post illos puteos, quos foderunt, idest, post illos tractatus, quos tractauerunt Patres, & priores nostri, & alios fodere puteos proprio vomere ingenij, dummodò viuam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum, vel errorem faciat legenti.* Huc vsque Tuiciensis Abbas, cuius verba non populari trutina Librat noster Hieronymus de Gueuara in cap. & v. 1. Matthæi obseruatione 15. attexereque posset eiusdem tenoris alia in Philippo Abbate cap. 49. de silentio Clericorum. Et sub cautione adhibita à Ruperto in postrema Periodo, iterandaque à nobis in principio num. 71. accipiat candidus lector, quæ sequuntur.

53 Ergo alienum à Philosophia, & Theologia studium non ducatur, sicadente Synesio in sermone ad Pæonium, *Et expolitiones speciosas modò introducere, atque arte moliri quidpiam, & ampliùs atque elegantiùs aliquid perficere. Quem ad modum enim vrbes, cum conduntur, ad necessaria tantùm, quæ sunt, respiciunt, quomodò & conseruari, & durari possuns, augescentes autem non ampliùs necessariis illis contenta sunt, sed maxima pars impendiorum iam in porticus speciosas, & gymnasiorum amplitudinem transfertur, & fori splendorem; ita scientia ad ... consistit in rebus necessariis, incrementum autem in excellentioribus.* Sic Synesius.

54 Et iudice S. Vincentio Lirinensi cap. 28. Commonitorij. *Inuidus hominibus, & exosus Deo est, qui hunc Religionis* (appone, & scientiarum) *profectum prohibere conatur.* Merito inquit Quintilianus lib. 3. Institutionum oratoriarum cap. 6. *superuacuus foret in studiis longus labor, si nihil liceret melius præteritis inuenire.* Vlteriùs lib. 10. cap. 2. censet *pigri esse ingenij contentum esse iis, quæ ab aliis sunt inuenta.* Concordat Boetius lib. de disciplina scholarium cap. 5. dicens, *Miserrimi quidem est ingenij semper inuentis vti, nunquã inueniendis dutari.* Extollit Moysem Philo lib. 1. de eius vita, quòd sapientes *intra modicum tempus superauit, natiua docilitate institutionem præcurrens, vt reminisci videretur, non discere: in rebus difficilioribus de suo commini sce aliquid, Nam præclara ingenia multa nouant circa scientias. Anima enim benè nata præceptis obuiam se se offert à se ipsa magis, quàm à Magistris adiuuatur.* S. Petrus Chrysologus, vel potiùs Venantius Archiepiscopus Toletanus, cui sermonem 138. inter alios Chrysologi attribuit Iulianus Perez in aduersariis n. 451. & 452. *felicem*

felicem vocat venam, qua suo ditatur irriguo, & fluenta putei sui tota adquirit, atque attrahit libertate. S. Hilarius in lib. de Trinitate ait, *opus esse nobis regeneratis ingenij sensibus, vt vnumquemque conscientia sua secundùm cælestis originis munus illuminet.* Scriba doctus in regno Cœlorum similis esse debet iuxta Christum D. Matthæi 13. v. 52. *homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera,* In quæ verba Noster Celada ad cap. 11. Iudith. §. 77. acutè, & perbellè. Sed appendam auctarium acceptum ex Alano Varennio, qui homilia 1. in canticum canticorum obseruat, sponsam cap. 7. v. 13. *vetera sine recentioribus non offerre, quasi ex recentiorum iunctura, vetera vt noua sint, habeant; & prius dicere noua, quàm vetera, cum ordine quodam siue natura, siue rationis vetera præmittenda essent. Sed ob hanc fortasse causam ita consequenter post noua dispenuntur vetera, vt à nobis lucem, & nouitatem, & vigorem accipiant.*

55 Sciscitatur Seneca in epistola 33. *Quousque sub alio moueris? Aliquid, & de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam Authores, semper interpretes sub aliena vmbra latitantes nihil puto habere generosi. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est meminisse, aliud scire: meminisse est rē commissam memoria custodire; at scire, est & sua facere quemque nec ab exemplis pendere, & toties ad Magistros respicere. Hoc dicit Zeno, hoc Cleantes. Aliquid intersit inter te & librum. Quousque disces? Iam & præcipe. Quid est, quare audiam quod legere possum? Multum, inquis, viua facit vox. Nonquidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & actuarij vice fungitur. Adijce nunc quod isti, qui nunquam tutelæ suæ fiunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non à priori desciuit: deinde in ea re sequuntur, quæ adhuc quæritur. Nunquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium sequitur nihil inuenit, imò nec quærit. Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego verò vtar via veteri; sed si propiorem, planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt, Patet omnibus veritas; nondum est occupata; multùm ex illa etiam futuris relictum.* Hucusque Seneca.

56 Subiicio germana alia eiusdem in epistola 64. *Veneror inuenta sapientiæ inuentoresque; adire tanquam multorum hæreditatem iuuat. Mihi ista adquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum Patrem familiæ, faciamus ampliora, quæ accepimus; maior ista hæreditas à me ad posteros transeat Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec vlli nato post mille sæcula præcludetur occasio adhuc aliquid adiiciendi::: Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Suspiciendi tamen sunt, & ritu deorum colendi* Dominicus Soto in Proœmio ad libros decem de Iustitia, & iure, ex Maiorum inuentis non deprimendum, sed potiùs attollendum animum ad noua ait, *Quantò plura à præcessoribus in re quaque inuenta sunt, tantò posteris, si vllo valent ingenio, vberiorum syluam subministrant excogitandi noua.* Sic ille peritissimus Theologus. Et saltem negandum non est, *successu temporum multis nouiter gratiam diuinitatis infundi, quæ forsitan priscis Doctoribus celata monstratur* vt animaduertit Cassiodorus lib. 1. lectionum diuinarum cap. 8. & vt S. Benedictus cap. 3. Regulæ, *sæpe iuniori dominus reuelat, quod melius est.* Et Tertull. lib. de Virginib. velandis c. 1. inquit, *Quæ est Paracleti administratio nisi hæc, quòd disciplina dirigitur, quòd scriptura reuelantur quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Paulò anteà dixerat, *lege fidei manente cætera iam disciplinæ, & conuersationis admittunt nouitatē correctionis, operāte scilicet, & proficiente vsque in finem gratia Dei.*

57 Obscura planè, & sordida sunt ea ingenia, quæ nihil de suo afferunt protius, nihil nouant veterum coaceruandis placitis intenta, sine discursione, sine libertate, sine optime. Et dolendum est cum Saluiano in præfatione ad libros quatuor de Ecclesia aliquorum *huius temporis tam imbecilla esse iudicia, ac penè iam nulla, vt hi qui, legunt non tam considerent qui legant, quàm cuius legant; nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem.* Talis fuit erga Montanum suum Magistrum Lugo, qui authore Boetio c. 5. de disciplina scolarum, *Montani sui Magistri monitis in tantum censisus est, quòd omne verbum ab ipsius ore progressum catenulis exarabat, & tanquā sacrum existimabat nihil aliud, quā magistri vicē in schelis obtinens prædicabat vnde multoties pudore cōfusus inclusus abibat.*

58 Hac de causa Martinus Cantapetrensis lib. 9. Hypotyposeon regula 34. admonet cum S. Hieronymo studiosos *ne ita sint addicti alicui scriptori, quantumuis probato & celebri, vt in verba Magistri iurasse videantur. Cum enim in multis quotidie offendamus omnes, qua mente præditos esse arbitrandum est illos, qui ita animum adhibuerunt dictis Scoti, Okami & aliorum, vt ab illis nulla ratione adhibita auelli possint?* Idem Martinus lib. 6. col. 409. pronuntiat, duram, & iniquam sancite legem, qui vult, *nunquam discedere licere ab scriptorum præfinitionibus, nec illis aliquid addere, aut amputare. Si cum ipsis inter se se mutuò pugnare libereque digladiari liceat, & appositas interdum tueri opiniones, studiosis non integrum sit citra insignem illorum contumeliam ab aliqua earum dissentire. Quapropter & ipsimet nunquam in animum induxerunt postulare, vt quæ dixerint, stabilia sint, & firma, sed vt tanquam probabilia, & rationi consentanea tandiu illa habeantur, grandin nihil certius inuenitur, & melius. Alioqui nunquam talem accessionem, nec tam ingens incrementum facultates accepissent, nisi quotidie hominum ingenia aliquid perse adinuenissent, aut planius, quod ab antiquis dissertum erat, explicuissent, & in lucē, prospectū que eduxissent.* Hactenus Cātapetrensis Et Catherinus lib. 1. annotationum aduersus Caietanum ait, *Si D. Thomas, aut sancti quilibet Doctores absque rationibus aliquid pronuntiarent, possemus meritò hærere, ac dicere, non est putandum sine probabili rationi motos esse, ac propterea sic meritò titubantes iudicium suspenderemus. At verò postquam rationes afferunt, quibus videmus motos eos ad opinādum, aut decernendum quidquam, rationes autē ipsas planè considerantes videmus apertissimè inefficaces, quid, quæso restat, quamobrem debeamus authoritati succumbere, cuius principium, quod est producta ratio, palam nouimus non subsistere.*

59 Durandus de S. Portiano in præfatione ad quatuor libros sententiarum proponens leges, quas in scribendo seruat, fatur in hunc modum, *Modus loquendi, ac scribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, est vt magis innitamur rationi, quàm authoritati cuiuscumque Doctoris, quantumuis celebris: vel solēnis & parui pendatur omnis humana authoritas, quando per rationē elucescit contraria veritas. Quamuis enim captiuandus sit intellectus noster in obsequium Christi, & in iis, que fidē tangunt, plus acquiescere debeamus authoritati*

authoritati sacræ scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ, quia diuina notitia, quam exprimit sacra scriptura, plus excedit humanam notitiam, quam humana notitia bestiales: tamen omnis homo dimittens rationem propter Authoritatem humanam incidit in insipientiam bestialem, vt comparatus sit iumentis insipientibus, & similis factus sit illis. Quis enim nisi temerarius audeat dicere, quòd magis sit acquiescendum authoritati cuiuscumque Doctoris, quàm authoritati SS. Doctorum, sacræ scripturæ, Augustini, Gregorij, Ambrosij, & Hieronymi, quos celebritate condigna Sancta Romana Ecclesia sublimauit? Et tamen Augustinus inter Doctores celeberrimos dicit de se ipso 3. de Trinitate circa principium, Noli meis litteris, quasi scripturis canonicis inseruire, sed in illis & quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede: in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum retinere. Et ad Vincentium Victorem lib. 2. Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in opusculis meis quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari: : Ex quibus patet, quòd compellere, seu inducere aliquem, ne doceat, vel scribat dissona ab iis, quæ determinatus Doctor scripsit, est talem Doctorem præferre sacris Doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis, & præstare impedimentum sciendi, & lumen rationis non solùm occultare sub modio, sed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quàm cuicumque authoritate humana consentientes, nullius puri hominis athoritatem rationi præferimus, attendentes, quòd omnibus existentibus amicis sanctum est prahonorare veritatem. Sic Durandus.

60 Adiungo Abulensem 2. parte Defensorij c. 18. *Nullus aut hic* (qui canonicus non sit) *tanta authoritatis est, vt propter eum captiuare nostrũ intellectũ debeamus, qui solum captiuandus est in obsequium Christi; sed non est captiuandus ob reuerentiam, & authoritatem cuiuscumque puri hominis, perquem non constet spiritum sanctum sequi. Item facere hoc, esset inconueniens, quia sequeretur indirectè, quòd tales Doctores approbati per Ecclesiam ex approbatione, siue aliàs à se ipsis tantam haberent authoritatem, vt non liceret dubitare de veritate suorum dictorum, nec obiici, seu repugnare eis in aliquo, & hoc probatum est supra esse falsum. Item ex hoc tolleretur viris scholasticis opportunitas amplificandi doctrinam fidei, si non liceret quicquam dicere contra definita per tales approbatos ab Ecclesia. Et istud nimis noceret Ecclesiæ, vt supra declaratum est. Item istud esset tollere viam ad inueniendam veritatem, & tenendam, postquam inueniretur. Item sequeretur deterius, scilicet quòd istud esset tollere omnem scientiam.* Tantùm Abulensis, qui sapienter & amplè deducta absurda prosequitur.

61 Alfonsus Castrensis lib. 1. aduersus hæreses cap. 7. habet quæ sequuntur, *Fateor, me non posse cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum scriptis, vt impium autument, si vel in modicâ re quis ab eorum sententia discedat. Volunt enim hominum scripta velut diuorum oracula recipi, illumque honorem illis exhiberi, qui solis sacris litteris debetur. Non enim iurauimus in verba hominis, sed in verba Dei. Ego enim miserrimam hanc dicerem seruitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, vt non liceret vllo modo illi repugnare; qualem patiuntur hi quise tantùm Beati Thomæ, aut Scoti, aut Okami dictis subiiciunt, vt ab eorum placitis, in quos iurasse videntur, nomina sortiantur, quidam Thomistæ, alij Scotistæ, alij Okamistæ appellati. Paulus quidẽ iussit captiuare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis. Quo fit, vt hi qui tam leuiter de hæresi pronuntiant, non expendentes, de qua re loquantur, sæpe sua ipsorum feriantur sagitta, incidantque in eam foueam, quam aliis parabant. Nam velle humanas scripturas in diuinarum ordinem connumerare, hoc veriùs ego dixerim hæresim; quod faciunt hi, qui humanis scriptis dissentire impium autumant, perinde ac diuinis, quales ego vidi in tantam insaniam deueniss[e], vt non sint veriti ad populum in publica cõcione hoc expendere. Quisquis à Beati Thomæ sententia discesserit, suspectus de hæresi est censendus. O fortes verbi Dei, imò veriùs dixerim verbi Thomæ Prædicatores! Erit ergo B. Bonauentura suspectus de hæresi putandus, quòd in multis obuiet B. Thomæ? Erit ergo B. Anselmus suspectus de hæresi dicendus, quòd contra B. Thomæ sententiam non putat amatorem Virginis, qui festum Conceptionis celebrare respuit? Nec tamen ista sic à me dicta velim, vt quispiam putet, me his verbis omnes illius instituti, aut Ordinis homines velle mordere. Noui enim ex his plures doctos, & cordatos, ac verè pios quibus cum ista aguntur, aut ab aliis, vt plurimum indoctis, dicuntur, valdè displicent. Valdè enim displicet etiam mihi, quòd & nostrum sodalitium in verba Scoti ferè iurasse videatur. Ego quidem B. Thomæ sanctitatem veneror, eius doctrinæ multum tribuo, quòd multùm Ecclesiam illustrauerit; non tamen puto, adeò esse illi fauendum, vt per omnia oporteat cum illo sentire. Neque ego hoc vnquam de Beati Thomæ humilitate crediderim, vt velit quempiam suis dictis sic esse addictum, cum nec ipsemet adeò eisdem fuerit addictus, vt meliora ostendenti non fuerit paratus obtemperare: nam sæpe suam ipse reuocauit sententiam.* Hactenus Castrensis Minorita. Breuius Victorinus Mansus Monachus Cassinensis lib. 1. harmoniæ Theologicæ c. 2. *Ea in rerum diuinarum tractatione seruanda est lex, vt quicquid præter ea, quæ Ecclesia sancta consensione recepta sunt maximè probabile occurrat, id nostro iure defendere liceat. Neque si quid aut Scoticis, aut Thomisticis pronuntiatis contrarium erit, illud errorem esse asseramus.*

63 Succedat S. Gregorius Nyssenus, sed multò illustrior authoritate, & antiquitate. Sapientissimus hic Pater lib. in Exameron discedens à quadam sententia Patris sui, & Præceptoris S. Basilij, cuius scripta dixerat nullis aliis nisi Testamẽti, diuino spiritu dictante, exarati, monumentis cedere, sic loquitur, *Ego verò licet magna Præceptoris nostri vox huic sententiæ fauere videatur, rogabo tamen eos, in quorum manus hæc incidant, ne grauiter ferant, sed patiantur me institutum ordinem sequi. Neque enim opiniones nostras vt leges auditoribus proponimus, sed ex doctrina ipsius occasionem arripientes consentaneum ordinem intuemur. Quamobrẽ, & hæc oratio nostra, siquidẽ à decoro non horruerit, ad eius sapientiam referetur.*

64 Seneca lib. de vita beata cap. 3. promittens se ostensurum placere Stoicis doctrinam, quam ibi statuerat, addit, *Non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis, Chrysippiue committere, sed quia res ipsa patitur, me ire in illorum sententiam, quam si quis semper vnius sequitur, non id vitæ, sed factionis est. Vtinam quidem iam tenerentur omnia, & inoperta, ac confessa veritas esset? Nihil ex decretis mutaremus.*

Nunc veritatem cum eis ipsis, qui docent, quærimus. Idem Seneca in epistola 80. *Non ergo sequor priores? Facio, sed permitto mihi, & inuenire aliquid, & mutare, & relinquere. Non seruio, illis sed assentior* Tullius lib. 3. de officiis, laude prosequitur Platonicam suam Academiam, quia *licentiam dat, vt quod maximè probabile occurrat, id proprio iure liceat defendere.* Quintilianus lib. 3. Institut. orat. cap. 1. de se protestatur, *Non tamen post. tot, ac tantos Authores pigebit meam, quibusdam locis posuisse sententiam. Neque enim me cuiusquam secta, velut quadam superstitione imbutus, addixi, & electuris quæ volent, facienda copia fuit, sicut ipse plurium in vnum confero inuenta, vbicumque ingenio non erit locus, cura testimonium promeruisse contentus.* B. Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 23. consulit, *Noli nimis ex Authoritate pendere. Et quod ait Horatius, sapere aude, ne non te ratio subinget prius, quam metus.* Athalarius Cassiodorum lib. 8. variarum epistola prædicat *Beatum Magistrum, felicissimumque discipulum, qui affectuosè didicit, quod aliis Doctorum terror extorsit.* Nostrum adi Emanuelem de Naxera in cap. 3. Iosue §. 15 & 37.

63 Non eo animo transcripsi hæc Authorum testimonia, vt vlla ratione illos damnem, qui S. Thomam, aut Sotum, Okamumue, aut Durandum, Suariumue, aut Vazquium, vel quemlibet alium probatum Doctorem sibi præscribunt sequendum, *Quanquam illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione Constricti, vt Fabij vtar verbis, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim opus est, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quam vt Magistri debeat vestigiis semper insistere; siquidem est futurus Theologiæ laude perfectus.* Quæ sunt verba Melchioris Cani Proœmio in lib. 12. de locis Theologicis.

PRÆLOQVIVM. XVI.

Prosequitur tractatio de nouitate opinionum.

64 NVllus, si prudens sit, opponat, noua est opinio, quam fers. Respondere namque promptum est cum Arnobio lib. 2. Contra Gentes, *Quandoque ipsa vetus & vetus fiet quam vos agitis; sed temporibus, quibus cœpit, noua fuit, ac repentina.* Non absimile illud Claudij Imperatoris responsum apud Tacitum lib. 11. Annalium, *Patres Conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, noua fuere. Plebeij Magistratus post Patritios, latini post Plebeios, cæterarum Italiæ Gentium post latinos. Inueterascet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur inter exempla erit.* Et Martialis lib. 1. Epigrammate 55. festiuè ludit.

Nec me quod tibi sum nouus, recuses.
Omnes hoc veteres tui fuerunt.
Tu tamen inspice, qui nouus paratur
An possit fieri vetus sodalis.

Addo ex tacito lib. 3. Annalium, *Non omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit.*

65 Ast reclamas, *antiquiora nostra sunt, ac per hoc fidei, & veritatis plenissima,* Occurro tamen ex Arnobio lib. 1. dicente. *Antiquitatem plenissimam, etiam matrem errorum fuisse. Et optarim, vt ipse dicas, si doceat te ratio, non esse veras opiniones veterum, quid ipse facies. Maiores ne potius an rationem sequeris? si rationem mauis, discedere te necesse est ab instituto, & authoritate Maiorum, quoniam id solum rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas Maiores sequi suadet, fateris igitur & stultos illos fuisse, qui ex cogitatis contra rationem sententiis seruierunt, & te ineptum, qui id colas, quod falsum esse conuinceris.* Discursus hic est Lactantij lib. 2. diuinarum institutionum cap. 7. qui cap. 8. subiungit, *Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine vllo iudicio inuenta Maiorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod Maiorum nomine posito, non putant fieri posse, vt aut ipsi plus sapiant, quia Minores vocantur, aut illi desipuerint, quia Maiores nominantur.*

66 Optarim iridem vt dicas (id ipsum petiit à Berengario Adelmanus Episcopus Brixiensis in epistola de veritate Corporis Domini in sacrosancta Eucharistia) *Nonne homines erant, & falli ab aliis, atque ipsi fallere alios poterant? Ita enim dicit scriptura, quia omnis homo mendax. Vnde ergo eò culminis peruenerunt, vt tam ratum habendum sit quicquid de diuini mysteriis senserunt, memoriaque tradiderunt?* Attentè hæc perspexerat Melchior Canus lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. dum scripsit, *Authores Canonici vt superni, Cælestes, diuini perpetuam stabilemque constantiam seruant; reliqui verò scriptores sancti inferiores, & humani sunt, deficiuntque interdum, ac monstrum quandoque pariunt præter conuenientem ordinem, statutumque natura.* Martinus Cantapetrensis Præfatione ad lib. 6. Hypotyposeon prudenter etiam aduertit, *aliqua non omnino comperta, & concocta scripturis suis viros doctos intexuisse, quæ à posteris ad limam reuocari possent, & ab illis, si plus otij earum rerum contemplationi impendissent.* Seneca lib. 6. naturalium quæstionum cap. 5. non minus cöuenienter monet, *opiniones veterum parùm exactas esse, & rudes, Circa verum adhuc errabatur. Noua erant omnia primò tentatibus. Post eadem illa limata sunt, & si quid inuentum est, illis nihilominus referri debet acceptum.*

67 S. Cyprianus epistola 71. ad Quintum notat appositissimè ex Apostolo, *multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque non pro eo, quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi: sed si quid melius, & vtilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur.* Idem S. Doctor in epistola 73. ad Iubaianum ait, *Non tamen quia aliquando erratum, ideo semper errandum, cum magis sapientibus, & Deum timentibus congruat patefacta, & perspecta veritati libenter atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter, atque obstinatè reluctari.*

68 Verùm quia teste Aristotele lib. 2. Met. cap. 3. & S. Hieronymo Præfatione 2 in Iob. *Tanta est vetustatis consuetudo, vt etiam confessa plerisque vitia placeant:* Non semel vidi aliquos malè affectos in nouas opiniones non malè fultas, vel ipsis iudicibus, quòd antiquis scriptoribus ignotæ fuerint,

fuerint; & quòd veteres opiniones ex suo deturbentur throno, præiudiciumque patiantur, cum aliàs veneratæ extiterint, *sicque earum deploratur iniuria tanquam pereat antiquis quicquid nouis accesserit*, vt in priori epistola præfixa vitæ S. Amandi scribit Philippus Abbas Bonæ spei. Sed in primis, *non est necessum, vt ea, quæ aliquibus ignota sunt, non sint omnino*. Ita Philoponus lib. 1. de Mundi creatione cap.7. Deinde, *quod pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, vt veritati consuetudinem præferat? aut quis perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi & Iudæos Christo aduentante, idest, veritate, adiuuat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta noua veritatis via in vetustate permãserint*. Sic Firmilianus scribens ad S. Cyprianum epist. 75. Hildebertus Cenomanensis Episcopus epistola 64. *concisiùs* inquit, *iudicialem esse pertinaciam, consuetudinem præferre veritati*.

68 Vlteriùs, *Nihil magis præstandum est, quam ne puerorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quà eundum est, sed quà itur, Atqui nulla res nos Maioribus implicat malis, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea qua magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde est tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna euenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se trahat: primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vita accidere, videas, licet, nemo sibi tantùm errat, sed alijs erroris causa, & Author est. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum vnusquisque mauult credere, quàm iudicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur, versatque nos, & præcipitat per manus traditus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modò separemur à cœtu. Nunc verò stat contra rationem defensor mali sui, populus. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant; argumenti pessimi turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimum, & quod nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit*. Hactenus Seneca lib. de vita beata cap 1. Conspirant Ioannes Picus Mirandulanus in Proœmio Apologiæ tredecim quæstionum & in oratione de hominis dignitate, Ludouic. Viues lib.1.de causis corruptarum artium; quos tu, si lubet, require, ne ego tanta testimoniorum copia molestior sim.

69 Rursus, qui nouis inimicantur opinionibus, *non considerant quales sint priscæ, sed ex eo probatas, atque veras esse, confidunt, quòd eas veteres tradiderunt, tantaque est Authoritas vetustatis, vt inquirere in eam sit scelus*, Inquiuntque cum Gentilibus apud Lactantium lib.2. diuinarum Institutionum cap.7. *Maioribus nostris etiam nulla ratione reddita, rationis est credere*. Quod quam sit à ratione alienum, nulli non patescit. *Suspecta opinio est*, vt expendit Tertulianus cap.4. Apologetici, *quæ probare se non vult, improba autem, si non probata dominetur*. Ecquis impatienter non ferat, cum cernit duras, & difficiles sententias caput inter nubila condere, & quasi diuinum quid adorari? Si verò merita perscrutetur, necæcè se deuoueat, comperiat alia non esse, quàm vanæ vocis, aut ranciduli axiomatis; quod quidem discussum, vel talitro argumenti petitum cinerescit, aut in pulueres redigitur. *Multum antiquis temporibus* (ait Seneca in epistola 45.) *verborum cauillatio eripuit, & captiosa disputationes, quæ acumen irritum exercent*. Audatiæ non tribuatur, eas sententias verborum laruâ denudare, & inanes ostendere. *Multa* sunt *sic digna reuinci, ne grauitate adorentur*, vt inquit Tertullianus cap.4. aduersus Valentinianos. Idem Tertullianus lib. de Virginibus velandis cap.1. scribit. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non priuilegium regionum, Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Si semper Christus, & prior omnibus; æquè veritas sempiterna, & antiqua res est. Viderint ergo, quibus nouum est, quod sibi vetus est. Hæreses non tam nouitas, quam veritas reuincit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Cæterùm suo vitio quis quid ignorat. Quod autem ingnoratur, fuit tam requirendum, quàm accipiendum, quod agnoscitur*. Sic Septimius.

70 Et velim, vt qui nimis deferunt consuetudini opinionum, & patrocinantium numero, legant ista S. Hilarij verba lib.6. de Trinitate. *Grauis & periculosus est error in plurimis, & multorum lapsus, etiamsi se intelligat, tamen exurgendi pudore authoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc impudentia vt quod errat, prudentiam velit existimari, & quod cũ multis errat, intelligentiam esse afferat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis*. Timeatque, ne contra ipsos dicat Tertulianus vbi proxmè, *quale est, vt Diabolo semper operante, & adiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus dei, aut cessauerit, aut proficere destiterit?* Caueant item, ne aduersus ipsos dirigatur hæc S. Hieronymi in epistola ad Sophronum reprehensio, *Peruersissimi homines, cum semper nouas expectant voluptates, & gula eorum vicina maria non sufficiant, cur in solo studio scripturarum veteri sapore contenti sunt?* Idem S. Doctor Præfatione ad Pontatheucum carpit eos qui *ita ingenium, quasi vinum probant*. Qua in vellicatione imitatur Plautum prologo casinæ & Horatium epistola 1.lib.2. Postremus is meritò indignatur ibidem dum audit.

> *Quidquam reprehendi, non quia crassè*
> *Compositum, illepideuè putetur, sed quia nuper.*
> *Nec veniam antiquis, sed honorem, & præmia posci.*

PRÆLOQVIVM. XVII.

De moderatione in nouitate opinionum.

71 HÆc pro nouitatibus quæ neque sint contra fidem Catholicam, neque contra concordem & perpetuum, Patrũ ac Theologorum consensum. Sed aduerterim in hisetiam nouitatibus, in quibus nullum fidei periculum, nulla erroris, & temeritatis nota, opus esse moderatione aliqua. Cum enim iuxta Georgium Trapezuntium tract. de

S. Ioanne Euangelista non mortuo, *noua quaque delectent, & legentes ad frequentiorem ipsa nouitate alliciant lectionem?* sunt nonnulli, qui vt gratiam popularem captent, affectant nouitates, &, vt Cassiodorus cap. 11. Lectionum diuinarum reprehendit, *putant esse laudabile, si contra antiquos aliquid noui, vnde perire videantur, inueniant.* Richardus de S. Victore lib. 2. de Maiori Beniamin cap. 1. deplorat hoc sui etiam sæculi vitium, *Temporibus nostris* (inquit Richardus) *insurrexerunt quidam Pseudo-philosophi fabricatores mendacij, volentes sibi nomen facere, studuerunt noua inuenire. Nec erat eis cura tam vt assererent vera quàm vt putarentur inuenisse noua. Præsumentes itaque de sensu suo, putauerunt se posse facere sibi sapientiæ arcam, & euntes in adinuentionibus suis tradiderunt sententias nouas, arbitrantes secum ortam, morituramque sapientiam.* S. Bernardus, amicissimus Richardi scribens ad alterum Victorinum, nomine Hugonem, sic censet de quodam eiusdem temporis Theologastro, *videtur plus nouitatis curiosus, quam studiosus veritatis, grauarique de omni re sentire cum aliis, & dicere, quod aut solus non dixerit, aut primus.*

72 Quapropter probus Philosophus, aut Theologus veritatem ante omnia quærat; quòd si ea in antiquis adinuenerit, gloriam sibi & nomen in nouis non ambiat; nec parùm gloriosum erit, si vetustis nouitatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem attulerit. *Extrema quidem dementia est in medio, & perspicue die commentitium lumen quærere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit*, Teste Martiano Imperatore in edicto de confirmatione Chalcedonensis Concilij. Sapientiæ studiosus, veritate reperta in Antiquorum monumentis, si stat ibi, curetque vt sua industria & labore *intelligatur illustrius, quòd antea obscurius credebatur, & posteritas gratuletur intellectum, quod antea vetustas non intellectum venerabatur.* Ita adhortatur S. Vincentius Lirinensis cap. 27. Commonitorij addens cap. 29. *Quodcumque in hac Ecclesia Dei agricultura, fide Patrum satum est, hoc ipsum filiorum industria decet, excolatur, hoc idem, floreat, & maturescat, hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas est enim, vt prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, polientur. Sed nefas est, vt commutentur, nefas, vt detruncentur, & mutilentur. Accipiant, licet, euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Quo fiet, penes Cassidorum lib. 8. variarum epistola 13. *vt antiquitatis cultor tantam suauitatem laudis inueniat* in suis decretis, *quantum saporem vetustatis assumunt.*

73 Sed siue nostra scripta aliquid noui afferant, siue non, *tu illa sic lege* (precor cum Seneca in epistola 45.) *tanquam verum quadam adhuc, non sciam, & contumaciter quæram:::Multorum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inuenta, sed quærenda nobis reliquerunt & inuenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quæsiissent. Obsecro* etiam cum S. Gregorio Nysseno lib. in Exameron, eos *qui nostra legerint, & aliquid præter communem opinionem inuenerint, sic accipiant, vt sine vllius iniuria indicendi exercitione probabiliter disputata. Neque enim propositum defendere, aut dogma constituere profitemur, vt calumniantibus occasionem præbeamus, nec hisce scriptis interpretationis doctrinam tradere, sed animum, & cogitationem nostram in hoc argumento dumtaxat exercere.*

74 Rogoque rursus cùm S. Anastasio Sinaita in præfatione ad Exameron *tam præsentes, quàm futuros filios sanctæ Ecclesiæ, ne si aliquid nouum, & minus consentaneum nostra dicat oratio, inimico, & inuido, malignoque animo, sed fraterno audiant, quæ dicuntur. Nunquam enim aberrans, & perfecta rerum cognitio est solius Dei.* Notum cunctis cupio cum Guilielmo Parisiensi in primæ partis de vniuerso parte secunda cap. 50. *In omnibus sermonibus meis:::hac intentione, & moderatione me loquuturum, vt in nulla opinione velim esse fixus, & immobilis, nisi quatenus Dei authoritas, & Patrum doctrina, atque testimonia me adstringunt. Si igitur vel propria inuestigatione, vel cuiuscumque alterius declaratione aliter se habere veritatem inuenero, me aliter sensisse dolebo, & veritati semper adhærere studebo. Hæc enim verè ac rectè Philosophantis est intentio, vt à deprehensa falsitate statim recedat, & errasse se doleat, atque inuentam veritatem cum gaudio amplectatur: & hoc maxime in rebus ad religionem pertinentibus.*

PRÆLOQVIVM XVIII.

De breuitate, quam hic, & longitudine, quam ille criminari posset in Empyreologia.

75 QVippe *vix vnquam contingit, vt omnium suffragia ex æquo sibi respondeant, per affectuum diuersitatem, quibus inuicem detrahimus, neque eadem dere vno, parique modo vnquam opinamur omnes*, vt notat S. Anastasius Sinaita lib. 1. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, & vt Horatius lib. atque epistola 2.

Non omnes eadem mirantur, amantque.

Hinc erit, qui me fusiorem vellet, ex nonnullis difficultatibus siue Theologicis, siue Philosophicis. Erit alius, qui breuiorem. Primus, *si bonus est* (occurro cum Ausonio in epistola ad Symmachum super edyllium 11. *quæ omisi non oblita mihi, sed prætetita existimet; de hinc, qualiscumque sit, cogitet secum, quàm multa de his non reperisset, si ipse quæsisset:::alius alio plura inuenire potest, nemo omnia.* Cogitet etiam, vt in simili admonet Paulus Burgensis, prologo suarum additionum ad Postillam Nicolai Lyrani *nullum opus humanum adeò perfectum esse, quin ei superaddi aliquid possit, & de sola scriptura diuina dictum esse, ne addas quicquam verbis illius.* Multa equidem prætereo, quia ab aliis cumulatè, & luculenter tractata; quocirca ad eos remitto lectorem; multa etiam quæ apud me sunt explorata, & si aliis prolixum facessant negotium, non ob rerum difficultatem, sed ob verborum techinas. *Cum autem de re constat, non est opus certare de nomine* vt in epistola 28. ad Hieronymum censet S. Augustinus, qui in epistola 174. ad Pascentium addit, *Quid contentiosius, quam vbi de re constat certare de nomine?* & in lib. 2. contra Accademicos

Academicos cap. 11. ait, *Turpe esse disputantibus, in verborum quæstione immorari, cum certamen nullum de rebus remanserit.* Relictis itaque quæ aut merè vocalia sunt, aut omnino manifesta, *ad examen veniunt* mihi ex consilio Cassidori lib. 9. variarum epist. 23. *quæ putantur incerta. Nam quis de illa re æstimet deliberandum, vbi nihil reputatur ambiguum?* Si tamen sint aliqua, quæ præteriri à me non debuissent, benignum erga me habebo lectorem, cui arrideat illud Polybij lib. 6. Historiarum, *Oportet eum, qui rectè sit iudicaturus de scriptoribus, non secundùm omissa, sed secundum dicta iudicare.*

76 Secundus, id est, qui me breuiorem vellet, *eo quòd sit gratior multis actio breuis*, audiat à Plinio responsum lib. 1. epistola 20. *Esse quidem, sed inertibus, quorum delitias, desidiamque, quasi iudicium, respicere ridiculum est. Nam si hoc in consilio habeas, non solùm satiùs est breuiter, sed omnino non dicere.* Nos sequuti iudicium Quintiliani lib. 4. Institutionum cap. 2. *breuitatem in eo ponimus, non vt minus, sed ne plus dicatur, quàm oportet.* Existimauit rectè prælaudatus Plinius lib. 5. epistola 6. *primum scriptoris officium esse, titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid cœperit scribere, sciatque, si materia immoratur, non esse longum; longissimum, si aliquid accersit, atque attrahit.* Nostri operis materia est Empyreum, ei immoror, ei me totum impendo: adscititium non est quicquid ad illius deseruit illustrationem. *Possent quidem quandoque multa breuiter dici; sed vbi breuitas sententiarum pondera non extenuat, non vbi intellectus multa necessariò intelligenda defraudat. Inualuit & segnitia Modernorum, quæ mox superfluum vocat quicquid cum eorum desidia non concordat, non sic apud antiquos, quorum si sapientia vestra recordari voluerit, etiam longissima nostra, breuissima reputauit.* Ita suas, & meas agit partes Petrus Abbas Cluniacensis lib. 1. epistola 34. Fatetur etiam Plinius in priori loco citatus, *breuitatem custodiendam esse, si causa permittat; alioqui præuaricatio est transire dicenda, præuaricatio etiam, cursim, & breuiter, attingere, quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractatu vis quædam, & pondus accedit. Vtque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis, quàm mora inprimitur::: Et hercule vt alia bona res, ita bonus liber melior est quisque, quò maior:::. Non minus non seruat modum, qui infra rem, quàm qui supra, qui adstrictiùs, quàm qui effusiùs dicit::: Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse; æque vterque, ille inbecillitate, hic viribus peccat: quod certè etsi non limitatioris, maioris tamen ingenij indicium est.* Excreuit Empyreologia vltra opinionem; sed tot, tanque varias res complectitur, vt possit lector eam etsi *in vniuersitate longissimam, breuissimam, in partibus iudicare.* Vti de quadam sua oratione ait idem Plinius lib. 9. epist. 4. Vtcumque sit paucis me verbis vsum putabo semper, cum de secretis loquor cælestibus. *Nec enim de his dignè loqui possumus, etiam si linguis Angelorum loqueremur, quibus datum est enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiare.* Quæ sunt verba Pothonis Presbiteri Prumiensis lib. 3. de statu domus dei cap. 8. Et verò si adhuc longius, quàm par esset, iudicetur nostrum opus, legat illud per partes, qui cognitum habere voluerit; si autem non voluerit, de longitudine non queratur. Sic fermè S. Augustinus lib. 4. de Doctrina Christiana, cap. 31. denique siue in longitudine, siue in breuitate peccarim, dicam cum Cassiodoro lib. de Anima cap. 9. *Cuius talis est disciplina, vt id, quod intendit, ita explicet, vt neque ampliùs neque minus aliquid dixisse videatur.*

PRÆLOQVIVM XIX.

De Stylo Empyreologiæ.

77 STylus operis Scholasticus est. Nam vt disco ex S. Hieronymo in epistola 125. ad Damasum q. 2. *Disputanti mihi non ex flumine Tulliano ducendus est eloquentiæ riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alij diserti, laudentur, vt volunt, & inflatis buccis spumantia verba trutinent; mihi sufficit sic loqui, vt intelligar.* S. Ennodius in libello aduersus eos, qui contra Synodum scribere præsumpserunt, inquit elegantissimè, *Non militia sunt picta verba, sed otij. Campus fortem postulat, pax profunda redimitum, qui pro futura asserit loquelam, quæ penicillo artis est colorata, contemnat.* Rursus in dictione 3. data Stephano *Qui vice Dei iudicat, non desiderat picta colloquia, sed quæ infucatus commendat nitor ingenij, quia, in his etiam sine amore blanditur eloquentia; in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine phaleris est omne quod dictat affectio, ad vnguem fabricantur illa quæ volumus non tam speciem recti habere, quàm similitudinem.* Synesius etiam in Dione ait, *Philosophia luxuriantis linguæ delitias amouet, graue, ac moderatum decus amplectens, cuiusmodi est vetus illud, & naturæ consentaneum, & propositis ad dicendum rebus accommodatum.* S. Basilius in epistola 167. scribit. *Dictionis inaffectata, & incomposita simplicitas decora mihi videbatur, & conueniens professioni Christiani hominis, cuius est non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam vtilitatem.* Liceat huc conuertere illa S. Petri Chrysologi in serm. 18. *In hac lectione quid spiritualis intelligentiæ lateat, si scire volumus, verborum flosculos non quæramus. Qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum: Viola, Rore, lilia, narcissus, grati flores, sed grati panis, Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus, quod dat panis vita, hoc dat scientia saluti. Seponenda est ergo eloquentiæ voluptas quando scientiæ deposcitur fortitudo.* Vnde Censore S. Prospero lib. 3. de vita contemplatiua cap. 34. *Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta.* Videantur Hildebertus Cænomanencis in epistola 64. aliique Patres congesti à Nostro Maximiliano Sandeo in Monitis proœmialibus Grammatici Prophani, & in commentatione 12.

78 Sed non ideo Barbarum, & sine lege stylum adhibeo, *scriptoris voci vnum hunc scopum, & primum propositum*, Vult Lucianus in Dialogo, quomodo historia sit scribenda, vt *planè indicet, & quàm lucidissimè rem ipsam declaret, verbis neque*

neque obscuris , & extra communem vitam positis, nec etiam vulgaribus istis , & tabernariis , sed ita vt à plerisque intelligantur , & ab eruditis laudentur. Ioannes Picus Mirandulanus in epistola 4. ad Hermolaum Barbarum , cum de barbarie antiquorum plurium scholasticorum egisset , & pro ea exercuisset ingenium , concludit tandem, *Quorum sententia nec ego planè accedo , nec ingenuo cuique , & liberali accedendum puto.* Catherinus in speculo Hæresum consideratione 8. ait, *Nec me latet , desiderari in scholasticis nostris sermonibus elegantiam , cultum , candorem , item aliquem tradendi modum , & methodum lucidiorem. Nec ibo inficias hanc ætatem , cum linguæ eruditiores factæ sunt , id suo iure quodammodò postulare, ne sit omnino inculta , & turbata , & inornata, atque inordinata loquutio.* Quòd si veterum illorum in loquendo duritiem , & inconcinnitatem sectari nihilominus mauis , audi Tullium in 1. quæstionum Tusculanarum , *Fieri potest , vt rectè quis sentiat , & id , quod sentit , politè eloqui non possit. Sed mandare quempiam litteris cogitationes suas , que eas nec disponere , nec illustrare possit , nec delectatione aliqua allicere lectorem , hominis est intemperanter abutentis otio , & litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis , nec quisquam attingit præter eos , qui eandem licentiam scribendi sibi permittunt.* Melchior Canus in Proæmio ad lib. 2. de locis Theologicis ait , *Flumen nobis inanium verborum displicet , quibus sententia deest , nec sententiarum subtilitate capimur , si orationis est siccitas.* Nostræ orationi satis erit , si intelligatur , & non vituperetur: quæ etsi elegantior fieri potuisset , *sed ego stylum ita temperaui , vt rem potius , quàm verba legentibus commendem.* cum Vigilo lib. 1. contra Euthycherem. Inter alias Octauiani Imperatoris laudes recenset hanc Suetonius , *Quod genus eloquendi sequutus est elegans , & temperatum , vitatis sententiarum ineptiis , atque inconcinnitate , & reconditorum verborum fætoribus. Præcipuamque curam duxit , sensum animi quam apertissimè exprimere. Quod quo facilius efficeret , aut nec vbi lectorem , vbi auditorem obturbaret , ac moraretur, neque præpositiones verbis addere , neque coniunctiones sæpius iterare dubitauit , quæ detracta afferunt aliquid obscuritatis , etsi gratiam augent.* Enitor egomet eos sensus sine vocum ambagibus , ac labyrintis, proponere , vt eorum euitem execrandum morem , quorum loquendi formulas in scholasticis disputationibus nec Oedipus ipse perciperet; & verborum latebras forsan amant , quia veritati indagandæ non student. Hæc certè docente S. Zenone Veronensi , vel potiùs S. Basilio in sermone de præcepto , *Attende tibi , est emendati natura sermonis , vt neque obscuritate , quæ dicuntur offuscet , neque abundans ineptiis , vim rerum , quæ indicantur , faciat euanescere.* Effingo plerumque rationes , & argumenta ad formam syllogisticam. *Scholam enim ego placare volo , scholæ propria verba , peculiaresque loquendi formas submouere non audeo,* vt nec ausus est memoratus Canus. Iniucundam eiusdem verbi repetitionem non recuso , quoties ex reticentia obscuritatem timeo.

79 *Melius est , vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi* quæ est S. Augustini sententia in Psal. 138. tunc quę nostræ defensioni conducet , cum voces , & phrases Grammaticorum palato insipidas , sed schola vernaculas, rebusque explicandis accommodas vsurpemus. Eiusdem S. Doctoris præceptio est tract. 2. in Ioannem cap. 1. v. 13. *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem peruenimus. Reprehendit , qui intelligit , ingratus , quia intellexit.* In lib. etiam 4. de doctrina Christiana cap. 11. inquit , *Bonorum ingeniorum insignis est indoles , in verbis verum amare , non verba. Quid enim prodest clauis aurea , si aperire , quod volumus non potest ? aut quid obest lignea , si hoc potest , quando nihil quærimus , nisi patere , quod clausum est.*

PRÆLOQVIVM XX.

De Methodo Empyreologiæ.

80 GNarus , quanto iure commendetur Methodus in tradendis scientiis , curaui Empyreologiam disponere ad ordinem tum naturæ , tum doctrinæ , mutuans ex vtraque quæ ad clariorem, & faciliorem operis structuram facere perspexi. *Si enim rebus mundanis decorus est ordo , atque scientia , multò profectò magis eam obseruari conuenit* , vt docet S. Gregorius Nyssenus oratione 2. de Christi resurrectione, *in rebus magnis , atque cælestibus* , Huc etiam defertur illud Cassiani in collatione 14. cap. 1. *Multa quidem scientiarum in hoc mundo sunt genera , tanta siquidem earum, quanta & artium , disciplinarumque varietas est. Sed cum omnes , aut omnino inutiles sint , aut præsentis tantum vitæ commodis prosint , nulla est tamen , quæ non habeat proprium doctrinæ suæ ordinem, atque rationem , per quam ab expetentibus possit attingi. Si ergo illæ artes ad insinuationem sui certis, ac propriis lineis diriguntur ; quantò magis religionis nostra disciplina , atque professio , quæ ad contemplanda inuisibilium sacramentorum tendit arcana , nec præsentis quæstus ; sed æternorum retributionem expetit præmiorum , certo ordine ac ratione subsistet ?* Hactenus ex Cassiano , cuius verba, si pauca demas , videntur ad rem nostram nata. Gerson tract. 6. super Magnificat , aiebat , *Materiam afferre non possumus , nisi communem toti sæculo ; forma verò potest esse nostra ; vt elementa communia sunt , sed per formas mixtorum in species distinguntur. Cuperem hoc modo fieret inter nos; modus enim tractandi quasi formalis est , tollens sua nouitate fastidium , & inuitans , vel irritans ad essentiam.* Hactenus Gerson , ex cuius desiderio materiem Empyrei communem , & antiquam peculiari , ac noua forma , quæ lectores non fastidiret , sed alliceret conati sumus vestire. *Nihil incompositum , indigestumque placuit afferre.* Vt nec placuit S. Hilario lib. 1. de Trinitate , *ne operis inordinata congeries rusticum quendam tumultum perturbata vociferatione præberet* , & ne *confusione multarum rerum aut dicentis , aut audientis impediretur ingenium* , Iuxta cautionem Valeriani Episcopi Cemeliensis in homilia 8. quæ est 2. de Misericordia.

81 Communes de Methodo regulas , & præcepta seruans diuido opus in partes principales , & in libros ; hos autem in Exercitationes ; quas partior in sectiones , & istas in numeros ; ne verò sectiones longitudine pariant fastidium , & difficultatem , subdiuido in varios titulos non raro.

Est enim hominum consuetudo facilius docere, & dicere, quæ diuisa possunt euidentiùs elucere, vt obseruat Cassiodorus lib. de Anima cap. 2. atque vt Seneca in epistola 89. *quicquid in maius creuit, faciliùs agnoscitur, si discessit in partes*, & Rutilius Numatianus lib. 2. Itinerarij rationem reddens distribuiti operis in duos libros.

Sæpe Cibis affert serus fastidia finis.
Gratior est modicis haustibus vnda siti.
Interualla viæ fessis præstare videtur.
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.
Ausonius in Edyllio distinctio sensum.
Auget, & ignauis dant internalla vigorem.

Quidnam autem contineat Empyreologia perspicere poteris vel vno oculorum iactu in Indicibus Exercitationum apponendis, vel singulis partibus, vel toti operi, si non excedat vnius iusti voluminus mensuram.

82 Quoties ex aliquo principio generali inferenda est specialis conclusio pertinens ad Empyreum instituo digressionem, in qua principium illud, qua possum firmitate stabilio, *pertinaci diligentia in explorando veritatem perseuerans, quin tædio eius penitus inuestigandæ cuilibet opinioni temerè succumbam*, vt liber sim à sugillatione, qua nonnullos inurit Minutius Felix in Octauio. Etsi vero spatier in statuendis principiis generalibus, id semper in votis fuit, vt non paginam, sed causam implerem. Præsentio fore, rigidos aliquos censores, qui dicant, me hac ratione & prætextu Empyrei voluisse luci publicæ tradere Philosophiam, quam meis dictaui discipulis. Non ibo inficias, plura ex illa huc conuertisse; ast ni fallor, non extortè, non violenter, non vltra præfixum scopum. Nec crimen est, nostras elucubrationes sub tam nobili materia in lucro, & quæstu ponere. Innumeri sunt Authores, qui sic se gessere, non solùm sine calumnia, sed etiam cum laude.

83 Doctrinæ coactus consequentia, breues aliquando facio excursus. Licere sibi frequentes, putauit S. Ambrosius Præfatione in lib. 4. super Lucam, *Nam si ij, qui magnum mare litorali parant nauigatione transmittere, altioris compendium cursus, iisdem vt nos, fiducia infirmitate vitantes, agrum, & vrbes litore deductas, capiti locorum decore frequenter inuisunt; quantò magis nos in tanto non elementorum, sed gestorum cælestium siti profundo, viciniores legere portus, & frequentes amare debemus excursus, ne quis longa nauigationis tædio fatigatus, fastidij vomitum tenere non possit. Certè si quis in tuta ratis vitia in fida perspexerit. tanquam frequenti librorum portu obiecto, licet vt aurium vela deponat, lectionis anchoram figat, non videtur deseruisse nauigium, sed confecisse cursum, qui descendit in portum. Et plerisque locis fortassis amænitas locorum ipsa inuitet prætermeantem.* Hæc de excursibus frequentibus S. Ambrosius: nostri rari erunt, & occasione peculiaris alicuius doctrinæ. *Cum enim suæ quisquis inuentioni faueat*, vt ait Plinius lib. 1. epist. 20. fas sit nonnunquam, quid ex illa sequatur circa alias materias, velut digito monstrare. Obuiæ fiunt quandoque extroneæ nonnullæ quæstiones, quas insalutatas prætertiisse, neque verbanitatis, neque Magisterij patiuntur leges. *Pertinet namque*, secundum S. Augustinum lib. 4. de doctrina Cristiana cap. 20. *ad docendi munus non solùm aperire clausa, & nodos soluere quæstionum, sed etiam dum hoc agitur aliis quæstionibus, quæ fortasse inciderint, ne id, quod dicimus improbetur per illas, aut refellatur, occurrere.*

84 Supersedeo multoties aliorum refutandis discursibus, contentus meos (quales quales sint manifestasse, ne videar semper *eam rem in studium, & exercitationem quandam vertisse*, vt memini obiurgasse in Teopompo Lucianum; & Olympiodorum in Philosophis Gentibus, *qui alterius euertunt, & impugnant sententias, semperque inter se grauissimum bellum gerunt.* Ita enarratione in cap. 12. Ecclesiastis v. 12. Et de eisdem ait Eustachius commentario in Exameron, *Nulla sententia apud eos immota manet, semper primum oppugnante secundo; ita vt eos refellere, nihil sit negotij, cum illi sufficiant propriis dogmatibus euertendis; quæ humana ratione, iudicioque prodita multis obscuris latebris inuoluta latent, nec vllo firmitatis fulcro constabilita vacillant.* Expedit sæpe, æmulari Socratem, dequo Laertius lib. 2. inquit, *Nitebatur summo ingenij acumine, non tam illos* (id est, aduersantes Philosophos) *ex sententia refellere, quàm quod, ipse, verum esset, inuenire.*

85 Sed tamen sæpe etiam oportet ex censura Senecæ lib. 6. Naturalium quæstionum cap. 19. *omnium copiam facere, & quæ improbamus damnare potiùs, quàm præterire.* Tunc præcipuè oportet, *cum per aduersarios crescunt præcepta veritatis*, & hæc *per ea ipsa, quæ ei aduersantur, elucet*, vt loquuntur S. Chrysostomus homilia 4. in Genesim & S. Hilarius lib. 7. de Trinitate. Tales sunt aliquorum opinationes, vt eorum produxisse argumenta, quibus contra veritatem armantur, sit promouisse magnoperè eandem ipsam veritatem. *Et validis absque dubio nititur priuilegiis, qui causam suam de Aduersarij asserit instrumentis. Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt oppugnatoris sui argumenta suis probentur vtilitatibus militare.* Sic S. Hieronymus in sermone de Resurrectioue, vel S. Maximus Taurinensis, vel Euse[b]ius Gallicanus in homilia de Pascha. Pressiùs S. Claudianus Mamercus lib. 2. de statu *Animæ* cap. 6. *Gloriosum victoriæ genus est, ab eo, cum quo decertes, arma capere.*

86 Porrò optandum est, ne cum in hoc nostro sæculo tam vsitatum sit, vt alij alios impugnent, dicere quis possit, quod de suo S. Hilarius scribens ad Constantium Augustum, *Dum in verbis pugna est, dum de nouitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de authoritatibus querela est, dum de studiis certamen est, dum alter alteri anathema esse capit, prope iam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut, dum docemus, perturbamus, aut dum docemur, erramus.*

PRÆLOQVIVM XXI.

De dilata editione huius operis.

87 NOstræ Empyreologiæ necessè est, *vt multum pereat ex venia, cum amiserit, quam solam habuerit gratiam celeritatis*, quod de suis carminibus dixit Statius in Proæmio ad 1. librum Syluarum. Imposuimus primam manum huic operi quàm

quàm breuissimè, & septem ab hinc annis; suadebanque amici; vt iam tunc in publicum emitteremus. Sed respondebamus cum S. Augustino epistola 7. *Angit me planè Horatiana sententia.*

Nescit vox missa reuerti.

Hinc est, quod periculosissimarum quæstionū libros::: diutiùs teneo, quam vultis, & fertis, vt si nō potuerint non habere aliqua, quæ reprehendantur, saltē pauciora sint, quàm esse possint, si præcipiti festinatione in consultiùs ederentur Addebamus illud S. Ambrosij lib. 7. epistola 39. *sex diebus factum mundum exprimit* (Moyses) *non quod Deus tempore indiguerit ad constitutionem eius cui intra momentum suppetit facere quæ velit, dixit enim, & facta sunt, sed quia ea, quæ fiunt, ordinem quærunt, ordo autem tempus, & numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipuè, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum seruauit, & tempora; nos enim tempore indigemus, vt aliquid maturiùs agamus, ne præcipitemus consilia, atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus* S. Hieronymus in epistola ad Rusticum de viuendi forma, si etiam ipsum instituit, *Ne ad scribendum citò prosilias, & leui ducari insania multo tempore disce, quod doceas.* Idem S. Doctor in epistola ad Pammachium de obitu Paulinæ ait, ex Quintiliano, *Primum hoc constituendum, hoc obtinendū est, vt quā optimè scribamus; summa hæc est rei. Citò scribendo non fit, vt benè scribamus. Benè scribendo fit, vt citò.* His de causis ad nonum vsque annum, *qui ad scribendum relaxatur Authoribus* vt ex vulgato Horatij hemistichio in Arte Poetica.

nonumque prematur in annum.

Inquit Cassiodorus lib. & epistola 1. Procrastinaui editionem Empyreologiæ, totoque eo tempore extremam manum imponere curaui, quantùm in me fuit. Et tale quidem debebat esse de Cælo Empyreo opus, vt dici posset.

Cælo ne peractum.

Fluxit opus.

Sed cum è mea prodierit manu, non poterit non imperfectum, impolitumque haberi.

Clausula Præloquiorum.

Et iam satis de præloquiis, *ne magis offendat nimis affectata defensio*, vt præmonet Cassiodorus in Præfatione ad lib. 11. variarū, atque vt Plinius lib. 4. epist. 14. *longiore præfatione vel excusare, vel commendare ineptias, ineptissimum:* licet solitum valde sit, attestante S. Fulg. Episcopo Carthaginis nonæ lib. 3. Mithologiarū *in scientia formidolosam suspicionem excusandi quærere suffragia: quo quicquid ignorantia, incursionū mater, peccauerit, id venia absoluat petitio, quæ culpas vestire consueuit.* Iudice S. Ambrosio in epist. 40. ad Sabinum, *Malè se habet liber, qui sine assertore non defenditur.* Idcircò nolim esse nimius assertor nostræ Empyreologiæ. In quasi plura alia implacida sint lectori, nostraq; egeant defensione, haud quaquam mirabimur, quinimò cum S. Sidonio lib. 9. epistola 11. dicemus, *Facturus rem videbar impudentissimam, si tantùm mihi cuncta placuissent, vt nulla tibi displicitura considerem:* & cum Sedulio in epistola ad Macedonium præfixa operi Paschali soluta oratione confecto, *Proferant sua si qui carpere nituntur aliena. Promptius est omnibus iudicare, quàm facere, & de castrensi munimine pericula securo vultu conspicere*, Existimauit rectè Philippus Abbas in cap. 49. de silentio clericorum, *vix quemquam posse inueniri tam felicem statum temporis habuisse, vt veraciter gauderet, se nullum detractorem, nullum æmulum pertulisse* suorum librorum; nec minus rectè Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum *nullam scripturam aliquam ita fortunatam prodire, cui nullus omnino contradicat.* Non adeò superbè de nostra cogitamus, vt nullum ei refragaturum putemus. Contradicant, qui velint; *patiemur namque redargui, refellique; quod quidam ferunt animo iniquo, quia certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, vt etiam, quæ non probare soleant, constantia causa cogantur defendere. Nos qui sequimur probabilia, neque vltra id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati sumus*, ex Tullij consilio in q. 2. Tusculanarum.

88

PARS

PARS PRIMA.
EMPYREOLOGIÆ
SEV
PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
DE EMPYREO CÆLO.

IN prima huius operis parte examino ea, quæ pertinent ad Empyreum intrinsecè, vt est in se, secundùm esse substantiale, & accidentale. In secunda expendo ea, ad quæ se habet extrinsecè. Iam ergo ad primam accedentes,

——— Cœlo tentabimus ire.

Tenuitatis tamen nostræ conscij, & diuino freti auxilio. Quis enim de terrenis ad cælestia, de vmbra ad claritatem, de exemplari ad penetralia veritatis humano gradu sine diuino ductu possit ascendere? *Vt inquit S. Ambrosius in Psalm.* 118. *Octonario* 3. *Adesto dux, ô ter Maxime Empyrei, totiusque vniuersi Monarcha,*

Da, Pater, æthereos mentis conscendere cætus.
Empyreumque sacro sub nomine noscere cælum.

Si fautor adsis., tunc

Nihil mortalibus arduum est.

Tunc non

Cælum ipsum petimus stultitiâ,

Sed summa prudentia, & religioso ausu. De Epicuro cecinit Lucretius,

Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem
Virtutem irritat animi, confringere vt arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo viuida vis animi peruicit, & extra
Processit longè flammantia mænia mundi;
Atque omne immensum peragrauit mente, animoque.

Vnde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat.

Nos non extra vniuersi mœnia, (quod vanum, & inutile foret) sed ad supremam, nobilissimamque ipsius arcem, & partem, ad Dei Regiam, & Beatorum Metropolim procedimus, tota animi submissione, & annuente Numine, vt piè præsuminus.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE NOMINE, EXISTENTIA, PRODVCTIONE, ET ANTIQVITATE EMPYREI CÆLI.

AGGREDIOR primum de Empyreo librum; qui erit velut cardo totius susceptæ tractationis. Itaque, Deo fauente, ausus me credere cælo, insuetum per iter, nomen, existentiam, productionem, & antiquitatem Empyrei in primis explanabo, & elucidabo,

———. Ipsumque recludam
Æthera. ———————

EXERCITATIO PRIMA.

De Nominibus Cæli & Empyrei.

QVONIAM, vt pulchrè ait S. Isidorus Hispalensis lib. 1. originum cap. 7. *Nisi nomen scieris, cognitio rerum perit*, ideo in limine operis oportuit præmittere vocum *Cœli*, ac *Empyrei* explicationem.

SECTIO PRIMA.

De Nomine Cæli.

1 VArias Nominis etymologias refero depromptas ex Ecclesiasticis scriptoribus, non curans modò de secularibus, neque fidem adhibens iis, quæ ex Phœnicum Theologia memorat Eusebius Cæsariensis lib. 1. de preparatione Euangelica, scilicet Indigenam cognominatum fuisse posteà *Cælum*, & ab eo supremum corpus cælum fuisse appellatum. In primis S. Augustinus, aut Pseudo-Augustinus q. 106. de vtroque Testamento mixtim, S. Thomas, aut Pseudo-Thomas in Postilla super Genesim cap. & v. 1. volunt *cælum* à *celando*, seu *oculendo* dictum, quia inferiora omnia vniuersi corpora celat, & tegit. Huc forte respexit Ouidius, cum lib. 1. Metamorph. cecinit.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cælum.

Pelbartus lib. 2. Rosarij Theologici v. *Cælum*. §. 1. tradit, ideo cælum nuncupatum, præsertimque Empyreum, *quia celat à nobis calestes spiritus, & Beatos.* A quo non longè abest Venerabilis Beda expositione in Genesim, cum à *celando arcana* appellatum pronuntiat cælum. Si hæc arrideat nominis etymologia scribetur *celũ* sine diphthongo.

2 S. Isidorus lib. & cap. 3. originum notat, *dictum à calatura, eo quod tanquam vas calatum impressa habeat signa stellarum. Distinxit enim id Deus claris luminibus, & impleuit, solis scilicet, & Luna orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornauit.* S. Isidorus imitatus est S. Ambrosium, qui lib. 2. Exameron cap. 4. dixerat: *Calum, quod Vranos Gracè dicitur, Latinè, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam calatum appellatur, sicut argentum, quod*

signis eminentibus refulget, *celatum dicimus*.

3 V. Beda expositione in Genesim deducit à *celsitudine* nomenclaturam *cæli*. Quæ deductio apprimè quadrat Empyreo, cunctorum corporum celsissimo. Vnde Ægidius Romanus 2. p. examecron cap. 23. contendit, Empyreum vocari *cælum*, *non quia celans cum habeat lumen*, *& non corpora opaca*, *sed quia celsum*.

4 Rupertus lib. 1. in Genesim cap. 29. *Cælum* à *cernendo* trahit, *quia oculos habentium neminem latet*, *unde & Gracè Vranos dicitur*.

5 Richardus de S. Laurentio lib. 7. de laudibus B. Mariæ proponit dici *Cælum quasi cellerium Domini*, *quia inde descendunt ad terram*, *id est*, *ad terrenos*, *omnia data optima*, *& omnia dona perfecta*.

6 Idem Richardus cogitat, dictum à *Casa elios*, id est, domo solis, quod non displicuit Authori librum de mundi imagine lib. 1. cap. 14. Authori etiam librorum de gemma animæ lib. 1. cap. 101. Comestori in historia Genesis cap. 4. Hugoni de S. Charo in Ioann. 6. vers. 40. Thomæ in cap. 15. Apocalypsis vers. 5. Iacobo de Vitriaco Dominica 11. & 21. post Octauam Pentecostes Bernardino de Busto parte 2. Rosarij sermone 19. Ex quibus etymologiis germaniores sunt prima, & secunda; huic ego morem getam cũ & ne aliquis cum Ænea Syluio notante etymologizantium vitia in lib. de liberorum educatione derideat nonnullas ex memoratis deductionibus, sciat earum Authores attendisse potiùs ad vocis similitudinem, quàm ad veram nominis originem. Sic Iustinianus in principio institut. de Testamentis deriuauit testamentum à testatione mentis, & Trebatius lib. 1. de Religionibus sacellum à sacra cella, legatur Didacus Couarruuias in tit. de testamentis p. 1. Rubricæ n. 1. ac 2.

7 Licet à Sydereo ad Empyreum videatur translatum cæli nomen, tamen S. Clemens lib. 1. Recognitionum secus euenisse significat, dum inquit. *Idque firmamentum cælum conditor appellauit*, *antiquioris illius vocabulo nuncupatum*. Concordant S. Clementi Origenes lib. 2. Periarchon cap. 3. S. Claudianus Mamercus lib. 2. de statu animæ cap. 12. Nicetas lib. 4. Thesauri in confutatione hæresis 9. Gazæus in cap. 1. Genesis vers. 8. Athanasius Sinaita lib. 2. Anagogicarum contemplationum in Exameron; quarum postremus scribit, *Cælum quidem superius*, *& quod non cadit sub aspectum*, *naturâ ab initio vocatum est cælum*; *firmamentum autem materiale*, *quod ab imo descendit*, *non natura ab initio factum est cælum*, *sed post vnionem*, *quam habuit cum cælo naturâ inaspectabili*, *tunc ipsum quoque cælum est appellatum*. Credo, hos Patres ideo dixisse nomen cæli translatum esse ab Empyreo, seu à cælo, prima die condito, ad sydereum, seu ad firmamentum, secunda die constructum, ac solidatum, quia nomine cæli intelligebant corpus firmum, & solidum, quale ab initio fuit Empyreum saltem secundùm superficiem concauam, & conuexam; cum tamen corpus, ex quo constructum est firmamentum, cælumve sydereum, non fuerit ab initio nisi fluidum, & molle, vtpote aqueum. Si iuxta Hebraicum textum cæli nomen spectemus, non ex Empyreo, ad sydereum, sed ex sydereo ad Empyreum esse translatum, persuadet vox *schamaiin*, id est, *ibi aqua*, imposita primò ad significandum firmamentum conditum ex aquis, extensa autem à Moyse ad significandum Empyreum, cum dixit, *In principio creauit Deus cælum*. Ita obseruant Molina disp. 2. de opere sex dierum, & Salianus in scholiis ad c. 6. Apparatus in annales veteris Testamenti. Addit Iacobus Bonfrerius in c. 1. Genesis v. 7. *sicut cæli mobiles vocati sunt*, schamaiin, *quòd eorum superficiem conuexam tegant aquæ*; *ita & cælum Empyreum vocari potuisse* schamaiin, *quòd eius superficiem concauam impleant aquæ*.

8 Empyreum non cælum vtcumque, *sed cælum cæli & cæli cælorum* sacris in litteris vocitari consueuit, vt constabit ex variis testimoniis decursu operis elucidandis. Vnde sicut epithalamium Salomonis sibi ob excellentiam vendicauit *Cantici Canticorum* insigne; ita Empyreum & *Cælum cæli* &, *cælo cælorum* dictitari est assequutum. Adi Hieronymum de Hornaechea prologo 1. in Cantic. Canticorum sect. 2. num. 28. apud quem reperies obseruationem hanc non sine cothurno adornatam.

SECTIO II.

De Nomine Empyrei.

9 EMpyrei nomen ἀπὸ τὸ πυρὸς Græcè, id est, ab igne adsciuit sibi hoc cælum ob splendorem, vt docet Angelicus Præceptor 1. p. q. 66. art. 3. in corpore, & multo antea vocarat Strabus in Glossa ordinaria ad cap. & v. 1. Genesis, ac ex illo Magister sententiarum lib. & dist. 2. Nam cum in igne detur ardor, & splendor, cælum dicitur Empyreum, seu ignitum, non ab ardore, aut calore, sed ab splendore, in quo solo ignem æmulatur. Sic stellarum globi vocantur quandoque flammigeri, & ignes cælestes. Vnde Papinius lib. 3. syluarum in Hercule Surrentino.

Dum me flammigeri portabit machina cæli.

Non quidem ob calorem, sed ob emicantem lucem, vt obseruat Petrus Hurtadus disp. 1. de cælo sect. 2. §. 18. Sic etiam cælum crystallinum dicitur aqueum, non propter naturam aquæ, sed quia perspicuum est, vt aqua, vtitur hoc exemplo Ludolphus Carthusiensis in Psalm. 148. v. 4. Eximio Doctori P. Francisco Suarez improbabile non videtur, lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. num. 2. nominis rationem duci, quia sicut ignis supremus est inter elementa, ita & Empyreum inter omnes cœlos. Cælius Rodiginius lib. 1. lectionum antiquarum cap. 14. reuocat quidem nomen in splendoris exuberantiam; sed quatenus hoc cælum *syderibus suis*, *hoc est*, *Angelis sit insigne*. Aduerterim hic in Grammaticorum gratiam, piscem, quem vocant Latini *lucernam maris*, *quia lingua ignea per os exorta tranquillis noctibus refulget*, vt ait Plinius lib. 9. Historiæ naturalis cap. 27. appellari Empyreum à S. Gregorio Nazianzeno in præceptis ad virgines,

Empyrus est piscis, qui nunquam absumitur igne,
Verum ardens mediis effulget in æquoris vndis.

Pythagoras in quodam carmine apud Laërtium meminit eiusdem piscis, ac nominis,

Ipse

Ipse etenim quandoque fui puer, atque puella,
Empyrus, & tumidi, maris, ales, & arbor.

8

Sic vertit Iacobus Billius in notis ad S. Nazianzenum. Et de eo pisce consulendi sunt Hyppolytus Saluianus Historia 63. Aquatilium, Conradus Gesnerus lib. 4. de Aquatilibus pag. 588. Vlysses Aldrouandus lib. 2. de piscibus cap. 3. Sed his relictis, quibus veniam dabit tetricus lector.

10

S. Thomas solicitus est, vt ostendat, Augustinum, dum contra Porphyrium vsurpat lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 9. & 27. loca *Empyrea*, sublimitatesque mundi *Empyreas*, nullatenus meminisse cæli Empyrei, sicut postea ex V. Beda & Strabo positum fuit à Modernis. Imitatur Angelicum Doctorem Dominicus Bañez in commentario illius art. 3. transcribens, quæ de Angelis Empyreis congerit Viues ad præcitatum locum S. Augustini. Verum *Empyrei* nomen pro cælesti domicilio à Christianæ Religionis incunabulis vsitatum persuadet Epistola 2. S. Anacleti Pontificis Maximi, cuius in fine hæc habentur, *Nam & in nouissimo tempore hic sensus non inaniter poterit coaptari, in quo tempore Dominus ex cælesti aula, ac Empyreo domicilio, pessimi dæmonis iam ferre dedignans tyrannidem : . . . pro redemptione nostra carnem suscipiens aduenit.* S. Augustinus in soliloquiis cap. 31. scribit: *Hoc est cælum tuum Domine, cælum celans supercarcanum, superintelligibile, superrationale, & superessentiale lumen, de quo dicitur cælum cæli Domino. Cælum cæli, cui terra est omne cælum, quia mirabiliter exaltatum est super omne cælum. Ad quod etiam terra ipsum cælum Empyreum; hoc enim est cælum cæli Domino, quia nulli notum est nisi Domino.*

9

Hactenus S. Augustinus, si eius sit soliloquiorum liber, qui circumfertur, Boetius cap. 3. de disciplina scholarium ait, *Prima verò litteralis protractio quæsiuit vtrum cæli Empyrei dominatio terrenitatis aliqua participe natura possit obfuscari.*

11

Michaël Psellus refert ex Chaldaicis Zoroastreorum oraculis, *septem corporeos asserunt mundos, Empyreum vnum, & primum, id est, igneum, & tres post ipsum Æthereos, deinde tres alios materiales, quorum extremus terrestris, & semilucidus vocatus est, qui sublunaris locus est.* Ita vertit ex Græco in Latinum sermonem Eugubinus in recognitione Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem, cap. 1. Genesis, qui cap. 2. addit; *Opinio Christianorum de cælo Empyreo, non tam nostra videtur esse, quàm vetustissimarum gentium, vt modò diximus, præsertim Chaldæorum, qui septem corporeos mundos numerantes principatum tribuebant mundo Empyreo.* Proclus apud Simplicium in 4. Physicorum cap. 5. *Duas* (dicebat) *sphæras cum nostris animis cogitemus, vnam quidem lucis vnius, alteram autem ex multis corporibus, æquales magnitudine; sed vnam quidem simul cum centro firmam, & stabilem colloca; alteram autem cum in eam inieceris, & totum mundum videbis esse in loco, & moueri, in luce immobili, & eum, quòd ad seipsum totum attinet, esse immobilem vt locum imitetur; moueri autem per partem, vt in eo sit loco inferior. Hæc cum dixit* (adiungit Simplicius) *dicta sua confirmat ex Platone, vt qui lucem illam, quæ est in republica, Iridi similem, locum esse dicat; & ex oraculis, quæ data sunt Chaldæis, ea, quæ de fontana anima dicta sunt adducens, lucem omnino ignemque animans, atque æthera mundos. Hanc enim esse lucem, quæ est supra Empyreum, quæ est vnitas ante Trinitatem, & Empyrei, & ætherei, & materialis. Hanc autem esse dicit, quæ æternas primùm Deorum suscepit conditiones, & per se spectanda spectacula iis, qui digni sunt, in se ipsa ostendit.* Tantùm ex Proclo Simplicius. Vnde mirum non sit, Cardinalem Toletum lib. 4. Physicorum cap. 5. quæst. 7. affirmasse, agnitum à Proclo, & Simplicio Empyreum, Martianus Capella lib. 2. de nuptiis Philologiæ, & Mercurij, cum finxisset, Philologiam peruenisse ad primum mobile cælum, motoremque ipsius, adiicit, *Quoniam extra mundanas beatitudines eum transcendisse cognouerat, Empyreo quodam, intellectualique mundo gaudentem iuxta ipsum extimi ambitus murum annixa genibus, ac tota mentis acie coarctata diu silentio deprecatur.*

12

Quòd si aliquis contendat, antiquos hos nomine Empyrei voluisse tantùm significare partem aliquam cæli syderei, vt de Porphyrio conatur S. Thomas inquiens, *Porphyrius tanquam Platonicus cælum istud sydereum igneum esse existimabat, & ideo Empyreum nominabat, vel æthereum, secundùm quòd nomen ætheris sumitur ab inflammatione, & non secundùm quòd sumitur à velocitate motus:* Satis pro instituto præsenti erit, nominis antiquitatem ostendisse, & illud rectè translatum esse ad significandam cælestem Beatorum lucidam, immobilem, & incorruptibilem sedem. Nominis translatio hæc percrebuit vt minimùm ex tempore Strabi Monachi Fuldensis, ordinariæ Glossæ Concionatoris, qui floruit ad annum Domini 840. Dixi, *Vt minimùm:* nam & à Rabano Archiepiscopo Moguntino, qui fuit ipsius Strabi Magister, & obiit anno 856. videtur vsurpata, vt aduertam n. 56. Exercitationis sequentis.

13

Etiam satis de nominibus *cæli*, & *Empyrei.* Obtempero Augustiniano monito lib. de quantitate animæ cap. 6. *Moneo*, inquit, *vt semper rerum curam magis, quàm verborum habere delectet.* Et quidem vt docet S. Cyrillus Alexandrinus libr. 7. Dialogorum de Trinitate: *Nominum nobis non valdè multa ratio ad necessariam manifestationem eorum, quæ sine errore nota sunt, licet vtilis rebus singulis sit conueniens appellatio.*

EXERCITATIO SECVNDA.

De existentia cæli Empyrei.

CVM impossibile sit, vt docet Aristoteles lib. 2. Posteriorum textu 39. cognoscere, quid est res, ignorantes, an sit, ideo statim aggredior quæsitum, an sit cælum Empyreum?

SECTIO PRIMA.

Referuntur, qui negarunt Empyreum, & instituitur contra eos disceptatio.

1 ALmaricus Hæresiarcha effutiuit, non esse paradisum, neque infernum; sed illum, qui Dei notitia præditus est, habere in se paradisum; qui autem lethali peccato se infecerit, habere infernum. Sic memorat Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis anno 1204. num. 17. Lutherus, & Caluinus, licet absolutè non sint inficiati paradisum Cœlestem, negarunt tamen paradisum, quod sit Cælum Empyreum, atque immotum. Lutheri verba, in quibus Empyreum fictitium dicitur, exarant Maximilianus Sandæus infra, & Ioannes Bourgesius lib. 1. de continentia Christiana c. 43. & ex Caluini verbis ibidem propositis adhæsisse Luthero, colligitur non obscurè. Ioannes Brentius in recognitione doctrinæ suæ de maiestate Christi apud Valentiam lib. 2. de controuersia vbiquetaria cap. 6. & lib. 4. cap. 1. indixit etiam Bellum Empyreo; tametsi alij hæreseos macula infecti, vt Thedorus Beza in verbis transcriptis à Maximiliano Sandæo Commentatione 16. Grammatici prophani seruans constantiam, vt ex aliis inibi aductis liquet; Paulus Merula p. 1. Cosmographiæ lib. & c. 2. Philippus Lansbergius recensus à liberto Fromendo in tract. 6. Vestæ cap. 2. & Ioannes Drusius cap. 2. in Genesim cap. 61. in Deutheronomium suscipiant patrocinium huius Cæli.

2 Eminentissimus Cardinalis Thomas de Vio Caietanus Commentario in cap. 12. posterioris epistolæ S. Pauli ad Corint. v. 2. exponens illa verba, *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in eo pore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsq; ad tertium Cælum*, scribit, *Hoc est, vsque ad supremum Cælum, vsque ad locum in quo Deus, & Beati habitare dicuntur, vsque ad cælestem patriam. Appellauit autem locum illum summum tertium Cælum, quia in sacra scriptura trium cælorum mentio fit. Infimum est cælum aereum, iuxta illud, volucres cæli: medium est cælum astrorum, de quo in principio Genesis: Et posuit eas in firmamento Cæli, tertium, ac summum est aquæ omnes, quæ super cælos sunt; cuius pluries scriptura meminit; quod appellamus Cælum aqueum, Philosophi verò apellant primum mobile. Empyreum si quidem cælum à posterioribus traditum, nullibi inuenitur in scriptura.* Sic Caietanus. In quem excandescens Ascanins Martinengus pag. 244. Glossæ magnæ litteralis ad cap. 1. Genesis, asperis his verbis concludit, *Præter hæc Empyreum cælum credere, ac affirmare, me compellit vetustissima ab Apostolis ad nos vsque manuducta traditio, acceptissima Christicolarum omnium opinio, ac persuasio; quam cum Ecclesia omnis, præcipuè Romana; nunquam reiecerit, sed potius amplexata, ac pro sequuta sit, tantum sibi veritatis nitorem, atque existimationem vendicauit, vt eam in dubium reuocare, aut penitus explodere, sit ferè vniuersa Ecclesia, præstantissimis parenti, procaci quadam temeritate aduersari.* Huc vsque Ascanius, cuius censuræ concordes alias grauissimorum Doctorum subtexam in Exercitationis fine. si prius tum ab authoritate sacrarum litterarum, Patrum Ecclesiæ, expositorum diuinæ scripturæ, & Theologorum, ac quorumuis Ecclesiasticorum Authorum, tum à rationibus conet, Empyrei existentiam meo pro modulo comprobare aduersus Caietanum; nisi enim is negasset Empyreum in nullam alij, quos præcedenti numero retuli, solicitudinem vocarent.

3 Ero quidem fusior, quam speres; & forsan inquies, quid tu per longam Exercitationem *aduersum breuem periodum spatiaberis, si verbum verbo satis? sed non id negotij est* (respondeo cum S. Claudiano Mamerco lib. 3 de statu animæ c. 14. *fallaciã struere, quòd destruere: Neget quispiam, sphæram esse mundum: vno quidem hoc ille verbo negauerit: sed non vnum id vno item verbo vel Timæus adstruxerit. Proinde quicquid illud ampliusculè sermocinabimur, non modò sola falsi confutatio, sed veri etiam, coget adstructio: quippe diuersum est, dedocere noxia, & vtilia docere; neque hoc idem est, sentem solo vellere, quòd frugem iacere. Non ergo id ipsum est eruere vitium, quòd serere virtutem. Multo igitur amplius opera insumendum est in vtroque horum, quàm in alterutrum. Porrò autem cum vtraque agitare mihi prouincia fuerit in tam prepedito negotio præsertim magis mira erit parcitas, quàm prolixitas.*

SECTIO II.

Existentia Empyrei multiplex ex sacris litteris probatio.

4 PRimam desumo ex primoribus verbis Geneseos, *In principio creauit Deus Cælum.* quæ de Empyreo accipienda cælo persuadet tum Patrum Catena elaboranda in sectione veniente, tum aliorum constructa à Saliano, nomine firmamenti, secunda conditi die intelligentium mobiles omnes sphæras. Hinc S. Vincentius Ferrer. in sermone de conceptione Virginis pronunciat, *Omnes Doctores*

Doctores Sanctos concorditer dicere, quod cælum sumitur ibi (scilicet Genesis cap. & v. 1.) *pro cælo Empyreo.* Patribus adstipulantur Interpretes Geneseos, Delrius, Cornelius, Menochius, Gordonus, Tirinus, Bonfrecius, Celada, & ex Theologis Molina, Becanus, Præpositus, Granadus; ex Philosophis Petrus Hurtadus, Ouiedus, Franciscus Alfonsus, Nicolaus Labeus è nostra Societate Iesu omnes sequuti Alfonsum Salmeronem tom. 1. Proleg. 10. canone 7. pag. 175. vt missos faciam innumeros externos, quos ipsi allegant, & quos ipsi post se traxerunt. Itaque hi Authores non solùm volunt significari ibi Empyreum, sed ita significari, vt syderei nulla mentio fiat. Et qui id mirè illustrauit, fuit P. Molina. Et quidem *resolutio quoad significationem Empyrei ita est certa ex communi consensu Patrum, & Theologorum,* vt dicat Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. num. 15. *se non inuenire aliquem contradicentem ex his, qui cælum hoc exilisse, & creatum esse, fatentur.*

5 Ego tamen inuenio Ascanium Martinengum, qui pag. 249. Glossæ magnæ discordat à reliquis, tum quia Patrum permulti nomine cæli non intelligunt Empyreum, tum quia Geneseos Historiam exarauit Moyses in gratiam Hebræorum, qui rudes admodum erant, diuinarumque rerum ignari, nec nomine Cæli Empyreum percipere valuissent: tum quia Omissa etiam est à Moyse Angelorum creatio; qua paritate vtitur itidem Gabriel Biel in 2. dist. 12. art. & dub. 2. Et omissæ creationis tam Angelorum, quàm Empyrei videtur ratio esse, quia Moyses solummodò intendit exponere rerum visibilium productionem, vt ex S. Hieronymo confirmat Pereyra lib. 1. in Genesim num. 51. Imò possibilium, & metallorum non præscribit ortum Moyses, quia in oculos vulgi Hebræorum non incurrebant, vt Ioannes Geraldinus 5. p. de Metheoris q. 3. monet. Sed indicia hæc non sunt vrgentia. Non primum, quia vt constabit ex sect. 3. frequens satis est apud Patres interpretatio illa. Non secundum etenim Moysis narratio continet plura captum rudium Hebræorum superantia. Sit in exemplum productio aeris, & ignis, quam prætermisisse Moysem non dices, nec tam apertè tradidisse, vt ab imperitis percipi posset. Adde, à sapientibus Hebræis vt Philone, de quo in n. 82. nomine cæli illud intellectum. *Et cum populus Hebreus crederet, & speraret vitam æternam, æquum fuit,* vt optimè meditatur Petrus Hurtadus, *illis simul proponere, Leuanda molestia gratia, & terram, in qua tam multas ærumnas ab Ægyptiis patiebantur, & cælum, in quo summa fœlicitate erant eorum ærumnæ compensandæ; nec prius Deus voluit labores, quam eorundem laborum præmia indicare.* Non tertium, quia implicitè sub voce *Cæli* sunt à Moyse comprehensi Angeli, vt eruditè expendit Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 6. lege ipsum à n. 14. c. 4. Arriagam tomo 2. in 1. p. disp. 29. sect. 2. num. 12. disp. etiam 30. sect. 1. à num. 4. vsque ad 7. nihilque in hoc puncto desiderabis. In cuius coronidem gratum erit excipere Ludouici Stellæ in cap. 1. Genesis prudentissimum iudicium, *Existimo* (ait ille) *Moysem sapientibus, & insipientibus satis fecisse, explicitè quidem illa attingendo, quæ crassiori populo congruebant; implicitè verò ea comprehendendo, quæ sapientes diuino lumine illustrati aliquando, intelligerent sub eisdem verbis, in quo mirabile fuit eius ingenium.*

6 Secundam probationem peto ex variis aliis locis veteris testamenti; nimirùm Paralypomenon 2. cap. 6. v. 39. *Tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo.* Si totum Cæleste Dei habitaculum est mobile, quî ei congruet esse firmissimum? Psalmo 102. v. 19. *Dominus in cælo parauit sedem suam.* Isaiæ 66. v. 1. *Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum.* Sedes autem loci stabilitatē innuit. Paralip. 2. c. 2. v. 6. *Si cælum, & cæli cælorum capere eum nō possunt.* Posuit primò cælum sydereū, deinde Empyreum, geminatione illa ex Hebræorum more significans cælum, quod reliquis est multò excellentius, & quasi alterius rationis. Sic pulchrè explicant Molina disp. 3. de opere sex dierum ad illud Psalmi 113. v. 16. *Cælum Cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Nicolaus Lombardus in lib. 2. Esdræ cap. 9. v. 6. vbi dicitur, *Tu ipse Domine solus, tu ipse fecisti cælum, & cælum cælorum.*

7 Efformo tertiam probationem ex cap. 5. epistolæ 2. ad Corinth. v. 1. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Quid aliud, rogo, domus non manufacta, æterna in cælis, quàm Empyreum firmum, & stabile domicilium Dei, ac Beatorum conditum in principio? Subiicio illa ad Galatas verba cap. 4. v. 26. *Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra* & illa ad Hebræos 12. v. 22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.* Nam licet aliud indicent, quàm cælum mobile, non adeò sunt aperta.

8 Quartam conficio probationem ex ipsius Pauli ad tertium cælum raptu narrato in 2. ad Corinth. cap. 12. à. v. 2. sumpta exinde occasione triplex communiter discriminatur cælum; primum Aereum, secundum Sydereum, tertium Empyreum. Ad hoc se sublatum asseuerat Apostolus, vt interpretantur Cornelius, & Tirinus cum S. Damasceno, Iuliano Pomerio, Theophylacto & Haymone, quibus addo Theodoretum, & Oecumenium apud Iustinianum; nec displicet S. Thomæ 2. 2. q. 175. art. 3. ad 4. & in præcitato loco Pauli, Aluaro Pelagio de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. in 4. errore Begardorum, Petro de Alliaco in compendio contemplationis cap. 3. num. 4. S. Bernardino Senensi tomo 3. in Aduentuali de Christiana vita, sermone 9. art. & cap. 3. pag. 65. Hugoni de S. Victore q. 35. circa 2. S. Pauli ad Corinth. Hugoni de S. Charo, Petro Lonbardo, Catharino, Ioanni Arboreo, Estio. Emanueli Sà, aliisque Expositoribus ibidem, Ioanni etiam Baptistæ Villalpando explanationem Ezechielis tomo 2. parte 2. lib. 1. Isagogico cap. 6. Consulatur Noster Masurius in vita S. Pauli lib. 4. cap. 1.

9 Quare fuisset Ioanes Philoponus lib. 3. de mundi creatione cap. 1. & 14. inquiens, tertium cælum esse Aereum. Et specialiter refellitur ex Luciano in Dialogo *Philopatris*, vbi Christianis infestissimus Atheus inducit quendam à S. Paulo baptizatum dicentem sic. *Quando enim me Galileus ille conuenit :::: qui tertium vsque ad cælum per aerem ingressus est, quæque optima, & pulcherrima sunt, inde didicit.* In quibus verbis raptus S. Pauli, notus Luciano ex colloquio cum primæuis Christianis, non in aerem, sed per aerem

in aliud fuisse cælum proponitur satis expressè. S.Damasus in carmine de S.Paulo cani.

> *Mutatus postquam placuit de nomine Paulus,*
> *Mira fides rerum, subito trans athera vectus*
> *Noscere promeruit possint quid pramia vita.*
> *Conscendit clarus Martyr penetralia Christi,*
> *Tertia lux cali tenuit paradisus euntem.*

Illud *Trans athera vectus* denotat ascensum vltra aerem. Non igitur tertium cælum est tertia,& suprema aeris regio.

10 Si dicas cum Caietano, esse aqueum , seu primum mobile. Contra primò, quia veterum Patrum nullum reperies , qui in cælorum diuisione tertium ordine designarit aqueum , primumve mobile. Contra secundò , quia pari licentia posses dicere , tertium cælum , ad quod traductus est Paulus , fuisse cælum Veneris , infra quod existit cælum Mercurij , & Lunæ cælum. Posses etiam dicere , fuisse cælum Lunæ , cui inferiores sunt circuli ignis , & aeris. Præuidit S. Ambrosius falsam hanc diuisionem cælorum , dum scripsit, *Et forsàn quibusdam videatur , non magnum esse,si homo Christi raptus est vsque ad tertium calum ; cum in tertio calo dicatur Luna esse.* Audi quid subiungat, *Sed non ita est , quia vltra omnia mundana Sydera raptus intelligitur, & ideo magnificum, & mirabile est, quod narrat. Significat enim supra firmamentum in tertium numero calum de spiritualibus calu raptum semetipsum.* Contra tertiò, quia non apparet, quid primum mobile præ cæteris cælis sibi adsciscat , vt vocetur à Paulo v.4. *Paradisus , in quo audiuit arcana verba , qua non licet homini loqui.* Volupe erit audire iterùm S. Ambrosium, *Bis se raptum dicit , id est hinc vsque ad tertium calum , deinde in Paradisum calestem , in quo latroni dixit Dominus quod futurus esset cum eo. In Paradiso , inquit , Patris, illic vbi & ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra. Quid ergo mirum , si post resurrectionem corpus iam expiatum, atque tenuatum factum immortale , futurum credatur in calis , quando non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse eleuari ad calos, & tolli in paradisum Dei Patris calestem.* Hactenus S.Ambrosius. Non absimilia affert ex S. Augustino S.Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. & cap.2. Prognostici , vt adstruat cælestem paradisum , in quo beatæ animæ exutæ corporibus requiescant. Et ipse S. Iulianus cap.1. dixerat, *vnus est terrenus paradisus : : : : alter verò calestis, vbi anima beatorum statim , vt à corpore exeunt, transferuntur , atque digna felicitate latantes expectant receptionem corporum suorum. De hoc paradiso Iulianus Pomerius ait , Hinc quoque videntur anima iustorum duci , vel ire in paradisum , recedentes à corpore , quò se raptum dicit Apostolus, mente profectò , non corpore.* Hæc Iuliani Pomerij verba commendantur ab Haymone ; qui tradit, tertium cælum vocari à Pomerio spirituale , siue mentale.

11 Ad pleniorem elucidationem verborum Pauli, notandum est primò , paradisum , ad quem se raptum affirmat , non esse terrestrem , *Quis enim mentem habens , diuina sapientem , dixerit in cucumerary regione , ac securi (qua conueniunt olitoribus) in calos cursum dirigentem ad volatum, traductum esse Paulum ? Et qua neque in secundo, neque in tertio calo verba inuenit ineffabilia , ea in terreno agro aquis irrigato mysticè esse nuntiata à puro , & diuino ore Christi , & nunc super terram in hortis custodiri ea , qua sunt excelsiora omnibus supernis virtutibus , & Deo propinquiora , quàm prastantissima Cherubin ?* Ita S Anastasius Sinaita lib. 7. Anagogicarum contemplationum , ex SS.Iustino , ac Ambrosio. Et hic non solùm vbi supra , sed etiam in 1. ad Corinth. cap.6. docet , paradisum , quem inuisit Paulus , esse cælestem , indicatque S. Hilarius , dum lib. 6. de Trinitate commendat Apostolum his verbis, *In profundo maris viuens , in calo tertio homo , in paradiso ante Martyrium , in Martyrio perfecta fidei consummata libatio.* Sed tamen S.Methodius apud S. Epiphanium hæresi 64. & ipse S. Epiphanius in Ancorato , ac in epistola ad Ioannem Episcopum , item S. Cæsarius Dialogo 3. Mozes Barcepha p.1. de paradiso cap. 7. Procopius Gazæus in cap.1. Genesis v.6. volunt , esse terrestrem. Notandum est secundo cum Cornelio, & Massutio , ideo tertium cælum posteà nuncupatum ab Apostolo paradisum, quia in Empyreo vastissimo separatus est paradisus, id est, locus Beatorum,quasi pars nobilior, ac eminentior , ad quam etiam introductus est Paulus. *Ne vel in hoc inferior esset cateris Apostolis , qui corporaliter cum Domino versati sunt* , Vt cum S. Chrysostomo inquit Oecumenius. Hinc Paulum digno hoc elogio extollit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in epistola lecta à sexta Synodo Generali actione 11. & approbata actione 13. *Ille sacer , qui Dei voces audiuit , & calum ipsum habuit Magistrum , & paradisi contemplator pro tempore factus est.* Scripturæ sacræ testimonia alia pro existentia Empyrei expendam in Exercitationibus de luce , immobilitate , & incorruptibilitate illius.

SECTIO III.

Pro Empyrei existentia producitur densum agmen complurium Patrum , & Scriptorum Ecclesiasticorum.

12 ERuditissimus P. Iacobus Salianus cap.6. Apparatus ad Annales sacros & Ecclesiasticos veteris Testamenti huic curæ fæliciter desudauit, tot Patres recensens , quot nullus antea nimirùm tredecim , aut quatuordecim. Fas tamen nobis,sit ornare repertis eorundem Patrum testimoniis Spartam , quam suscepimus ; nec deerunt spicæ , quas in illorum etiam Patrum scriptis colligant nostræ posteriores curæ ; addemusque alios prætermissos à Saliano;nec putabit, nos actũ egisse , qui commiserit nostram cum Saliani Catena. Cum in referendis Patribus sequar plerumque ordinem , quem in libro aureo de scriptoribus Ecclesiasticis Eminentissimus Robertus Bellarminus.

Patres sæculi primi Christiani.

13 Sit primus Empyrei assertor S. Clemens Papa in epistola 4. ad Iulium , & Iulianum scribens, *Si enim dixit Moyses Propheta , In principio fecit Deus calum , & terram : : : : . & spiritus Dei erat super aquas. Qui spiritus Dei iussu quasi ipsa manus conditoris lucem separauit à tenebris , & post illud*

illud inuisibile cælum, istud visibile produxit; vt superiora quidem habitaculum faceret Angelis, inferiora verò hominibus lib. 1. Recognitionum ad Iacobum Fratrem Domini, *In principio, cum fecisset Deus cælum, & terram tanquam domum vnam, ipsa, quæ ex corporibus mundi reddita est vmbra his, quæ intrinsecus clausa fuerant, tenebras esse dedit. Sed cum voluntas Dei introduxisset lucem, tenebræ illæ, quæ ex vmbra corporum factæ fuerant, continuò deuoratæ sunt: tunc deinde lux in diem, tenebræ deputantur in noctem. Iam verò aqua, quæ erat intra mundum in medio primi illius cæli, terræque spatio quasi gelu concreta, & crystallo solidata, distenditur, & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media cæli, ac terræ spatia. Idque firmamentum cælum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum. Et ita totius mundi machinam, cum vna domus esset, in duas diuisit regiones. Diuisionis autem hæc fuit causa, vt superna regio Angelis habitaculum, inferior verò præberet hominibus.* Sic ibi attribuens hæc verba S. Petro Ex cuius doctrina ait similiter lib. 6. *Post illud inuisibile cælum, istud visibile produxit, vt superiora quidem habitaculum faceret Angelis, inferiora verò hominibus* lib. 2. Cum Simon Magus dixisset *solum istud, quod videmus esse cælum in vniuerso mundo*, refutatur in hunc modum à S. Petro, *Non ita, sed vnum quidem confiteri conuenit Deum, qui verè est; cælos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dixit; quorum vnum cælum sit superius, quo continetur etiam visibile firmamentum; illud esse perpetuum, & æternum cum his qui habitant ibi; istud autem visibile in consummatione sæculi resoluendum esse, & transire, vt illud cælum, quod est antiquius, excelsiusque, post Iudicium sanctis appareat, & dignis* lib. 3. idem S. Petrus inquit, *Prolixioribus indiguit mundus iste temporibus, donec animarum quæ prædestinatæ sunt, ad expletionem eius numerus impleretur. Et tunc istud quidem visibile cælum resolueretur, vt liber; illud verò, quod est superius, appareret, & animæ Beatorum corporibus suis redditæ inducentur in lucem.* Paulò post rogatus à Simone Mago, *si visibile istud cælum, vt ais, resoluetur, cur ex initio factum est?* Respondet, *Propter hominum præsentem hanc factum est vitam, vt esset interiectio quadam, & diuisio, ne quis fortè indignus habitationem cælestium, & Dei ipsius sedem videret, quæ his solis, qui mundi sunt corde videnda preparatur. Nunc autem, id est, agonis tempore, inuisibilia placuit, esse ea, quæ viuentibus ad præmium destinata sunt* lib. 3. repetit: *Duo sunt cæli, quorum vnum sit istud visibile firmamentum, quod & transiuit; aliud verò æternum, inuisibile* lib. 8. sic fatur Nicetas socius S. Petri in disputationibus, *Ego verò mundum dico à Deo factum, & ab ipso quandoque esse soluendum, vt ille appareat, qui æternus est, & ad hoc factus, vt dignos se recipiat iudicio Dei. Quod autem sit alius inuisibilis mundus, qui hunc visibilem intra semetipsum contineat, posteaquàm de visibili mundo discusserimus, tunc & ad illum veniemus.* Denique lib. 9. hæc profert S. Petrus, *Deus per filium suum creauit mundum, tanquam duplicem domum interiectu firmamenti huius, quod cælum appellatur, distinctam, & in superiori quidem Angelicas habitare virtutes, in isto autem visibili mundo nasci hominum multitudinem dedit.* Ob hæc, vt credo, persuadent sibi Nannius in Catena argentea ad cap. & v. 1. Genesis pag. 28. Zstella Dominicanus in cap. & v. 1. eiusdem Genesis, Ecclesiam ex traditione Apostolorum recepisse Empyreum. Videatur annotatio circa Recognitionum S. Clementis libros, quam appono in Exercit. 21. non enim est certum opus S. Clementis; & si sub eius nomine quædam ibi contenta citentur ab Origene. Neque quæ ibi S. Petro attribuuntur, ipsius sunt Petri, sed Authoris eorum librorum loquentis vt summùi iuxta Petri præsumptam à se mentem. Gotfridus Viterbiensis parte 1. Chronici vniuersalis vnà cum S. Clemente aduocat in patrocinium Empyrei S. Dionysium Areopagitam lib. de Hierarchia cælesti. Sed locum non inuenio.

14 S. Anacleti, qui S. Clementi in Pontificatu successit, celebre dedi testimonium num. 10. Exercitationis superioris; nihilque est causæ, ne intelligatur de cælo Empyreo. Daniel Malonius in 2. dist. 2. disp. 7. sect. 1. putat huius cæli notitiam haberi ex traditione Apostolica, quam ex S. Anacleti testimonio colligit.

Patres sæculi secundi.

15 S. Iustinus Martyr in oratione Parænetica ad Gentes, cum ex Platonico, cum ex proprio sensu inquit, *Eodem quoque modo de cælo, quod ortum est, illud quidem cælum, quod effectum est existimauit esse id, quod factum sub sensum cadit; alterum autem esse, quod intelligentia, & ratione comprehenditur. De quo Propheta ait, Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* In explicationibus quæstionum Christianis à Gentibus positarum, *In extremo sæculo, non in hoc cælo, neque in hac terra homines pro iis, quæ gesserint, præmia accipient, sed in nouo cælo, & in noua terra, vt illud indicat, cælum nouum, & terra noua, quam ego facio, manet ante me in sæcula.* Sic q. 93. & q. 57. dixerat, *Ex consequentia nominum, quæ imposita sunt, intelligimus cælos esse duos per se, & essentia; per interualla autem plures.* Scio, harum quæstionum librum integrum non haberi pro legitimo fœtu S. Augustini; est tamen valde antiquus, & maiori ex parte S. Iustino adscribitur ab optimis vetustatis exploratoribus.

16 S. Theophylus Episcopus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum contra Christianæ Religionis Calumniatores, *Primo quidem loco, vbi scriptura sacra tractat creationem seu mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili; sed aliud quoddam cælum nobis inuisibile proponit, secundùm quòd visibile hoc firmamentum vocatum est.* Trariani Assirij, qui auditor fuit S. Iustini Martyris insigne testimonium pro Empyreo reseruo in num. 6. Exercit. 10.

Patres sæculi tertij.

17 Tertullianus libro de Trinitate cap 1. inquit: *Quanquam etiam superioribus, id est, super ipsum quoque solidamentum, partibus, quæ non sunt hodie nostris contemplabiles oculis, Angelos prius instituerit, spiritales virtutes digesserit, thronos, potestatesque præfecerit, & alia multa Cælorum immensa spatia, & Sacramentorum infinita opera condiderit, vt immensus hic licet mundus penè*

penè nouissimum magis Dei corporalium rerum, appareat opus esse, quàm solum. Sic Tertullianus seu potiùs eodem viuens seculo Nouatianus, cui liber ille de Trinitate adiudicandus videtur ex censura S. Hieronymi in lib. 2. aduersus Rufinum, & in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. Inter Patres, apud quos extat Empyrei notitia, citatur Clemens Alexandrinus à Ioanne Fernandez in thesauro scripturæ verbo *cælum*, & à Valentia, tomo 1. disp. 4. quæst. 12. puncto 3. Sed in lib. 1. Stromatum, quo loci allegatur à Fernandez, nihil reperi, quod ad rem faciat. In lib. 4. multa habet de habitatione animarum in cælo, quin de Empyreo aliquid adumbret. In lib. 7. quem locum Valentia designat, nihilo magis fauet.

18 Origenes lib. 2. Periarchon cap. 3. proponit sententiam S. Clementis supra transcriptis cum enim eius anteà meminisset, ait, *Esse tamen super illam spheram, quam dicunt Stereoma, volunt aliam, quam, sicut apud nos cælum continet omnia, quæ sub cælo sunt; ita illam dicunt immensa quadam sui magnitudine, & ineffabili complexu spatia vniuersarum spherarum ambitu magnificentiore constringere; itavt omnia intra ipsam ita sint, sicut hæc terra nostra est sub cælo; quæ etiam in scripturis sanctis terra bona, & terra viuentium creditur nominari, habens suum cælum illud, quod superius: in quo cælo sanctorum nomina scribi, vel scripta esse à saluatore dicuntur; quo cælo cohibetur illa terra, atque concluditur, quam saluator in Euangelio mitibus & mansuetis promittit. Et illius namque terræ nomine, etiam hanc nostram, cui arida priùs nomen fuerat, cognominatam volunt; sicut & firmamentum hoc cælum illius cæli vocabulo nuncupatum est. Verùm de huiusce modi opinionibus in illo loco tractauimus, cum requireremus, quid esset, quod in principio fecit Deus cælum, & terram.* Approbasse autem opinionem relatam Salianus ex homilia 1. in Genesim timetur, vbi sic loquitur. *Cum iam antea Deus fecisset cælum, nunc firmamentum facit; fecit enim cælum prius de quo dicit, cælum mihi sedes est.* Sed quæ sequuntur verba, redolent sub cæli prius conditi nomine creationem Angelorum, & animarum ante mundum corporeum. Perpende verba. *Post illud autem firmamentum facit, idest, corporeum cælum, omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum. Et hoc est, quod diuidit inter aquam, quæ est super cælum, & aquam, quæ est sub cælo. Cum enim ea, quæ facturus erat Deus ex spiritu constarent, & corpore, ista de causa in principio, & ante omnia cælum dicitur factum, idest, omnis spiritualis substantia, super quam velut throno quodam, & sede Deus requiescit. Istud autem cælum, idest, firmamentum, corporeum est. Et ideo illud quidem primum cælum, quod spirituale diximus, mens nostra est, quæ & ipsa spiritus est, id est, spiritualis homo noster, qui videt, ac respicit Deum.* Huc vsque Origenes, qui etsi tolerandus esset vtcumque quoad creationem Angelorum ante mundanam creaturam, de quo in sect. 2. subsequentis Exercitationis; non tamen quoad creationem animarum nostrarum. Postremis Origenis verbis afferam aliqualem interpretationẽ in n. 3. Exercit. 14.

Patres sæculi quarti.

19 S. Athanasius oratione in Ascensionem Christi Domini, *Non enim cælum cum virtute proficiscitur Elias, nec firmamentum transiens, in illis locis, quæ ibi sunt, manet. Sed audi, quid dicat is, qui euehit; euectum Dominus Eliam in cælum vsque: & rursus dicit; statuit Eliam in altum erectum. Sufficit enim Propha figura honorari. Ante Dominum enim non recipitur seruus cælo. Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui in cælo est. Reseruabatur enim cælum humani generis primitiis propter hominum conditorem.* Sic Athanasius, apud quem loca vltra firmamentum, ad quæ non ascendit Elias, videntur alia non esse, quàm Empyrea. In Epistola ad Serapionem de sancto Spiritu, *Creatura sunt in locis distincta, veluti Sol, & Luna, reliquaque luminaria in firmamento, in cælo Angeli, homines in terra.* In quibus verbis distinguens cælum, quod est habitaculum Angelorum à firmamento, quod ornatur Sole, Luna, & Stellis, videtur indicare Empyreum, nam cæli primi mobilis rara aut nulla mentio est apud Patres antiquos.

20 Quæ coniectura si quicquam valeat, annectendus erit S. Athanasio coætaneus ipsius S. Macharius senior homilia 45. inquiens, *Duplicem mundum fabricauit Deus, vnum superiorem administratoriorum spirituum causa, quos illic conseruari constituit, alterum inferiorem sub hoc aere, hominum gratia, Creauit etiam cælum, & terram solem, Lunam &c.*

21 Acacius Episcopus Cesariensis in Palæstina & Eusebij Pamphyli successor, interpretans illa verba Genesis, *Vocauitque Deus firmamentum cælum*, ait, *Num fortè hoc secundum cælum ad prioris differentiam firmamentum appellatur? Par est enim, cælum illud primum longè tenuius, ac magis integrum esse.* Sic in Catena Aloysij Lipomani super Genesim.

22 S. Hilarius enarratione in Psal. 122. *Quia secundum corporalem inteligentiam ille nobis subest sensus, vt cælum, quod vltra firmamenti huius naturam est, Deus inhabitare existimetur, non excludimus publicam illam de sede Dei opinionem, vt ei cælum cæli thronus sit: sed illam dignam Deo habitationem in cælesti Adam suo significatam esse credentes, etiam hoc ergo cælum habitare Deus noscendus est, per eum quoque inhabitans, quos in eo constituit esse cælestes.* Aliud eiusdem Hilarij testimonium, in quo loqui de Empyreo putatur à nonnullis producam in num. 1. Exercit. 15.

23 S. Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 11. Illuminatorum, *Cælum quoque hoc non enarrauit* (nempe filij diuini generationem) *nutu enim Patris per Christum cælum tanquam fumus extensum est. Neque cæli cælorum enarrabunt; neque aquæ, quæ super cælos sunt hoc enarrauerint. Quid igitur doles te nescire, ò homo, quod & cæli ignorant, sed & vniuersa natura Angelica. Si enim posset esse, vt aliquis in primum cælum ascendens, interogauerit, quomodo Deus filium suum generauerit, Dicerent fortè, superiùs habemus maiores, quàm nos, illos interroga, Ascende in secundum cælum, & tertium, si potes, conscende, & ad Dominationes, Principatus, & potestates. Etiam si ad illos accesserit quispiam, quamuis id sit impossibile; & illi hanc enarrationem recusarent, neque enim eam norunt.* Hactenus Hierosolymitanus Antistes, qui discriminans cælum extensum tanquam fumum à cælis cælorum, & ab aquis supercælestibus, innuere videtur Empyreum. Exhibet nobis idem indicium in catechesi 15. vt notabo Exercit. 23.

Diodorus

24 Diodorus Tarsensis in Lipomani Catena; *Post inuisibiles, ac intellectu praditas substantias Deus calum statim vna cum terra fabricatus est. Non illud, quod adspectabile est, sed quod super omnes calos; quod Dauid calum cali nuncupare solet.* Idem Diodorus apud Photij Bibliothecam codice 223. *duos creatos dicit calos vnum quidem adspectabile isto superius, quod vna cum terra substiterit, alterum vero hoc, quod videmus. Horum ergo duorum alterum tecti quasi locum tenere alterum terra quidem tecti vicem similiter prebere, sed altiori illi calo soli instar esse, ac fundamenti.*

25 S. Basilius agnouit Empyreum, vt docet S. Thomas 1. p. 66. art. 3. in corp. qui id deducit ex verbis S. Basilij homilia 2. in Exameron. Verum P. Molina disp. 3. de opere sex dierum *v. sunt qui,* animaduertit, S. Basilium, licet de loco inuisibili Angelorum loquatur, non tamen de cælo Empyreo. *Illum enim Angelorum locum ante mundum corporeum fuisse conditum, est arbitratus, de eoque affirmat, nullam mentionem fecisse Moysem Homilia etiam tertia sequenti ait, duos alios esse calos corporeos, alterum, quod in principio vna cum terra fuit conditum, & alterum firmamentum, in quo sunt astra, quod ex aquà asserit conditum secunda die.* Sic Molina, cui tacitè occurrit Salianus in scholiis ad cap. 6. inquiens, S. Basilium, *comprehendisse animo, ac significasse verbis calum Empyreum, quamuis eas voces, nondum notas non vsurparit; de eius autem antiquitate aliquid prater aliorum sententiam non sine dubitatione tradidisse, cum dicat Arbitramur sanè, si quid erat ante mundi sensilis, atque corruptius constitutionem, id in lumine nimirum fuisse* Addo S. Basilium, cum in homilia 3. ait, *Nos contra de duobus* (cœlis) *tantum abest, vt quicquam addubitemus, vt & tertium inquiramus, cuius contemplatione dignus est habitus admirabilis Paulus,* intendisse fortè animum in cælum Empyreum, seu in locum Lucidum Angelorum, de quo pertractarat in homilia 1. & 2. Si roges quodnam est primum illud cælum in principio conditum, & distinctum à firmamento iuxta S. Basilium in his verbis homiliæ 3. *Nos autem dicimus, cum nomen diuersum, officiumque peculiare secundi cali traditum sit, aliud hoc prater id esse, quod in principio est effectum, solidioris sanè natura, pracipuumque quoque officium vniuerso subministrans?* Respondeo S. Basilij mentem non esse mihi benè perspectam. De S. Eustathio Antiocheno, qui vitam agebat hoc sæculo, & cui attribuitur commentarium super Exameron, illudque ferè per omnia conueniens cum S. Basilij commentario, dicam in sæculo 6. occasione alterius Eustathij interpretantis latino sermone S. Basilium.

26 S. Gregorius Nazianzenus Carmine 4. de mundo canit.

> *Iam duo sunt mundi; quorum est antiquior alter,*
> *Calum aliud, sedesque hominum tranquilla piorum,*
> *Conspicuus solis animis, atque vndique clarus?*
> *Ad quem cum cum mentem, carnem quoque sordibus atris*
> *Eluerint, virtusque illos aquarit honori*
> *Calicolûm humanis aditus, sedesque patebit.*
> *Alter at est fluxus fluxis tum denique mundus*
> *Conditus, omnipotens cum iam proferre pararet*
> *Et solem, Lunamque, & catera sydera cali.*
> *Atque hic mole sua nobis, miroque decore*
> *Pradicat aterni nomen, laudesque parentis;*
> *Estque homini, quem nobilitat caelestis imago*
> *Primus, & extremus, tanquam sua Regia, mundus.*

27 S. Cæsarius Frater S. Gregorij in dialogo 1. 10. rogatus, *quare non die primo, abysso adhuc obtinente calestia, nondumque congregata aqua ad congregationem vnam, fecit Deus solem, & Lunam, & stellas;* Respondet, *eo quòd nondum erat firmamentum, in quo luminaria erant reponenda. In principio enim, inquit, fecit Deus calum, & terram, non id, quod cernitur, sed supra id, quod cernitur, constitutum.* Rogatus continuò, *Num & multitudinem dicis calorum esse supra firmamentum?* Respondet, *Numerum quidem nullus sanctorum vnquam pronuntiauit, excepto eximio Apostolo, qui ad tertium se peruenisse clamat. Non autem in eo numerum ipsorum collocat; Nam quod dicit, se raptum in tertium calum vsque, per articulum, vsque, subinnuit, etiam alios supra tres constitutos esse. Et Dauid Diuinorum Author carminum, laudate Dominum ex calis, inquit; & socij Annania Diuini, Benedicite, inquiunt, cali Domini Dominum. Vtrique numerum per spiritum subticentes. Quid enim nos iuuabit summum, & numero superius scire calum? Cum ne quidem id, quod est ante, & super capita nostra conscendere mente velimus, materia crassa grauati, & adfectibus id, quod mente percipi potest, obscurantes, inferioribus, & humi positis semper inhiantes.* In priori responsione fauet S. Cæsarius Empyreo, vt & in aliis eiusdem dialogi verbis, in quibus notat, *calum primum non, esse illud quod cernimus, sed supra positum, de quo Dauid canit, calum cali Domino.* In posteriori responsione non contradicit Empyreo, quatenus hoc sit supremum, & tertium cælum post aereum, & sydereum nam alij vlteriores cæli quos non renuit, erunt quasi partes supremi tertiique cæli, vt obseruabo infra, proquorundam Patrum intelligentia. Iacobus Bilius suposititium putat Dialogorum opus, quod citauimus? non ita alij; etsi fateantur Dialogis illis adiecta aliqua, quæ S. Gregorij non sint.

S. Cæsario associo Eliam Cretensem Scholiatorem S. Gregorij Nazianzeni, *Solet scriptura* (ait Elias notatione in orationem de Ægiptiorum aduentu, quæst. 24.) *aerem quoque calum vocare::: En vnum calum. Vocat item eodem modo firmamentum, vocauit enim, inquit, firmamentum calum. En secundum calum. Ad hac etiam illud, quod in principio simul cum terra creatum est, in quod scilicet Paulus quoque raptus fuisse dicitur, quod quidem tertium est post aerem, & firmamentum.*

28 S. Epiphanius hæresi 74 *vt summatim dicam, illi hymnis celebrant sanctitatem in calis calorum, ac reliquis inuisibilibus locis; hi verò celebrantur, & dona pro merito dignis exhibent. Cali calorum & inuisibilia loca* videntur esse Empyrea. In lib. de ponderibus, & mensuris, *Prima die fecit superiores calos, secunda verò firmamentum in medio aquarum.* Rursus de S. Epiphanio in sæculo nono.

S. Ambrosius

30 S. Ambrosius allegatur à Ioanne Bachonio in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. pro Empyreo, *dicit Ambrosius* (ita Bachonius) & ponitur in Glossa *super 2. ad Corinth. 12. scio hominem raptum ad tertium cælum: est tertium cælum spirituale, vbi Angeli, & sanctæ animæ Dei contemplatione fruuntur ad quod cum dicit Paulus se esse raptum, significat, quod Deus ostendit ei vitam, in qua videndus est in æternum.* Natiua Ambrosij (si eius sint Commentaria illa in Epistolas Pauli) dedi verba num. 10. securius testimonium desumitur ex lib. 1. cap. 2. & 3. in Exameron, vbi omnino adhæret S. Basilio.

31 S. Philastrius Brixiensis Episcopus in hæresi 46. ex iis, quæ sub Apostolis extiterunt, *de cælorum diuersitate, est hæresis, quæ ambigit. Scriptura enim in primo die cælum, & terram facta declarat duo hæc elementa; secundo firmamentum aque factũ, & nihilominus ipsum firmamentum cælum appellatum fuisse testatur. Dauid autem dicit de cælis ita, laudate Dominum cæli cælorum & aquæ, quæ super cælos sunt. Siue ergo sex cælos secundum Dauid, & septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat; nam Salomon tres cælos dicit, ita, cælum & cælum cæli. Paulus æquè Apostolus vsque ad tertium cælum se raptum fatetur. Siue ergo septem quis acceperit, vt Dauid, siue tres, siue duos, non errat, quia & Dominus, ait, Pater? qui in cælis est. Nam & Pagani vnum cælum, & cælos profitentur interdum, Dauid ergo quod plenum est docuit; Salomon autem, quod ex parte est. Et B. Apostolus æquè. Liber autem Genesis duos cælos nobis nuntiauit.* In verbis primis, & postremis indicatur aliquatenus cælum Empyreum, vt porè quod sit conditum prima die, & diuersum firmamento.

32 Nec obstat, Philastrium admittere septem cælos: Potest namque dici, aliquas partes cæli siue, aerei, siue syderei, siue Empyrei considerari ab ipso quasi diuisas in distinctos cælos. Et forsan in hoc sensu S. Iustinus q. 57. ad orthodoxos scripsit agens de numero cælorum, *Moses quidem cælos dixit, numero autem nec vnum, neque duos, neque plures tradidit. Consueuit porro diuina scriptura interstitia partium superiorum cælos nominare, veluti volatilia cæli, & aquila de cælo, & stella cæli. Ex dictis ergo hisce, quæ posita sunt, consequens est, vt intelligamus cælos substantia quidem duos, interstitiis autem plures.* En concedit duos tantùm cælos totales, sed in varia spatia distinctos, quæ spatia interdum cælum vocantur in sacris litteris. Vbi nota, duos illos cælos totales videri esse Empyreum, & Sydereum; nisi magis placeat, alterum esse sydereum; alterum aereum Sed quando de cælorum numero incidit sermo, prætereunda non sunt verba illa quæ ex Sophonia Propheta leguntur apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum, *Et assumpsit me spiritus, & sustulit in quintum cælum, & contemplabar Angelos, qui Domini vocabantur.* In vulgatis Prophetæ requiruntur ea verba. Idem Clemens lib. 4 affirmat, quosdam enumerare septem cælos. Ipso tamen iudice in lib. 5. *Rectius fuerit, vnum dicere cælum, siquidem effectum est ad exemplar. Dei, qui vnus est.*

33 S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilij Magni lib. in Exameron, cum proposuisset dubitationem aliquorum circa mentem S. Basilij *Duorum quidque cælorum procreationem non capientes, cum de tertio cælo mentionem faciat Apostolus, dubitationem in hac parte manere contendunt. Etenim cum in principio factum sit vnum cælum, posteà verò firmamentum; nec illi numero cælum aliud adscriptum sit, tertium cælum præter hos duos negant posse demonstrari; cum neque post firmamentum aliud effectum sit cælum, neque principij ratio patiatur, vt quidquam antiquius cogitemus. Nam si in principio factum est cælum inde nimirum res procreata sumpserunt initium. alioquin rectè principium non fuisset appellatum, si principium ipsius alterum extitisset. Quod enim ordine secundum est principium nec est, nec dicitur: Attamen Paulus tertiũ cælum commemorat, quod mundi fabrica non habet, quemadmodum & hic secundi mentio quæritur.* In fine libri sic satisfacit, *siquis autẽ à nobis & tertij cæli rationem petat quod Moses non scripsit, sed Paulus vidit, & in ipso tanquam in adytis sapientiæ consistens arcana audiuit, ab illis, quæ exposita sunt, tertium illud cælum non abesse respondebimus. Videtur enim mihi magnus etiam Apostolus vincens omnes superiores totius naturæ, quæ sensu percipitur, terminos transcendisse, ad eamque ingressum esse, quæ animo: menteque comprehenditur, cum spectaculum illud minimè corporeum fuerit, vt ipsemet significat, siue in corpore, inquiens, nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum eiusmodi hominem vsque ad tertium cælum. Summum igitur illud culmen huiusce mundi, quem dicimus, arbitror à Paulo tertium cælum appellari. Triplici terenim diuidit omne, quod cernitur, & ex scripturæ consuetudine singulas partes cælum vocat. Abutens enim quodammodò significatione verborum, spatium illud crassioris aeris, quo nubes, & venti, & excelsi volucrum volatus peruenerunt, cælum vnum nominat, cum & cæli nubes dicit, & volucres cæli. Nec simpliciter cælum hæc vocat, sed adiungit etiam illas voces sub firmamento. Dicit enim, Producant aquæ reptilia animantium viuentium, & volatilia volantia super terram sub firmamento cæli. Deinde alterum cælum, & firmamentum appellat spatium illud, quod in erranti sphæra inclusum consideratur, in quo stellæ, quas errantes nominant, peruagantur. Sic ait; fecit Deus luminaria magna, & posuit ea in firmamento cæli, vt lucerent super terram. Cuinis distinctũ orbis ornatũ vt cuique consideranti perspicuum est, hæc infra supremum illud fastigium contigisse, quod omnia sensibus obnoxia complectens, eaque seiungens à rebus illis procreatis, quæ mente solùm, & intelligentia comprehenduntur, firmamentum, & cælum appellat. Ea igitur, quæ verbis explicari non possunt, cupiens Apostolus, & quemadmodum nos item hortatur, nihil eorum spectans, quæ cerni queunt, cum ea quæ videntur, temporaria sint, quæ autem non videntur, æterna, diuina virtute sublatus peruenit eò, quò desiderio ferebatur, cumque sacras litteras à pueritia didicisset, verbis scripturæ vsitatis rem ipsam expressit, tertium cælum appellans harum trium sectionum, quæ in mundo videntur, extremam. Relicto enim, aere, superatoque medio illo spatio, in quo errantium stellarum orbes versantur summum ætheriorum finium ambitum transcendit, & ad firmam illam, quæ sola mente percipitur, naturam perueniens, paradisi vidit pulchritudinem, & audiuit ea, quæ humana natura non loquitur.* Hactenus S. Gregorius Nyssenus designans quasi digito Empyreum cælum. Transcribam eiusdem S. Patris alia verba in num. 3. Exercit 14. sed quæ non adeò apertè illud indicant.

34 S. Hieronymus non obscurè fauet lib. 6. in Isaiam

Isaiam super cap. 14. v. 13. inquiens, *vel antequam de cælo corrueret* (Lucifer) *ista dicebat* (nimirùm *Ascendam in cælum*) *vel postquam de cælo corruit? Si adhuc in cælo positus, quomodò dicit, Ascendam in cælum? Sed quia legimus cælum cæli Domino, cum esset in cælo, idest, in firmamento, in cælum vbi solium Domini est, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de cælo corruit, loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quòd nec præcipitatus quiescit, sed adhuc sibi grandia repromittat, non vt inter astra, sed super astra Dei sit.* Nullum est fundamentum, quo minùs cælum diuersum à firmamento, & vbi solium Domini est, accipiatur litteraliter, & propriè in verbis Doctoris Maximi. Gratis namque supponitur, hunc sentire, Angelos conditos fuisse in supremo corpore cælesti, aut in eo extitisse ante adeptam beatitudinem supernaturalem visionis Dei. Idem S. Doctor in epistola ad Occeanum ait, *Inter cælum, & terram medium extruitur firmamentum; & iuxta Hebraici sermonis etymologiam cælum, idest, Schamaijn, ex aquis sentitur vocabulum, & aquæ, quæ super cælos sunt in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta crystallum super Cherubim videtur extensum, idest, compacta, & densiores aquæ.* En distinguit cælum quoddam ab aquis supercælestibus, & à firmamento, seu cælo sydereo; nisi mavis cum Pereyra lib. 1. in Genesim num. 88. per firmamentum in Hieronymo intelligere cælum aereum.

35 Seuerianus Episcopus Gabalensis in catena Lypomani ad illa verba Genesis, *Vocauitque Deus firmamentum cælum,* scribit, *cælum ergo hoc, non illud supremum, sed quod ad spectabile est, ex aquis effecit Deus, & vt crystallum fixit.*

Patres sæculi quinti.

36 S. Augustinus, teste Hugone de sancto Charo in cap. 1. Genesis, existimat lib. 12. Confessionum creatum cum Angelis prima die Empyreum. Sumpsit forsan occasionem Hugo ex verbis his in cap. 2. *Sed vbi est cælum cæli Domino? ::. vbi est cælum, quod non cernimus, cui terra est hoc omne, quod cernimus? Hoc enim totum corporeum, non vbique totum, ita capit, speciem pulchram in nouissimis, cui fundus est terra nostra; sed ad illud cælum cæli, etiam terra nostra cælum, terra est. Et hoc vtrumque magnum corpus non absurdè terra est ad illud, nescio quale, cælum, quod Domino est, non filijs hominum.* Rursus ex his in cap. 8. *Quod firmamentum vocasti* (alloquitur Deum) *cælum, sed cælum, terra huius, & maris, quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ, quam fecisti ante omnem diem. Iam enim feceras & cælum ante omnem diem; sed cælum cæli huius, quia in principio feceras cælum, & terram.* Cæterùm in prioribus verbis loquitur S. Augustinus de cælo Deitatis, & in posterioribus de substantiis Angelicis, quas cæli nomine appellat tum ibi, tum in cap. 9. sequenti, putans, significatas per cælum in principio creatum. S. Iulianus Archiepiscopus Toletanus lib. & cap. 2. Prognostici hæc habet, *legimus in B. Augustino cum verba illa Apostoli enucleatissimè definiret, quibus se idem Apostolus in tertium cælum raptum fuisse commemorat, quòd in tertio cælo sit paradisus, in quo fuerit Apostolus raptus, & vbi Beatorum animæ beantur exutæ corporibus, definiens idem Doctor primum cælum esse corporeum, secundum spirituale, tertium mentale in quod mentis ascenditur contemplatione; ita asserens si primum cælum rectè accipimus hoc omne corporeum quicquid est super aquas, & terram: secundum autem in similitudine corporali, quod ipsum cernitur, sicut illud, vnde animalibus plenus in cesthasi Petro discus ille submissus est: tertium verò, quod mēte conspicitur, ita secreta, & remota, & omnino abrepta à sensibus carnis, atque mundata, vt ea, quæ in illo cælo sunt, & ipsam Dei substantiam, verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in charitate sancti Spiritus ineffabiliter valeat videre, & audire, non incongruenter arbitramur, & illuc esse Apostolum raptum, & ibi paradisum fortassis esse omnibus meliorem, etsi dici oportet paradisum paradisorum.* Extant hæc S. Augustini verba in lib. 12. de Genesi ad litteram c. 35. & tam hæc, quàm illa alia S. Iuliani fauorabilia sunt quadātenus Empyreo, licet S. Augustinus per totum eum librum tam copiosus sit in afferendis variis expositionibus tertij cæli, ad quod raptus est Paulus, vt firmam aliquam, & ratam vix elicere valeamus. In lib. 1. de sermone Domini in monte secundùm Matth. explicans S. Doctor ea Christi verba, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* inquit, *illam credo terram, de qua in Psalmo dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viuentium, significat enim quandam soliditatem, & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; & inde cibo alitur, sicut corpus ex terra. Ipsa est requies, & vita Sanctorum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus. Beati autem mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram de qua pelli non possunt.* Inferunt ex his verbis Augustinus Tornellus in primordiis mundi pag. 22. Andreas Duuallius in tract. de quatuor Nouissimis q. 6. art. 2. vt sicut terra, quam nos habitamus, est immota, ita iuxta S. August. terra quam incolunt Beati, sit cælum stabile, ac fixum. Sed certè comparationem hanc non exprimit S. Aug. Cuius egregium pro Empyreo testimonium inuentū in soliloquiorum libro, si liber iste suppositus non sit, dedi iam in n. 10. Exerc. præcedentis. Et aliud ex libro de Quantitate Animæ c. 34. sedem habebit in n. 15. Exerc. 6.

37 Sedulius in collectaneo Epistolæ ad Romanos super ea, *Spes, quæ videtur, non est spes,* ait, *Nihil est ergo prorsus sperandum in futuro de iis, quæ videntur. Oculus enim non vidit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt eum. Videt autem oculus cælum, & terram. Non ergo oportet hoc, quod videtur, credi præparatum esse à Deo iis, qui diligunt illum; sed cælum quidem, imò cælos multò eminentiores, & celsiores, quàm est istud firmamentum, quod videri potest.*

38 Theodoretus q. 11. in Genesim, *Cum scriptura diuina, doceat, in principio Deum creasse cælum, & terram, deinde post lucis creationem secunda diè dicat, firmamentū factum esse, imperitia plena videtur esse huiusmodi quæstio, nimirùm, est ne vnū cælum, an duo? Oportebat enim ex temporis ratione, & ipso creationis modo cælorum diuersitatem nosse, vt vnum luce prius; alterum vero post lucem; est illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autē ex aquis creatum esse. Nam inquit, fiat firmamentum in medio aquæ quod per medium separet aquas ab aquis. Sic enim ab ipsa re cæli partiti sunt appellationem. Siquidem cum ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida condensata, & solidata fuerit, firmamentū nominatū est:* deinde

deinde quia sursum collocatum est, prioris cæli vsum commodo nostro perficiens cæli nomen sortitum est. Paulò post. *Quemadmodùm cælum istud nobis est pro tegmine, terra autem pro pauimētò, ita cælum, quod videmus, pro tegmine supra positum cælum habet.* Repetit eadem in c. 9. epist. ad hæbreos, & in cap. 12. epist. 2. ad Corint. Quorum occasione appono hic alia Origenis lib. 15. in Leuiticū. *Quod autem dicit Domum in ciuitate murata, rectè, vt arbitror, domus, quæ in cælo esse dicitur, in ciuitate murata intelligitur. Murus est enim huiuscemodi domibus ipsum cæli firmamentum. Sed talem domum rari quique habere possunt, illi fortasse, qui super terram ambulantes conuersationem habent in cælis, & de quibus dicit Apostolus, Dei ædificatio estis.*

39 Reuertor ad Theodoretum ibidem dicentem, *Qui igitur non credit, secundum esse cælum, semitam rectā transgreditur, qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis, postposita diuini spiritus doctrina.* Nihilominus iuxta S. Augustinū lib. 2. de peccato originali contra Pelagium, & Cælestinū c. 23. quæstio, *quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat*, Apostolus, vna ex illis est, *in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur, quid verū sit, & sententia definitiua supenditur, aut aliter, quam est, humana, & infirma suspicione conijcitur.* Non itaque debuisset Theodoretus tam rigida censura eos ferire, qui cælum sydereum disfecant in plures sphæras contiguas, & cuilibet nomen cæli attribuunt. Theodoretus adhæsit S. Ioanni Chrisostomo tum in Psal. 148. v. 4. tū in Genesim homil. 4. vbi magnus hic Ecclesiæ Doctor scribit, *Et vocauit Deus firmamentum cælum hoc, quod videtur. Et quomodo volunt aliqui falsos multos cælos? Non ex scriptura diuina hoc didicerunt, sed ex suis opinionibus, vt ita dicam impelluntur::::. Quis igitur post tantam doctrinam feret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinam scripturam multos cælos dicere audent.* Sunt, qui velint, S. Chrysostom. loquutū contra hæreticos quosdam, ac Philosoph. machinantes sydereos alios cælos, & mundos extra hunc totum sydereum globum. Sic cum S. Thoma 1. p. q. 68. art. 4. Sixtus Senēsis lib. 5 Bibliothecæ sācæ annotatione 9. Cōnimbricenses l. 2. de cælo c. 5. q. 1. a 4. Hanc tamen interpretationem stricti iuris non esse, contēdit Petrus Hurtadus disp. 2. de cælo sect. 1. §. 13. & 14. Nicolausque Lausinus lib. 16. de eloquentia sacra, & humana cap. 35. ait, Chrysost. sententiam sine vllo interpretationum flexu nudè acceptā de vno cælo liquido defensari nunc à multis doctissimis viris. Consequenter ad suam sentētiam tradit alibi S. Chrysostomus, sydereum cælū perstare immotum, astris tātùm in eo motis, de quo in n. 3. Exercitationis 11. Aduertendum est, dum S. Chrysostomus adstruit vnicum cælum, non ideo negare Empyreum, habet namq; sermonem de solo hoc cælo, quod videtur; quodque in sacris litteris vocatur firmamentum: liquet id ex verbis exaratis, & exinde præthereà, quòd in homiliis præcedentibus pertractarat de creatione primi cæli.

40 S. Eucherius Episcopus Lugdunensis in v. i. c. 2. Genes. *Igitur perfecti sunt cæli* addit, *Benè pluraliter cælos posuit, siue illud cælum spiritale, quod non videmus, per quod Angeli significati sunt, siue hoc corporeum, quod videmus, quod firmamentum est vocatum. Et omnis ornatus eorum. Ornatus spiritalis cæli Angeli sunt, & Principatus; huius Corporei cæli ornatus sydera, sol, & luna.* Dum ait, per *cælum spiritale significatos esse Angelos*, non facit indistinctos hos ab illo. Vt quid enim posteà subiunxisset, *Ornatus spiritualis cæli Angeli sunt*; sed denotat per cælum, vti continens, significatos esse Angelos, vti contentos. In eo indulsi vulgari placito adscribēs commentaria hæc in Genes. S. Eucherio seniori Episcop. Lugdun. cū alterius sint authoris, vt obseruāt Bellarm. Rosuueydus in notis ad S. Paul. ep. 2. Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium p. 270. Andreas Schotus in editione operum S. Eucherij, Ioann. Scuaro in notis ad lib. 4 epist. 3. S. Sidonij, Albert Miræus in Auctario de scriptoribus Ecclesiasticis c. 89. Maximilianus Sandeus in Theologia Symbolica l. 6. cōmentatione v. p. 609.

41 S. Claudianus Mamercus lib. 2. de statu animæ c. 12. *In principio, inquit principium Genes. creauit Deus cælum, & terram. Si opinionibus missis veri fidē quæramus, ecce tibi creaturarum testem ipsum creationis authorem, qui cum ante omne tempus creauerit cælum, & terram postque die vno fecerit lucem, & firmamentum, secundo eidem die condiderit, idque cælū abusiuo nomine vocitauerit, cui ratis interuallorum limitibus, loco, vel modo variantium porrò sy derū ornamenta subtexuit. Animaduerti promptum est, hoc visibile firmamentum tanto interuallo substantiæ cælo inuisibili cedere, quāto idem terra imis locorum intercapedine præeminere. Quocirca alieno, ac translatitio nomine firmamentū istud cælum dici potest. Cum verè esse cælum illi creato ante tempora cælo sit proprium. Enim verò istud stelligerū, quod cælum dic muś, tamē scripturā Geneseos cæli dicitur firmamentum; quippe vbi luminarium creationē retexit fecit, inquit, Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cæli; qua videlicet Authoritate verum illud vnum ante temporaneum cælum credere finimus, quicquam istud, de quo agimus firmamentum, cælum dicere non inhibeamur, eo videlicet, quia Deus firmamentum vocauerit cælu.* Alia posteà interserit, quę de cælo incorporeo, intellectualique, & Angelico veniunt intelligenda cautè legenti.

42 S. Prosper expositione in Psal. 113. ad illud, *Deus autem noster in cælo sursum, & super terram, omnia, quæ voluit, fecit*, ait; *Non in cælo, vbi solem, & lunam vident, qui creaturam colunt, sed in cælo sursum, quod transgreditur omnia corpora cælestia, & terrestria, quanquam neque in ipso ita sit, vt sine ipso esse non possit; quoniam in quibus est ipse, ea tanquam indigentia continet.*

43 Gennadius Constantinopolitanus adductus à Francisco Zephyro in catena Græca V. V. P. P. super Pentatheucum fol. 19. *Ex aquis iam creatis fieri firmamentum iussit simile cælo, quod prius condiderat, admonens, se tam cæli, quàm aquarum creatorem esse; illius quidem, vt qui fecisset alterum eiusdem naturæ, hominem verò quòd ex eis faceret suo iure quodcunq; velit.* Et post interposita alia, *Exacta omnibus in rebus patet prouidentia Dei, non tam ex hac aquarum sapienti distributione, quā quod a principio nostrā in Christo salutem præfiniuit duos quasi status mortalibus iamdudum describens suis vtrique sedibus attributis. Quandiu enim inconstantes fuerunt, ac perturbationibus addicti, atque idcirco sub lege, terrestre hoc domiciliū illis dono dedit, simul verò ad perfectā, ac sine crimine vitam Christi gratiæ conuerterunt, cælos reserauit, quò nos præuertens Iesus ingressus est.* Sic Gennadius, qui alius est ab Scholario Gēnadio Antistite etiā Constātinop. & viuere desit. an. 471.

44 Saluianus lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam, *cogitantes quoque inter hæc horrenda, & pænalissima, alia hic præclara, ac beatissima, nouos cælos scilicet, & nouam terram, vultum rerum omnium pulchriorem, æternum iustitiæ habitaculum, recens ædificium creaturarum, aureas super cælos sanctorum omnium Domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas*

litas,& immortalium metallorum fulgore pretiosas, lumen illic septuplo illustrius,puniceo semper splendore radians,beatitudinem ineffabilem bonis diuitem,latā cum incolis suis perennitatem, Patriarcharum consortium,Prophetarum societatem , Apostolorum germanitatem,Martyrum dignitatem , & in omnibus sāctis Angelorum similitudinem, opum cælestium copiam,delitiarum immortalium affluentiam , communem cum Deo vitam.

46 In n.47.Exercit.23. dafferā Æneæ Gazæi quædam verba non incongrua;& Iulian.Pomerij Presbyteri alia attuli in n.10.huius Exercitationis vestigiis eius Iuliani insistit S.Iulianus Archiepiscopus Toletanus,vt videre est in illo numero, & in 36.Donatus fuit,referēte Marco Maximo in Chronico primus Iulianus circa annum Domini 540. vel aliquantum anteà nam circa annum 490 agebat vitam magna cum nominis claritate vt colligitur ex Gennadio c.98.de scriptoribus Ecclesiasticis ex Cypriano in vita S.Cæsarij Arelatensis,S. Ennodio l.2.epist.6.Ruricio Lemouicensi Episcopo l.1.epist.7.l.2.epist.9.secundus autem obiit anno 690.eiusque corpus colitur nūc Oueti magna religione.Vterque scripsit tres libros Prognosticā, vt narratur lectione 6.officis Ecclesiarum Toler.& Ouetensis die 8.Martij.Vnde ægrè fero deceptionis argui è Posseuino S.Isidorum Hispalensē cum in lib.de viris illustribus cap.12. prodit memoriæ Iulianum Pomerium Presbiterum *scripisse tres libros de futura vita contemplatione, vel actinali cōuersatione,nec non etiam devitiis, ac virtutibus.* Liceat id obiter insinuasse ingratiam S.Isidori:quem primas edoctum in litteras à Dauide Archiepis. Hispal. in vico Vacæorum Pintaicensi, nunc ciuitate vallisoletana, narrat Marcus Maximus in Chronico; nosque detanto alumno gratulamur patriæ nostræ.

Patres sæculi sexti.

47 Boëthij seuerini præclara quædam verba recitaui in n.10.Exercit.1.quin ex contextu diiudicare possim,ipsum non loqui denostro cælo. Idē Boethius c 3.de disciplina scholariū proponit ex nescio quo hanc discussionem,*An Iudaicæ trinæ diuisioni calorum,an Aristotelis simplici ac quiescendum sit partitioni?*S.Thomas,aut quis est Author antiquus, qui eum librum commentariis illustrauit, edocet,comprehēdi sub trina illa diuisione cælos Empyreum,sydereum, & Aereum. Commentator ille in editione apud venetias per Ioann.& Greg. de Forliuio fratres anno 1491. die 27 Martij dicitur esse S.Thomas,sed nullus ex iis, qui calculum reducunt Angelici Doctoris opera,recensuit cōmentarium in præfatum Boethij librum. Sixtus senēsis lib.4.Bibliothecæ sanctæ attribuit Thomæ Angelico interpretationem ad libros Boethij de consolatione Philosop.erit forsam eiusdem Thomæ Angelici expositio ad librum de disciplina scholarium.Et vt de Authore,sicut etiam de Interpretē nihil certum superest, Birald.in Dialog.4.de Hist.Poetarum,nō Boetium,sed Martianū capellā agnoscit Authorē:dequo Martiano agā in sect.5.

S. Anastasius sinaita l.2. Anagogicarum contemplationum in Exameron,*Duorum calorum tantum fabricationē didicimus ex sacra scriptura in typum,ac figuram duorum velorum templi, qua significant duas naturas Iesu, & duorū populorum, & duarum Ecclesiarum superna,inquam Hierusalem , & nostra Fidelium.Quod enim superiori calo Deus est ad lumen,hoc calo inferiori est sol,& firmamēto Ecclesia Euangelium,& quod sunt sancti Angeli in calo,quod non cadit sub aspectum,hoc sunt & in firmamento stella,& in Ecclesia sancti. Si autem in hymnis Dauidicis audias etiam calos calorum, hoc est proprietas lingua Hebraica,qua singulare sape nominat in plurali.Quando autem,audis,Paulum raptum ad tertiū, primum calum existima esse aerem , congruenter ei, quod dicitur,Noui omnes volucres cali,hoc est , aeris deinde secundum calum stellarum , & tertium supremum calum Angelorum.Et enim in exteriori parte templi stabat magna multitudo Israelis;in interiorem autem solum ingrediebātur sacerdotes;in eam autem qua est intra secundum velum,solum Pontifex.Quomodo etiam in calis inuenies,in exteriori quidem calo, & quod est apud nos,in firmamento,inquam , aereo, volucrum genera simul versari.qua significant gregalem Israelis multitudinem;intra firmamentum autē, quod apparet,& ingredi,& degere,& seruire,ac colere intelligentes potestates , & fortè etiam iustorum animas:supra secundum calum (quodnam sit autem non intelligo) hoc est,secundum velū,nemo est ingressus,nisi solus Pontifex Christus,qui est Pontifex secundum ordinem Melchisedech.Superius autem celū existimo esse sinus Paternos.*En supra cælum stellarum adstruit Anastasius alterum Angelorum , & hominum domicilium ; alterum seruatoris aulam, innuens Empyrei varias mansiones. Postremò cogitat cælum Triados.Rursus idē Anastasius lib.7. ait, *Duos fecit calos,alterum quidem superius , quod habet essentiam apud homines non ad spectabilem, planèque inenarrabilem, & inexplicabilem:secundū autem calum è terra sustulit, & ipsum posuit ad spectabile,& ipsum appellauit firmamentum:::: Est autē horum quoque duorum calorum intermedia aqua viua::::calum,quod videtur , & calum, quod est supra aquam,quod non videtur,habent inseparabilem , & indiuiduam essentiam.*

48 Procopius Gazæus in cap.1.Genesis,*si quis dicat,Deum respexisse futuram rerum creationem , siue innouationem , hudquaquam hallucinabiliter Decreuerat & enim Deus duo condere opificia pulcherrima alterum quidem mutationi,& corruptioni obnoxium, quod tamen neutiquam spiritales substantias perimere posset,& illud opus est,quod oculis nostris subiectū adspicimus, alterum verò liberum, & vacuum voluit esse à præsentis sæculi malorum labe ; quod quidem auspicatus est Christus humanam indutus naturam: in hoc præclarum ingrediemur opificium,vel ædificiū post secundum Dei gloriosum aduentum. Verùm præsenti calo,de hic Moses agit , congruit locus , in quo nunc degimus,interiacens medius inter calum,teramque , atque in altero,vt pote diuiniore , viuemus im mortalitatem consequuti:& in hoc nunc Christus incarnatus domicilium habet:Sicuti docuit B. Paulus, vt validam consolationem haberemus,qui hūc confugimus, vt passamur proposita spe quam velut ancorā tenemus anima cum firmamtum tutam, & introeuntē vsquead ea,qua sunt intra velum,vbi præcursor pro nobis ingressus est Iesus iuxta ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Interius tabernaculum dicit locum , qui supra calum,vel firmamentum frequentatur.Pontificem summum,vel primum nominat Christum,quod hic primus in hoc ascenderit , & primus nobis istam habitationem aperuerit.Cum Christo etenim in illo calo commorabimur , inuisibilibus potentiis , seu virtutibus admixti, vt declarat illud eloquium , sunt veluti Angeli, qui in calis sunt, imo sunt filij Dei , cum resurrectionis filij sint. Huc applicetur testimonium hoc Pauli:Deinde nos, qui viuemus,qui reliquieremur, simul cum illis rapiemur in occursum Domini in aera , & sic semper cum Domino erimus. Igitur cum Duo sint cali,constat va-*

ria esse receptacula, variasque mansiones, & diuersas, pro locorum diuersitate::: Denique cælum, quod nunc fastigij vicem sustinet, fundamentum erit summi cæli in communi resurrectione. Nam cælum primum est quasi cælum cæli. Hæc Procopius, quibus inhærescit quædam labecula notanda à nobis Exercit. 21.

49 Eustathius lib. 1. & 2. act. 3. in Exameron concordat, S. Basilio, *quem ita transtulit in latinum vt ingenium doctissimi viri facundiæ suæ viribus æquiparasse videatur.* Indice Cassiodoro in libro de Institutione Diuinarum scripturarum c. 1. Meminit eiusdem Eustathij, & operis ab eo impensi in interpretando S. Basilio venerabilis Beda præfatione commentarij in Genesim, Sigebertus etiam in lib. de Illustribus scriptoribus Ecclesiasticis c. 21. Paucis abhinc annis Leo Allatius in Lucem edidit commentarium Græcum S. Eustathij Archiepiscopi Antiocheni, & Martyris in Exameron, vertitque in latinum, & vberioribus notis exornauit, testaturque noster Iacobus Sirmondus in notis ad lib. 11. Facundi Hermianẽsis antiquas apud Bibliothecas inuisi. Difficilè adducar, vt credã, Cõmentarium illud esse S. Eustathij, qui in magna synodo Nissena claruit, & sub Constantio Imperatore Arriano ob Catholicæ fidei defensionem Traianopolim Thraciæ pulsus exilio ibidẽ in Domino requieuit; nam cum aliorum operum celeberrimi huius Patris mentio extet apud S. Hieronymum in cattalogo scriptorum Ecclesiasticorum, altum de illo commentario silentium, nec videtur esse nisi rapsodia cõsarcinata ex homiliis S. Basil. in Exameron. vt suadet verborum, ac sententiarum similitudo. Quòd si S. Basil. mutuatus fuisset à S. Eustachio maiorem, & nobiliorem verborum, ac sententiarũ partem, non dissimulasset ipse Basil. nec ta uicissent alij, nec homiliæ in Exameron tantam suo Authori comparassent laudem, vt dicat S. Greg. Niss. lib. in Exameron, *Rata igitur sint illius scripta, præstentque, nec vllis, nisi testamenti, diuino spiritu dictante exarati, monumentis cedant.* Sed cuiuscumque sit commentarium illud, sic in p. 4. loquitur Author, *Primo itaque creauit Deus cælum, & terram, & lucem, & omnibus velocissimo puncto temporis lumen, quod corruptioni obnoxium est, communicauit. Ante enim illud vmbra quadam obscura cælo extẽso deiecta velabat omnia, lumenque à locis illis arcebat, verùm extra cælum, lumen, quod obcurari non potest, omni correptione, omni ætate superius, in quo Angeli degũt, extenditur, de quo Salomon ait, lumen iustis in perpetuum, in quod qui benè vixerint, delati quiescunt. Dispositionem hanc dilucidam reddet clarum, & apertum exemplum, lumen scilicet inextinctum locum omnem cæli exterum illuminare, quem verò complexu suo cælum tenet, antequam lumen fieret, caligine, ac tenebris tectum nõ apparuisse. Quemadmodum enim, siquis meridie feruentissimo ex densa materia tabernaculum confecerit, obcuritatem, & tenebras ex tempore paratas affert, neque locus ille, qui illius circumflexu tegeretur, potest illuminari, ni luminis radio fuerit perfusus: sic similes tenebræ, quæ non subsistebant, mundum, quem cælum complectitur, adumbrabant, eas Deus producto lumine seiunxit, lumen diem, tenebras noctem nuncupauit. Etenim dum lumẽ diffunditur, gignitur dies, dum contrahitur, nox aduenit; quare & dum tempora commetimur, dies, non autem noctes connumeramus. Secũdo diecreauit Deus firmamentum natura diuersa. Aliud autem, id est, & aliud cælum à principio productum, quamuis quibusdam vnum quid, & idem esse placuerit; aiunt namque hoc secundi perfectionem fuisse; ibi enim quasi confusè, & permixtè terræ, & cæli creationem, hic discretiùs, & exactiùs modum, quo Deus ea produxit sacra littera tradũt. Nos vero fatemur aliud & aliud cũ & nomen aliud, & propriũ vsum secundo cælo suppeditatum cognoscamus. Diuersum itaque est solidiore natura præditum ab eo, quod initio fuit creatum.* Conferantur hæc cum aliis S. Basiliis appositis in n. 25. præsentis Exercitationis, cum aliis etiam apponendis in n. 14. sequentis, par quessit de omnibus iudicium, aut ambiguitas.

Patres sæculi septimi.

50 Citatur pro Empyreo à Dionysio Carthusiano in 2. dist. 2. q. 3. S. Gregorius Magnus; sed locum non designat, neque ego repeti, Addit Dionysius, *De quo itidem cælo Hieronymus in sermone de Assumptione gloriosissima virginis multa deprompsisse probatur,* Sed Doctor Maximus, aut quicumque est Author eius sermonis, nec vnum profert verbum, quod in Empyrei notitiam manu ducere nos valeat. Citatur etiam à Bartholomæo Anglico lib. 4. deproprietatibus rerum c. 4. & à Iosepho Angles in 2. dist. 12. q. 3. difficultate 1. S. Isidorus Hispalensis: in quo tamen nullum Empyrei vestigium apparet prætet hæc verba, *supremum cælum est cælum Angelorum,* relata à S. Thoma 1. p. q. 61. art. 4. in corpore, sed in operibus S. Isidori nunc extantibus desiderata, nisi me præterierint admodũm diligenter perquirentem. De S. Iul. Tolet. iam suprà.

Author Chronici Alexandrini vocat Beatorum cælum *interius huius, quod videtur firmamenti,* & anteà dixerat, *institutum à Deo, cum vniuersam fabricatus est naturã, atque in illud Deũ, & omnia Dei oracula semper velut ad scopum, & metam collineasse.*

Patres sæculi octaui.

51 V. Beda in Exameron, *Quod autem, vel quale sit cælum, quod in principio cum terra factum est, sequentibus verbis insinuatur, cum dicitur Terra autem &c. Vt quid enim hoc de terra, prætermisso cælo, intulit? nisi quia nihil tale de cælo intelligi voluit. Ipsum enim est cælum superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum, diuinæ gloriæ præsentia manet semper quietum. Nam de nostro cælo, in quo sunt posita luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus scriptura, quomodo, vel quando sit factum declarat. Non ergo superius illud cælum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & varium, vt terra, quæ nihil in prima sui creatione virentium germinum, & viuentium produxit animantium, quia nimirùm mox creatum suis in cælis, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletũ est. Quos in principio cum cælo, & terra conditos esse ac mox conditionem simul, & totius creaturæ primordialis ad laudem, creatoris retulisse, testatur ipse conditor, qui loquens ad S. famulum Iob, dicit, vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Et Paulò post, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, astra videlicet matutina eosdem Angelos, quos & filios Dei nuncupant.* Huc vsque Beda, cuius apertũ hoc pro Empyreo testimonium affertur à Magistro sententiarum lib. & dist. 2.

53 S. Ioannes Damascenus lib. 2. orthodoxæ fidei c. 6. *Quoniam igitur cælum scriptura dicit, & cælum cæli, cælos item, & cælos cælorum, & D. Paulus se ad tertium vsq; cælum raptum fuisse asserit, in vniuersitatis huiusce procreatione celũ illud conditũ fuisse dicimus, quod ij, qui apud exteros sapiẽtiæ laude floruerũt, Mosis dogmata sibi vẽdicantes, syderũ expertem vocant. Præterea firmamentum Deus cælum nuncupauit, quod* in

in medio aquarum esse iussit, atque ita collocauit, vt aquas, quæ supra firmamentum sunt, abis, quæ firmamento inferiores sunt, distingueret. Et inferiùs, *Enim verò cælum cæli primum illud cælum est, quod supra firmamentum existit.* Addit aerem etiam vocari cælum, & hos esse tres cælos, dequibus loquitur Apostolus 2. ad Corint. 12. Cum attigisset S. Thomas 5. p q. 68. art. 1. ad. 2. hunc Damasceni locum vult intelligendum de *quodam cælo sphærico sine stellis, de quo Philosophi loquuntur dicentes ipsum esse nonam spheram, & mobile primum, quod mouetur motu diurno.* volunt id ipsum Carthusianus in 2. dist. 2. q. 3. Nannius in catena Argentea ad cap. & v. 1. Genesis in solutione ad 5 argumentum. Pereyra lib. 1. in Genesim. num. 51. Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 3. n. 4. Confirmari potest ex Ioanne Philopono lib. 1. de mundi creatione c. 7. putante, cælum prima die conditum esse sphæram nonam stellis vacuam, quam induxerunt Hyparchus, & Claudius Ptolomæus inuentionis principium sumentes ex Moyse; quod & repetit lib. 3. cap. 3. art. 4. & in hoc fatetur, creationis cæli primi nullam sibi occurrere rationem.

54 Sanè (vt rectè obseruat Auersa q. 32. Philosophiæ sect. 4.) S. Damascenus constituens quoddam aliud cælum supra sphæras fixorum syderū & errantiū Planetarum, tradensque ad illud euectū Paulum, aptiùs intelligetur de Empyreo iuxta sacras litteras, Moysisque doctrinam, quàm de primo mobili iuxta philosophos antiquos, Qui, vti de multis Græcorum sophistis animaduertum videò à Tatiano in oratione contra Græcos, *curiositate quadam inducti, quæcunque à Mose, & similibus & sapientibus viris didicerunt, deprauare, & secus efferre conantur; partim vt ipsi proprium aliquid proponere videantur partim vt ea, quæ non intelligunt ficta quadam sermonis compositione velantes, veritatem suis commentis vitient.* Nostrum iudicium (quod etiam fuit Vincentij Bellouacensis lib. 3. speculi naturalis cap. 88. Ambrosij sphæræ in floribus sapientiæ sermone 41. parte. 3. conclusione 2.) satis probabile apparebit consideranti haustam à sapientibus Ethnicis ex Moysis dogmatibus notitiam cæli illius stellaris, quemadmodùm testatur S. Damascenus; in Moysis autem dogmatibus nullum reperire est vestigium cæli, quod sit primum mobile, & nouum additum ab Hyparcho, & Ptolomæo supra octauum stellatum, & ab Aristotele putatum primum mobile. P. Molina disp. 10. de opere sex dierum v. *fortè tamen, notat, Damascenum nomine primi cæli, si attentè legatur, atque adeo tertij, ad quod raptus fuit Paulus, videri intelligere cælum stellatum, quod distinctum sit à firmamento, in quo constituti sunt Planetæ.* Non acquiesco, frustra namque dixisset S. Damascenus, primum cælum esse illud, quod ij, *qui apud exteros sapientia laude floruerunt, syderum expertem vocant,* si ipsi de stellato sermo esset. In oratione de sabbatho sancto lego hæc etiam apud S. Damascenum. *Ipse Deus Angelos, cum non essent, condidit, cælum, terram, omniaque, quæ in ipsis continentur, ignem ætherum, aquarum profunditatem, aere ventilationis veluti penum, lucisque limpidissimum vehiculum, polum alterum in aquis stabilitum, sublimium illarum, atque infimarum interstitium, quod etiam cælum vocauit: solem lucidum duplicis curriculi diei, scilicet, ac noctis Effectorem, omnia clarissimis suis radiis collustrantem, lunam noctis caliginem illuminantem, solis splendore excitatum æstum temperantem; astra præterea hæc firmamenti ornamenta.*

Alcuinus numeratur à Pereyra lib. 1. in Genesim n. 45. à Becano 1. p. tractatu. 4. cap. 2. n. 6. inter Authores fauentes Empyreo. Sed quo loci, in compertum est mihi, nisi fortè cum quæst. 2. Genesim respondens ait, *Deum condidisse cælum Angelis & terram hominibus habitationem.* 55

Patres, & scriptores sæculi noni.

56 Rabanus Archiepiscopus Maguntinus: non solùm agnouit Empyreum, vt colligo ex S. Thoma 1. p. q. 66. art. 4. in corpore; sed etiam hoc nomine vsus est. Nam Bartholomæus Anglicus *lib. 8. de proprietatibus rerum c. 4. scribit, quæ sequuntur, Istius cæli proprietates describit Rabanus, vtens verbis Basilij in examerō, sic dicens, cælum Empyreum est corpus primum naturâ simplicissimum, de corruptione habens minimum, quia subtilissimum, primum mundi firmamentū, quantitate maximum, qualitate lucidum, figuratione sphæricum, locali situ supremum, quia à centro remotum, amplitudine sua spiritnum, & corporum, visibilium, & inuisibilium contentiuum, Dei summum habitaculum.* Hæc Bartholomeus Anglicus ex Rabano, in cuius operibus, quæ sex thomis cōprehenda non dico in lucem prodierunt, nihil tale meos incursauit oculos, libro tantùm, & cap. 1. in Genesim transcribit verba, quæ ex V. Beda præsentauimus in n. 52.

57 Strabus Fuldensis in Glossa ordinaria ad illa verba. *In principio creauit Deus cælum,* inquit, *cælum autem non visibile firmamentum, sed Empyreum, id est, igneum, vel intellectuale dixit, quod nō ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim repletum est Angelis.*

58 Remigius Autisiodorensis in v. 2. Psal. 8. *Quoniā eleuata est magnificentia super cælos,* ait, *Magnificentia tua, id est, magnificus tuus Christus, qui emphaticè ipsa magnificentia dici potest, eleuatus est super cælos. Hoc materialiter, quia ascendit vsque ad octauum cælum.* Fortè ad octauum cælum est Empyreum? Præsertim cum in v. 48. Psal. 148. agnoscat septem circulos *vbi Aplanes, & Planetæ fixa sunt.* Ast quia mirum alicui videbitur, non distinxisse Aplanem à circulis Planetarum, ideo de Remigij mente opinare, vt libuerit. S. Ephipanius in sermone de laudibus B. Virginis vocat eius vterum *octauum cælum, septem firmamentis celsius.* In quibus verbis per *octauum cælum* intelligit Empyreum Salazarius in 8. Prouerbiorum v. 27. num. 350. sed de stellato planior est sēsus. Vbi noto Ioannem Tzetem Historiarum chiliade 12. in 410. videri oblitum cuius stellati cæli dum scribit circa annum 1160. Octo dicunt cæli orbes, atque Zonas Non errātem, & carentem astris, atque septem erronum.

Patres sæculi decimi.

59 Idiota in libro contemplationum de virgine Maria scribit, *ædificauit Deus Angelis cælum, & hæc est domus gloriæ, Dæmonibus, & Damnatis Infernum & hæc est domus iustitiæ; hominibus lapsis mundum, & hic est carcer miseriæ::. Idem autem carcer patria fuit bestiarum; pisces posuit in aquis, aues in aere, & stellas in firmamento.* Sic sapientissimus Idiota, qui claruisse dicitur anno 902. vel, vt alij volunt, anno 790. ita refert Albertus Miræus c. 278. sed si is, qui hactenus Idiotæ nomen prætulit, sit Raymundus Iordanas. Author Tractatus de oculo mystico in vēri, & in communē vsum euulgati à nostro Theophilo Raynaudo, nō ad vmbratū, sed expressū Idiotæ

testimonium pro Empyreo habemus cap.3. tractatus illius n.1. vitam agebat Raymundus anno 1381. quare non erit ab antiquitate testis multùm commendabilis. Post hæc scripta euoluens veteres libros Bibliothecæ collegij Salmantini Nostræ Societatis incidi inquendam tractatum de *Oculo Morali*, cuius postrema pagina continet sequentia verba. *Finitur liber de oculo Morali editus ab eximio sacrarum litterarum Professore Magistro P. Lacepiera. Impressus in ciuitate Lugrumnij per Magistrum Arnaldum Guilielmum de Brocario Anno à Natiuitate Domini M. CCCCC. tertio, & die quarta Aprilis.* Sic ibi, & in secunda pagina habentur hæc post appositum solummodò in prima titulum *de Oculo Morali. Magnificis, ac delectissimis Auditoribus meis in Ecclesia Diui Pauli præsenti anno meis sermonibus assistentibus minor minimus Frater Dominicus Ponzonus salutem in Domino Iesu. Cupiebam charitatibus vestris oculos spirituales ex oculorum corporalium imitatione proposse apperire, sicut in quodam libello, qui ad manus meas deuenerat, reperi optimè exaratum. Inueni enim multa tam moralia, quàm naturalia relatione digna. Sed quia temporis angustia id facere non potui, libellum illum imprimendum dedi, vt habeant auditores mei cordialissimi, vnde oculus interior purgatus, & se, & Deum, qui nonnisi à purgatissimis oculis videri potest valeant vtcunque contemplari. Cùmque ad hunc gradum conscenderetis, pro me ad Deum intercedere velitis.* Ita commendatio impulit me ad legendum libellum, vixque aliquot percutteram lineas, cum continuò subiit memoria alterius in vulgus sparsi à Theolophylo, Lugduni, anno 1641. factaque amborum collatione, comperi eundem omnino esse, nonnullis additis in nouiore editione ad obductionem hiatuum codicis M.S. sed in antiquiore nihil ad perfectionem desideratur. Æqui, bonique consulat curiosus lector ad notationem hanc nostram, ne eum tractatum computet inter Idiotæ opera; neque Raymundo Iordano abscribat, quod vt secus faceret, habuit Theophylus ea motiua, quæ prudentis cuiusque animum ad fidem possent inducere.

60 Moses Barcepha parte 1. de paradiso c.10. *Regnum porro caleste illud, quod iustorum delitiis destinatum, postea quàm reuixerint mortales* (videã legendum *Immortales?*) *vt ait Dominus noster, non esse in terris, sed supra calum. hoc est supra firmamentum, quod proximè supra nos est, multis argumentis comprobatur.* Et posteà, *Ad hoc Ioannes Monachus sermone priori, quem de mundo nouo scripsit, sic ait, Enim verò regnum illud caleste Christi, non erat sub firmamento, sed supra calum, vbi Potestatum ordines existunt. Liquet igitur caleste regnum, in quo Beati voluptate fruentur, postquam reuixerint, supra calum, hoc est, firmamentum, id quod supr nos apparet, positum esse.* Legatur etiam c.8. & 11. act.12.

Patres, & scriptores sæculi vndecimi.

61 S. Anselmus Cantuarensis in elucidatio, dequo in n.40. Excercit. 21. iudicium feram, ait, *Deus, vt potens Rex, constituit sibi præclarum palatium, quod dicitur regnum calorum; deinde carcerem, id est, hunc mundum, in quo exitialem locum, id est, Infernum constituit.* Inter opera S. Anselmi circumferuntur libri de mundi imagine, qui tamẽ scripti sũt, aut ab Honorio incluso Monacho in Anglia, aut potiùs ab Honorio Augustodunensi Presbitero, quorum primus floruit anno 1080. secundus anno 1120. vt rectè probat Aubertus Miræus cap. 344. Auctarij. In primo ex illis libris cap.138. dicitur, *supra firmamentum sunt aqua instar nebula suspensa, qua calum in circuitu ambire traduntur, vnde & aqueum calum dicitur. Supra quod est spirituale calum hominibus incognitum, vbi est habitatio Angelorum per omnes ordines dispositorum. In hoc est paradisus paradisorum, in quo recipiuntur anima sanctorum. Hoc est calum, quod in principio legitur cum terra creatum. Huic longè supereminere dicitur calum calorum, in quo habitat Rex Angelorum.* Postrema hæc verba accipienda sunt de cælo Trinitatis, vt & alias Ioannis Calecæ Patriarchæ Constantinopolitani sermone in Dominica ante Exultationem Sanctæ Crucis, quæ non grauabor in præsentiarum recitare, *in Euangelio ait Dominus Nemo* &c. Ioannis 3. v.13. *cuius hac est sententia, Nullum Angelum, nullumque hominem ascendisse in illud calum, quod est supra calos, nisi illum solum, qui inde descendit per inefabilem dispensationem, & immensam misericordiam, vt genus humanum ex seruitute Diaboli, ex maledictione, & à peccati iugo exolueret. Quamuis autem Angeli quoque per scalã Iacob ascendere, & descendere visi sunt, attamen visio illa non pertinet ad hoc sublime calum, sed ad aliud inferius. Nam in illud calum supra calos nemo ascendit nisi solus Dei filius, quandoquidem ille solus inde descendit filius hominis per dispensationem factus, & appellatus. Inquit enim calum cali Domino. Quod verò Elias, & Paulus, & si qui alij in calum, de quo Dominus loquitur, prouecti sunt; & quò ascenderunt voluntate, & nutu Dei ascenderunt, non virtute propria.* Hæc obiter ex Ioanne illo. Bachonius in 4. dist.47. q.1. art.2. tribuens V. Bedæ libros de mundi imagine scribit, *Beda 2. libro de mundi imagine c.7. dicit; quòd hoc calum est corpus circulare supremum Angelos continens, &c. Vnde sic dicit calum superioris circuli proprio definitum termino, & aqualibus vndique spatiis collocatum virtutes continet Angelicas, & igneum est à splendore, non à calore.* Me latet, qua fide retulerit ista ex Beda Ioannes Bachonius.

62 Oecumenius in illud epistolæ ad Hæbreos c.9. v.1. *Habuit quidem & prius* (Testamentum) *iustificationes cultura, & sanctum saculare*, inquit, *Fecit itaque Deus calum, & terram quemadmodum Moses dicit in initio, calum dicens superius, secundo die visibile h c calum conditum, constituisse in medio aquarũ, atque ita habere eleuatas aquas ad Austrum.* Suidas in lexico v. *vranos* loquitur eodẽ fermè modo.

63 Marianus Scotus in Chronico ait, die primo productum à Deo *calum caleste cum Angelis suis omnibus, tunc valdè bonis.* Per *calum caleste*, indicat Empyreum sed posteà valdè corrupte addit, *secunda die firmamentum in medio cali inter aquas superiores, & inferiores, septemque calos condidit, Aer Æther, Olympus, spatium igneum, Firmamentum, Olympus Angelorum, & calum Trinitatis.* Corruptè inquam, nam Olympus Angelorum, idẽ est ac Empyreum, & cælum Trinitatis est ipsa immensitas diuina producta.

64 S. Bruno Carthusianorum Institutor lib. de Nouo mundo cap.2. *Moses duos ponit calos, ait enim, In principio Deus creauit calum, & terram, Ecce vnum secunda die fecit Deus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas, qua erant super firmamentum abi is, qua erant sub firmamento, vocauitque firmamentum calum. Ecce alterum. Et hoc quidem est illud calum, quod per solem, lunam, & stellas, qua in*

in eodem fulgens, nostris oculis reuelatur. Primum enim cælum de hoc mundo videre est impossibile; quoniam hoc quod videtur inter nos, & illud positum est. Sed cuius excellentiæ, pulchritudinis illud esse putabimus, cum huius inferioris tantam esse videamus. Et primum quidem Cælum statim eadem die factum, & illuminatum est, dicente Domino, fiat lux, & facta est lux. Hoc autem tertia die, postquam factum est, solem, lunam, & stellas suscepisse narratur

Patres, & scriptores sæculi duodecimi.

65 Euthymius in Psalm. 18. v. 1. nomine cælorum in plurali numero ex more Hebræorum interpretatur *Cælum, quod est supra firmamentum.* In Psalm. 67. v. 34. ait, *Cælum verò cæli illud appellat; quod est supra firmamentum, quodque ante omnes alios cælos creatum est; illud autem firmamenti cælum dicitur.* Omitto alia in Psalm. 113. v. 16. in Psalm. 118. vers. 4.

66 Philippus Solitarius lib. 2. Dioptræ cap. 9. ait, *Scriptura docent, excelsissimum esse locum, in quo anima Iustorum requiescant. Hic locus diuersis nominibus appellatur, nempe regio viuentium, terra mitium, tabernaculum à Deo factum, ciuitas altissima, torrens honoratissimus, sonitus festus celebrantium. Et hæc quidem ex epistolis Pauli ad Corinthios, & Philippenses constant.*

67 Constantinus Manasses initio Annalium inquit, *Perfectus ille Dei sermo, eorum opifex omnium ab initio cælum syderibus carens, & immensa tamen venustate radiorum planè diuinorum fulgens vna cum terra, & luce condidit.* Et post pauca. *Hoc modo primus dies effluxit. Hinc altero illucescente, cælum secundum in orbem, globumque solerter redegit.*

68 Rupertus lib. & cap. 1. in Genesim exponens prima Genesis verba scribit, *Sanè cæli nomine inuisibilis illa sanctorum Angelorum patria, terra autem vocabulo visibilis iste mundus designatus est.* cap. 6. *Iam quidem cum audimus cælum, & terram animalis homo, qui nunquam in cælo conuersatus est, nec dicere potest cum Apostolo, nostra autem conuersatio in cælo est, hic talis nec opinari potest, qualis habitatio cælum sit, mox vbi creatum fuit. Quippè cum spiritualis homo, quantumcumque cælestia contempletur, dum viuit, sufficienter id indicare potest, nisi quia magnus, & immensus locus magna, & spiritualis est Patris domus, in qua ab initio mansiones multæ parata sunt beatis Angelis, & sanctis hominibus, vbi localis est, & localiter sedet secundùm verum hominis corpus Pontifex summus, qui penetrauit cælos, Iesus Christus filius Dei. Cuius videlicet spiritualis habitationis comparatione terra est quicquid carneis oculis cernitur, vt rectè per Psalmistam cælum cæli dicatur :: :. cælum cæli dicit, eo quòd comparatione eius hoc visibile firmamentum, quod secundo die factum est, non iam cælum, sed terra sit; quia videlicet illud inuisibile est, istud autem terrenis animantibus est conspicabile.* Addit in cap. 7. *Cælum quidem non omni ornatu inane, vel vacuum erat, quippe ex lumine diuinæ Maiestatis resplenduit, sicut ad illius similitudinem cælum istud visibile, & aer solis huius refulgent lumine.* lib. 6. de gloria, & honore filij hominis, *Quod est istud cælum, in quo nobis est thesaurisandum? Non vtique cælum aereum, neque illud, quod secundo die factum est, sicut scriptum est, dixitque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & vocauit Deus firmamentum cælum. Sed cælum tertium, quod in principio factum est, sicut itidem scriptum est, in principio creauit Deus cælum, & terram. Cælum illud inuisibile est, inuisibilis patria spirituum beatorum, diciturque cælum cæli, quia videlicet comparatione eius terra est, & hoc cælum, & quicquid videri potest oculis terrenis.*

69 Hugo de S. Victore in summa sententiarum tract. 2. cap. 1. *Nec appellamus hic cælum firmamentum, quod secunda die factum est, sed cælum Empyreum, id est, splendidum, quod statim repletum est Angelis, illam scilicet supernam partem, vsque ad quam machina illa elementorum adhuc indistincta porrigebatur.* Adesis eundem in q. 35. circa 2. Pauli ad Corinth.

70 Richardus de Sancto Victore in libro dicto *Beniamin minor* cap. 74. agens de tertio cœlo, ad quod raptus est S. Paulus, ait, *sed quid est cælum hoc tertium, quod est inter terram, & cælum, hoc est inter corpus, & spiritum.* Sed videtur loqui de cognitione Dei valdè perfecta, si verba, quæ subiungit librentur pensiculatè.

71 S. Bernardus sermone 27. super Cantica, indicat Empyreum primo aspectu in his verbis, *Sed est cælum cæli, de quo Propheta, Psallite, inquit, Domino, qui ascendit super cælum cæli ad orientem. Et hoc cælum intellectuale, atque spirituale; & qui fecit cælos in intellectu, creauit illud, & statuit in sempiternum, ipsumque inhabitat. Ne verò putes sponsa deuotionem citra illud remanere: a:um, in quo scit habitare dilectum, &c.* Verumtamen S. Bernardus satis significanter in sequentibus per cælum cæli Angelos beatos declarat. Radulfus Ardens, qui floruit hoc sæculo duodecimo, expressit Empyrei nomen homilia 1. in Dominica 4. post Pascha.

SECTIO. IV.

Pro eiusdem Empyrei existentia recensentur alij Scriptores Ecclesiastici antiqui.

Continuatio scriptorum sæculi duodecimi.

72 PEtrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Magister sententiarum nuncupatus, lib. 2. dist. 2. & cum eo Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonauentura, Scotus, Richardus Mediauillanus, Ægidius Columnensis, Durandus, Aureolus, Franciscus Mayronus, Guilielmus Okam, & ne prolixus sim, sententiarij omnes summa concordia approbant Empyrei existentiam, quin vnus solus dissenserit ex quo tempore in scholis suscepta est interpretatio Petri Lombardi, qui obiit sub annum 1164. vt Baronius notat, vel 1159. vt Aubertus Miræus in scholiis ad cap. 31. Henrici Gandauensis de scriptoribus Ecclesiasticis. Approbant etiam Petrus Comestor initio Historiæ scholasticæ, Petrus Blessensis serm. 21. in Ascensione Domini, Gotfridus Viterbiensis in Chronico vniuersali parte 4. Floruerunt hi circa finem sæculi duodecimi.

Scriptores sæculi decimitertij.

73 Accedamus ad decimum tertium, & inueniemus fauentes Empyreo Innocentium tertium

Pontificem Maximum, in sermone de Annunciatione, Nicetam Choniatem, qui lib. 2. thesauri cap.78. ait, *Grata illa requie sancti perfruuntur, quæ supra totius mundi fastigium beatis parata est, eisque aulæ cælestis, prati, & paradisi loco, incredibilis eorum, quæ sunt ordo, diuinorumque bonorum complementum proponitur.* Videatur idem Nicetas lib. 4. in confutatione hæresis 9. de Honorio Augustodunensi, qui hoc sæculo perperàm refertur à Trithemio, & Bellarmino, iam suprà cum de S. Anselmo Cantuariensi. Inueniemus prætereà S. Antonium Patauinum in sermone Feriæ secundæ de Dominica secunda Quadragesimali, Guilielmum Antisiodorensem lib. 1. summæ aureæ cap.16. q.3. & lib. 2. tract. 7. Guilielmum Parisiensem varijs in locis partium vniuersi, Academiam in articulis damnatis anno 1240. Iacobum de Vitriaco in serm. 1. Dominicæ secundæ post Pascha, & in sermone 1. de Ascensione, Alexandrum Halensem 2. parte summæ Theologicæ à q. 45. Hugonem de S. Charo non semel in Commentarijs super vniuersa sacra Biblia, Vincentium Bellouacensem lib. 3. speculi naturalis à cap. 87. & lib. 1. speculi Historialis cap.9. Albertum Magnum in tract. de quatuor Coæuis q. 4. art. 13. & 2. parte summæ tract. 13. q.12. & alibi sæpe. S.Thomam 1.p.q.66. art.3. & quotquot cum eo hanc Theologiæ partem elucidarunt. Addo eundem S. Thomam in Postilla super Genesis cap. 2. & inexpositione super Apocalypsim cap.11. si horum operum ipse sit Author: nam de priori negant S. Antoninus 3.p. historiali titulo 18. cap. 10. §. 2. Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 4. pag. 328. & 329. Ferdinandus de Castillo in Chronico Ordinis Prædicatorum lib.3. cap.31. Posseuinus in apparatu, adiudicantes Thomæ Anglico; quicquid reclamet Antonius Senensis. Diuersitas sententiarum aliquale forsan indicium erit diuersi Authoris conferenti eas, quæ de operibus sex dierum extant in Postilla cum scriptis 1. p. summæ q.66. art. 1. & quæst.68. art. 2. Iam verò de posteriori opere, etsi suppositiium à plerisque iudicetur, & Thomæ Anglici habeatur tanquam fœtus, mihi tamen videtur esse S.Thomæ, vel saltem non esse Thomæ Anglici, quia hic non scripsit in 4. sententiarum librum, ad quem se refert Author expositionis cap.21. v.1. & antea cap.16. v.18. meminit Conuersionis Cumanorum ad Religionem Christianam, dicens factam suo tempore; ea autem incidit in sæculum S.Thomæ, prout constat ex præcitato Castillo lib.2. cap.50. & non in ætatem Thomæ Anglici, qui claruit sub anno 1400. Est in hac expositione opinio vna, vel altera discrepans à doctrina summæ; de quo signo an vrgens omnino sit, considerent alij.

74 Digressione ista recreati adiungimus alios Patronos Empyrei, nempe Vdalricum Argentinensem lib.4. summæ, Iacobum de Virgine in legenda de Ascensione Domini, Henricum Gandauensem quodlibeto, & q.7. Fratres ex Prædicatorum ordine in tractatu scripto Constantinopoli anno 1252. contra Græcos, titulo de quatuor receptaculis defunctorum, Richardum de S. Laurentio lib.2. de laudibus B.Mariæ in Assumptione columna 1079. ac 1080. Ioannem de Neapoli in quæstionibus varijs q. 22. puncto 4. Guilielmum Peraldum in serm. 1. de epist. in Dominica sexagesimæ, Alanum Insulensem in Cantica, cap. 3. v. 4. trahit nos hic Author ad aliam digressionem. P. Delrius in Isagoge ad Cantica ait, præfatum interpretem Canticorum obiisse anno 1294. sed Petrus de Alua tomo 3. Bibliothecæ Virginalis pag 552. decessisse scribit anno 1182. Miræus in scholiis ad cap. 21. Henrici Gandauensis de scriptoribus Ecclesiasticis consignat eundem mortis annum testimonio Roberti Chronographi Antisiodorensis, & testamento ipsiusmet Alani asseruato in cænobio Ripatorij; tametsi pag. 611. fastorum Belgicorum narret extremum diem ad annum 1181. pridie idus Octobris. Confunduntur procul dubio duo Alani insulenses, & Cistercienses, de quibus Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi die 3. Ianuarij, & 14. Octobris, vnus fuit Abbas Ripatorij, & Antistes Antisiodorensis, interijtque anno 1182. vt Carolus Visch in Bibliotheca Cisterciensi, & Manrique in Annalibus eiusdem Ordinis anno 1182. cap. 3. tradunt, etsi Manrique anno 1166. cap. 5. n. 6. anteà dixerat, non produxisse vitam nisi vsque ad annum 1181. Alter, postquam Parisiis obtinuit Doctoris Vniuersalis cognomen, & Academiam moderatus omnigenæ litteraturæ laudem promeruit, humilem conuersi gradum in Cisterciensi elegit Religione. Et is inter præclara multa doctrinæ suæ monumenta, quorum Catalogus concinnatur à Carolo Visch, reliquit in Cantica expositionem citatam sæpe, sed falsò à P. Didaco de Baeza sub nomine Cardinalis Alani, euolauitque ad superos anno 1294. quicquid Trithemius, Sixtus Senensis, Bibliotheca Gesneriana, & Posseuinus dicant celebrem fuisse anno 1300.

Scriptores Sæculi decimiquarti.

75 Anno 1302. Kalendis Aprilis regnante Ferdinando IV. coactum est Concilium non Nationale, (vt inquit Noster Portocarrerus in lib. de Descensione B. Virginis ad Ecclesiam Toletanam cap.26.) sed Prouinciale. (vt ex Authentico quodam instrumento seruato in Archiuo Segobiensis Ecclesiæ conuincit Didacus Colmenares cap.23. Historiæ Segobiensis §.23. & 24.) apud Peña fiel, præside Archiepiscopo Tolerano Gundisaluo Palomeque, non autem Ægidio Albernez, in quo lapsus est Baronius tomo 8. anno 657. n.42. nam Ægidius creatus est Archiepiscopus anno 1237. regnante Alfonso XI. Eius Concilij Canon, aut caput 11. continet, quæ sequuntur, verba: *Item quia Mater Dei, & Saluatoris nostri Domini Iesu Christi gloriosa, ac semper Virgo Maria Capellanum ac suæ virginitatis specialem præconem P. Ildefonsum Patriarchalis Toletanæ Ecclesiæ Præsulem, ac Rectorem post sui desumptionem descendens de cælo Empyreo corporaliter visitauit, in signum spiritualis dilectionis, & amoris, & quos Mater Dei diligit, & honorat, nos teneamur diligere, & honorare; statuimus, & ordinamus, vt per totam Toletanam Prouinciam eius festiuitas præcipuè, seu duplici officio solemniter celebretur.* Ita de verbo ad verbum refertur hic Canon à Portocarrero supra, ab Ildefonso Vasquez in S.Ildefonso defenso, & declarato lib. 1. cap. 2. Petro Salazar de Mendoza c. 3. vitæ S.Ildefonsi §. 4. Thoma Tamayo de Vargas in descensione Virginis ad Ecclesiam Toletanam pag. 28. & de Concilio Peña Fielensi agunt Mariana lib. 15. rerum Hispaniæ cap. 5. Spondanus anno 1302. num. 15. Sebastianus Couarruuias in thesauro Castellanæ linguæ pag. 583. Rodericus Mendez. cap. 41. de populis Hispaniæ pag. 32.

Hoc

76 Hoc eodem sæculo Nicolaus de Lyra tertio quoque verbo in suis operibus, Ludolfus Carthusianus in Psalm. 148.v.1.& 4. Simon de Cassia lib. 8. de gestis Saluatoris cap. 23. lib. 14. cap. 30. Henricus Suso in Dialogo sapientiæ cap. 12. & apud Blosium in consolatione pusillanimium pag. 352. Academia Parisiensis in Articulis damnatis anno 1340. Ioannes de S. Geminiano in summa de exemplis lib. 1. cap. 32. Raynerus Pisanus in Pantheologia titulo de Angelis cap. 2. titulo de Ascensione Christi cap. 5. Guilielmus Bandensel in Odæporico ad Terram Sanctam apud Henricum Canisium tomo 5. lectionis Antiquæ parte 2. pag. 137. Ioannes Taulerus in libello de decem cæcitatibus cap. 21. suo Empyreo adiecerunt calculum.

Scriptores sæculi decimiquinti.

77 S.Vincentius Ferrer. passim in sermonibus, Ioannes Gerson serm. de Angelis, parte 4. fol.1. & alibi non rarò, S. Bernardinus Senensis satis frequenter in sermonibus, Alfonsus Tostatus in Genesim, & in cap. 23. Exodi, nec non Paradoxo 5. cap. 13. latiùsque cap. 166. & sequentibus, S. Antoninus Florentinus I. p. summæ Theologiæ tit. 1. cap. 7. §. 2. titulo 5. cap.& §. 3. titulo 14 cap. 4. §. 3. Richardus Pampolitanus enarratione in symbolum Apostolicum, Ioannes de Turrecremata q. 1. super Euangelium de Ascensione. Henricus Harphices lib. 1. Theologiæ mysticæ p. 1. cap.33. Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus in Psal. 103. v. 3. & sæpe aliàs. Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in Catalogo sanctorum lib. 4. cap. 128. Tinus Hadrianus in flagello Iudæorum tom.8.parte 3.cap.17.& 55. Marsilius Ficinus cap. 14. de Christiana Religione, & in Concione de laboribus ac ærumnis S. Pauli pag. 483. Dialogo inter Paulum, & animam, Ioannes Picus Comes Mirandulæ in 2. proœmio Heptapli, & expositione 2. de Mundo cælesti cap.1. ac 2. in Apologia q.1.semel, & iterùm, Ambrosius Spiera in floribus sapiētiæ serm.6.parte 3. conclusione 1. Bartholomæus Anglicus de proprietatibus rerum lib.8.cap.4 Michael Angrianus (qui anteà Incognitus) in Psalm.67. vers.1051. aliisque in locis, Franciscus Philelphus in conuiuio 2.pag.156. Ioannes Reuchlin, seu Capnion in notatione super q. 19. S. Athanasij ad Antiochum Principem, Amadeus Franciscanus in sua Apocalypsi, Alfonsus de Spina in Fortalitio fidei lib. 5. consideratione 3. Vvernerus Polevvink initio fasciculi temporum, Baptista Mantuanus lib. 3. Syluarum Carmine Panegyrico in Robertum Sanseuerinatem fol.59. lib.4. fol. 68. lib. 5. fol.75. confirmarunt Empyrei veritatem.

78 B. Veronica de Binasco, cuius vitam scripsit Isidorus Isolanus, digessitque inter alias sanctorum Noster Ioannes Bollandus die 13. Ianuarij à p.887. tom. 1. de Actis sanctorum, claruit hoc sæculo, cum enim orta fuisset sub annum 1445. migrauit Mediolani ad Dominum anno 1497. & Leo Papa X. anno 1517. permisit vt Beatam coli, eiusque imaginem depingi. Hæc ergo illustrissima Virgo, vt narratur lib.4.cap. 21. diuinitus eleuata ad contemplandam imaginariè Christi Domini Ascensionem, vidit ingressum in cælum Empyreum. En verba, *Enim verò singulos calorum orbes Christo transcendenti nona Angelorum legiones obuiabant, nouis semper carminibus celestia pangentes . . . Iesu Maximo denique cælum ingresso Empyreum, Patrem, ac Spiritum sanctum velut eidem obuiantes contemplatur. Erat in supremo cæli cacumine locata sedes ornatissima ad dexteram Patris, in qua Christus sedens ineffabili gloria circum septus effulsit.*

79 E re nata adiungam Veronicæ duas alias commendatissimas fœminas, quarum prior S. Theresia à Iesu sæculum decimum sextum virtutum, ac cælestis sapientiæ suæ admiratione repleuit, & ad veterem normam reformatis, non tantum mulieribus, sed etiam viris auxit Carmeli gloriam, Ecclesiæque decus. Posterior fit Venerabilis Virgo Maria de Escobar Fundatrix Recollectarum S. Brigittæ, Conciuis nostra Vallisoletana, quam dum viueret, seu potiùs continuò moreretur triginta prope annos in lecto iacens, grauissimis cruciata doloribus, ac morbis, agnoui, alloquutusque sum ingenti mei animi consolatione etiamnum perdurante, & cuius pompæ funebri, magnificentissimæ quidem, si quæ vnquam alia in orbe Christiano ob sanctitatis opinionem, interfui anno 1633. laudatissimæ huius Virginis vitam hactenus Sedis Apostolicæ authoritas non probauit, sed speramus suo tempore Pontificium scitum: & iam Sanctissimus Dominus Vrbanus VIII. anno 1628. Nouembris 10. confirmauit constitutiones, ac Regulas, quas ex Dei inspiratione composuit Marina pro Monialibus Recollectis S. Brigittæ eximia nunc Religionis fama Vallisoleti florentibus. Et Gregorius XV. solicitante eadem Virgine iussit in Ecclesia celebrari ritu duplici festum S. Ioachimi, erga quem deuotio Christiani populi maximopere amplificata est Marinæ piis industriis, non secus ac erga S.Iosephum studio, & cura S. Theresiæ; quæ Marinæ spiritum intima familiaritate prouexit, & commendauit, vt id etiam obiter dicam. Interim dum desideratur Summi Præsulis integra censura, quicquid à nobis est dictum, priuatæ solius fidei, & authoritatis pondus habeat. Prior itaque in Mansionibus sextis cap. 4. & in septimis cap.2. meminit Empyrei inquiens, *vti ferunt, cælum Empyreum, vbi Deus existit, non moueri instar aliorum cælorum*, &c. Posterior sæpe loquitur de Empyreo in Vita sua, cuius res stylo, grandique volumini commisit ipsius Confessarius V.P.Ludouicus de la Puente vir certè maior omni laudatione, incipiens ab ortu Marinæ, & prosequens vsque ad septuagesimum ætatis annum, idest, ab an. 1554. die 8. Februarij vsque ad annū 1624. die 16. eiusdem mensis, quo die septuagenarius obijt Vallisoleti, vbi fuerat natus eodem, quo Marina, anno; & tertia ante mortem hora dictauit, operi præclaro de Marinæ rebus immori gloriosum ducens, vt grauiter obseruat P. Ioannes Rho l. 1. de variis virtutum historiis cap. 3. n. 34. Superuixit Marina nouem annis, quorum acta descripsit, ex posthumis schedis, & continuauit P. Andreas Pintus Ramiresius. Legimus vtriusque manuscripta, cupimusque, vt quantocyus luce publica donentur ad communem Reipublicæ Christianæ ædificationem.

80 Hactenus de Patribus, & scriptoribus Ecclesiasticis, qui ante sæculum decimum sextum (si S.Theresiam, & Venerabilem Marinam de Escobar excipias) dederunt vno ore suffragium pro Empyreo. Possentque adiici multi alij; vixque erit vlla nostræ Empyreologiæ pagina, quæ Empyrei aliquem fautorem non proferat anteriorem eo sæculo; in quo, & in decimo septimo, quod nunc

nunc excurrit, tot occurrunt, vt vel sola ipsorum nomenclatura tomum impleret. *Quod autem apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt.* Sic Tertullianus cap. 28 aduersus Hæreticos. Et quidem *Christianus animus, quæ sunt traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in despectionem deducere, sed venerari ea desiderat toto deuotionis affectu*, vt inquit S. Petrus Chrysologus serm. 85.

SECTIO V.

Hebræi, & Philosophi Ethnici aliquam Empyrei notitiam habuerunt.

81 HEbræorum, & Gentilium exploro mentem, *Quorumquidem ex abundantia est proferre sententias; non quòd propriis deficiamus; sed quòd magis mirum fit, aduersum nos dimicare nostros, & extraneos pugnare pro nobis*, vt in simili dicebat S. Claudianus Mamertus lib. 2. de statu animæ cap. 3.

82 Ex Hebræis Philo lib. de mundi opificio innuit non obscurè Empyreum in his verbis, *Quod si principium non accipitur, nunc iuxta significatum temporis, conueniens fuerit id significari iuxta numerum, vt hæ voces, in principio fecit, idem valeant quod primum fecit cælum. Est enim reuera consentaneum rationi primum in generatione illud prouenisse, cum sit præstantissimum ex his, quæ facta sunt, & è purissima constet essentia: quam obrem Deorum tam non apparentium, quàm sensui patentium destinatum est domicilium sacratissimum.* Hactenus Philo, qui posteà ab hoc cælo distinguit firmamentum. Et licet cælum in principio creatum vocet *incorporeum*, interpretari possumus Philonem conuenienter ad dicenda in sect. 1. Exercitationis 4. Prælucente Dominico Bañez 1. p. quæst. 66. art. 2. dub. 3. circa 4. conclusionem, Henriquezio lib. vltimo summæ cap. 24. §. 5. & antiquioribus aliis ibi citandis, floruit Philo sub Caio Caligula Imperatore.

83 Testamentum duodecim Patriarcharum filiorum Iacob in testamento 3. quod est Leui hæc habet, *Tunc cecidit super me somnus; & contemplatus sum montem excelsum. Hic est mons Aspidis, in Abelmaul, & ecce aperti sunt cæli, & Angelus Dei dixit ad me, Leui ingredere, & ingrediebar de primo cælo in secundum. Et vidi illic aquam suspensam in medio huius, & illius. Et vidi tertium cælum multò lucidius, quàm duos, etenim altitudo erat in ipso infinita.* Afferuntur verba hæc ab Ascanio Martinengo pag. 638. Glossæ magnæ litteralis in cap. 1. Genesis extatque integer liber tametsi Apocryphus, in Bibliothecis veterum Patrum, & citatur ab Origene homilia 15. in Iosue, à Procopio Gazæo ad cap. 38. Geneseos, quod magnam arguit antiquitatem.

84 Ioannes Picus Comes Mirandulæ in Heptaplo, expositione 2. de mundo cælesti cap. 1. scribit, *Empyreum non tantùm creditum à nostris maximè iunioribus, Strabo, & Beda; sed à pluribus etiam Hebræorum.* Memoratque ibi Abrahamum Hispanum insignem Astrologum, & Isaacum in Philosophia nobilem, vtrumque Hebræum; quorum secundus putauit (teste etiam Pierio lib. 41. Hieroglyphicorum cap. 59.) Empyreum adumbrari ab Ezechiele per saphyrum in similitudinem throni, vt color Saphyri nitorem lucis, throni similitudo stabilitatem, & immobilitatem declararet. P. Ioannes Præpositus de opere sex dierum dub. 1. n. 3. animaduertit Hebræos habuisse aliqualem notitiam, quamuis rudem, Empyrei. Boethius adductus in n. 46. Iudaicæ trinæ diuisionis cælorum mentionem facit. Rabi Abraham apud Petrum Figuerium in Psalm. 8. v. 5. inquit, *Sunt septem extensiones, id est, septem cæli, seu orbes Planetarum, & octaua sphæra duodecim signorum; & supra hanc sphæra nona expers stellarum, & supra nonam sphæra decima; quæ est thronus Dei.*

85 Transeo ad Philosophos Ethnicos, de Platone insinuant Eusebius Cæsariensis lib. 11. de Præparatione Euangelica cap. 19. & S. Iustinus supra n. 15. agnouisse Empyreum; quod de ipso affirmatur à Francisco Georgio Veneto in harmonia mundi Cantico 1. tomo 3. concentu 6. & à Cardinali Toleto lib. 4. Physicorum cap. 5. q. 7. & hic addit Plotinum, qui claruit tertio sæculo, (fuitque Præceptor Porphyrij, de quo in n. 10. exerc. 1.) Proclum, qui quinto, Simplicium, qui sexto, & de duobus istis constat ex verbis exaratis n. 11. Exercitat. 1. vbi vnà apposui Chaldaicum Zoroastreorum oraculum, & Martiani Capellæ egregium locum. Suspicatur Barthius lib. 11. Aduersariorum cap. 3 Christianum fuisse Martianum; sed ex leui coniectura. Illud certum, magni habitum ab antiquis, vt noscitur ex S. Gregorio Turonensi lib. 10. Historiæ Francorum, S. Fulgentio Præsule Carthaginis nouæ lib. de vocibus veteribus, Cassiodoro apud Huguccianum Grotium in Febriis Martiani, Remigio apud Volateranum lib. 17. Anthropologiæ. Inuise Bibliothecam Gesnerianam in Felice Capella, Gaultierium pag. 179. Chronologiæ, Lilium Gregorium Giraldum, Dialogo 4. de Historia Poëtarum, Iosephum Blancanum lib. de locis Mathematicis Aristotel. in Chronologia Mathematicorum, vbi ex Parrhisio in Poëtica refert Martianum ad tempora Phocæ imperantis ab anno 602. Sed stylus sapit Apulei sæculum, quod fuit secundum Christianum.

86 Augustinus Steuchus in Cosmopeiâ ad cap. 1. Genesis fol. 11. & lib. 3. de perenni Philosophia cap. 15. tribuit Aristoteli cognitionem Empyrei. Verumtamen Stagirita in locis designatis ab Steucho, nimirùm in lib. 1. de Cælo cap. 3. textu 22. & in eodem lib. cap. 9. textu 100. nihil ad rem tradit. Nam in priori fatetur quidem, Cælum esse habitationem Deorum, quin de Cælo immobili meminerit; in posteriori verò potius aduersatur, quâ fauet Empyrei existentiæ, cum locet Intelligentias beatas non in loco reali extrinseco, sed in imaginario extra omne corpus. Phothius in Bibliotheca codice 259. testatur, *Pythagoricos asserere duodecim orbes in Cælo esse. Et primum quidem, & remotissimum firmamentum, vbi & summus Deus, cæterique intelligentia prædit Dij, vt vocat Aristoteles, aut secundùm Platonem Ideæ. Deinde septem Planetæ sequuntur. Post Planetas ignis, mox aer, quem sequitur à quo, ac vltima subest tellus &c.* Tribuit Aristotelicis idem assertum, in quo sub firmamenti voce significatur sphæra fixarum stellarum.

87 Idem Steuchus in lib. illo 3. de perenni Philosophia cap. 15. latè ostendit adumbrari Empyreum in Apollineo quodam oraculo. Adi ipsum, & Annibalem Rosellum in Pimandro Mercurij Trismegisti lib. & Commentario 2. q. 1. cap. 3. Per lege vlteriùs cap. 16. eius libri 3. Steuchiani, & Francisci

cisci Patritij librum 8. Panaugiæ, librumque 7. Pancosmiæ, vbi multa pro Empyreo coaceruat ex Parmenide, vetustissimisque aliis Philosophis. Interim ego huc traho perillustre effatum Maximi Tyrij dissertatione 1. n. 8. *Porrò meta ipsa itineris non Cælum erit, neque quæ in eo sunt corpora, (quamuis hæc quoque amæna sint, & diuinitatis plena, vt pote vera eius legitimaque progenies, & quam fieri potest pulcherrimè constructa) sed hæc transcendenda sunt, ipsumque supra Cælum caput proferendum, donec ad verum illum, quem quærimus, locum, eiusque serenitatem veniamus.*

Quam nec fuscat hyems, nec multo semper ab imbre
Tingitur——————————
——————Sed candidus aer
Dispergit nebulas, & lux purissima cingit.

Similia inuenies apud Priscos Philosophos. Ex quibus multa se legere Steuchus lib. 3. de perenni Philosophia à cap. 17. Theophylus Raynaudus in Theologia naturali dist. 8. q. 4. art. 5. asserens n. 271. Empyreum non latuisse antiquos sapientes. Id ipsum anteà dixerat dist. 3. q. 1. art. 9. n. 88. Adiicit Balthasar Fellez parte 1. Philosophiæ disp. 44. sect. 1. n. 6. nec ignotum fuisse Poëtis Ethnicis, sed Ouidij versus, quos subiicit,

Hic locus est, quem si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse Palatia Regis.

non sunt nisi de solis Cælo.

88 Persuaserim mihi ex diuinis litteris, aut Hebræorum colloquiis aliquam apud sapientes Gentiles restagnasse Empyrei famam, in gentibus posteà fabularum tenebris obscuratam. In eadem cogitatione fuêre quod ad Cælestem patriã S. Gregorius Nazianzenus, & Clemens Stromateus, videndi apud Raynaudum dist. illa 8. n. 272. & Eusebius Cæsariensis lib. 11. de Præparatione Euangelica cap. 19. Sanè, vt eximiè nos docet Tertullianus cap. 47. Apologetici, *Omnia aduersus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam Spiritibus erroris. Ab his adulteria huiusmodi salutaris disciplinæ sub orta, ab his etiam quædam fabulæ immissæ, quæ dissimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel etiamsi possent, euincerent. Vt quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec Poëtis, & Philosophis, vel ideo magis Poëtis, & Philosophis existimet credendum, quia non Christianis. Itaque & ridemur Deum prædicantes iudicaturum. Sic enim Poëtæ, & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde dechachinamur. Sic enim & Pyriphlegeton apud mortuos amnis est. Etsi paradisum nominemus, locum diuinæ amænitatis recipiendis Sanctorum Spiritibus destinatum, materia quadam ignea illius zonæ à notitia orbis communis segregatum Elisij campi fidem occuparunt.*

SECTIO VI.

Examinantur rationes aliquæ pro Empyrei existentia.

89 Rationibus stabilienda iam est Empyrei existentia. Sed cum cælorum distinctio deprehensa sit ex motu, & Empyreum eo careat, aliundeque nostrum sub adspectum non cadat, neque aliquem illius effectum in mundo sublunari experiamur, difficile admodùm est rationibus naturalibus ipsius existentiam statuere. Nihilominus nonnullæ solent afferri, quas ad lydium lapidem vocabo.

90 Prima, sicut simplex est ante compositum, sic vniforme ante multiforme. Ergo ante Cælum firmamenti multiformiter luminosi est Cælum Empyreum vniformiter luminosum. Secunda, inter corpora Cælestia existit vnum corpus constans ex luminoso, & non luminoso, vt stellatum, & aliud non luminosum, vt lunæ orbis. Ergo debet existere aliud, quod totum sit luminosum, quale est Empyreum. Dum enim aliquod est compositum ex duobus, si vnum illorum existit per se, opus est, vt & aliud existat. Tertia, ex corporibus Cælestibus aliquod est partim diaphanum, partim lucidum, nimirùm Cælum stellatum; aliquod omnino diaphanum, nimirum Chrystallinum. Ergo debet existere aliud omnino lucidum, videlicet Empyreum. Quarta, in vniuerso inuenitur corpus opacum simpliciter, & secundùm se totum, vt terra; & corpus lucidum simpliciter, ac secundùm se totum, vt Solare; inuenitur etiam corpus partim diaphanum, & partim lucidum, vt Cælum quodlibet Planetarum, & stellatum; aliudque simpliciter ac secundum se totum diaphanum, vt Crystallinum. Ergo vt vniuersum sit completum, inueniri debet corpus, quod totum sit transparens, & luminosum; cuius conditionis est Empyreum.

91 Quinta, corpus non potest moueri, nisi contineatur in loco reali extrinseco, & iuxta Mercurium Trismegistum in Pimandro Dialogo 2. *Omne, quod mouetur, non in moto, sed in quodam stabili mouetur.* Ergo ad motum primi mobilis est necessarium Cælum immobile, in quo, vt in loco reali extrinseco contineatur. Vnde Amadeus Franciscanus raptu 8. suæ Apocalypsis scriptum reliquit, *Super omnes Cælos mobiles est Cælum immobile, in quo tanquam in loco omnia mouentur, locus autem ipse manet immobilis: Vnde omne aliud continens, vt contentum, continet, & prout ratione illius continet, immobiliter continet, vt omnes de loco tractantes ipsum immobilem dixerunt. Et verum est, quia etsi immediatè continens, vt aer, vel aqua fluat, non tamen continens vltimum fluit. Ratione cuius firmitatis, & immobilitatis locus dicitur immobilis. Et res nunc existens in vno continente proximo, nunc in alio, non dicitur locum mutare, quia ad primum continens eundem respectum habet. Si illud Cælum non esset, nihil prope locum haberet.* Huc vsque mirabilis Amadeus. Reperire est in Petro Alliaco idem ferè argumentum q. 3. supra sphæram Ioannis de Sacrobosco.

92 Sexta, existit in rerum natura corpus mobile penes esse, & locum; rursus mobile penes locum, non verò penes esse. Ergo existit etiam corpus immobile penes esse, & locum. Septima, Inferiora secundùm sui supremum attingunt superiora secundùm infimum. Sed Angelus est motor immobilis, ita vt immobilitas sit infimum illius. Ergo oportet, dari corpus supremum inter materialia, quod attingat Angelum (qui materialibus superior est) secundùm infimum immobilitatis. Octaua, nisi existat Cælum immobile, quod semper respiciat, & influat in easdem terræ regiones, deest, causa, in quam reducuntur diuersi, variique effectus continuò in illis producti. Nona efformatur,

ex

ex numeri denarij perfectione, qua carebit Cælestis regio, si nouem sphæris deprehensis ab Astronomis non adiiciatur Empyrea. Hæ sunt rationes naturales pro existentia Empyrei, quas si antiquos Theologos euoluas, reperies in ipsis, & vix vnus, aut alter eis ex integro applaudit.

93 Ad primam responderi potest, sufficientem dari vniformitatem in ipsis Sydereis sphæris, cum solaris gaudeat luce vniformi. Quare sine necessitate ponitur vniformitas Empyreæ lucis. Ad secundam, non omnia, quæ in vnum compositum coalescunt, debere seorsim existere, alioqui deberet dari aliquod accidens nulli substantiæ inhærens cum homo componatur ex substãtia & accidenti, Deus verò sit substantia sine accidenti. Tertia, & quarta ratio præseferunt solummodò quandam congruentiæ speciem, & non tam deseruiunt probandæ existentiæ Empyrei, quàm ex suppositione illius gradiuntur ad inducendum lucis proprietatem.

94 Ad quintam dici potest, motui opus non esse locum realem extrinsecum, seu superficiem, & immobilem corporis continentis. Et vel in vacuo dari potest motus localis, vt fatentur Philosophi omnes; licet enim aliqui negent motum grauium, & leuium natiua vi, & ab intrinseco deorsum, ac sursum, nullus tamen est, qui inficietur motum ab extrinseco maximè circularem; cui satis est centrum immobile. Exacta à loco immobilitas declarabitur à nobis in sect. 4. Exercit. 11. indepẽdenter omnino ab Empyreo cælo. Certumque est, Aristotelem absque huius cæli consideratione assignare immobilitatem loco reali extrinseco. Ad sextam, procedere tantùm ex quadam congruentia, & attenta vi illationis, latere æquè in Antecedenti hoc, ***Existit in rerum natura corpus nec mobile in se, nec mouens alia, rursus mobile in se, & mouens alia***, propositionem istam, quam subiicio, sed risu excipiendam. ***Ergo existit etiam corpus immobile in se, & mouens alia***, aut istam non minus ridiculam, ***Ergo existit etiam corpus mobile in se, & non mouens alia***. Vrgebis, medium vniuersi, scilicet terra est, immobile. Ergo & extremum vniuersi, nempe Empyreum, debet esse immobile. Cæterùm non apparet, cur si medium vniuersi est immobile, debeat esse immobile extremum, alioqui sicut illud est opacum, ita & hoc deberet esse. Angelo, qui est medius inter Deum, & hominem, conuenit non esse productiuum filij, quod tamen Deo, & homini haudquaquàm competit. Quapropter non quicquid conuenit intermedio, opus est, vt extremis competat. Ad septimam, assumere plura, aut dubia, aut falsa. Ei respondet Durandus in 2. dist. 2 q. 1. n. 5. ordinem, in quo inferiora attingunt superiora debere attendi secundum essentialia; Empyreo autem essentialem non esse immobilitatem, cum possit saltem diuinitùs moueri, & Angelum neque à se, neque ab alio esse immobilem. Præterea non constare cælum moueri ab Angelo. Ad octauam, effectuum diuersitatem reuocandam esse aut in diuersas dispositiones ipsarum regionum, aut in causam primam; & vniuersalem, de quo in Exercit. 16. Ad nonam, nimis Pythagoricam esse, & in quia falsò supponitur, cælos mobiles non esse nisi nouem; numerumque nouenarij, si cæli essent tantùm nouem, habiturum non esse suam perfectionem. Videatur Ægidius Romanus in 2. dist. 2. art. 3.

SECTIO VII.

Rationes aliæ congruentiores expenduntur.

95 Eas ex naturæ penetralibus depromptas exhibere nullus spero. Ergo ad sacra Religionis Christianæ asyla confugiendum est. Nonnihil nitoris habet illa, quam S. Thomas tradit 1. p. q. 67. art. 3. cum enim mortale genus duplicem ingloriam, nempe spiritualem, & corporalem, præordinatum sit à benefico conditore, oportuit, vt sicut spiritualis accepit pignus in Angelorum bæatitudine ab orbis principio, sic etiam corporalis acciperet in cõstructione primordiali corporis cuiusdam immunis corruptione, & mutatione, refertique infinita propè lucis copia. Esset vndequaque quadrata hæc ratio, si deus agilitatis auspicia simul præberet.

96 Diuina Numinis benignitas non leuiter mihi suadet Empyrei existentiam. Operosior quippe esset Deus ad puniendum, quam ad præmiandum, si condito in imis terræ tenebroso carcere, in quo improbi Angeli, & homines suorum scelerum pœnas luerent, vnâ non archierectatus esset in mundialis machinæ fastigio fulgentissimum palatium, in quo probi rectè factorum reperirent præmia. Quare sicut existit infimus, terrestris, obscurusque locus deputatus tantùm improborum suppliciis; sic etiam æquum est, credi, existere supremum, celestem, lucidumque locum, destinatum tantùm proborum præmiis.

97 Paradisi terrestris constructio, vt esset domicilium hominis in statu integræ naturæ toto tempore animalis vitæ, vt inquit S. Thomas 1. p. q. 103. art. 4. suadet etiam molitionem cælestis paradisi, vt esset domicilium hominis spiritualem vitam adepti, siue conseruato naturæ integræ statu, siue reparato Christi Redemptoris expensis.

98 Præterea Deus cælos mobiles fecit, propter mundum hunc inferiorem, & propter hominem dum in terris mortalem vitam transigeret. Ideo à die extremi Iudicij cessabit motus cælestium corporum, vt frequenter colligunt Theologi ex sacrarum litterarum monumentis. Ergo par est, credere, fabricasse propter eumdem hominem cælum quoddam immotum, in quo immortalem degat vitam. Alioqui videbitur Deus plura prouidisse statui naturæ, mortalisque vitæ, quàm statui gratiæ, vitæque immortalis.

99 Denique Empyrei existentiam euincit politica ratio. Etenim indecorum esset, Deum sibi non deputasse specialem aliquem locum, in quo vt in Regia, palatioque pulcherrimo se videndum facie ad faciem exhiberet Angelis, & hominibus ad priuatam amicitiam vocatis. Qualis esset, rogo, Rex ille, qui in amplissimo regno propriam sibi, suisque aulam non erigeret? Iam verò si Deus elegit specialem aliquem locum, quis alius conuenientior, quàm cælestis, lucidus ex se, immotus, atq; incorruptibilis suapte natura? Excogitare namque de eo loco dabemus, quantò dignius, altiùsque possimus.

Maiestas loci, conuenit ipsa Deo.

100 Si dicas, illum locum cælestem esse primam sphæram mobilem. Contra; tùm quia prima spæra mobilis,

mobilis, si distinguatur à Crystallina, erit tenebricosa, & siue distinguatur, siue non distinguatur, lucida ex se non erit; cum neque astris, neque Planetis condecoretur. Tum, quia locus, qui continuò moueatur, non videtur aptissima sedes Beatorum, siue Angelorum, siue hominum, quorum ne cogitationes quidem volubiles erunt, Authore Augustino lib. 12. de ciuitate Dei cap. 16. Tum quia prima sphæra mobilis deseruit sphæris aliis cælestibus, & elemantariis inferioribus, necessariaque est ad earum motus, aut operationes; congruum verò apparet, vt locus à Deo destinatus beandis Angelis, & hominibus necessarius non sit in vniuerso ad alium finem, quàm ad hunc.

101 Rationes istæ rem satis suadent, etsi demonstratiuæ non sint; sed *peritorum hominum prudentum, & seniorum pronuntiationibus, absque demonstratione, non minus, quàm demonstrationibus attendendum est*, vt admonet Stagirita lib. 6. Ethicorum cap. 11. Nec vrgentiores sunt aliæ, quibus Philosophi mouentur communiter ad affirmanda complura, quæ sensibus non experimur. Ipsa cælorum mobilium diuisio in decem orbes, ipsum primum mobile (quod præ Empyreo placuit Caietano) ignis prætereà in lunæ concauo sphæra fidem sibi compararunt inter Philosophos, & Astrologos. Neque tamen horum argumenta maius habent pondus. Iure itaque meritò Theologi, supposita doctrina Catholicæ fidei de existentia Angelorum, & hominum beatorum in cælo, conuenerunt vnanimes in eam, quam de Empyreo hactenus comprobauimus, sententiam.

SECTIO VIII.

Exercitationis conclusio, & censura aduersus negantes Empyreum.

102 FAcessat iam immediatum, & inconsultum horum assertum. *Pro cuius confutatione sufficere deberet consensio omnium, quia indubitata veritatis manifestatio est authoritas vniuersorum, & perfecta ratio facta est, vbi nemo dissentit. Ita vt qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quàm damnanda peruersitas, quia præiudicium secum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuersitatis impugnat, & audientia locum non habet, qui à cunctis statuta conuellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quidquid contra id venit, hoc ipso statim falsitatem esse cognoscendum est, quod à veritate dissentit. Ac per hoc sufficere etiam id solum conuenit ad sententiam damnationis, quòd discrepat à iudicio veritatis.* Mutuati sumus verba hæc à Ioanne Cassiano lib. 1. de Incarnatione cap. 6. Vnde licet destituti essemus congruentibus tot rationibus, quotquot à nobis sunt propositæ, perpetuus nihilominus, & constans Patrum ac Theologorum concentus satis superque esset, ne aduersantium opinio benè audiret.

103 Et propterea permulti Theologi vt minimùm temeraritatis notam ipsi inurunt. Michael Palatius in 2. dist. 2. disp. 1. scribit, *Asserimus, calum Empyreum esse, quia Magister, Strabus, Beda, & ceteri post hos Patres, reliquaque Theologorum sacra caterua secuta idem censuit; & si recens Caietanus illud neget; sed temerè. Arbitror tamen, non esse hæresis crimine notandum, qui cælum Empyreum negaret; propterea, quia rem hanc nullus locus sacer indicat apertè, neque colligitur ex sacris euidenter, cælum Empyreum esse; quamuis temeritatis nota inurendus esset qui hoc dogma asserens, Empyreum cælum, non reciperet: quippe se præfert cunctis Doctoribus Theologis citra cunctationem hoc tradentibus.* Sic Doctissimus Palatius. Similiter Angles in 1. dist. 12. q. 3. difficultate 1. conclusione 2. ait, *negare cælum Empyreum esse, temeritas maxima esset.* Valentia tomo 1. disp. 5. q. 2. puncto 1. §. *Quare.* Rubius lib. 2. de cælo cap. 5. q. 3. Zumel 1. p. q. 66. art. 3. dub. 1. in fine, Ferdinandus Escalante in Clypeo concionatorum Verbi Dei lib. 8. cap. 3. Vincentius Regius lib. & cap. 4. Euangelicarum elucidationum Digressione, ac num. 3. inquiunt, *negari Empyreum sine temeritate non posse.* Clauius in cap. 1. sphæræ Ionnis de sacrobosco, *Hoc certum esse debet sine magna temeritate negari non posse cælum Empyreum, quod est immobile, eo quod iam Communis Theologorum schola illud admisit.* Andreas Duuallius tract. de Quatuor Nouissimis q. 6. artt. 2. v. *Controuersia est, Quamuis cælum Empyreum ratione naturali probari nequeat, cum sub adspectum non cadat, nec motu vllo, sicut alij cæli, deprehendatur, nec etiam in sacris litteris expresè contineatur, vt docet D. Thomas 1. p. q. 66. art. 2. Nihilominus illud absque maxima temeritate negari non potest, cum communi Patrum, & Scholasticorum calculo statuatur, Basilij 2. Exameron, Beda, Damasceni, Strabonis, Thomæ, & omnium aliorum, fidelesque omnes in hanc veritatem consentiant, atque etiam ex sacris litteris, si non exprese, saltem implicitè, & aliquo pacto possit erui.* Hactenus Duuallius Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ Professor in Academia Parisiensi, Ambrosius Catharinus Dominicanus opusculo de bonorum præmio grauiter conqueritur, quòd *Empyreum cælum quidam noui Magistri nobis eripere conentur.* Designat in his verbis Caietanum Syncronum suum; quem ob id asperè pungit in libello annotationum contra ipsum pag. 124. Raphael Auersa q. 32. Philosophiæ sect. 4. censet, *cognosci Empyreum ex doctrina fidei.* P. Franciscus Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. numer. 2. asseuerat existentiam Empyrei, esse *veritatem communiter in Ecclesia receptam, & omnino certam*, Dominicus del Pico in 1. parte Trilogij clausula 2. serm. 13. Guilielmus Pipinus Dominicanus clausula 1. in cap. 1. Genesis, & Alfonsus à Veracruce Physicorum lib. speculatione, & conclusione 4. *esse positionem Catholicorum, esse veritatem Catholicam.* Cornelius Gemma lib. 1. Cyclognominæ artis cap. 8. *esse positionem Theologia.* Videantur Martinengus numer. 2. Nannius, & Ystella Dominicanus numer. 13. Malonius numer. 14. penes quos seueriùs censurandùm foret, & adhuc rigidiùs penes Dominicanum Arauium, is enim lib. 10. Metaphysicæ q. 3. art. 4. n. 54. scribit, *cælum Empyreum dari, certum est de fide.*

103 At inquit Caietanus, non traditum Empyreum nisi à posterioribus, scilicet Beda, Strabo, & P. Lombardo

Lomb. Sed iam ostendi, traditum etiā ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus, notitiamque de ipso, quoad substantiam, & fortè quoad nomen, coæuam propè esse Christianæ Religioni. Anne nouum posteriorum inuentum, quod tota antiquitas Christiana proclamat? sed parcendum esset Caietano, *si in sacrorum lectione fuerit parùm versatus*, improperāte Melchiore Cano, eiusdem familiæ viro, lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. n. 10. Permiserim adhuc ex abundanti, non traditum Empyreum nisi à Beda Strabo, & Petro Lombardo, nihilque de hoc cælo reperiri apud vetustiores alios Patres. Nihilominus Beda, & reliqui memorati non debuissent vocari posteriores, nisi forsan soli scriptores Canonici, aut soli Doctores Ecclesiæ latinæ, vel Græcæ appellandi sint priores: nec fas fuit Caietano parui habere eorum, quos posteriores vocat, authoritatē; præsertim cum Theologi omnes post Magistrum sententiarum suis suffragiis confirmassent Empyrei cæli veritatem. Nullus est, qui nesciat, quanti æstimandus sit non interruptus, & cōmunis Theologorum consensus. Sumuntur quidem ex hoc in re graui vsque adeo probabilia argumenta, vt refragari temerarium sit, iudice Cano lib. 8. c. 4. conclusione 2. Argumento potest esse memorabilis decisio Concilij Viennesis sub Clemente V. vbi opinio, *quæ dicit tam paruulis quàm adultis cōferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabilior, & dictis sanctorum, & Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonans ducitur eligenda*. En quanti habeatur ea opinio, quia conformior Patribus, & Theologis modernis. Quid porrò vtrisque consonatiùs, quàm Empyreum.

104 Inquit rursus Caietanus, Empyreum nullibi inueniri in scriptura, Sed Caietanum rogo, an ipse in sacris litteris inuenerit primum mobile? Designet vel vnum verbum de eo, & actū sit de Empyreo. Rogo rursus, vbinam doceat scriptura, aquas supercælestes esse primum mobile, tertiumque cælum. Antiqui Astrologi non tertium sed octauum cælum, illudque indistinctum ab stellarum fixarum sede habuere primum mobile, post noni, & decimi cæli, ex quibus hoc esset primum mobile, comparatunt notitiam, quin de Chrystallino curarent cælo, aut quin secernerent à nono, & decimo. Recentes verò plerique Astrologi, tot mobilium cælorū diuisionem exautorare nituntur. Pates, & Theologi frequentissimè aut non interpretantur scripturam de aquis supra cælum astratum, aut volunt aquas supercælestes esse omnino distinctas à primo mobili, quòd putentur vel octauum, vel decimum cælum.

105 Deinde respondeo, *Empyrei nomen nullo modo in nouo, ac veteri testamento habetur; sensus autem, & significatio eius vbique habetur*, quæ sunt verba S. Epiphanij agentis de nomine *essentia* contra Semiarianos hæresi 73. Similia legere est in S. Thoma I. p. q. 29. art. 3 ad 1. loquente de vocabulo *persona* contendenteque, ponendum esse in diuinis, *quia licet in scriptura veteris, vel noui Testamenti non inueniatur dictum de Deo, tamen id quod nomen significat, multipliciter in sacra scriptura inuenitur assertum de Deo : : :. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundùm vocem, quæ sacra scriptura de Deo tradit, sequeretur, quod nunquam in alia lingua possit aliquis loqui de Deo nisi in illa, in qua primò tradita est scriptura veteris vel noui testamēti. Ad inueniendum autem noua nomina antiquam fidem de Deo significantia cogit necessitas disputandi cū hæreticis. Nec hæc nouitas vitanda est, cum non sit prophana, vtpote à scripturarū sensu non discordans*. S. Fulgentius in responsione contra Arrianos ad obiectionem 7. ait agens de voce *Homousion*, *Mirum est, quod in hoc nomine sonus tantum à quibusdam attenditur, nec dicti intelligentia vestigatur, cum pleraque non sint antiquitùs dicta, & pro temporum, causarumque opportunitatibus professioni fidei reperiantur inserta*. S. Athanasius in Disputatione cum Arrio inquit, *Quoniam res antiqua nouum nomen accepit, non vocabulo nouo noua rei virtus accessit. Hoc vtique requiro, vtrum res, quæ antiqua est, simulate cum nominis nouitate damnetur?* Idem S. Doctor in libro de Decretis Nycænæ Synodi cōtra Eusebium, addit, *Impietatem admittere in totum vetitum est, etiamsi quis variis verbis, ac persuasionibus inuentis id conetur conuestire; cæterum pietatem amplecti sanctorum omnium consensu prædicatur, etiamsi quis nobis verbis fuerit vsus, modò qui loquitur pium obtineat sensum ac per ea, quæ cogitauit, piè velit significare*. Et vt missos faciam S. August. Tract. 97. in Ioann. aliosque Patres collectos à Didaco Ruiz de Montoya disp. 21. de Trinitate, disp. 60. de scientia Dei, & à Paulo Leonardo Sherlogo parte 2. Responsionum ad expostulationes contra scientiam mediam sect. 3. n. 12. sect. 4. num. 17. Scribit S. Epiphanius aduersus Arrianos hæresi 69. *etiam si non esse hæc vox in scripturis Diuinis : : : attamen licebat nobis propter pietatem vti dictione vtili ad muniendam sanctam fidem*. Hæc obiter, vt vnā nominis cæli Empyrei nouitatem à calumnia vendicarem, & vt ipsi non verteretur vitio, quòd in sacris monumentis non reperiatur. *Regni cælorum* voce vsus est sæpe cum S. Ioannes Baptista tum Christus Dominus in nouo testamento, quin ea in antiquo fuisset audita, vt notat S. Chrysostomus homilia 4. in Marcum, S. Hieronymus ad Math. 3. v. 2. & lib. 1. aduersus Pelagianos, S. Augustinus lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. vltimo, S. Thomas (aut quisquis est alius iudicio Vielmis in apparatu Posseuini) ad Mathæum 3. v. 2. Petrus Damiani in sermone de S. Ioanne Batista, Moses Bacupha parte 1. de Paradiso cap. 11. Theophylactus in cap. & v. 16. Lucæ, nec non in cap. 17. v. 20. in cap. etiam Ioannis 3. v. 16. Tostatus q. 37. super Math. 11. Et tamen nec vocis nouitas fuit reprehendenda, nec eius sensus alienus erat à veteri testamento; si quidem cælestis patriæ lux promissa fuerat Abrahæ, & semini eius, docente Ecclesia in defunctorum Missis, & Abraham *expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus*, vti ait Paulus ad Hæbreos 13. v. 10. *Gehenna* nomen ad significandum Infernum Damnatorum primus etiam vsurpauit Christus seruator noster, obseruante S. Hieronymo in c. 10. Matthæi v. 28. & v. Beda ibidem, Eucherio lib. 4. in Reges cap. 31. Anne ideo aut Orcum nuper à Christo inuectum somniabis, aut verbi increpitabis translationem, de qua inter alios affatim Barradas tomo 2. in Euangelia lib. 7. cap. 17. Respondeo tertiò, Etiam si Empyrei nulla extarent indicia in sacris litteris, non ideo repudiandum fuisse à Caietano; sunt namque multa, quæ etsi non contenta in diuinis, Oraculis, reiecisse tamen, sit vt minimùm temeritas, si frequenti Patrum, ac Theosophorum placito iam olim stabilita maneant, sicut vsque ad Caietanum stetit Empyreum.

Sanè

106 Sanè ſepe numerò mecum reputanti mihi, *quonam pacto excellentiſſima veritas tantum in inimicum ſemet habere finerit; non improbabilis ratio, ſicut reor, apparuit. Omnia ſcilicet dignoſcuntur meliùs contrariorum comparatione: ſic equidem lumen tenebris, ſic vita morte ſic veritas falſitati compoſita plus delectat. oportuit igitur haſce diſtantias pro ſuis qualitatibus ſibi compotes ſortiri patronos, vt neque falſi lateret defenſor, nec veri vacaret aſſertor. Itaque fieret, vt nec ille magis noceret occultus, nec otioſus iſte torperet.* Sic dixerim cum S. Claudiano Mamerco lib. 2. de ſtatu animæ in principio. *Ab aduerſario mota quæſtio diſcendi occaſio ſepe extitit,* teſte S. Auguſtino lib. 16. de ciuitate Dei cap. 2 qui id confirmauit non incongruo exemplo tam ibi, quam lib. 2. de bono perſeuerantiæ c. 20. atque in Pſ. 54. v. 22. Nobis minus æqua Caietani de Empyreo exiſtimatio occaſio fuit iſtius cæli exiſtentiam accuratiùs indagandi, obfirmandi diligentius, & dilucidiùs explanandi: cumque iuxta Caſſianum lib. 1. de Incarnatione cap. 6. *veritas ventilata plus rutilet*, ſperamus equidem, maiorem deinceps lucem acceſſuram Empyreo, ſi eruditiores alij operam nauent euoluendis Sanctorum Patrum monumentis, excitari hac qualicumque noſtra præuia excurſione.

EXERCITATIO TERTIA.

De productione Cæli Empyrei, & de eius antiquitate.

STATVTA iam exiſtentiâ Empyrei, deuenio ad productionem, & antiquitatem.

SECTIO I.

An Empyreum ſit quid improductum, & æternum.

1 AVguſtinus Steuchus Eugubinus in Coſmopeiâ ad c. 1. Geneſis fol. 11. ac 29. Recognitione Veteris Teſtamenti ad idem caput à fol. 98. Commentario Pſ. 67. fol. 156. & denique Tract. de rebus incorporeis, ac inuiſibilibus ait, Empyreum eſſe quid increatum, & æternum. Steuchi Crudum hoc dictum peracerbè tractant Catharinus, Nannius, Vielmus, Yſtella, Martinengus, Pererius, Bonfretius, Leonardus Marius, Auguſtinus Torniellius Salianus, Henricus Spondanus in c. 1. Geneſis, Genebrardus lib. 3. de ſancta Trinitate, Senenſis lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ, annotatione 4. Poſſeuinus in apparatu ſacro tom. 1. agens de hoc Authore, Dominicus Bañez 1. p. q. 66. art. 3. Molina in 1. p. q. 10. art. 3. rurſus diſp. 3. de opere ſex dierum, Suarez in tract. de eodem opere lib. 1. c. 4. n. 9. Valentia tom. 1. diſp. 5. q. 2. puncto 1. Tannerus tom. 1. diſp. 6. q. 2. dub. 4. Raynaudus Theologiæ naturalis diſp. 1. q. 3 art. 1. n. 49. Hugo Sempilius lib. 10. de diſciplinis Mathematicis cap. 1. n. 3. Perauius tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 3. cap. 5. art. 3. Duuallius tract. de quatuor nouiſſimis q. 4. art. 2. Leo Allatius in notis ad Euſtathium pag. 25. Eſcalante in Clypeo Concionatorum lib. 8. cap. 3. Thomas Puis à Ponte in 1. p. q. 10. art. & dub. 3. n. 7. Antonius Zara in Anatomia ingeniorum ſect. 14. membro 12. pag. 531. Vincentius Regius lib. & cap. 4. Euangelicarum elucidationum n. 4. Maximilianus Sandæus lib. 1. Theologiæ Myſticæ commentatione 13. Exercit. & diſquiſit. 1. Auerſa q. 31. Philoſophiæ ſect. 7. alijque complures Theologi, & in Indicibus librorum Expurgandorum pro Catholicis Hiſpaniarum Regnis iamdiu iuſſum eſt expungi, vt & in Romano.

2 Aſt Daniel Malonius in 2. diſt. 2. diſp. 7. exponit Steuchum de cælo Deitatis, ſeu de claritate, quæ ſit ipſe Deus, & hoc pacto liberat ipſum à cenſura, qua communiter inuritur; abuſum tamen nomine fatetur. Expoſitio Malonij conſonat ijs, quæ Steuchus habet in Pſal. 67. vbi pro gloria Dei vſurpat Empyreum. Alia notat Suarez n. 7. in fauorem illius interpretationis, cui certè alia contradicunt, quæ congerit in n. 8. Quare iure merito vocat perplexam, & inuolutam Steuchi mentem. Nec poterit non vocare, qui legerit fol. 1. Coſmopeiæ, *Mundum quidem æternum non eſſe, æternumque nihil eſſe poſſe niſi Deum, ſit omnium rationum concurſu manifeſtum, & irrefragabile.*

3 Claudius de Sainctes, Repetitione 4. de Euchariſtia clariùs expreſſit, quod balbutiit Auguſtinus Steuchus, ait namque fol. 153. *Quid verò ſit* (Empyreum cælum) *ſecundùm ſcripturas, & creaturarum ordinem, atque contemplationem, probabilius reſpondetur, non ſtatuendum eſſe aliquod corpus, aut aliquem locum corporeum, aut aliquid denique creatum; ſed lucem increatam à diuinitate emicantem, beatitudinis noſtræ, & gloria fontem; breuiter id eſſe, quod erat vbique, antequam mundus corporeus eſſet conditus. Nihil enim ibi cogitari debet mundanum, ac creatum, cum creatio à mundi ceperit origine, ſed quemadmodùm mundus ſua exiſtentia effecit ſibi locum proprium, cum non ante eſſet locus, aut corpus, quo ambiretur; ita nec vltra mundum fuerit neceſſe, fingere eſſe aliquod corpus, aut loci planitiem aliquam creatam, in quam recipiantur Angeli, & beata corpora. Sed vt de mundo diximus, ita exiſtimari debet, Angelos, quam primùm extiterunt ex Dei nutu, ipſa ſua exiſtentia definiſſe ſibi locum; & corpora, quamprimùm ſupra mundum peruenerunt, ſua præſentia etiam circumſcribere ſibi locum intra Dei lucem, & gloriam, ad cuius fruitionem admittuntur, & propter huiuſmodi creaturas, quæ eò pro[illegible]untur, ac Dei peculiarem manifeſtationem, cælum & locus cognominatur, quamuis per ſe, & abſolutè res illa conſiderata, neque corporeus locus, neque locus creatus exiſtat, ſed lux diuina, puriſſima, & ſimpliciſſima extra mundum illuceſcens.* Subiungit paulò poſt, *Non ſum neſcius à Talmudicis, & Rabinis Hebræis, à Chriſtianis quoq; nõnullis Græcis, & Latinis de cælo Empyreo ſermonem haberi tanquam de vero cælo creato, & loco ampliſſimo. Nolim ego reſiſtere obſtinatiùs multorum Scriptorum, & Theologorum opinionibus, præſertim cum nihil veritati commodet, vel incommodet ſi cælum* illud

illud censeatur creatum, vel etiam corpus habeatur, vel non, Suo quisque vtatur arbitrio, non impedio; sequatur quisque in vtramque partem, quos volet Authores, cum non desint. Addit post pauca. *Scio, veteres non nullos Theologos de isto cælo solitus esse loqui, vt de creato loco. Sed si cui arriserit illa, quæ nihil magis probatur de isto cælo sententia* &c. Pro qua concludit fol. 154. *Cæterùm, vt tandem finiam disputationem de cælo Empyreo, quò Christus penetrauit, scripturis, & benè consultis Patribus magis consentaneum credo, non esse corpus, neque quicquam conditum,* In quo fatetur se suffragari Steucho. Quia verò qui contra hunc defensant, Empyreum esse quid creatum, toti insistunt in eo, quod oporteat, vel deum esse, vel creatum quid, occurrit Sainctesius scribens, *Quòd sicut ante creationem nihil prorsus erat præter Deum increatum, & oportuerit creaturas primas ibi, vbi erat solus Deus, & non aliud, recipi: ita nihil absurdum esse, si dicamus, non solùm ipsas primas creaturas, sed Beatorum corpora, ac totam mundi machinam nulla alia interposita creatura, ibi, vbi erat solus Deus, recipi: alioqui si creatura non potest existere nisi in alia creatura, ibitur in infinitum. Quòd si necesse est, aliquam creaturam ibi, vbi solus Deus erat, contineri, & sustineri, cur non & Christi corpus, creatura omnium excellentissima, & Angelos, & alios spiritus, ac Beatorum corpora ibi, vbi solus Deus est sine alia interiacente creatura collocari Credemus?* Hactenus prolixè ex Sainctesio, vt ipsius sensus, & Steuchi (si idem censeatur,) planiùs innotesceret, & appareret. Franciscus Patritius lib. 4. Pancosmiæ videtur esse consimilis mentis, vt & Conradus Vorstius apud Sandæum suprà, & in Hidro Hollando pag. 35.

4 Nostra contra eos triplici continebitur asserto. Sitque primum, Empyreum cælum est ens à Deo productum. Secundum, Empyreum non existit ab æterno. Tertium, Empyreum est locus positiuus, ac corporeus, & non spatium tantùm imaginariũ. Triplex assertum probatur simul ab authoritate tum ex cap. & v. 1. Genesis, *In principio creauit Deus cælum.* Quibus in verbis designatur, Empyreum siue solitariè, siue simul cum sydereo, vt expensum est in n. 4. Exercitationis conterminæ: tum ex Ps. 18. v. 4. *Laudate eum cæli cælorum::: quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Vbi cæli cælorum sumuntur pro Empyreo, vti & in lib. 2. c. 9. v. 6. *Tu ipse Domine solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum.* Vt omittam illud Genes. 2. v. 4. *Istæ sunt Generationes cæli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cælum, & terram.* Exodi 20. v. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Ps. 8. v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.* Psal. 101. v. 6. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Machabæorum lib. 2. c. 7. v. 28. *Peto, nate, aspicias ad cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Nam in promptu esset respondere, nullo ex his testimoniis comprehendi cælum Empyreum. Forsitan magis fauet illud Seruatoris apud Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* De quo testimonio plura inferiùs.

5 Probatur etiam à ratione primum, & secundum assertum, quia docente Fide Catholica, nihil positiuum reale existens à parte rei, distinctum à Deo est improductum, & æternum; est enim Deus *vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem,* vt dicitur in Oecumenico Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur in cap. *Firmiter.* De summa Trinitate, & fide Catholica. Imò innumeri ferè Theologi, ac Philosophi Christiani tenent, repugnare creaturam, etiam permanentem, quæ existat ab æterno: eorumque opinio magnum, nobileque habet patrocinium ab authoritate Sanctorum Patrum; quos inter S. Basilius, perperam adductus ab Steucho, & Sainctesio pro æternitate Empyrei, ait lib. 2. contra Eunomium, eiusdem amentiæ esse, *id, quod æternum est, creaturæ attestari, & creatorem hac professione priuare.* Rursus sermone in ea verba: *In principio erat verbum (sic fertur) Non igitur in principio humanum erat verbum. Sed neque Angelorum esse potest; omnis namq; creatio inferior eo est, principium à creatore accipiens.* Concinunt S. Aug. & S. Fulgent. ille contra Felicianum c. 7. *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, omnipotentis Dei voluntate facta substantia:* hic lib. 2. ad Trasimundum Regem c. 6. *Claret, omnem omnimodis creaturam, vt potè prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola creatoris voluntate, & potestate, quando faciendam indicauit, qui mutabilium operum dispositionem semper immutabilem habuit, subsistitura cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit, priusquam initio creationis extiterit.* Dices me deficere, si Patres alios frequẽti lectitatione obseruatos vellẽ hic reponere. Cum ergo Empyreum sit quid productum à Deo, & ab hoc distinguatur vt quid positiuum reale existens à parte rei, sequitur, non durasse ab æterno. Quòd autem sit quid positiuum reale existens à parte rei, & distinctum à Deo, probatum manet in Exercitatione proxima; ex qua tota non minus constat, esse locum positiuum corporeum, & non spatium tantùm imaginarium. Et verò tametsi præfato Authori concederem, Angelos, hominesque glorificatos existere in spatio imaginario, non ideo annuerem ipsi neganti cælum Empyreum, quod sit productum à Deo in tempore, & locus corporeus, fixus, ac immobilis, aptus intra se recipere Angelos, hominesque beatos. Franciscus Patritius significare videtur, Empyreum esse eius conditionis, quale confictum est imaginarium spatium à nonnullis antiquis, quorum meminit Cardin. de Lugo disp. 5 de Eucharistia sect. 4. n. 84. ens scilicet reale, diffusum immensè, & penetrabile cum omnibus corporibus, quæ in illo locari possunt. Sed hæc somnia sunt, & indigna prorsus, in quorum refutatione absumatur tempus.

6 P. Albertinus disp. vnica de Prædicamento vbi q. 1. excogitat, spatium imaginarium non esse quid negatiuum, neq; quid reale, neque item quid ratione nostra confictũ; sed tamen esse quid positiuũ medium inter reale, & rationis, aptumq; ab æterno recipere, aut definire corpora, & spiritus, dependensque præterea aliquo modo à Deo, quia etsi non sit ab ipso factum, neque potuerit fieri, neque possit vnquam destrui, nihilominus, Deo, per impossibile deficiente, deficeret. Quo paradoxo, si quis vellet lenire imaginationem Sainctesij, nosq; distinere, diceremus, & illud nobis ingenter displicere: & permisso adhuc illo, non idcircò negandum, Empyreum tale esse, quale paulò ante proposuimus. Displicet quidem ingenter. Nam ex S. Augustino

Omnis

Omnis substantia. (Seu, quod idem est, omnis entitas positiua) *qua Deus non est, creatura est, & qua creatura non est, Deus est.* Ita in lib. 1. de Trinitate cap. 6. Idem S Doctor in Enchiridio c. 9. tradit: *nullam esse naturam, qua non aut ipse Deus sit, aut ab ipso.* Et in tractatu super Psalm. 85. *Excepto Deo, quidquid aliud est in natura rerum, factum est à Deo.* in tract. etiam 1. super Ioannem semel, & bis hæc iterat. In Enchiridio cap. 9. ait: *Nullam esse naturam, qua non aut ipse sit Deus, aut ab ipso.* Imitatus est suum Magistrum S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. dicens: *Principaliter itaque tene, omnem creaturam* (fortè an naturam?) *qua non est Trinitas Deus, ab ipsa Trinitate, qua solus Deus aeternus, & verus est, creatam ex nihilo.* S. Iustinus in expositione fidei ait, *ac primùm quidem ea, qua sunt, diuidamus, inueniemus enim in id, quod creatum est, & in id, quod non creatum, diuidi omnia. Si quid enim est in iiis, qua sunt, id vel natura non condita est, vel condita, &c.* Addit post modùm *Hac itaque constituta diuisione, & hoc confirmato, inter diuinitatem, quoniam hoc non est creatum, ac naturam eam, qua creata est, nihil interiectum esse, certè omne, quod ab ea natura, qua condita est, differt, non à diuina distat.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Dialogorum de Trinitate, rogatus ab Hermia: *quanam tandem esset natura illa, qua neque Deus est, neque creatura? Nullum enim opinor omnino medium. Vna enim perfectissima differentia est, qua distare facit naturis Deum, & creaturam, & nihil aliud in his, qua esse creduntur viderit quis, quam hac, & sola; an prater hac ipse aliquid admittendum cogitas?* Respondet, *Minimè, ô Amice, omnia enim per filium facta esse; dicit diuina scriptura; atque adeò si qua res ab omnibus separetur naturaliter, effugiet etiam hanc paruitatem, quòd facta sit, sed ob natura propria excellentiam Deus existere cognoscetur, & veritas iterùm nobis non elabitur. Nam si quid non est Deus secundùm naturam, erit omnino inter facturas.* Idem S. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 6. *Cum rerum omnium naturam diligenter consideramus, Deum, & creaturam & nihil vltra hac aliud conspicimus; quicquid enim naturâ Deus non est, id certè creatum est; ac rursus quicquid creatum esse, negatur, id certe Deus est.* S. Gregorius Nyssenus lib. 12. Contra Eunomium tradit, *nihil esse increatum prater diuinam naturam.* Author de cognitione veræ vitæ inter opera S. Augustini cap. 7. pronuntiat, *Nihil prater creatorem, & creaturam existere.* S. Alcimus Auitus apud Petauium, *Nihil omnino esse prater duo, idest, creatorem, creaturamque sape definitum esse.* Faustinus Præsbyter lib. contra Arrianos cap. 7. *Omne, quod est, aut diuinitas est; aut creatura.* Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in epistola ad Anatolium, *omnis res, aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est, si creatura est, Deus non est.* Inuenies concordes alios Patres in Ioanne sapiente, cognomento Cyparisiota, Decade 8. de Infinitate Dei in creaturis c. 10. Qui omnes, & cum ipsis Princeps Theologorum S. Thom. q. 3. de potentia, art. 3. in corpore constanter asseuerant, nihil positiuum esse medium, inter creatum, & increatum, item omne positiuum, quod non est Deus, esse creaturam; solumque Deum esse improductum, & ab æterno existere, quia scilicet *omnia*, quæ non sunt Deus, *facta sunt per ipsum, & sine ipso factum est nihil.* Id est, quicquid prætereà adfertur, verè non est, vt communiter intelligitur S. Ioannes Euangelista c. 1. v. 3. Gordiano hoc modo Steuchum implicant non minus arctè, quam frequenter posteriores Theologi.

7 Vielmius in suspicionem vocat hæreseos Arnaldi de Villanoua aientis, aliquid esse, æternum præter Deum, & aliquid esse, quod non creator sit neq; creatura. Sic ex Vielmio refert Auersa, qui in locum Arnaldi Brixiensis suffecerunt Villanouanum Nam Prateolus Sanderus, & Gaulterius, non Villanouano Medico Iacobi secundi Regis Aragoniæ, sed Brixiensi, eiusq; Magistro Petro Abaelardo hæresim memoratam impingunt. Longè sum, vt Albertino eandem notam inuram; crediderim namq; loqui de sub illo spatio imaginario, non aliter ac plures grauissimi Authores de rerum creabilium essentiis, quas ante existentiam dictitant non solùm habere ab æterno potentiale esse in omni potentia diuina, sed in se etiam quoddam esse dominatum, intrinsecum, ac positiuum distinctum ab ente tam rationis, quàm negatiuo: audiunturque sine scandalo, & sine calumnia erroris. Verùmtamen ob adducta ex Patribus, variasque rationes, quæ huius loci non sunt, & partim habentur apud Nostros Martinum Bresserum lib. 1. de cõscientia c. 16. n. 135. Petrum Vuadingum disp. 2. de Incarnat. dub. & n. 1. toto cælo recedo ab opinatione Albertini.

8 Vlterius in Steucho subodorantur multi aliùm errorem, cuius meminit S. Gregorius Magnus lib. 18. Moralium cap. 28. & cui se deuouerunt Armeni, Petrus Abaelardus (qui tamen postea resipuit, si in eo fuit aliquando errore, nam in operibus, quæ extant, non inuenitur) Arnoldus Brixiensis, Almericus, & Recentes Græci Schismatici putantes, diuinam assentiam non posse in se videri à Beatis, sed in quadam luce, à charitate effluente ex ipsa, vnde cautè legenda sunt illa Claudij verba, *Sed lucem increatam à diuinitate emicantem, beatitudinis nostra, & gloria fontem.* Quibus verbis similia sunt hæc Gregorij Palamæ Græci apud Brouiũ in Annalibus Ecclesiasticis, an. 1337. n. 8. *Est quidem lumen illud diuinum & increatum & Deitas a sanctis nominatur; sed non est substantia Dei, sed operatio, & gratia, & gloria, & splendor ex diuina substantia in sanctos missus. Omnes enim sancti tam homines, quàm Angeli vident quidem gloriam Dei expertem temporis; substantiam verò Dei nullus neq; homo, neq; Angelus vidit, aut videre potest.*

9 Obiiciebat Steuchus aliqua sacræ paginæ testimonia, vt ex relatione eorum, qui ipsius nondum expurgata opera legerunt, compertum est nobis. Sed illa testimonia intelligenda sunt non de cælo Empyreo, sed de increato Deitatis *amicta lumine sicut vestimento* Ps. 103. v. 2. *Lucemque inhabitantis inaccessibilem.* 1. ad Timotheum 6. v. 16 Quòd autem Deus vocetur cælum increatum, affluenter ostendunt Cornelius in Daniel. c. 13. v. 9. Aloysius, Nouarinus lib. 1. Schediasmatum sacro prophanorum, c. 3. & Iosephus Stephanus Episcopus Oriolanus in lib. 1. Machab c. 2 v. 37. causas ob quas sic dicatur. deducit affluentiùs Guilielmus Parisiensis in secundæ partis de vniuerso part. 1. c. 82. & 86. Deus etiam nuncupari consueuit *lumen* iuxta Ps. 35. v. 27. *in lumine tuo videbimus lumen.* Sed vt notat S Gregor. vbi suprà: *Illi simplici, & incomprehensibili essentia non est aliud claritas, aliud natura.* Attribuendi Deo hoc nomen complures ex Patribus rationes colligit Cyparisiota Decade 6. de apparitionibus diuini luminis. Etsi verò Ps 144. v. 13. *Regnum tuum, regnum omnium saculorum*, interpretemur de cælo Empyreo, exprimitur ibi solum modò huius æternitatis à parte post.

10

Deinde obiiciebat Steuchus, mundi inuisibilis statum appellari à S. Basilio in loco ad n. 14. exarando, *æternum, & perpetem.* Cui consonat S. Clemens appositus n. 12. Exercit. Superioris, affirmans, Empyreum *esse æternum, & perpetuum.* Cæterùm, & *æuum nonnulli iam æterni appellatione dignantur, quoniam ex eo, quòd est semper, nominationem hanc sortitum est.* Sic respondet ipse S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, & non paucis exēplis demonstrant Christophorus Gillius in 1. p. lib. 2. tract. 12. c. 1. Cerda in aduersariis sacris c. 80. num. 14. solere vocari æternum, quod magnæ est antiquitatis, & quod fine caret, licet non exordio. Psalmo 76. v. 6. anni, qui fuerunt ab Adam, nuncupantur *æterni,* & Psalmo præcedenti v. 5. montes appellantur *æterni,* vt & *colles,* Genesis 49. v. 26. In re passim. obuia moram non facio. Quia ergo Empyreum antiquissimum est, semperque duraturum, ideo vocatur æternum à sanctis Basilio, & Clemente. Ex quibus prior in eodemmet loco docet, aduersus Gentiles Philosophos ab æterno nō fuisse cælum vnà cum Deo, neq; quiduis aliud.

11

Sanctesius opponit S. Hieronym. in c. 4. ad Ephesios, S. Augustinum de sermone Domini in monte, Eusebium Cæsariensem in vita Cōstantini lib. 4. c. 69. sed primi verba aliò tendentia dabo in Exercit. 20. tertij etiam ibidem. Secundum iam exposuit S. Thomas, vt animaduertam in Exercit. 21. Magis in speciem fauent alia S. Augustini verba, quæ extant, tum in lib. de cognitione veræ vitæ, (si hic liber sit Augustinianus) tum in lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 23. Nam in priori libro ait: *sicut igitur spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur, ita quoque non est necesse, vt tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur, non enim insensibile corpus spiritus, sed spiritus corpus vegetat. Igitur nullus locus spiritale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit; sed vt spiritus illocaliter in summo spiritu Deo subsistit; nisi fortè hoc pro loco accipiatur, quòd substantialiter, & personaliter circumscribitur. Amplius: aut in hoc corporeo mundo Sancti manentes Deum videbunt, aut extra mundum erunt? Si extra mundum fuerint, tunc nulla elementari materia stantes, vel sedentes sustentantur, quia nullum elementum extra mundum comprobatur. Qui enim terram, vel aquam ibi esse credit, nimis terrenus fluidus desipit. Si autem aerem, vel ignem ibi esse arbitratur, grauiter à mobilitate aeris & ignis ipse instabilis irrisui conspiciatur. Ergo extra mundum nulla re materiali fulciuntur, vbi nulla materia inuenitur. Si autem in hoc mundo erunt, similiter nulli elemento localiter stando, vel sedendo inhærebunt, quia æquales Angelis erunt. Cum igitur spiritales sint, in summo spiritu, spiritaliter, non localiter manebunt.* Hactenus ex priori libro cap. 45. Deinde in posteriori inquit; *Si autem quæritur; cum anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua corporalia loca feratur, an ad incorporalia corporalibus similia, an verò neque ad ipsa, sed ad illud, quod & corporibus, & similitudinibus corporum est excellentius? Citò quidem responderim, ad corporalia loca, eam vel non ferri, nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest; ego autem non puto, spiritualem enim arbitror esse, non corporalem. Ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus.* Sic ibi S. Augustinus, quem, vt aduertit Suarez tom. 2. in 3. p. d. 42. sect. 2. v. *Dices* spiritualitas animarum rationalium, sæpe habuit dubium circa existentiam in loco corporeo, dum sunt separatæ. S. Thomas in 4. dist. 45. q. & art. 1. ad 1. respondet, quatenus S. Augustinus in postremis verbis, & Boethius in finalibus, vt & S. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 1. Patresque alij apud Petauium tomo. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de Angelis cap. 13. à n. 5. voluerint, *incorporalia non esse in loco modo aliquo nobis noto, & consueto, secundùm quod dicimus corpora propriè in loco esse, sunt tamen in loco, modo substantiis spiritualibus conuenienti, qui nobis planè manifestus esse non potest.* Antiqui Theologi dū ad prællegatam Distinctionem agunt de receptaculis animarum post separationem à corpore, ita fermè respondet. sed delectabit audire Ioannem Bachonium in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. *cum dicit Augustinus, quòd Angeli, & animæ sanctorum viderent Deum extra omnem locum corporalem, & quòd regnum cælorum, & Paradisus non sunt loca corporalia, mysticè loquiquitur, accipiendo regnum cælorum, & Paradisum pro ipsa visione intellectuali; de qua certum est, quòd non requirit locum corporalem. Per hoc tamen non excludit, quòd accipiendo tertium cælum non figuratè, sed realiter, quin sit locus corpralis alius, quam syderum cælum, vel aereum.* Hæc Bachonius. Iam ad authoritatem ex libro priori dico, intendi ibi præcipuè, quòd corpora glorificata non indigeant secundùm se circumscriptione loci corporei, & vt summum, quod existant in spatio imaginario supra mundum corporeum: siue autem vnum, siue alterum, siue vtrumque concedatur, non inde concluditur, actum esse de cælo Empyreo loco creato, & corporeo.

12

Rursus oponit Blaudius S. Gregorium Nazianzenum in 1. epistola ad Cledonium Præsbiterum, quo loci scribit: *Si quis dicit, carnem nunc esse depositam, & Deitatem esse corpore nudatam, & non cum eo, quod accepit, & esse, & venturam esse, præsentiam aduentus non viderit. Vbi enim nunc est corpus, nisi cum eo, quod id assumpsit? Neque enim, vt nugantur Manichei, in sole est depositum, vt honoretur propter ignominiam, vel in aerem effusum est, & dissolutum, & vocis natura, & odoris fluxus, & fulgoris minimè consistentis cursus.* Tantùm Nazianzenus. Sed subiungit Claudius, *Hic Author constituit corpus Christi cum aliis extra mundum corporum cælestium.* Insigniter fallitur Claudius. Nam S. Nazianzenus non aliud ait, quàm verbum diuinum permanere vnitum corpori, quin hoc relictum sit in solis globo post Ascensionem ad cælum, aut quin sit attenuatum, & sparsum in aerem. Hinc verò nequiquam infertur Christi corpus ex sententia Nazianzeni existere extra omnem locum corporeum, & cælestem.

13

Adiicit Sanctesius, *Fortassè ad id alludit Paulus, cum nos habituros domicilium scribit non manu factum, sed æternum in cælis. Manu factum enim ferè legitur apud Apostolum pro condito simpliciter.* Sed sanè Apostolus vsurpat verbum *Manu factum,* pro facto manibus hominum; traditque nostram domum in cælis æternam forè à parte post, humanaque opera non cōfectam, siue sermo ipsi sit de corpore glorificato, quod erit quasi animæ domus, siue loquatur de loco cælesti, in quo, seu in domo, habitabunt beati homines. Denique repetitus sepe Author affert nescio quid de lumine, quod viderunt Apostoli relucere in Christi trāsfiguratione; allegatque Nostrum Franciscum Turrianum disputantem in Antapologetico pro residentia Pastorum, an esset creatum quid, an increatum; Testatur citari à Turriano aliquos Patres, ipseque

ipſeque adnectit alios ad probandum fuiſſe increatum; ſed conlcudit his verbis : *Verùm tot Patrum teſtimonia rectè ſunt intelligenda, non quaſi quòd proximè, & directè viderunt Apoſtoli, fuerit ipſa diuina eſſentia, vel aliquid increatum, ſed quod repreſentabatur, & inerat lumini, quod apparebat, eſſet Deus, & lux increata, quæ per lumen creatum tanquam per aliquod ſubiectum creatum cernebatur, quatenus à creatura cerni poteſt.* Ingenuè fateor, prætervolant hæc meum captum, vereorque, ne colludant cum Armenorum, & Græcorum errore de quo in num. 8. Certiſſima debent duo eſſe, primum, Apoſtolos teſtes transfigurationis Chriſti non vidiſſe diuinitatem, lumenque increatum diuinæ eſſentiæ. Ita notant Goffridus Cardinalis in tract. de corpore & ſanguine Domini, Maldonatus, Cornelius, Adamus Contzen. in cap. 7. Matthæi v. 2. & Maldonatus inquit, *Fuerunt noſtro tempore viri eruditiſſimi duo, qui exiſtimauerunt, Apoſtolos in Transfiguratione Chriſti vidiſſe diuinitatem. Minimè tamen illis aſſentior; neque vllum veterem Authorem ita ſenſiſſe credo, & ita ſentire periculoſum eſſe arbitror.* Secundum, lucem ab Apoſtolis conſpectam, creatam, & corpoream fuiſſe, emanantemque à diuina ſubſiſtentia, & beata anima Chriſti modo explicato à P. Suario 3. p. in Commentario ad art. 2. q. 45. Primum, & ſecundum docetur, & confirmatur ex Eccleſiæ Patribus à Ioanne Cypariſſiota in decade 6. cap. 4. & 5. neutrumque negari poteſt, niſi abeo, cui Gregorij Palamæ placuerit error, de quo Brobius in Annalibus Eccleſiaſticis anno 1337. num. 8. Spondanus in eiſdem Annalibus eodemque anno num. 11. & anno 1350. à num. 19. Non ſilebo, Turrianum noſtrum grauiter conqueri in memorato Antapologetico, quòd quidam ipſi affinxiſſent entitatem mediam inter increatam, & creatam. Sic à Raynaudo obſeruatum inuenio, nam opus illud Turriani meas ad manus non deuenit, nec dinumeratur à Poſſeuino in apparatu ſacro, à Philippo Alegambe in Bibliotheca ſcriptorum Societatis Ieſu.

SECTIO. II.

An Empyreum ſit productum à Deo ante mundum viſibilem? Sugillantur duo errores de ſupremo Cælo, & Paradiſo Cæleſti.

14 EX Amadio Minorita raptu 1. ſuæ Apocalypſis refertur ab Abrahamo Brouio tom. 18. Annalium Ecleſiaſticorum anno Chriſti 1471. num. 40. & Noſtro P. Cornelio à lapide in cap. 1. Apocalipſis S. Ioannis v. 4. quædam reuelatio, in qua traditur, *Angelo ſimul cum cælo Empyreo fuiſſe creatos per multa ſæculorum curricula ante mundum hunc ſenſibilem* S. Baſilius homilia 1. in Examerон inquit: *Erat ſanè ſtatus quidam mundi generatione ſuperior, abſtractis illis à concretione materiæ potentiis, mundo præſtantioribus, pro decore accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirùm, ac perpes. Creaturas autem in ipſo Creator omnium, atque opifex perfecit, lucem ſpiritualem eorum beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas, atque inuiſibiles, omneſque beatarum mentium ordines, quotquot noſtræ mentis quantamlibet dixeris, facultatem exuperant, quorumne nomenclaturã quidem poſſumus inuenire. Et hæc ſubſtantiam complent mundi illius inuiſibilis.* Rurſus homilia 2. *Arbitramur ſanè, ſi quid erat, ante mundi ſenſilis, atque corruptiui conſtitutionem, id in lumine nimirum fuiſſe. Neque enim Angelorum dignitates, neque cæleſtis exercitus vniuerſus, neque omnino ſi quæ natura ſunt participes rationis, aut nomen ſortita, aut nomine carentes, ſpirituſque ſubminiſtrantes degebant in tenebris, ſed in hac commodiſſima ſibi luce, lætitiaque ſpirituali ſuum ſtatum habuerunt.* Neque loquitur de luce increata, & diuina, quemadmodùm S. Gregorius Nazianzenus oratione 43. in Dominicam nonam, Nicetas ibi, Procopius in cap. 1. Geneſis; ſed decreta, & corporea, vt oſtendunt hæc verba paulo inferiùs, *Cælum igitur cum factum eſſet Dei ſanè imperio, ſuoque quaqua verſum ambitu expanſum, vt ſua complexu circumferentia, quæ exceptiurum erat, quaſi interiori quodam fine complecteretur ea, & contineret, corpus continuum obtinens, ab externiſque ſufficiens interna ſeiungere, comprehenſum à ſe locum neceſſariò carentem lumine reddidit, tenebriſque, interno interciſſo ſplendore, & intercepto obſcurauit.* Non excluderet ſua opacitate firmamentum lucem mundi inuiſibilis, niſi hæc eſſet corporea, & oppoſita tenebris corporalibus, de quibus agit Moyſes. Ideo autem S. Baſilius vocat ſpiritualem, vt ſic diſcernat à luce mundi viſibilis. Conſentiunt Baſilio S. Cæſarius Dialogo 1. S. Ambroſius lib. 1. Exameron cap. 8. Theodoretus in Geneſim q. 6. Georgius Cedrenus initio compendij Hiſtoriarum. Beda etiam ſuper examerоn producit in medium Baſilij placitum, nec refellit, ſed potiùs confirmat teſtimonio Sact. Clementis Romani.

15 Eſt illud valdè conforme alteri inter Patres familiari de creatione Angelorum ante mundialem hanc machinam. Patrum Cathologum apponunt Sixus ſenenſis lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annotatione 5. Ioannes Baptiſta Poza in elucidario Deiparæ lib. 4. tract. 2. c. 5. Ludouicus de la Cerda 1. de excellentia cæleſtium ſpirituum cap. 8. & vt ait S. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. ad 1. *Omnes Doctores Græci hoc concorditer ſentiunt, quòd Angeli ſunt ante mundum corporeum creati.* De quo *neminem fidelium dubitare*, aſſeuerat Caſſianus collatione 8. cap. 7. Latinos nonnullos Patres, & Græcos Doctores imitati ſunt Genebraldus initio Chronologiæ ætate 1. Catharinus opuſculo de gloria bonorum Angelorum, concluſione 1. Honorius Auguſtodunenſis l. & c. 2. de mundi imagine, Arnoldus Carnotenſis in tract. de operibus ſex dierum, Hieronymus ab Oleaſtro præfatione ad c. 1. Geneſis, Hieronymus Oſerius lib. 1. de Chriſtiana nobilitate n. 8. & nuperrimè Hieronymo columbo lib. 1. de Hierarchia Angelica, atque humana cap. 2. n. 12. extraneum à veritate non videtur, ſi diu ante primam illam diem, in qua facta eſt diſtinctio lucis & tenebrarum, conditi dicantur Angeli vnà cum cælo Empyreo, & primo mobili, ac terra ſeu potiùs materia prima ſignificata terræ nomine.

16 Sed & in fauorem productionis Empyrei ante primum mobile, ad terram adiungere quis poſſet S. Hieronymũ, dum in quæſtionibus, ſiue traditionibus Hebraicis librorum Geneſis ſcribit, *Ex quo manifeſtiſſimè comprobatur, quod prius quam cælum & terram Deus faceret, paradiſum ante condiderat; ſicut & legitur in Hebræo, Plantauerat autem Deus*

Deus paradisum in Eden à principio. Nam cum hoc Maximi Doctoris verba nequant intelligi de paradiso terrestri, videntur accipienda de Cælesti, ac Empyreo.

17 Tenendum omnino est, Empyreum non esse productum à Deo ante mundum sensibilem. Probabit quis primò ex Ecclesiastico dicente in cap. 18. v. 1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* vbi Tò *simul.* vel significat aliquod breue temporis spatium, putà sex Dierum, vel significat ea, quæ Deus fecit per strictam Creationem, fecisse in eodem instanti, exceptis animabus rationalibus, quas nouiter semper creat. Et iuxta alterutram significationem infertur, Empyreum non productū à Deo ante sex dies. Sed hæc probatio non est admodum efficax, tum quia particula *simul* significat forsitàn ibi idem, *ac æquè, pariter*; tum quia exponi aptè potest de simultaneitate morali, quatenus Empyreum non sit conditum multò ante sex dies: nec inusitatum est, dicere, fieri, aut existere simul ea, quorum vnum modico temporis interuallo præcedit aliud; tum quia non constat de Empyrei stricta creatione secundùm se totum, nempe secundùm materiam, & formam; quin potiùs hanc fuisse presisè generatam, multorum fert opinio, cui nos adhærebimus in sect. 5. Exercit. 6. Probabit quis secundo, ex verbis Christi 8. Ioannis v. 44. vbi de Diabolo, *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Peccauit ergo Diabolus ab initio. Ast statim, ac peccauit, detrusus est in Tartarum, vt colligitur ex Isaiæ 14. Lucæ 10. Apocalipsis 12. & 2. Petri, nec non Iudæ v. 6. Ergo ab initio creationis Angelorum existebat Infernus, & consequenter reliquus mundus corporeus quo ad elementa saltem, & cælum, cælumque Empyreum. Sed neque hæc argumentatio est efficax, neque attingit scopum, conuincit namque vt summùm, Angelos non diu creatos ante Infernum, & cælum Empyreum, quin vllatenus conuincat, quod opus erat, videlicet, omnia ista producta fuisse simul physicè, & non ante cæteras partes machinæ mundalis.

19 Validior probatio desumitur ex primoribus verbis Geneseos, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Nam illud *In principio* significat in litterali sensu, Deum in itio temporis, ac primum, & ante omnia opera ad extra creasse cælum, & terram. Aliunde cælum simul cum terra productum, aut est solum Empyreum, aut ipsum, & sydereum, vt in num. 4. & in alio anterioris Exercitationis, ibi citato deducebam. Hinc S. Thomas 1. p. q. 46. art. 3. in corpore ait, ob ea Genesis verba *quatuor poni simul creata, scilicet cælum Empyreum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica* docetque excludi eisdē verbis errorē dicentiū, *corporalia esse creata à Deo mediātibus* creaturis spiritualibus, si quidē quatuor illa sint simul producta ante omnia a Deo proindeque creaturæ corporales non sint conditæ mediantibus spiritualibus. Quo discursu videtur nō minus argui erroris creatio Angelorum præcedens cælum, ac terrā quā productio cæli, & teræ mediantibus Angelis, licet S. Thomas posteà q. 61. art. 3. ad 3. ob reuerentiam erga nonnullos Patres, quibus placuit præcedens Angelorum creatio, sic explicet Genesis verba, vt ab errore liberari queat Patrum opinatio.

20 Psaltes Regius in Psal. 101. v. 26. eodem ac Moses sensu decantauit, *Initio tu Domine terram fundasti ... opera manuum tuarum sunt cæli*, conditi ... , non minus, quàm terra; & cælorum nomine comprehenditur Empyreum vnà cum aliis cælis, dequibus immediatè subiungitur, *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent* &c. Rursus Moses cap. 2. Genesis v. 1. ac 2. narrationem operum sex dierum his verbis concludit, *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum; compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Sic etiam fermè in Exodo cap. 20. v. 11. Nihil autem causæ est, ne vtrobique à cælorum, qui primo sunt die producti, numero excludatur Empyreum, & sicut commentitiè excogitaretur, cælum hoc fuisse conditum post sextem diem, ita vanè putaretur constructum ante primum. Inter partes primi diei computo spatium, quod producto cælo, & terra præcessit ortum lucis. Prouerbiorum 8. v. 22. sapientia diuina affirmat se cū Deo fuisse, *antequā quicquam faceret à principio*, seu, *antequam cæli prepararentur à Deo, & terra fieret*, vt declaratur posteà. Igitur anteà nihil ad extra factum est à Deo, cælique simul cū terra, & in pricipio sunt præparati, siue sermo sit tantū de Empyreo cælo, siue de eo, aliisque cælis. Christus Dominus apud Mathæum 25. v. 34. sic in extremo iudicio electos affaturus proponitur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Regnum, quod paratum à constitutione mundi, id est, factum initio mundi, inquiet Christus, videtur esse corporeum, & materiale: nam spirituale gloriæ electos iā ab æterno manebat in prædestinatione diuina. Patri Suario lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. n. 5. acceptam refero hanc ponderationem, cui fauent S. Vincentius Ferret in sermone de Prædestinatione, Nicolaus Lyranus in Glossa, Alfonsus Tostatus in cap. 25. Matthæi q. 369. Cælius Pannonius in cap. 21. Apocalipsis sect. 2 puncto 1. multòque anteà S. Ioannes Chrysostomus in Parænesi ad Theolodorum lapsum, intelligentes Christi verba de Empyreo, aut de regno cælorum ad ornato ab exordio mundi propter nos. Patriarcha Hiero olymitanus Sophronius in epistola, quæ lecta est coram Patribus Synodi sextæ actione 11. & quæ act. 13. est approbata, ait, Deum *omnibus*, nempe sensibilibus, & intellectualibus, inuisibilibusque *constituisse*, seu *decreuisse principium temporale*, seu *temporis*. Latina Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & Fide Catholica statuit, Deum, *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Numerandum est Empyreum inter creaturas mundanas, & purè corporeas, ac sensibiles, quare ad illud extenderur definitio Ecclesiæ latinæ, & pronuntiatum Sophronij.

23 Nec desunt rationes. Prima sit, Empyreum cōstituit vnum vniuersum simul cum reliquis creaturis corporeis, & spiritualibus. Ergo oportuit vt simul cum illis produceretur. Probabi hac ratione vtitur S. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. vt adstruat, Angelos non fuisse productos ante mundum corporeum. Secunda sit, superuacanea foret Empyrei productio anterior creatione Angel. Ast hi non extitere ante mundum visibilem. Ergo neque illud.

Vnde suppositia, aut deprauata est censenda reuelatio Ama Dei. Videantur Tanneus tomo 1. disp. 5.

disp. 5. q. & dub. 1. num. 16. Antonius Vas concellius in descriptione Regni Lusitaniæ pag. 526. Frater Petrus de Alua, & Astorga tom. 1. Bibliothecæ Virginalis, Fraterque Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano ad diem 10. Augusti, vbi post Marcum Vlysiponensem, & Gonzagam expostulat sibi cum Abrahamo Brouio de intentata aduersus Amadeum sinistra fama ex reuelatione illa, aliisque eiusdem farinæ nothis, atque ementitis. Alfonsus tamen Briceñus in apparatu historiæ de vita & doctrina Scoti à num. 93. vsque ad 96. benigna quadam potius, quàm gemina expositione interpretatur reuelationem præfatam, ac si legitima Amadei foret tam ipsa quàm formula verborum, quibus compendiariè recitatur à P. Cornelio; nam ad verba quæ visuntur apud Tannerũ, ac Brouium, nec intendit animum Briciñus, nec benigna vlla cadit explicatio. Expectamus in dies integram Amadei Apocalypsim, cuius fragmenta fecit nuper communis iuris Petrus de Alua. Sed in eis non lego reuelationem illam.

23 Et sanè Angelos conditos fuisse à Deo simultate non solùm morali, sed etiam physica temporis cum creatura mundana, exprimitur, quantò clariùs potest, in consilio lateranensi suprà: vt ostendunt ea verba *Deus simul* quamuis autem particula *simul* significet non infrequenter idem, ac *æquè pariter*; tamen ibi incompetens est hæc significatio, tum ob subiecta verba, *Ab initio temporis* tum ob ea alia, *Deinde humanam* in quibus eatenus discriminatur natura humana ab Angelica, quatenus illa quoad animã posterius tempore respectu creaturæ mundanæ condita sit, quàm hæc. Quare ad mentem Cõcilij producta est hæc in eodem instanti mathematicè, ac creatura mundana. Quod si in eodem tantùm moraliter, cur de creatura humana adderet Concilium conditam esse *Deinde*, cum & creatura humana æquè posset dici condita simul moraliter? Ob authoritatem istius Concilij sunt, qui velint, non solùm temeritatis, sed etiam erroris, & hæresis sugillandum, qui iam assereret, Angelos creatos ante mundum corporeum vel per vnum physicum instans. Nam in professione fidei facta ab isto Concilio ex more solito sub eis verbis, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*, & ad caput apposito titulo, *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, decernitur, Angelos non esse cõditos ante creaturam mundanam, nihilque aliud continetur ibidem, quod fide catholica credi non debeat. Ast quia ea veritas non instituto, sed ex occasione, & obiter decreta est in præfacto Concilio, ideo Theologi permulti contenti sunt, si temerariæ tantùm notam inuserint post illud opinationi contrariæ: Quin P. Vazquez, & alij temeritatis notam auertere adhibita, ni fallor, violenta quadam interpretatione mentio, & verbis concilij, cuius germanum sensum anteà Dedi P. etiam Franciscus annotatione ad c. 5. Decadi 8. Ioannis Cyparissioræ, ait, *Non prohibet hæc Decretalis* Innocentij tertij, *quin liceat sentire, quod Apostolorum Discipuli Clemens Dionysius, quos multi alij posteà sequuti sunt, senserunt, creatos fuisse Angelos ante mundum.* Sic Turnanus. Sed quo pacto ipse exponat Concilium, libet non præterire. Inquit itaque, *Quia durationem Angelorum, quæ non est subiecta tempori, quia est tota simul, & inuariabilis, quæ est, & dicitur in sacris litteris æuum, non possumus cognoscere, neque aliis manifestare nisi per extensionem nostri temporis ex horis, diebus, & annis constantem, quam scriptura æuum quoque aliquando vocat, vt Dionysius notauit, idcirco Pontifex proposuit ad credendum simul ab initio temporis vtranque creaturam spiritualem, & corporalem conditam esse. Nomine itaque temporis æuum, & tempus comprehendit Pontifex imitatus Dionysium.* Hactenus peritissimus vir. Sed particulam *simul* non explicat, neque vnquam aptè declarare potest. Suppetias Turnano venit P. Balthasar Corderius in annotatione ad c. 10. S. Dionysij Areopagitæ de diuinis nominibus §. 3. dicens, eam particulam significare, nihil ex rebus creatis fuisse conditum ante alia sui generis, & ordinis, nempe vnum Angelum non esse productum ante alium, neque cælum ante terram. Sed est nimis emuncta interpretatio, & contra quam facit, quod de particula *Deinde* expendimus. Quapropter Angelorum creatio ante mundanam creaturam approbanda haud quaquam est post sanctionem Concilij Lateranensis, vt hoc allegato fatentur Thomas Angelicus, vel Anglicus in postilla ad Genesim cap. ac. v. 1. Ferrariensis lib. 2. contra Gentes cap. 83. Gregorius de Arimino in 2. dist. 2, art 12. & complures alij tam antiqui, quã Moderni; neque grata fuit omnibus Doctoribus Græcis, S. namque Epiphanius, Acatius, Theodoretus, Gennadius Constantinopolitanus, Diodorus Tarsensis, Sophronus Hierosolymitanus, Theodorus Mopsuestenus, S. Basilius Seleuciensis, Theophylus, & S. Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazeus, Authorque quæstionum ad Antiochum Principem sub nomine S. Athanasij eam, aut refutarunt, aut vocarunt indubium; & Georgius Cedrenus in compendio Historiarum sexta die mundi testatur, in libro Hæbraico, qui Genesis parua indigitatur, tradi cælestes potentias factas prima die, nec id improbatur ab ipso Cedreno.

24 Cæterùm etsi permitteremus anteriorem creationem Angelorum, debilis fit illatio ad Cælum Empyreum, cum Angeli suaptè natura non exigant corporeum locum, in quo sint. Idcircò S. Gregorius Nazianzenus oratione in Christi Natiuitatem declarat, intellectualem mundum, creatum ante ad spectabilem, non constare materia, & Ioannes Philoponus, qui subscripsit Patribus Græcis quoad anteriorem Angelorum creationem, multus est in lib. 1. de mundi creatione à cap. 8. vsque ad 21 vt euincat, Angelos constituentes intellectualem mundum, neque nunc esse, neque vnquam fuisse in loco corporeo. Nisi fortè quis dixerit, dicens non apparere, Angelos in nihilo, & ante, ac extra congruum Empyrei habitaculum produci, vel saltem permanere diu iamque beatos.

25 S. Hieronymus adductus in numero 16. loquitur de paradiso terrestri; sed dum ait; *Quod priùs, quàm cælum, & terram Deus faceret, paradisum ante condiderat*, illud *Ante*, idem sonat, ac ante perfectam cæli, & terræ exornationem, vt interpretantur Pereyra lib. 3. in Genesim, num. 7. Torniellus in Annalibus sacris die mundi tertia n. 13. Bonfrerius in cap. 2. Genesis v. 8. Vellosillus in Aduertentiis ad 3. tomum S. Hieronymi, quæsito vnico. Rua tomo 1. contro v. 3. positiua pag. 351. vbi explicat quædam similia verba ex 4. Esdræ cap. 3. v. 6. Messana in difficilibus Doctoris Maximi verbo *Paradisus*; consulendusque est Rupertus lib. 2. in Genesim cap. 25. Addit Pereyra, explicari posse S. Hieronymum de Paradiso spirituali, quæ est vita æterna præparata electis ante mundi constitutionem.

S. Basilij

26 S.Basilij mens valdè est obscura; nam ex vna parte videtur agere de luce corporea, vt expensum est supra; quicquid velit Petauius allegatus in n.1. Ex alia verò parte, lux corporea *non potuisset stare per se, sed deberet inhærere alicui corpori: quare fuisset aliquod corpus conditum à Deo ante cælum.* Quæ sunt Pereyræ verba lib.1. in Genesim n. 59. Responderet tamen aliquis, aut S. Basilium putasse cum Epedocle relato ab Aristotele lib.2.de Anima cap.7.textu 70 cum lucretio lib.4. de natura rerum Theodoreto q.7.super Genesim S. Damasceno lib.2.de fide orthodoxa cap.7.S. Augustino apud Auersam q.54.Philosophiæ sect.2. Lucem esse substantiam corpoream per se stantem, aut licet putarit esse accidens, sed creatam, & conseruatam diuinitus, diffusamque per spatium imaginatium independenter à subiecto substantiali corporeo. *Et primo modo lucem aliquam procreatam fuisse ante vniuersitatis huius conditionem, Basilius existimare potuit, eamque per se subsistentem, non tamen sempiternam, vt Palamitæ Graculi, & Eugubinus falcissima oponiones errore finxerunt.* Ita Petauius tomo 3. Theologicorum dogmatum lib.1. de opere sex dierum cap.7.num.6.Mihi quidem malè adhuc, & durè sonat productio, quantumuis non æterna, creaturæ corporeæ, siue substantialis, siue accidentalis, ante cælum, & terram. Sed præstat fateri occultum nobis esse sensum S.Basilij. *Et crebrò quidem accidit, vt Ecclesiæ luminaria, quoniam multa à nobis celsitudine separantur pro quodam nostra ignorantia nobilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura.* Quæ est obseruatio Facundi Hermianensis lib.6. pro defensione trium Capitulorum Consilij Calcedonensis cap.5. Quia verò *malignus animus, quæcumque non intelligit; statim tanquam friuola falsaque per arrogantiam eicit, nulli cedens, neque aliquid supra ipsum esse existimans*, vt aduertit S. Cyrillus Alexandrinus lib.4. in Ioannem cap.13. ideo nos, quibus malignus animus, præsertim in Patres Ecclesiæ, nullus inest, S. Basilium non refutamus, quin potiùs cupimus, vt diligentiores alij cogitationem ipsius de illa luce declarent, & componant ad normam verioris doctrinæ.

27 Pro Exercitationis mantissa non desinam adnotare ex S. Epiphanio hæresi 24. Basilidis errorem dicentis, ex nescio quibus *Potestatibus, ac Angelis factum esse supremum cælum*, Idem in Hæresi 31.refert Valentinianos effuctire *Paradisum, qui supra tertium cælum est, quartum Angelum virtute, ac potentia esse, & ab hoc aliquid accepisse Adamum conuersatum in ipso.* Legantur S. Irenæus lib.& cap.1.aduersus Hæreses, lib.etiam 2.cap.55. Tertullianus lib.contra Valentinianos cap.20.qui eisdem ferè vtuntur verbis S. Hieronymus Indiculo de Hæresibus in 2.Nicetas lib.4.thesauri hæresi 1.Maluenda cap.5. de Paradiso. Talia sunt Basilidis, & Valentinianorum ea somnia, ac commenta, vt à nobis non sine temporis repudiarétur iactura, congestis hinc, & inde argumentis ab authoritate, & ratione; confert tamen memorasse, & per hominum ora traduxisse *Multò enim melius est, accusandis, & reprehendendis aliis audire absurda, quàm ex inscitia in eodem incidere. Longè melius est, vt sordes cognoscas, & oderis, quàm ignorans in easdem incidas.* Sic S.Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 6. Illuminatorum in causa haud dispari.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE NATVRA CÆLI EMPYREI.

SEV de eius essentia, & quidditate, quæ per rectam methodum explicanda venit post tractationem præmissam de existentia. Nec nos moratur illud Catonis in Dysthicis l. 2.

Mitte arcana Dei, cælumque inquirere, quid sit,
Cum sis mortalis, quæ sint mortalia, cura.

Quin potiùs cum Manilio lib. 1. Astronomicôn

——— Iuuat ire per ipsum
Aera, & immenso spatiantem viuere cælo.

Nam immortales etiamnum animo sumus, speramusque vna cum corpore immortalitatem adepto Empyreas sedes inhabitare.

EXERCITATIO QVARTA.

De Natura corporea, vel spirituali composita, vel simplici Empyrei.

NATVRA creata quæuis corporea est, vel spiritualis, composita, vel simplex. Quam ex his conditionibus obtineat Empyreum, explorabit hæc Exercitatio.

SECTIO I.

An Empyreum sit natura corporea?

1 DVbitarunt nonnulli apud Ioannem Pium Mirandulanum in Heptaplo lib. 1. cap. 2. *Naturâ ne esset corporeâ, an incorporeâ potiùs Empyreum?* Alij apud Antonium Agellium in Ps. 148. v. 4. asseruerunt, corporeum non esse summum cælum, in quo manent beatæ animæ. Paulus Burgensis additione ad Postillam Nicolai de Lyra super Ps. 18. ait, Empyreum esse cælum spirituale, ideoque ob subtilitatem vocari à Regio vate opus digitorum Dei; cum tamen cæli syderei, quia corporei, appellentur opera manuum Dei. Paulus Sçaliger de rerum causis, & successibus lib. 5. c. 4. tradit, Empyreum non esse naturâ verè corporeum.

2 Nihilominus illud esse verè corporeum, & quantum asserimus indubitanter. Libet hîc apponere Nostri Adami Tanneri verba tom. 1. disp. 6. q. 2. dub. 4. vt quæ ad punctum præsens contineant doctrinam maximè vtilem, *Empyreum verò* (sic Tannerus) *licet Iustinus in Admonitorio intelligibile; Anselmus lib. 1 de imagine mundi cap. 28. spirituale dixerint; ad hæc, Origenes in Genesim homilia 1. Cælo Empyreo corporeum opponat, &*

denique

denique Steuchus in cap. 1. Genesis vlterius temere progressus etiam lucem quandam increatam, & perenniter à Deo emanantem, dixerit; tamen alij sancti Patres, hodieque Theologi omnes, meritò cælum etiam Empyreum vtpotè non tantùm Angelorum, sed etiam hominum beatorum sedem, ac domicilium, corporeum esse docent. Vt taceam, quod Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. absolutè pronuntiat, nihil incorporeum, & intelligibile naturâ credendum, nisi solum Deum. Hactenus Tannerus, qui omnino debuisset omittere Gennadij pronuntiatum, vtpote peccans per excessum. Nisi explicandum sit benignè cum Petauio tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 2. cap. 1. n. 15. non secus ac simile aliud S. Hilarij Canone 5. in Matthæum Cassiani lib. 7. collatione 13. Methodij apud Photium in Bibliotheca codice 234. Theophyli apud eundem Gennadium lib. 1. de viris illustribus, Macarij senioris homilia 4. Et quidem S. Damascenus elegantem interpretationem nos edocet, dum in cap. 1. Physicæ inquit: *Ad eam partem, quæ in contemplatione posita est, rerum corpore, ac materiâ vacantium consideratio pertinet, hoc est Dei, qui primum ac propriè corpore, atque materia vacat, ac deinde Angelorum, ac Dæmonum, & animarum: quæ etiam, si corporis ratio habeatur, à materia remota dicuntur, tametsi alioqui si cum eo, quod propriè materia caret, hoc est cum diuino Numine conferantur, materiæ constent.* Legatur etiam lib. 2. de fide Orthodoxa c. 3. ac 12. sed hoc omisso placet in reliquis insignis ille Theologus.

3 Et pro Patribus Ecclesiæ addo, si Empyreum aliquando vocatur ab ipsis incorporeum, spirituale ideo esse, quia non habet corporeitatem crassam, aut materiam similem saltem sydereæ, & elementari in crassitie. Quo sensu scripsit Abulensis in cap. 23. Exodi q. 53. *Cælum Empyreum, licet corpus sit, ideo non est totaliter spirituale, tamen est quasi spirituale, quia non est de materia aliorum celorum; imò non dicitur esse de materia; & sic illud est sexta essentia.* Potuit etiam dici spirituale, quia est Regio, & locus Angelorum, vt obseruant Petrus Comestor in hist. Genesis c. 13. Ambrosius Sprera in floribus sapientiæ serm. 9. parte ac conclus. 3. Author Philosophiæ Marguarita lib. 7. tract. 1. c. 8. & vniuersim notat S. Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 6. *Eum locum esse spiritualem, vbi & consideratur, & versatur spiritualis, atque incorporea natura.* Tandem intellectuale ea de causa est nuncupatum Empyreum, iudice S. Vincentio Ferretio serm. 4. in Dominica 1. Aduentus, quia nunc à nobis intellectu tantùm capitur.

4 Admissa existentia Empyrei corporeum illud omnino esse probatur non inefficaciter ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica: nam ibi creatura à Deo condita diuiditur in spiritualem, & corporalem, nempe in Angelicam, & mundanam; rursusque in humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Ast Empyreum non est creatura Angelica, proindeque non est creatura purè spiritualis; neque item est creatura humana; proptereàque non est creatura constituta ex spiritu, & corpore. Ergo est creatura mundana, adeoque purè corporea. S. Clemens Romanus, nomine S. Petri, affirmat, contineri firmamentum intra Empyreum. Et hinc optimè infert Franciscus Alfonsus disp. de cælo sect. 1. n. 2. Empyreum habere trinam dimensionem, seu esse substantiam, corpoream, compositam ex partibus integrantibus. Idque etiā persuadet ratio indicata à Tannero, quòd scilicet Empyreum sit locus realis extrinsecus Angelorum & hominum beatorum.

5 Probaui, Empyreum esse corpoream substantiam, Anne inde euidenter inferatur, spiritualem non esse? Ita quidem. Nam, vt argumentabar ex Concilio Lateranensis, ens creatum diuiditur, vt in extrema opposita, in spirituale, & corporale, & in compositum ex spirituali, & corporali tanquam ex condistinctis extremis. Ergo Empyreum, quod est substantia corporea, & solo corpore constans, non erit spirituale, neque spiritu constabit. Rursus corporeum opponitur incorporeo, & quod corporeum est, non potest esse incorporeum. Ergo neque potest esse spirituale, si quidem incorporeum, & spirituale idem prorsus sint, tàm in sacris litteris, vt testatur S. Augustinus epistola 174. quàm in profanis. Prætereà substantia cōsiderata semper est respectu corporeæ, & corpore vacantis, seu spiritualis tanquam genus respectu differentiarū, à quibus contrahitur, & dimiditur. At differētiæ cōtrahentes & diuidētes genus nequeunt vnam, eandemque speciem constituere. Ergo substantiæ species, quæ fuerit corporea, non potest simul esse spiritualis. Ad hoc; Ecclesiæ Patribus, qui Deum esse substantiam spiritualem, & Hæreticis, qui corpoream esse contendebant, nunquam in mentem venit, illis quidem vt probarent, sic esse spiritualem, vt corporea simul non esset, his sic corpoream esse, vt simul non esset spiritualis. Ergo quia vltra hominum opinionem semper fuerunt spiritualitas, & corporeitas identificatæ in entitate indiuidua. Certè quòd vna substantia sit perfectior in gradu corporeo, quam alia, eo quòd vna aliam excedat in gradu spirituali, notissimum cunctis. Sed quod vna, eademque substantia classem teneat spiritualis, & corporeæ inauditum prorsus fuit ad nostra vsque tempora, Iam tamen Modernus quidam exertè pronunciat, vnam eamdemque rem simul esse spiritualem, & corpoream; quem non aliter audio, ac si diceret posse simul esse increatam, & creatam, rationalem, & belluinam, animatam, & mortuam, naturalem, & supernaturalem, substantialem, & accidentalem, &c. Certè S. Damasceno in Homilia de Sabbato Sancto tam repugnans visum fuit, eandem rem simul esse spiritualem, & corporalem, quàm quòd simul sit increata, & creata, sic enim loquitur, *Nullo pacto hæc vnum, idemque naturâ sua esse queunt, creatum scilicet esse, & simul increatum, mortale, & immortale, sub visum cadens, ab eoque seiunctum.* In quibus verbis *sub visum cadens*, est idem ac corporale in phrasi Patrum, *à visu* seiunctum idem est, ac spirituale.

6 Pronuntiati sui duritiem emollire vult, quatenus spirituale tantùm, & corporale tantùm duæ sint differentiæ in substantia; cum quo rectè stat, vt detur tertia alia differentia conflata ex spirituali simul, & corporali, non secus ac practicum, & speculatiuum simul potest esse differentia cognitionis, etiamsi extent duæ aliæ differentiæ, scilicet practici tantùm, & speculatiui tantùm. Sed contra, quia si triplex differentia assignata in cognitione ministrat argumentum ad triplicem illam aliam in substantia, licebit æquo iure posthac dicere, posse dari vnam animam, quæ simul esset rationalis & belluina, æquina, & leonina, quamuis adsint aliæ, quæ solùm sint rationales, & solùm belluinæ equinæ solū & solū leoninæ. Nō ergo quæ in cognitione ob diuersitatē obiectorum, vel cognoscentium

tium admittitur possibilis differentia compacta ex practico simul, & speculatiuo, transferenda est ad substantiam. Addit Modernus, eadem entitas pendere potest indiuisè ab spiritu,& corpore: sicque pendet vnio inter animam rationalem,& materiam. Ergo est indiuisè spiritualis,& corporalis. Sed contra, quia pariter colligere posset, eandem entitatem esse indiuisè naturalem, & supernaturalem,siquidem actus permulti pendeant indiuisè à principio naturali,& supernaturali. Quare sicut dependentia actuum à principio supernaturali partiali, est in causa, vt sint supernaturales, quin simul sint naturales, ob dependentiam à principio partiali naturali: ita dependentia vnionis à materia tanquam ab extremo partiali, sufficiet vt sit tantùm corporalis, non obstante dependentia ab anima spirituali, tanquam ab extremo partiali. Videatur n. 40. Exercit. 7. Si Neothericus non aliud intenderet, quàm vnionem humanam non esse tam imperfectè corpoream, quàm equinam v.g. annueremus. Sed non possumus non renuere, dum inquit, esse simul spiritualem; nam minor imperfectio ingradu corporeo sat ad id non est, sicut è contra maior imperfectio animæ rationalis præ Angelo in gradu spirituali non sufficit, vt anima rationalis sit simul corporalis. Rationem à priori exhibeo; quia scilicet essentiales conceptus rei corporeæ, & rei spiritualis debent consistere in indiuisibili. Vnde si anima rationalis est spiritualis, quia non dependet physicè in sui permanentia à quantitate, neutiquam corporalis erit, etiamsi primam sui existentiam nequeat accipere naturaliter separata à quantitate, & ex hac parte imperfectior sit in ingradu spirituali, quàm Angelus. similiterque si vnio humana est corporalis, quia tam infieri, quam in conseruari dependet à quantitate, haud quaquam spiritualis erit ob dependentiam ab anima spirituali, licet titulo eius dependentiæ antecellat vnionem equinam alligatam animæ corporeæ. Sed ab hoc excessu præcindit essentialis conceptus entitatis corporeæ quemadmodùm spiritualis entitatis conceptus abstrahit à defectu illo alio, quem comparatiuè ad Angelum habet rationalis anima.

7 Neque opponat quispiam, species visiuas, immateriales,& spirituales vocari ab Aristotele lib. 2. de Anima textu 121. S. Augustino lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 16. Auerroe in 2. de Anima commentario 97. & 101. S. Thoma apud Auersam q. 53. Philosophiæ sect. 3. qui in q. 54. sect. 2. citat alios asserentes, lucem esse qualitatem spiritualem. Cum autem negari nequeat, species visiuas, & lucem esse corporeas, videtur, Authores illos ad misisse entitates spirituales, quæ simul essent corporales. Non, inquam, opponat, nam species visiuæ dicuntur ab illis Authoribus immateriales ob deputationem à materia obiecti repræsentati, seu quia species coloris est forma sine colore; dicuntur item spirituales ob indiuisibilitatem in repræsentando, vt notat Auersa, vel quia referunt entia spiritualia modo explicato à nostro Villapando tomo 2. explanationum Ezechielis parte & lib. 2. cap. 5. Denique lux appellatur spiritualis, quia instar substantiarum spiritualium putatur vulgariter peruadere corpus diaphanum, quod illuminat, quasi ex vna parte progrediatur ad aliam eademmet numero.

SECTIO II.

An Empyreum sit corpus completum simplex, vel compositum ex materia & forma?

8 SImplex esse, iudicant Granadus tract. 2. de opere sex dierum disp. 1. n. 7. Celada in benedictione 1. de Adamo & Eua in cap. 1. Genesis v. 1. n. 7. Franciscus Alfonsus disp. 12. de cælo sect. 1. n. 21. Auersa q. 33. Philosophiæ sect. 5. Redemptus Batanzanus, teste Hugone Sempilio lib. 10. de Mathematicis disciplinis cap. 2. Angelus à Montepiloso tomo 2. partis 2. Theologiæ disp. 32. art. 2. allegans Scotum in 2. dist. 14. q. 1. art. 2. tanquam manifestum sibi patronum; sed mihi suspiciosum, Amadeus tractat. 8. suæ Apocalypsis, & censebunt à fortiori omnes illi, qui negant cælo sydereo compositionem ex materia, & forma. Eos referunt Zabarella lib. de natura cæli cap. 6. & 7. Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 10. n. 2. & præcitatus Auersa. At reliqui Theologi, ac Philosophi tribuunt Empyreo compositionem ex materia, & forma. Imo repugnare corpus illa carens, affirmant Conimbricenses lib. 1. de cælo cap. 2. q. 4. art. 3. ad 8. Petrus Hurtadus disp. 1. de cælo sect. 1. §. 8. & disp. 2. de Anima sect. 4 §. 49. Tellez parte 3. Philosophiæ disp. 54. sect. 6. n. 11. propendet Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. &. n. 10. qui multos alios allegant.

DIGRESSIO

Non repugnat corpus completum simplex.

9 PRobat P. Ouiedus Contr. 5. Physic. punct. 5. §. 1. n. 2. quia inter substantias spirituales creatas datur quædam simplex completa, qualis est Angelica, quædam incompleta, qualis est anima stica rationalis. Ergo inter materiales non repugnabit substantia, quæ sit simplex completa. Sed inefficaciter, tum quia ex Antecedenti infertur etiã existentia substantiæ materialis simplicis cõpletæ: tum quia multi apud Vazquium 1. p. q. 50. in cõmentario art. 2. & apud Valentiam 1. p. disp. 4. q. 1. puncto 4. constituunt in Angelo compositionem ex materia, seu primo substantiali subiecto,& forma spiritualibus, putantes oppositum repugnare. Probant alij, quia potest Deus producere corpora perfectiora,& perfectiora in infinitum syncategorematicè. Ergo potest deuenire ad corpus, seu substantiam corpoream, adeò perfectam, vt seipsa sit completa absque substantiali forma. Hi etiam inefficaciter, vt patet exemplo animarum rationaliũ, quas potest Deus perfectiores, & perfectiores in infinitum syncategorematicè efficere, non tamen eam animæ rationalis speciem, quæ seipsa sit completa absque materia. Quare sicut maior,& maior perfectio animarum rationalium contineri debet intra gradum substantiæ spiritualis incompletæ, ita maior, & maior perfectio substantiæ corporeæ debebit contineri intra gradum compositæ ex materia,& forma, nisi aliunde probetur contrarium. Quod ab iisdem sic contenditur rursus, non repugnat corpus incompletũ tanta præditũ perfectione vt non egeat forma ad existendum naturaliter; vt non repugnat, imò de facto existit forma incompleta tantæ perfectionis, vt absque materia naturaliter permaneat, & conseruetur; talis est forma rationalis

rationalis. Ergo neque repugnabit corpus tam perfectum, vt non solum non egeat forma, qua compleatur, verùm etiam incapax eius sit. Attamen ex Antecedenti nullatenus deducitur, quod posttremo loco infertur. Nam & si materia talis esse concedatur, vt naturaliter existere queat sine omni forma substantiali, talisque sit forma rationalis, vt existat conseruata naturaliter absque vnione ad materiam, adhuc illa capax est naturaliter compleri per formam substantialem; & hæc, scilicet forma rationalis, capax est naturaliter compleri per materiam. Ergo hinc vt summùm deducitur, possibile esse corpus, quod non egeat formæ ad existendum naturaliter, non tamen, quod incapax sit cumpleri naturaliter per eam. Præterea Antecedés est falsum, si sermo sit de corpore indifferenti, vt compleatur substantialiter siue per formam, quæ possit naturaliter conseruari sine ipso, siue per formam, quæ non possit: tale enim corpus debet egere formæ ad existendum naturaliter; alioqui ex corpore, & forma nequiret resultare vnum substantiale per se, vt ostendam n. 8. Exercit. 6. Si verò sermo sit de corpore determinato, vt si habeat formam, ea sit, quæ nequeat conseruari naturaliter sine ipso, transeat, possibile esse, vt non egeat formæ ad existendum naturaliter; sit tamen incompletum. Quid inde? Certè à corpore incompleto ad completum videtur argui disparatè: & fortè melius inuerti sic posset argumentum, repugnat corpus incompletum tanta præditum perfectione, vt non egeat materiæ ad existendum naturaliter; si quidem repugnet forma corporea substantialis tantæ perfectionis, vt absque materia perseueret naturaliter. Ergo repugnabit corpus tam perfectum, vt non solùm non sit capax materiæ, verùm etiam eius non egeat ad sui complementum, & conseruationem naturalem.

10 Validius non est aliud eorundem argumentum in hunc modum: possibilis est natura creata subsistens essentialiter per se ipsam, licet naturæ creatæ de facto existentes subsistant per subsistentias distinctas à se realiter. Ergo similiter, licet naturæ corporeæ nunc existentes compleantur per formas substantiales realiter distinctas, possibilis erit natura corporea, quæ per se ipsam sit completa. Sed nisi inferatur: *quæ per se ipsam, & per formam substantialem sit completa*; nihil infertur: nam natura creata possibilis, assumpta in Antecedenti subsisteret per se ipsam, vt per subsistentiam, seu esset terminata substantialiter per se ipsam habentem rationem subsistentiæ identificatam secum. At natura corporea simplex, in cuius fauorem arguitur, non esset completa substantialiter per se ipsam habentem identificatam sibi rationem formæ substantialis. Denique iidem probanti impossibile non est corpus integraliter simplex, seu quod expers sit compositionis continuæ ex partibus integralibus. Ergo impossibile non erit corpus essentialiter simplex, seu quod expers sit compositionis essentialis ex materia, & forma P. Martinonus tomo 4. disp. 30. sect. 12. n. 80. meminit corporis propositi in Antecedenti. Et P. Ouiedus controu. ac puncto 5. Physicorum §. 2. tuetur, possibile esse corpus indiuisibile integraliter secundum substantiam, diuisibile tamen secundum quantitatem; quod à fortiori concedent, qui volunt, substantias corporeas de facto non habere partes nisi ratione quantitatis, & qui censent animalium imperfectorum animas corporeas esse diuisibiles integraliter, imò Alfonsus disp. & sect. 4. de Anima n. 43. Ouiedus controu. 7. Metaphysicæ puncto 2. §. 4. n. 26. iudicant, corpus illud impatribile posse esse præditum quãtitate incapaci diuisionis in partes. Verùmtamen cum S. Augustino in epistola 28. & in 57. lib. 4. de Anima, & eius origine c. 11. lib. 1. de quantitate Animæ cap. 4. & 14. S. Claudiano Mamerco lib. 1. de statu animæ c. 18. S. Damasceno lib. 1. fidei orthodoxæ c. 16. lib. 2. c. 12. apud me est impossibilis substantia corporea, quæ suapte natura non dependeat à diuisibili integraliter quantitate, & quæ proinde non habeat ordinem ad compositionem continuam ex partibus quantitatiuis, ideoque non vtor eo Antecedenti; quicquid sit de possibilitate corporis indiuisibilis integraliter secundùm substantiam.

11 Aliunde itaque argumentor pro possibilitate corporis simplicis completi; non repugnat substãtia spiritualis completa, quæ composita sit ex subiecto, & forma spiritualibus substantialibus. Ergo ex aduerso non repugnabit substantia materialis completa quæ incomposita sit ex materia, & forma corporeis substantialibus. Tam enim videtur esse de conceptu substantiæ spiritualis completa incompositio substantialis, quàm asserunt ab Aduersariis esse de cõceptu substantiæ materialis cõpletæ compositio substantialis. Antecedens fulcitur primò, non implicat contradictionem forma substantialis spiritualis incompleta diuersæ speciei ab anima rationali humana; neque item implicat materia substantialis incompleta spiritualis. Ergo non implicabit substantia completa spiritualis constans tali materia, & forma. Probatur posterior Antecedentis pars, quæ solùm eget probatione, quia materia illa, vel implicaret titulo substantialis, & hoc est falsum, vt patet in materia corporea; vel implicaret titulo incompletæ, & id etiã est falsum, vt liquet in eodem exemplo, vel denique implicaret titulo spiritualis, quia scilicet omnis materia debet esse corporea. Tamen ad conceptum præcisum materiæ vt sic satis videtur esse, si sortiatur rationem primi subiecti substantialis; ex quo quidpiam eo pacto fiat, vt non per accidens insit, & vltra id materia corporea habebit titulo corporeæ dependentiam naturalem à quantitate.

12 Fulcitur secundò superius Antecedens, existit de facto anima rationalis humana, quæ est forma substantialis incompleta spiritualis apta constituere vnum per se cum materia corporea. Ergo & si fateamur non existere aliam formam substantialem incompletam spiritualem, quæ apta sit constituere vnum per se cum materia spirituali, quia talis formæ nullum de facto indicium habemus, deffiteri tamen non debemus, possibilem esse, si quidem magis distans à materia corporea, magisque improportionata videatur anima rationalis humana ad vnionem cum ea, quàm esset illa alia forma respectu materiæ spiritualis. Confirmari potest, & exornari insigniter hoc argumentum simili alio S. Augustini lib. 22. de Ciuitate Dei caput. 6. *Si animæ* inquit, *tantummodò essemus, id est sine vllo corpore spiritus, & in cælo habitantes, terrena animalia nesciremus, nobisque futurum esse diceretur, vt terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteretur, nonne multo fortius argumentaremur id credere recusantes, & diceremus, naturam non pati, vt res incorporea Ligamento corporeo vinciretur, & tamen plena est terra vegetantibus animis, quibus hæc membra terrena miro modo sunt connexa, & implicita. Cur ergo*

ergo, eodem volente Deo, qui fecit hoc animal, non poterit terrenum corpus in caeleste corpus attolli, si animus omni, ac per hoc etiam caelesti corpore praestantior terreno corpori potuit alligari. Hactenus S. Augustinus, qui in epistola 3. ad Volusianum, vt probet non esse contra rationem vnionem Verbi diuini spiritualis cum humana anima incorporea, arguit ex vnione huius cum corpore, dicens, *duarum rerum incorporearum commixtio facilius cudi debuit, quàm vnius corporea, & alterius incorporea. Nam si anima in sua ratione non fallitur incorpoream se esse comprehendit, multò magis incorporeum esse Verbū Dei, ac per hoc credibilior Verbi Dei, & anima debuit esse cōmixtio, quàm anima & corporu, sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere iubemur.*

12 Iam idem Antecedens fulcitur tertiò, Substantia spiritualis potest esse subiectum alterius entitatis spiritualis, non solùm accidentalis, sed etiā substantialis, vt exploratum cōmuniter est in Angelica natura substātiali nunc existēte, & in anima rationali humana, quæ non solùm recipiūt accidentia spiritualia, sed etiā subsistentiam substantialē spiritualē, & anima recipit vnionē cum corpore substantialē, quæ iuxta plures est spiritualis. Cur ergo repugnabit substantia spiritualis, quæ sit primum subiectū alterius entitatis substātialis spiritualis? Vnde merito fatentur non repugnare Petrus VVadingus in tract. de Incarnat. Bubalus, & Martinonus in tract. de Angelis, Bartholom. Amicus in Physic. Arriaga, Alfons. & Ouied. in Animasticis; licèt cōtradicant Suar. disp. 13. Metaph. sect. 14. n. 13. Petrus Hurtad. disp. & sect. 2. de Anima Tellez p. 2. Philosop. disp. 22. sect. 5. n. 3. Teophylus Raynaudus in Theolog. naturali dist. 3. q. 1. art. 5. n. 42. Arrubal, Turrianus, Tannerus, Præpositus, Meratius, Frācifcus Amicus, Auersa Araujus, & Carpensis in tr. de Angelis quorū rationes dissoluam in sect. 1. Exercit. venientis.

13 Argumentor iterùm, non implicat contradictionem substantia corporea completa immunis ab essentiali partiū compositione, neq; substantiæ, neq; cōpletionis, neq; corporeitatis ratione. Suadetur ex Angelo, & materia prima corporea; ille enim est substantia cōpleta, expers tamen cōpositionis substantialis; hæc simplex, corporea tamen. Ergo ex nulla ratione repugnat corpus cōpletum simplex. Dices, implicantiā desumi ex coniunctis his rationibus in vna, eademq; entitate. Contra, sitq; vltima probatio non apparet cōuincens illius implicātię argumetū.

14 Nam si aliquod, maximè vnum ex his, vel hæc omnia simul. Primum, corpus simplex completum foret imperfectius animo rationali incorporeo; *nam omni corpore, qualibet natura incorporea præstantior*, iuxta S. Augustinum epistola 120. ad Honoratum, & lib. 12. de Genesi ad litteram c. 16. S. Anselmum c. 4. de Sacramento altaris; foretque vnā perfectius; nam substātia completa nobilior est, quàm incompleta, qualis est animus rationalis. Similiter foret imperfectius homine, quia hic constat animo rationali spirituali. *Absque dubio autem melior est natura rationalis, quàm irrationalis*, iuxta Richardum Victorinum lib. 1. de Trinitate, cap. 11. perfectius item, quia penes S. Bernardinum lib. 5. de cōsideratione ad Eugenium, *Natura simplex multiplici antefertur*, & penes S. Anselmum c. 3. de Incarnatione verbi, *simplicia præstant compositis, quantùm ad simplicitatem, & compositionē attinet*; homo autem est natura multiplex, seu composita. Secundum, repugnat corpus incapax formæ accidentalis. Ergo & incapax formæ substantialis. Tertium illud corpus esset, & non esset naturale: esset quidem, vt supponitur, non esset, quia non constaret materia & forma, quæ sunt principia corporis naturalis in facto esse. Quartum, materia est de intrinseco conceptu substantiæ corporeæ. Ergo impossibilis est substantia corporea, quæ non habeat materiam, & proinde formam ex sua natura, nec ex sua natura sit physicè incomplebilis materia. Ergo repugnat substantia corporea, quæ ex natura sua sit completa, & simplex, seu carens compositione materiæ, & formæ. Confirmatur, omnis substantia corporea debet esse materialis. Ergo nulla est possibilis, quæ componi non debeat ex materia.

15 Quintum, corpus illud esset quantum, quia extensum, & impenetrabile. Ergo constaret quantitate. Aliunde autem non constaret, quia defectum materiæ sequeretur defectus quantitatis, quæ quarto modo est proprietas materiæ. Sextum, quælibet substantia corporea necesse est, vt sit vel potentia, vel actus. Sed substantia corporea simplex completa neque esset potentia, neque actus, cum neque materia, neque forma esset. Septimum, in genere Metaphysico impossibilis est substantia completa (nisi sit genus summum) quæ non componatur ex genere, & differentia. Ergo in genere Physico impossibilis est substantia singularis completa, quæ non componatur ex materia, & forma. Octauum, ea substantia esset operatiua, tum quia repugnat substantia creata, quæ operatiua non sit, tum quia si substantiæ imperfectiores compositæ ex materia, & forma sunt operatiuæ, multò potiùs ea substantia. Rursus non esset operatiua. Nam in primis, non transeunter; alioqui cum modus operandi sequatur modum essendi, & ea substantia sit in modo essendi independens à subiecto, operaretur modo independenti à subiecto; proptereàque operaretur per creationem. Deinde non vitaliter, tum quia nec vitam substantialem completam, nec incompletam haberet: nam si completam, foret Angelus, si incompletam, homo; tum quia nullum genus vitæ accidentalis assignari potest ei substantiæ; non quidem genus vitæ intellectiuæ; superat enim genus substantiæ corporeæ; nec item genus vitæ sensitiuæ, vtpote quæ requirat in viuente primas qualitates, quibus careret ea substantia, eo quòd inepta esset disponi ad suscipiendam formam substantialem: non denique genus vitæ vegetatiuæ ob eandem rationem, & quia corporea ea substantia non posset acquirere nouas partes alterius, quæ esset composita ex materia, & forma, neque alterius, quæ esset simplex, nam cum altera composita non posset inire vnionem continuatiuam, & in altera simplici non posset introducere accidentia similia suis, & contraria alienis: alioqui daretur corruptio formæ substantialis in partibus substantiæ adquisitæ per vegetationem, quod est contra suppositionem. Nonum, vniuscuiusque primum subiectum est materia, & ex hac, ac ex forma debent constare vt ex principiis omnia entia naturalia, seu corpora completa; quod vtrumque docetur ab Aristotele in definitione materiæ, & principiorum entis naturalis, seu corporis completi. Decimum desumitur ex authoritate S. Damasceni dicentis lib. 1. de fide orthodoxa cap. 4. *Quo etenim modo corpus esse queat ∴∴. quod simplex est, compositionisque expers?*

16 Incipio ab hoc vltimo argumento, & respondeo, authoritathe S. Damasceni tantùm probari, non posse non competere corpori compositionem ex partibus integralibus saltem quantitatis, quæ compositio perstare germanitùs potest cum essentiali simplicitate, vt liquet in materia corporea.

Lomb. Sed iam ostendi, traditum etiã ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus, notitiamque de ipso, quoad substantiam, & fortè quoad nomen, coæuam propè esse Christianæ Religioni. Anne nouum posteriorum inuentum, quod tota antiquitas Christiana proclamat? sed parcendum esset Caietano, *si in factorum lectione fuerit parùm versatus*, improperãte Melchiore Cano, eiusdem familiæ viro, lib. 7. de locis Theologicis cap. 3. n. 10. Permiserim adhuc ex abundanti, non traditum Empyreum nisi à Beda Strabo, & Petro Lombardo, nihilque de hoc cælo reperiri apud vetustiores alios Patres. Nihilominus Beda, & reliqui memorati non debuissent vocari posteriores, nisi forsan soli scriptores Canonici, aut soli Doctores Ecclesiæ latinæ, vel Græcæ appellandi sint priores: nec fas fuit Caietano parui habere eorum, quos posteriores vocat, authoritatẽ; præsertim cum Theologi omnes post Magistrum sententiarum suis suffragiis confirmassent Empyrei cæli veritatem. Nullus est, qui nesciat, quanti æstimandus sit non interruptus, & cõmunis Theologorum consensus. Sumuntur quidem ex hoc in re graui vsque adeo probabilia argumenta, vt refragari temerarium sit, iudice Cano lib. 8. c. 4. conclusione 2. Argumento potest esse memorabilis decisio Concilij Viennésis sub Clemente V. vbi opinio, *quæ dicit tam paruulis quàm adultis cõferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabilior, & dictis sanctorum, & Doctorum Modernorum Theologia magis consonans ducitur eligenda.* En quanti habeatur ea opinio, quia conformior Patribus, & Theologis modernis. Quid porrò vtrisque consonatiùs, quàm Empyreum.

104 Inquit rursus Caietanus, Empyreum nullibi inueniri in scriptura, Sed Caietanum rogo, an ipse in sacris litteris inuenerit primum mobile? Designet vel vnum verbum de eo, & actũ sit de Empyreo. Rogo rursus, vbinam doceat scriptura, aquas supercælestes esse primum mobile, tertiumque cælum. Antiqui Astrologi non tertium sed octauum cælum, illudque indistinctum ab stellarum fixarum sede habuere primum mobile, post noni, & decimi cæli, ex quibus hoc esset primum mobile, compararunt notitiam, quin de Chrystallino curarent cælo, aut quin secernerent à nono, & decimo. Recentes verò plerique Astrologi, tot mobilium cælorũ diuisionem exautorare nituntur. Pates, & Theologi frequentissimè aut non interpretantur scripturam de aquis supra cælum astrarum, aut volunt aquas supercælestes esse omnino distinctas à primo mobili, quòd putentur vel octauum, vel decimum cælum.

105 Deinde respondeo, *Empyrei nomen nullo modo in nono, ac veteri testamento habetur; sensus autem, & significatio eius vbique habetur*, quæ sunt verba S. Epiphanij agentis de nomine *essentia* contra Semiarianos hæresi 73. Similia legere est in S. Thoma 1. p. q. 29. art. 3. ad 1. loquente de vocabulo *persona* contendenteque, ponendum esse in diuinis, *quia licet in scriptura veteris, vel noui Testamenti non inueniatur dictum de Deo, tamen id quod nomen significat, multipliciter in sacra scriptura inuenitur assertum de Deo :::. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundùm vocem, quæ sacra scriptura de Deo tradit, sequeretur, quod nunquam in alia lingua posset aliquis loqui de Deo nisi in illa, in qua primò tradita est scriptura veteris vel noui testamẽti. Ad inueniendum autem noua nomina antiquam fidem de Deo significantia cogit necessitas disputandi cũ hæreticis. Nec hæc nouitas vitanda est, cum non sit prophana, vpotè à scripturarũ sensu non discordans.* S. Fulgentius in responsione contra Arrianos ad obiectionem 7. ait agens de voce *Homousion*, *Mirum est, quod in hoc nomine sonus tantum à quibusdam attenditur, nec dicti intelligentia vestigatur, cum pleraque non sint antiquitùs dicta, & pro temporum, causarumque opportunitatibus professionis fidei reperiantur inserta.* S. Athanasius in Disputatione cum Arrio inquit, *Quoniam res antiqua nouum nomen accepit, non vocabulo nouo noua rei virtus accessit. Hoc vtique requiro, vtrum res, quæ antiqua est, simulate cum nominis nouitate damnetur?* Idem S. Doctor in libro de Decretis Nycænæ Synodi cõtra Eusebium, addit, *Impietatem admittere in totum vetitum est, etiam si quis variis verbis, ac persuasionibus inuentis id conetur conuestire: cæterùm pietatem amplecti sanctorum omnium consensu prædicatur, etiam si quis nobis verbis fuerit vsus, modò qui loquitur pium obtineat sensum ac per ea, quæ cogitauit, piè velit significare.* Et vt missos faciam S. August. Tract. 97. in Ioann. aliosque Patres collectosà Didaco Ruiz de Montoya disp. 21. de Trinitate, disp. 60. de scientia Dei, & à Paulo Leonardo Sherlogo parte 2. Responsionum ad expostulationes contra scientiam mediam sect. 3. n. 12. sect. 4. num. 17. Scribit S. Epiphanius aduersus Arrianos hæresi 69. *etiam si non esse hæc vox in scriptoris Diuinis ::: attamen licebat nobis propter pietatem vti dictione vtili ad muniendam sanctam fidem.* Hæc obiter, vt vnà nominis cæli Empyrei nouitatem à calumnia vendicarem, & vt ipsi non verteretur vitio, quòd in sacris monumentis non reperiatur. *Regni cælorum* voce vsus est sæpe cum S. Ioannes Baptista tum Christus Dominus in nouo testamento, quin ea in antiquo fuisset audita, vt notat S. Chrysostomus homilia 4. in Marcum, S. Hieronymus ad Math. 3. v. 2. & lib. 1. aduersus Pelagianos, S. Augustinus lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. vltimo, S. Thomas (aut quisquis est alius iudicio Vielmis in apparatu Posseuini) ad Mathæum 3. v. 2. Petrus Damiani in sermone de S. Ioanne Batista, Moses Bacupha parte 1. de Paradiso cap. 11. Theophylactus in cap. & v. 16. Lucæ, nec non in cap. 17. v. 20. in cap. etiam Ioannis 3. v. 16. Tostatus q. 37. super Math. 11. Et tamen nec vocis nouitas fuit reprehendenda, nec eius sensus alienus erat à veteri testamento; si quidem cælestis patriæ lux promissa fuerat Abrahæ, & semini eius, docente Ecclesia in defunctorum Missis, & Abraham *expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus*, vti ait Paulus ad Hæbreos 13. v. 10. *Gehennæ* nomen ad significandum Infernum Damnatorum primus etiam vsurpauit Christus seruator noster, obseruante S. Hieronymo in c. 10. Matthæi v. 28. & v. Beda ibidem, Eucherio lib. 4. in Reges cap. 31. Anne ideo aut Orcum nuper à Christo inuectum somniabis, aut verbi increpitabis translationem, de qua inter alios affatim Barradas tomo 2. in Euangelia lib. 7. cap. 17. Respondeo tertiò, Etiam si Empyrei nulla extarent indicia in sacris litteris, non ideo repudiandum fuisse à Caietano; sunt namque multa, quæ etsi non contenta in diuinis, Oraculis, reiecisse tamen, sit vt minimùm temeritas, si frequenti Patrum, ac Theosophorum placito iam olim stabilita maneant, sicut vtique ad Caietanum stetit Empyreum.

Sanè

106 Sanè ſæpe numerò mecum reputanti mihi, quonam pacto excellentiſſima veritas tantum in inimicum ſemet habere ſiuerit; non improbabilis ratio, ſicut reor, apparuit. Omnia ſcilicet dignoſcuntur meliùs contrariorum comparatione: ſic equidem lumen tenebris, ſic vita morte ſic veritas falcitati compoſita plus delectat. oportuit igitur haſce diſtantias pro ſuis qualitatibus ſibi compotes ſortiri patronos, vt neque falſi lateret defenſor, nec veri vacaret aſſertor. Itaque fieret, vt nec ille magis noceret occultus, nec otioſus iſte torperet. Sic dixerim cum S. Claudiano Mamerco lib. 2. de ſtatu animæ in principio. Ab aduerſario mota quæſtio diſcendi occaſio ſæpe extitit, teſte S. Auguſtino lib. 16. de ciuitate Dei cap. 2 qui id confirmauit non incongruo exemplo tam ibi, quam lib. 2. de bono perſeuerantiæ c. 20. atque in Pſ. 54. v. 22. Nobis minus æqua Caietani de Empyreo exiſtimatio occaſio fuit iſtius cæli exiſtentiam accuratiùs indagandi, obfirmandi diligentius, & dilucidiùs explanandi: cumque iuxta Caſſianum lib. 1. de Incarnatione cap. 6. veritas ventilata plus rutilet, ſperamus equidem, maiorem deinceps lucem acceſſuram Empyreo, ſi eruditiores alij operam nauent euoluendis Sanctorum Patrum monumentis, excitati hac qualicumque noſtra præuia excurſione.

EXERCITATIO TERTIA.

De productione Cæli Empyrei, & de eius antiquitate.

STATVTA iam exiſtentiâ Empyrei, deuenio ad productionem, & antiquitatem.

SECTIO I.

An Empyreum ſit quid improductum, & æternum.

1 AVguſtinus Steuchus Eugubinus in Coſmopeiâ ad c. 1. Geneſis fol. 11. ac 29. Recognitione Veteris Teſtamenti ad idem caput à fol. 98. Commentario Pſ. 67. fol. 156. & denique Tract. de rebus incorporeis, ac inuiſibilibus ait, Empyreum eſſe quid increatum, & æternum. Steuchi Crudum hoc dictum peracerbè tractant Catharinus, Nannius, Vielmus, Yſtella, Martinengus, Pererius, Bonfrerius, Leonardus Marius, Auguſtinus Torniellius Salianus, Henricus Spondanus in c. 1. Geneſis, Genebrardus lib. 3. de ſancta Trinitate, Senenſis lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ, annotatione 4. Poſſeuinus in apparatu ſacro tom. 1. agens de hoc Authore, Dominicus Bañez 1. p. q. 66. art. 3. Molina in 1. p. q. 10. art. 3. rurſus diſp. 3. de opere ſex dierum, Suarez in tract. de eodem opere lib. 1. c. 4. n. 9. Valentia tom. 1. diſp. 5. q. 2. puncto 1. Tannerus tom. 1. diſp. 6. q. 2. dub. 4. Raynaudus Theologiæ naturalis diſp. 1. q. 3 art. 1. n. 49. Hugo Sempilius lib. 10. de diſciplinis Mathematicis cap. 1. n. 3. Petauius tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 3. cap. 5. art. 3. Duuallius tract. de quatuor nouiſſimis q. 4. art. 2. Leo Allatius in notis ad Euſtathium pag. 25. Eſcalante in Clypeo Concionatorum lib. 8. cap. 3. Thomas Puis à Ponte in 1. p. q. 10. art. & dub. 3. n. 7. Antonius Zara in Anatomia ingeniorum ſect. 14. membro 12. pag. 531. Vincentius Regius lib. & cap. 4. Euangelicarum elucidationum n. 4. Maximilianus Sandæus lib. 1. Theologiæ Myſticæ commentatione 13. Exercit. & diſquiſit. 1. Auerſa q. 31. Philoſophiæ ſect. 7. alijque complures Theologi, & in Indicibus librorum Expurgandorum pro Catholicis Hiſpaniarum Regnis iamdiu iuſſum eſt expungi, vt & in Romano.

2 Aſt Daniel Malonius in 2. diſt. 2. diſp. 7. exponit Steuchum de cælo Deitatis, ſeu de claritate, quæ ſit ipſe Deus, & hoc pacto liberat ipſum à cenſura, qua communiter inuritur; abuſum tamen nomine fatetur. Expoſitio Malonij conſonat ijs, quæ Steuchus habet in Pſal. 67. vbi pro gloria Dei vſurpat Empyreum. Alia notat Suarez n. 7. in fauorem illius interpretationis, cui certè alia contradicunt, quæ congerit in n. 8. Quare iure merito vocat perplexam, & inuolutam Steuchi mentem. Nec poterit non vocare, qui legerit fol. 1. Coſmopeiæ, *Mundum quidem æternum non eſſe, æternumque nihil eſſe poſſe niſi Deum, ſit omnium rationum concurſu manifeſtum, & irrefragabile.*

3 Claudius de Sainctes, Repetitione 4. de Eucharistia clariùs expreſſit, quod balbutiit Auguſtinus Steuchus, ait namque fol. 153. *Quid verò ſit* (Empyreum cælum) *ſecundùm ſcripturas, & creaturarum ordinem, atque contemplationem, probabilius reſpondetur, non ſtatuendum eſſe aliquod corpus, aut aliquem locum corporeum, aut aliquid denique creatum; ſed lucem increatam à diuinitate emicantem, beatitudinis noſtræ, & gloriæ fontem; breuiter id eſſe, quod erat vbique, antequam mundus corporeus eſſet conditus. Nihil enim ibi cogitari debet mundanum, ac creatum, cum creatio à mundi cæperit origine, ſed quemadmodùm mundus ſua exiſtentia effecit ſibi locum proprium, cum non ante eſſet locus, aut corpus, quo ambiretur; ita nec vltra mundum fuerit neceſſe, fingere eſſe aliquod corpus, aut loci planitiem aliquam creatam, in quam recipiantur Angeli, & beata corpora. Sed vt de mundo diximus, ita exiſtimari debet, Angelos, quam primùm extiterunt ex Dei nutu, ipſa ſua exiſtentia definiſſe ſibi locum; & corpora, quamprimùm ſupra mundum peruenerunt, ſua præſentia etiam circumſcribere ſibi locum intra Dei lucem, & gloriam, ad cuius fruitionem admittuntur, & propter huiuſmodi creaturas, quæ eò pro[illegible]untur, ac Dei peculiarem manifeſtationem, cælum & locus cognominatur; quamuis per ſe, & abſolutè res illa conſiderata, neque corporeus locus, neque locus creatus, exiſtat, ſed lux diuina, puriſſima, & ſimpliciſſima extra mundum illuceſcens.* Subiungit paulò poſt, *Non ſum neſcius à Talmudicis, & Rabinis Hebræis, à Chriſtianis quoq; nonnullis Græcis, & Latinis de cælo Empyreo ſermonem haberi tanquam de vero cælo creato, & loco ampliſſimo. Nolim ego reſiſtere obſtinatiùs multorum Scriptorum, & Theologorum opinionibus, præſertim cum nihil veritati commodet, vel incommodet ſi cælum illud*

illud censeatur creatum, vel etiam corpus habeatur, vel non, Suo quisque vtatur arbitrio, non impedio; sequatur quisque in vtramque partem, quos volet Authores, cum non desint. Addit post pauca. *Scio, veteres non nullos Theologos de isto cælo solitus esse loqui, vt de creato loco. Sed si cui arriserit illa, quæ nihil magis probatur de isto cælo sententia* &c. Proqua concludit fol. 154. *Cæterùm, vt tandem finiam disputationem de cælo Empyreo, quò Christus penitrauit, scripturis, & benè consultis Patribus magis consentaneum credo, non esse corpus, neque quicquam conditum,* In quo fatetur se suffragari Steucho. Quia verò qui contra hunc defendant, Empyreum esse quid creatum, toti insistunt in eo, quod oporteat, vel deum esse, vel creatum quid, occurit Sainctesius scribens, *Quòd sicut ante creationem nihil prorsus erat præter Deum increatum, & oportuerit creaturas primas ibi, vbi erat solus Deus, & non aliud, recipi: ita nihil absurdum esse, si dicamus, non solùm ipsas primas creaturas, sed Beatorum corpora, ac totam mundi machinam nulla alia interposita creatura, ibi, vbi erat solus Deus, recipi: alioqui si cratura non potest existere nisi in alia creatura, ibitur in infinitum. Quòd si necesse est, aliquam craturam ibi, vbi solus Deus erat, contineri, & sustineri, cur non & Christi corpus, creatura omnium excellentissima, & Angelos, & alios spiritus, ac Beatorum corpora ibi, vbi solus Deus est sine alia interiacente creatura collocari Credemus?* Hactenus prolixè ex Sainctesio, vt ipsius sensus, & steuchi (si idem censeatur,) planiùs innotesceret, & appareret. Franciscus Patritius lib. 4. Pancosmiæ videtur esse consimilis mentis, vt & Conradus Vorstius apud Sandæum suprà, & in Hidro Hollando pag. 35.

4 Nostra contra eos triplici continebitur asserto. Sitque primum, Empyreum cælum est ens à Deo productum. Secundum, Empyreum non existit ab æterno. Tertium, Empyreum est locus positiuus, ac corporeus, & non spatium tantùm imaginariū. Triplex assertum probatur simul ab authoritate tum ex cap. & v. 1. Genesis, *In principio creauit Deus cælum.* Quibus in verbis designatur, Empyreum siue solitariè, siue simul cum sydereo, vt expensum est in n. 4. Exercitationis centerminæ: tum ex Ps. 18. v. 4. *Laudate eum cæli cælorum::: quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Vbi cæli cælorum sumuntur pro Empyreo, vti & in lib. 2. c. 9. v. 6. *Tu ipse Domine solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum.* Vt omittam illud Genes. 2. v. 4. *Istæ sunt Generationes cæli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cælum, & terram.* Exodi 20. v. 11. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Ps. 8. v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti.* Psal. 101. v. 6. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Machabæorum lib. 2. c. 7. v. 28. *Peto, nate, aspicias ad cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Nam in promptu esset respondere, nullo ex his testimoniis comprehendi cælum Empyreum. Forsitan magis fauet illud Seruatoris apud Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* De quo testimonio plura inferiùs.

5 Probatur etiam à ratione primum, & secundum assertum, quia docente Fide Catholica, nihil positiuum reale existens à parte rei, distinctum à Deo est improductum, & æternum; est enim Deus *vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem*, vt dicitur in Oecumenico Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. & refertur in cap. *Firmiter.* De summa Trinitate, & fide Catholica. Imò innumeri ferè Theologi, ac Philosophi Christiani tenent, repugnare creaturam, etiam permanentem, quæ existat ab æterno: eorumque opinio magnum, nobileque habet patrocinium ab authoritate Sanctorum Patrum; quos inter S. Basilius, perperam adductus ab steucho, & Sainctesio pro æternitate Empyrei, ait lib. 2. contra Ennomium, eiusdem amentiæ esse, *id, quod æternum est, creaturæ attestari, & creatorem hac professione priuare.* Rursus sermone in ea verba: *In principio erat verbum (sic fertur) Non agitur in principio humanum erat verbum. Sed neque Angelorum esse potest; omnis namq; creatio inferior æuo est, principium à creatore accipiens.* Concinunt S. Aug. & S. Fulgent. ille contra Felicianum c. 7. *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantùm in se est, omnipotentis Dei voluntate facta substantia:* hic lib. 1. ad Trasimundum Regem c. 6. *Claret, omnem omnimodis creaturam, vt potè prorsus ex nihilo factam, initio non carere, cuius origo sola creatoris voluntate, & potestate, quando faciendam indicauit, qui mutabilium operum dispositionem semper immutabilem habuit, substituta cognoscatur ex nihilo, quæ tamen nunquam fuerit, priusquam initio creationis extiterit.* Dices me deficeret, si Patres alios frequēti lectitatione obseruatos vellē hic reponere. Cum ergo Empyreum sit quid productum à Deo, & ab hoc distinguatur vt quid positiuum reale existens à parte rei, sequitur, non durasse ab æterno. Quòd autem sit quid positiuum reale existens à parte rei, & distinctum à Deo, probatum manet in Exercitatione proxima; ex qua tota non minus constat, esse locum positiuum corporeum, & non spatium tantùm imaginarium. Et verò tametsi præfato Authori concederem, Angelos, hominesque glorificatos existere in spatio imaginario, non ideo annuerem ipsi neganti cælum Empyreum, quod sit productum à Deo in tempore, & locus corporeus, fixus, ac immobilis, aptus intra se recipere Angelos, hominesque beatos. Franciscus Patritius significare videtur, Empyreum esse eius conditionis, quale confictum est imaginarium spatium à nonnullis antiquis, quorum meminit Cardin. de Lugo disp. 5 de Eucharistia sect. 4. n. 84. ens scilicet reale, diffusum immensè, & penetrabile cum omnibus corporibus, quæ in illo locari possunt. Sed hæc somnia sunt, & indigna prorsus, in quorum refutatione absumatur tempus.

6 P. Albertinus disp. vnica de Prædicamento vbi q. 1. excogitat, spatium imaginarium non esse quid negatiuum, neq; quid reale, neque item quid ratione nostra confictū; sed tamen esse quid positiuū medium inter reale, & rationis, aptumq; ab æterno recipere, aut definire corpora, & spiritus, dependensque præterea aliquo modo à Deo, quia etsi non sit ab ipso factum, neque potuerit fieri, neque possit vnquam destrui, nihilominus, Deo, per impossibile deficiente, deficeret. Quo paradoxo, si quis vellet lenire imaginationem Sainctesij, nosq; distinere, dicemus, & illud nobis ingenter displicere: & permisso adhuc illo, non idcircò negandum, Empyreum tale esse, quale paulò ante proposuimus. Displicet quidem ingenter. Nam ex S. Augustino

Omnis

Omnis substantia. (Seu, quod idem est, omnis entitas positiua) *quæ Deus non est, creatura est, & quæ creatura non est, Deus est.* Ita in lib. 1. de Trinitate cap. 6. Idem S Doctor in Enchiridio c. 9. tradit: *nullam esse naturam, quæ non aut ipse Deus sit, aut ab ipso.* Et in tractatu super Psalm. 85. *Excepto Deo, quidquid aliud est in natura rerum, factum est à Deo.* in tract. etiam 1. super Ioannem semel, & bis hæc iterat. In Enchiridio cap. 9. ait: *Nullam esse naturam, quæ non aut ipse sit Deus, aut ab ipso.* Imitatus est suum Magistrum S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. dicens: *Principaliter itaque tene, omnem creaturam* (fortè an naturam?) *quæ non est Trinitas Deus, ab ipsa Trinitate, quæ solus Deus æternus, & verus est, creatam ex nihilo.* S. Iustinus in expositione fidei ait, *ac primùm quidem ea, quæ sunt, diuidamus, inueniemus enim in id, quod creatum est, & in id, quod non creatum, diuidi omnia. Si quidem enim est in iis, quæ sunt, id vel natura non condita est, vel condita, &c.* Addit post modùm *Hac itaque constituta diuisione, & hoc confirmato, inter diuinitatem, quoniam hoc non est creatum, ac naturam eam, quæ creata est, nihil interiectum esse, certè omne, quod ab ea natura, quæ condita est, differt, non à diuina distat.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Dialogorum de Trinitate, rogatus ab Hermia: *quanam tandem esset natura illa, quæ neque Deus est, neque creatura? Nullam enim opinor omnino medium. Vna enim perfectissima differentia est, quæ distare facit naturâ Deum, & creaturam, & nihil aliud in his, quæ esse creduntur viderit quis, quàm hac, & sola; an præter hæc ipse aliquid admittendum cogitas?* Respondet, *Minimè, ô Amice, omnia enim per filium facta esse; dicit diuina scriptura; atque adeò si quæ res ab omnibus separetur naturaliter, effugiet etiam hanc paruitatem, quòd facta sit, sed ob naturæ propriæ excellentiam Deus existere cognoscetur, & veritas iterùm nobis non elabetur. Nam si quid non est Deus secundùm naturam, erit omnino inter facturas.* Idem S. Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 6. *Cum rerum omnium naturam diligenter consideramus, Deum, & creaturam & nihil vltra hæc aliud conspicimus; quicquid enim naturâ Deus non est, id certè creatum est; ac rursus quicquid creatum esse, negatur, id certè Deus est.* S. Gregorius Nyssenus lib. 12. Contra Eunomium tradit, *nihil esse increatum præter diuinam naturam.* Author de cognitione veræ vitæ inter opera S. Augustini cap. 7. pronuntiat, *Nihil præter creatorem, & creaturam existere.* S. Alcimus Auitus apud Petauium, *Nihil omnino esse præter duo, idest, creatorem, creaturamque sæpe definitum esse.* Faustinus Præsbyter lib. contra Arrianos cap. 7. *Omne, quod est, aut diuinitas est; aut creatura.* Ferrandus Diaconus Carthaginensis, in epistola ad Anatolium, *omnis res, aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est, si creatura est, Deus non est.* Inuenies concordes alios Patres in Ioanne sapiente, cognomento Cyparisiota, Decade 8. de Infinitate Dei in creaturis c. 10. Qui omnes, & cum ipsis Princeps Theologorum S. Thom. q. 3. de potentia, art. 3. in corpore constanter asseuerant, nihil positiuum esse medium inter creatum, & increatum, item omne positiuum, quod non est Deus, esse creatum; solumque Deum esse improductum, & ab æterno existere, quia scilicet *omnia*, quæ non sunt Deus, *facta sunt per ipsum, & sine ipso factum est nihil.* Id est, quicquid præterea adfertur, verè non est, vt communiter intelligitur S. Ioannes Euangelista c. 1. v. 3. Gordiano hoc modo Steuchum implicant non minus arctè, quam frequenter posteriores Theologi.

7 Vielmius in suspicionem vocat hæreseos Arnaldi de Villanoua aientis, aliquid esse, æternum præter Deum, & aliquid esse, quod non creator sit neq; creatura. Sic ex Vielmio refert Auersa, qui in locum Arnaldi Brixiensis suffecerunt Villanouanum Nam Prateolus Sanderus, & Gaulterius, non Villanouano Medico Iacobi secundi Regis Aragoniæ, sed Brixiensi eiusq; Magistro Petro Abaelardo hæresim memoratam impingunt. Longè sum, vt Albertino eandem notam inuram; crediderim namq; loqui de sub illo spatio imaginario, non aliter ac plures grauissimi Authores de rerum creabilium essentiis, quas ante existentiam dictitant non solùm habere ab æterno potentiale esse in omni potentia diuina, sed in se etiam quoddam esse diminutum, intrinsecum, ac positiuum distinctum ab ente tam rationis, quàm negatiuo: audiunturque sine scandalo, & sine calumnia erroris. Verùmtamen ob adducta ex Patribus, variasque rationes, quæ huius loci non sunt, & partim habentur apud Nostros Martinum Bresserum lib. 1. de cōscientia c. 16. n. 135. Petrum Vuadingum disp. 2. de Incarnat. dub. & n. 1. toto cælo recedo ab opinatione Albertini.

8 Vlterius in Steucho subodorantur multi alium errorem, cuius meminit S. Gregorius Magnus lib. 18. Moralium cap. 28. & cui se deuouerunt Armeni. Petrus Abaelardus (qui tamen postea resipuit, si in eo fuit aliquando errore; nam in operibus, quæ extant, non inuenitur) Arnoldus Brixiensis, Almericus, & Recentes Græci Schismatici putantes, diuinam assentiam non posse in se videri à Beatis, sed in quadam luce, à charitate effluente ex ipsa, vnde cautè legenda sunt illa Claudij verba, *Sed lucem increatam à diuinitate emicantem, beatitudinis nostræ, & gloriæ fontem.* Quibus verbis similia sunt hæc Gregorij Palamæ Græci apud Brouiū in Annalibus Ecclesiasticis, an. 1337. n. 8. *Est quidem lumen illud diuinum & increatum & Deitas a sanctis nominatur; sed non est substantia Dei, sed operatio, & gratia, & gloria, & splendor ex diuina substantia in sanctos missus. Omnes enim sancti tam homines, quèm Angeli vident quidem gloriam Dei expertem temporis; substantiam verò Dei nullus neq; homo, neq; Angelus vidit, aut videre potest.*

9 Obiiciebat Steuchus aliqua sacræ paginæ testimonia, vt ex relatione eorum, qui ipsius nondum expurgata opera legerunt, compertum est nobis. Sed illa testimonia intelligenda sunt non de cælo Empyreo, sed de increato Deitatis *amicta lumine sicut vestimento* Ps. 103. v. 2. *Lucemque inhabitantis inaccessibilem.* 1. ad Timotheum 6. v. 16 Quòd autem Deus vocetur cælum increatum, affluenter ostendunt Cornelius in Daniel. c. 13. v. 9. Aloysius, Nouarinus lib. 1. Schediasmatum sacro prophanorum, c. 3. & Iosephus Stephanus Episcopus Oriolanus in lib. 1. Machab c. 2 v. 37. causas ob quas sic dicatur, deducit affluentiùs Guilielmus Parisiensis in secundæ partis de vniuerso part. 2. c. 82. & 86. Deus etiam nuncupati consueuit *lumen* iuxta Ps. 35. v. 27. *in lumine tuo videbimus lumen.* Sed vt notat S Gregor. vbi suprà: *Illi simplici, & incomprehensibili essentiæ non est aliud claritas, aliud natura.* Attribuendi Deo hoc nomen complures ex Patribus rationes colligit Cyparisiota Decade 6. de apparitionibus diuini luminis. Etsi verò Ps 144. v. 13. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum,* interpretemur de cælo Empyreo, exprimitur ibi solum modò huius æternitatis à parte post.

10 Deinde obiiciebat Steuchus, mundi inuisibilis statum appellari à S. Basilio in loco ad n. 14. exarando, *æternum, & perpetem*. Cui consonat S. Clemens appositus n. 12. Exercit. Superioris, affirmans, Empyreum *esse æternum, & perpetuum*. Cæterùm, & *annum nonnulli iam æterni appellatione dignantur, quoniam ex eo, quòd est semper, nominationem hanc sortitum est*. Sic respondet ipse S. Basilius lib. 2. contra Eunomium, & non paucis exēplis demonstrant Christophorus Gillius in 1. p. lib. 2. tract. 12. c. 1. Cerda in aduersariis sacris c. 80. num. 14. solere vocari æternum, quod magnæ est antiquitatis, & quod fine caret, licet non exordio. Psalmo 76. v. 6. anni, qui fuerunt ab Adam, nuncupantur *æterni*, & Psalmo præcedenti v. 5. montes appellantur *æterni*, vt & *colles*, Genesis 49. v. 26. In re passim obuia moram non facio. Quia ergo Empyreum antiquissimum est, semperque duraturum, ideo vocatur æternum à sanctis Basilio, & Clemente. Ex quibus prior in eodemmet loco docet, aduersus Gentiles Philosophos ab æterno nō fuisse cælum vnà cum Deo, neq; quiduis aliud.

11 Sanctesius opponit S. Hieronym. in c. 4. ad Ephesios, S. Augustinum de sermone Domini in monte, Eusebium Cæsariensem in vita Cōstantini lib. 4. c. 69. sed primi verba aliò tendentia dabo in Exercit. 20. tertij etiam ibidem. Secundum iam exposuit S. Thomas, vt animaduertam in Exercit. 21. Magis in speciem fauent alia S. Augustini verba, quæ extant, tum in lib. de cognitione veræ vitæ, (si hic liber sit Augustinianus) tum in lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 23. Nam in priori libro ait: *sicut igitur spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur, ita quoque non est necesse, vt tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur, non enim insensibile corpus spiritus, sed spiritus corpus vegetat. Igitur nullus locus spiritale corpus fulcit, quod omni elemento subtilius erit; sed vt spiritus illocaliter in summo spiritu Deo subsistit; nisi fortè hoc pro loco accipiatur, quòd substantialiter, & personaliter circumscribitur. Amplius: aut in hoc corporeo mundo Sancti manentes Deum videbunt, aut extra mundum erunt? Si extra mundum fuerint, tunc nulla elementari materia stantes, vel sedentes sustentantur, quia nullum elementum extra mundum comprobatur. Qui enim terram, vel aquam ibi esse credit, nimis terrenus fluidus desipit. Si autem aerem, vel ignem ibi esse arbitratur, grauiter à mobilitate aeris & ignis ipse instabilis irrisus conspiciatur. Ergo extra mundum nulla re materiali fulciuntur, vbi nulla materia inuenitur. Si autem in hoc mundo erunt, similiter nulli elemento localiter stando, vel sedendo inhærebunt, quia æquales Angelis erunt. Cum igitur spiritales sint, in summo spiritu, spiritaliter, non localiter manebunt.* Hactenus ex priori libro cap. 45. Deinde in posteriori inquit; *Si autem quæritur; cum anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua corporalia loca feratur, an ad incorporalia corporalibus similia, an verò neque ad ipsa, sed ad illud, quod & corporibus, & similitudinibus corporum est excellentius? Citò quidem responderim, ad corporalia loca, eam vel non ferri, nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest; ego autem non puto, spiritualem enim arbitror esse, non corporalem. Ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus.* Sic ibi S. Augustinus, quem, vt aduertit Suarez tom. 2. in 3. p. d. 42. sect. 2. v. *Dices* spiritualitas animarum rationalium, sæpe habuit dubium circa existentiam in loco corporeo, dum sunt separatæ. S. Thomas in 4. dist. 45. q. & art. 1. ad 1. respondet, quatenus S. Augustinus in postremis verbis, & Boethius in similibus, vt & S. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 1. Patresque alij apud Petauium tomo. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de Angelis cap. 13. à n. 5. voluerint, *incorporalia non esse in loco modo aliquo nobis noto, & consueto, secundùm quod dicimus corpora propriè in loco esse, sunt tamen in loco, modo substantiis spiritualibus conuenienti, qui nobis planè manifestus esse non potest.* Antiqui Theologi dū ad præallegatam Distinctionem agunt de receptaculis animarum post separationem à corpore, ita fermè respondet. sed delectabit audire Ioannem Bachonium in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. *cum dicit Augustinus, quòd Angeli, & animæ sanctorum viderent Deum extra omnem locum corporalem, & quòd regnum cælorum, & Paradisus non sunt loca corporalia, mysticè loquuntur, accipiendo regnum cælorum, & Paradisum pro ipsa visione intellectuali; de qua certum est, quòd non requirit locum corporalem. Per hoc tamen non excludit, quòd accipiendo tertium cælum non figuratè, sed realiter, quin sit locus corporalis altius, quam sydereum cælum, vel aereum.* Hæc Bachonius. Iam ad authoritatem ex libro priori dico, intendi ibi præcipuè, quòd corpora glorificata non indigeant secundùm se circumscriptione loci corporei, & vt summum, quod existant in spatio imaginario supra mundum corporeum: siue autem vnum, siue alterum, siue vtrumque concedatur, non inde concluditur, actum esse de cælo Empyreo loco creato, & corporeo.

12 Rursus oponit Blaudius S. Gregorium Nazianzenum in 1. epistola ad Cledonium Præsbiterum, quo loci scribit: *Si quis dicit, carnem nunc esse depositam, & Deitatem esse corpore nudatam, & non cum eo, quod accepit, & esse, & venturam esse, præsentiam aduentus non viderit. Vbi enim nunc est corpus, nisi cum eo, quod id assumpsit? Neque enim, vt nugantur Manichei, in sole est depositum, vt honoretur propter ignominiam, vel in aerem effusum est, & dissolutum, & vocis natura, & odoris fluxus, & fulgoris minimè consistentis cursus.* Tantùm Nazianzenus. Sed subiungit Claudius, *Hic Author constituit corpus Christi cum aliis extra mundum corporum cælestium.* Insigniter fallitur Claudius. Nam S. Nazianzenus non aliud ait, quàm verbum diuinum permanere vnitum corpori, quin hoc relictum sit in solis globo post Ascensionem ad cælum, aut quin sit attenuatum, & sparsum in aerem. Hinc verò neutiquam infertur Christi corpus ex sententia Nazianzeni existere extra omnem locum corporeum, & cælestem.

13 Adiicit Sanctesius, *Fortassè ad id alludit Paulus, cum nos habituros domicilium scribit non manu factum, sed æternum in cælis. Manu factum enim ferè legitur apud Apostolum pro condito simpliciter.* Sed sanè Apostolus vsurpat verbum *Manu factum*, pro facto manibus hominum; traditque nostram domum in cælis æternam forè à parte post, humanaque opera non cōfectam, siue sermo ipsi sit de corpore glorificato, quod erit quasi animæ domus, siue loquatur de loco cælesti, in quo, seu in domo, habitabunt beati homines. Denique repetitus sæpe Author affert nescio quid de lumine, quod viderunt Apostoli relucere in Christi trāsfiguratione; allegatque Nostrum Franciscum Turrianum disputantem in Antapologetico pro residentia Pastorum, an esset creatum quid, an increatum; Testatur citari à Turriano aliquos Patres, ipseque

ipseque adnectit alios ad probandum fuisse increatum; sed conlcudit his verbis: *Verùm tot Patrum testimonia rectè sunt intelligenda, non quasi quòd proximè, & directè viderunt Apostoli, fuerit ipsa diuina essentia, vel aliquid increatum, sed quod repræsentabatur, & inerat lumini, quod apparebat, esset Deus, & lux increata, quæ per lumen creatum tanquam per aliquod subiectum creatum cernebatur, quatenus à creatura cerni potest.* Ingenuè fateor, præteruolant hæc meum captum, vereorque, ne colludant cum Armenorum, & Græcorum errore de quo in num.8. Certissima debent duo esse, primum, Apostolos testes transfigurationis Christi non vidisse diuinitatem, lumenque increatum diuinæ essentiæ. Ita notant Goffridus Cardinalis in tract. de corpore & sanguine Domini, Maldonatus, Cornelius, Adamus Contzen. in cap.7. Matthæi v.2. & Maldonatus inquit, *Fuerunt nostro tempore viri eruditissimi duo, qui existimauerunt, Apostolos in Transfiguratione Christi vidisse diuinitatem. Minimè tamen illis assentior; neque vllum veterem Authorem ita sensisse credo, & ita sentire periculosum esse arbitror.* Secundum, lucem ab Apostolis conspectam, creatam, & corpoream fuisse, emanantemque à diuina subsistentia, & beata anima Christi modo explicato à P. Suario 3.p. in Commentario ad art.2. q.45. Primum, & secundum docetur, & confirmatur ex Ecclesiæ Patribus à Ioanne Cyparissiota in decade 6. cap.4. & 5. neutrumque negari potest, nisi ab eo, cui Gregorij Palamæ placuerit error, de quo Brobius in Annalibus Ecclesiasticis anno 1337. num.8. Spondanus in eisdem Annalibus eodemque anno num.11. & anno 1350. à num.19. Non silebo, Turrianum nostrum grauiter conqueri in memorato Antapologetico, quòd quidam ipsi affinxissent entitatem mediam inter increatam, & creatam. Sic à Raynaudo obseruatum inuenio, nam opus illud Turriani meas ad manus non deuenit, nec dinumeratur à Posseuino in apparatu sacro, à Philippo Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatatis Iesu.

SECTIO. II.

An Empyreum sit productum à Deo ante mundum visibilem? Sugillantur duo errores de supremo Cælo, & Paradiso Cælesti.

14 EX Amadio Minorita raptu 1. suæ Apocalypsis refertur ab Abrahamo Brouio tom.18. Annalium Eclesiasticorum anno Christi 1471. num.40. & Nostro P. Cornelio à lapide in cap.1. Apocalipsis S.Ioannis v.4. quædam reuelatio, in qua traditur, *Angelos simul cum cælo Empyreo fuisse creatos per multa sæculorum curricula ante mundum hunc sensibilem* S. Basilius homilia 1. in Examerон inquit: *Erat sanè status quidam mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentiis, mundo præstantioribus, pro decore accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirùm, ac perpes. Creaturas autem in ipso Creator omnium, atque opifex perfecit, lucem spiritualem eorum beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas, atque inuisibiles, omnesque beatarum mentium ordines, quotquot nostra mentis quantamlibet dixeris, facultatem exuperant, quorumne nomenclaturā quidem possumus inuenire. Et hæc substantiam complent mundi illius inuisibilis.* Rursus homilia 2. *Arbitramur sanè, si quid erat, ante mundi sensilis, atque corruptiui constitutionem, id in lumine nimirum fuisse. Neque enim Angelorum dignitates, neque cælestis exercitus vniuersus, neque omnino si quæ natura sunt participes rationis, aut nomen sortita, aut nomine carentes, spiritusque subministrantes degebant in tenebris, sed in hac commodissima sibi luce, lætitiaque spirituali suum statum habuerunt.* Neque loquitur de luce increata, & diuina, quemadmodùm S.Gregorius Nazianzenus oratione 43. in Dominicam nonam, Nicetas ibi, Procopius in cap.1. Genesis; sed decreta, & corporea, vt ostendunt hæc verba paulo inferiùs, *Cælum igitur cum factum esset Dei sanè imperio, suoque quaqua versum ambitu expansum, vi sua complexu circumferentiæ, quæ exceptum erat, quasi interiori quodam fine compl. cteretur ea, & contineret, corpus continuum obtinens, ab externisque sufficiens interna seiungere, comprehensum à se locum necessariò carentem lumine reddidit, tenebrisque, interno intercisso splendore, & intercepto obscurauit.* Non excluderet sua opacitate firmamentum lucem mundi inuisibilis, nisi hæc esset corporea, & opposita tenebris corporalibus, dequibus agit Moyses. Ideo autem S.Basilius vocat spiritualem, vt sic discernat à luce mundi visibilis. Consentiunt Basilio S. Cæsarius Dialogo 1. S. Ambrosius lib.1. Exameron cap.8. Theodoretus in Genesim q. 6. Georgius Cedrenus initio compendij Historiarum. Beda etiam super exameron producit in medium Basilij placitum, nec refellit, sed potiùs confirmat testimonio Sact. Clementis Romani.

15 Est illud valdè conforme alteri inter Patres familiari de creatione Angelorum ante mundialem hanc machinam. Patrum Cathologum apponunt Sixus senensis lib.5. Bibliothecæ sanctæ annotatione 5. Ioannes Baptista Poza in elucidario Deiparæ lib. 4. tract.2. c.5. Ludouicus de la Cerda 1. de excellentia cælestium spirituum cap.8. & vtait S.Thomas 1.p. q.61. art.3. ad 1. *Omnes Doctores Græci hoc concorditer sentiunt, quòd Angeli sunt ante mundum corporeum creati.* De quo *neminem fidelium dubitare*, asseuerat Cassianus collatione 8. cap.7. Latinos nonnullos Patres, & Græcos Doctores imitati sunt Genebraldus initio Chronologiæ ætate 1. Catharinus opusculo de gloria bonorum Angelorum, conclusione 1. Honorius Augustodunensis l. & c. 2. de mundi imagine, Arnoldus Carnotensis in tract. de operibus sex dierum, Hieronymus ab Oleastro præfatione ad c.1. Genesis, Hieronymus Oserius lib.1. de Christiana nobilitate n.8. & nuperrimè Hieronymo columbo lib. 1. de Hierarchia Angelica, atque humana cap. 2. n.12. extraneum à veritate non videtur, si diu ante primam illam diem, in qua facta est distinctio lucis & tenebrarum, conditi dicantur Angeli vnà cum cælo Empyreo, & primo mobili, ac terra seu potiùs materia prima significata terræ nomine.

16 Sed & in fauorem productionis Empyrei ante primum mobile, ad terram adiungere quis posset S.Hieronymũ, dum in quæstionibus, siue traditionibus Hebraicis librorum Genesis scribit, *Ex quo manifestissimè comprobatur, quod prius quam cælum & terram Deus faceret, paradisum ante condiderat; sicut & legitur in Hebræo, Plantauerat autem*

Deus paradisum in Eden à principio. Nam cum hoc Maximi Doctoris verba nequant intelligi de paradiso terrestri, videntur accipienda de Cælesti, ac Empyreo.

17 Tenendum omnino est, Empyreum non esse productum à Deo ante mundum sensibilem. Probabit quis primò ex Ecclesiastico dicente in cap. 18. v. 1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* vbi Tò *simul.* vel significat aliquod breue temporis spatium, putà sex Dierum, vel significat ea, quæ Deus fecit per strictam Creationem, fecisse in eodem instanti, exceptis animabus rationalibus, quas nouiter semper creat. Et iuxta alterutram significationem infertur, Empyreum non productũ à Deo ante sex dies. Sed hæc probatio non est admodum efficax, tum quia particula *simul* significat forsitàn ibi idem, *ac aquè, pariter*; tum quia exponi aptè potest de simultaneitate morali, quatenus Empyreum non sit conditum multò ante sex dies: nec inusitatum est, dicere, fieri, aut existere simul ea, quorum vnum modico temporis intervallo præcedit aliud; tum quia non constat de Empyrei stricta creatione secundùm se totum, nempe secundùm materiam, & formam; quin potiùs hanc fuisse presè generatam, multorum fert opinio, cui nos adhærebimus in sect. 5. Exercit. 6. Probabit quis secundo, ex verbis Christi 8 Ioannis v. 44. vbi de Diabolo, *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Peccauit ergo Diabolus ab initio. Ast statim, ac peccauit, detrusus est in Tartarum, vt colligitur ex Isaiæ 14 Lucæ 10. Apocalipsis 12. & 2. Petri, nec non Iudæ v. 6. Ergo ab initio creationis Angelorum existebat Infernus, & consequenter reliquus mundus corporeus quo ad elementa saltem, & cælum, cælumque Empyreum. Sed neque hæc argumentatio est efficax, neque attingit scopum, conuincit namque vt summùm, Angelos non diu creatos ante Infernum, & cælum Empyreum, quin vllatenus conuincat, quod opus erat, videlicet, omnia ista producta fuisse simul physicè, & non ante cæteras partes machinæ mundalis.

19 Validior probatio desumitur ex primoribus verbis Geneseos, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Nam illud *In principio* significat in litterali sensu, Deum in itio temporis, ac primum, & ante omnia opera ad extra creasse cælum, & terram. Aliunde cælum simul cum terra productum, aut est solum Empyreum, aut ipsum, & sydereum, vt in num. 4. & in alio anterioris Exercitationis, ibi citato deducebam. Hinc S. Thomas 1. p. q. 46. art. 3. in corpore ait, ob ea Genesis verba *quatuor poni simul creata, scilicet cælum Empyreum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, & natura Angelica* docetque excludi eisdẽ verbis errorẽ dicentiũ, *corporalia esse creata à Deo mediãtibus* creaturis spiritualibus, si quidẽ quatuor illa sint simul producta ante omnia à Deo proindeque creaturæ corporales non sint conditæ mediantibus spiritualibus. Quo discursu videtur nõ minus argui erroris creatio Angelorum præcedens cælum, ac terrã quã productio cæli, & terræ mediantibus Angelis, licet S. Thomas posteà q. 61. art. 3. ad 3. ob reuerentiam erga nonnullos Patres, quibus placuit præcedens Angelorum creatio, sic explicet Genesis verba, vt ab errore liberari queat Patrum opinatio.

20 Psaltes Regius in Psal. 101. v. 26. eodem ac Moses sensu decantauit, *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*, conditi etiam initio, non minus, quàm terra; & cælorum nomine comprehenditur Empyreum vnà cum aliis cælis, de quibus immediatè subiungitur, *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent* &c. Rursus Moses cap. 2. Genesis v. 1. ac 2. narrationem operum sex dierum his verbis concludit, *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum; compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Sic etiam fermè in Exodo cap. 20. v. 11. Nihil autem causæ est, ne vtrobique à cælorum, qui primo sunt die producti, numero excludatur Empyreum, & sicut commentitiè excogitaretur, cælum hoc fuisse conditum post sextem diem, ita vané putaretur constructum ante primum. Inter partes primi diei computo spatium, quod producto cælo, & terra præcessit ortum lucis. Prouerbiorum 8. v. 22. sapientia diuina affirmat se cũ Deo fuisse, *antequã quicquam faceret à principio*, seu, *antequam cæli prepararentur à Deo, & terra fieret*, vt declaratur posteà. Igitur anteà nihil ad extra factum est à Deo, cælique simul cũ terra, & in pricipio sunt præparati, siue sermo sit tantũ de Empyreo cælo, siue de eo, aliisque cælis. Christus Dominus apud Mathæum 25. v. 34. sic in extremo iudicio electos affatutus proponitur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Regnum, quod paratum à constitutione mundi, id est, factum initio mundi, inquiet Christus, videtur esse corporeum, & materiale; nam spirituale gloriæ electos iã ab æterno manebat in prædestinatione diuina. Patri Suario lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. n. 5. acceptam refero hanc ponderationem, cui fauent S. Vincentius Ferrer in sermone de Prædestinatione, Nicolaus Lyranus in Glossa, Alfonsus Tostatus in cap. 25. Matthæi q. 369. Cælius Pannonius in cap. 21. Apocalipsis sect. 2 puncto 1. multòque anteà S. Ioannes Chrysostomus in Parænesi ad Theolodorum lapsum, intelligentes Christi verba de Empyreo, aut de regno cælorum ad ornato ab exordio mundi propter nos. Patriarcha Hierosolymitanus Sophronius in epistola, quæ lecta est coram Patribus Synodi sextæ actione 11. & quæ act. 13. est approbata, ait, Deum *omnibus*, nempe sensibilibus, & intellectualibus, inuisibilibusque *constituisse*, seu *decreuisse principium temporale*, seu *temporis*. Latina Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & Fide Catholica statuit, Deum, *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Numerandum est Empyreum inter creaturas mundanas, & purè corporeas, ac sensibiles, quare ad illud extenderetur definitio Ecclesiæ latinæ, & pronuntiatum Sophronij.

23 Nec desunt rationes. Prima sit, Empyreum cõstituit vnum vniuersum simul cum reliquis creaturis corporeis, & spiritualibus. Ergo oportuit vt simul cum illis produceretur. Probabi hac ratione vtitur S. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. vt adstruat, Angelos non fuisse productos ante mundum corporeum. Secunda sit, superuacanea foret Empyrei productio anterior creatione Angel. Ast hi non extitere ante mundum visibilem. Ergo neque illud.

Vnde supposititia, aut deprauata est censenda reuelatio Amæ Dei. Videantur Tanneus tomo 1. disp. 5.

disp. 5. q. & dub. 1. num. 16. Antonius Vas concellius in descriptione Regni Lusitaniæ pag. 526. Frater Petrus de Alua, & Astorga tom. 1. Bibliothecæ Virginalis, Fratreque Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano ad diem 10. Augusti, vbi post Marcum Vlysiponensem, & Gonzagam expostulat sibi cum Abrahamo Brouio de inteutata aduersus Amadeum sinistra fama ex reuelatione illa, aliisque einsdem farinæ nothis, atque ementitis. Alfonsus tamen Briceñus in apparatu historiæ de vita & doctrina Scoti à num. 93. vsque ad 96. benigna quadam potius, quàm gemina expositione interpretatur reuelationem præfatam, ac si legitima Amadei foret tamipsa quàm formula verborum, quibus compendiariè recitatur à P. Cornelio; nam ad verba quæ visuntur apud Tannetū, ac Brouium, nec intendit animum Briciñus, nec benigna vlla cadit explicatio. Expectamus in dies integram Amadei Apocalypsim, cuius fragmenta fecit nuper communis iuris Petrus de Alua. Sed in eis non lego reuelationem illam.

23 Et sanè Angelos conditos fuisse à Deo simultate non solùm morali, sed etiam physica temporis cum creatura mundana, exprimitur, quantò clariùs potest, in consilio lateranensi suprà: vt ostendunt ea verba *Deus simul* quamuis autem particula *simul* significet non infrequenter idem, ac *æquè pariter*; tamen ibi incompetens est hæc significatio, tum ob subiecta verba, *Ab initio temporis* tum ob ea alia, *Deinde humanam* in quibus eatenus discriminatur natura humana ab Angelica, quatenus illa quoad animā posterius tempore respectu creaturæ mundanæ condita sit, quàm hæc. Quare ad mentem Cōcilij producta est hæc in eodem instanti mathematicè, ac creatura mundana. Quod si in eodem tantùm moraliter, cur de creatura humana adderet Concilium conditam esse *Deinde*, cum & creatura humana æquè posset dici condita simul moraliter? Ob authoritatem istius Concilij sunt, qui velint, non solùm temeritatis, sed etiam erroris, & hæresis sugillandum, qui iam assereret, Angelos creatos ante mundum corporeum vel per vnum physicum instans. Nam in professione fidei facta ab isto Concilio ex more solito sub eis verbis, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*, & ad caput apposito titulo, *de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, decernitur, Angelos non esse cōditos ante creaturam mundanam, nihilque aliud continetur ibidem, quod fide catholica credi non debeat. Ast quia ea veritas non instituto, sed ex occasione, & obiter decreta est in præfacto Concilio, ideo Theologi permulti contenti sunt, si temerarie tantùm notam inuserint post illud opinationi contrariæ: Quin P. Vazquez, & alij temeritatis notam auertere adhibita, ni fallor, violenta quadam interpretatione mentio, & verbis concilij, cuius germanum sensum antea Dedi P. etiam Franciscus annotatione ad c. 5. Decadi 8. Ioannis Cyparissiotæ, ait, *Non prohibet hæc Decretalis* Innocentij tertij, *quin liceat sentire, quod Apostolorum Discipuli Clemens Dionysius, quos multi alij posteà sequuti sunt, senserunt, creatos fuisse Angelos ante mundum.* Sic Turrianus. Sed quo pacto ipse exponat Concilium, libet non præterire. Inquit itaque, *Quia durationem Angelorum, quæ non est subiecta tempori, quia est tota simul, & inuariabilis, quæ est, & dicitur in sacris litteris æuum, non possumus cognoscere, neque aliis manifestare nisi per extensionem nostri temporis ex horis, diebus, & annis constantem, quam scriptura æuum quoque aliquando vocat, vt Dionysius notauit, idcirco Pontifex proposuit ad credendum simul ab initio temporis vtranque creaturam spiritualem, & corporalem conditam esse. Nomine itaque temporis æuum, & tempus comprehendit Pontifex imitatus Dionysium*, Hactenus peritissimus vir. Sed particulam *simul* non explicat, neque vnquam aptè declarare potest. Suppetias Turriano venit P. Balthasar Corderius in annotatione ad c. 10. S. Dionysij Areopagitæ de diuinis nominibus §. 3. dicens, eam particulam significare nihil ex rebus creatis fuisse conditum ante alia sui generis, & ordinis, nempe vnum Angelum non esse productum ante alium, neque cælum ante terram. Sed est nimis emuncta interpretatio, & contra quam facit, quod de particula *Deinde* expendimus Quapropter Angelorum creatio ante mundanam creaturam approbanda haud quaquam est post sanctionem Concilij Lateranensis, vt hoc allegato fatentur Thomas Angelicus, vel Anglicus in postilla ad Genesim cap. ac. v. 1. Ferrariensis lib. 2. contra Gentes cap. 83. Gregorius de Arimino in 2. dist. 2, art. 12. & complures alij tam antiqui, quā Moderni; neque grata fuit omnibus Doctoribus Græcis, S. namque Epiphanius, Acatius, Theodoretus, Gennadius Constantinopolitanus, Diodorus Tarsensis, Sophronus Hierosolymitanus, Theodorus Mopsuestenus, S. Basilius Seleuciensis, Theophylus, & S. Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazeus, Authorque quæstionum ad Antiochum Principem sub nomine S. Athanasij eam, aut refutarunt, aut vocarunt indubium; & Georgius Cedrenus in compendio Historiarum sexta die mundi testatur, in libro Hæbraico, qui Genesis parua indigitatur, tradi cælestes potentias factas prima die, nec id improbatur ab ipso Cedreno.

24 Cæterùm etsi permitteremus anteriorem creationem Angelorum, debilis fit illatio ad Cælum Empyreum, cum Angeli suaptè natura non exigant corporeum locum, in quo sint Idcircò S. Gregorius Nazianzenus oratione in Christi Natiuitatem declarat, intellectualem mundum, creatum ante ad spectabilem, non constare materia, & Ioannes Philoponus, qui subscripsit Patribus Græcis quoad anteriorem Angelorum creationem, multus est in lib. 1. de mundi creatione à cap. 8. vsque ad 21 vt euincat, Angelos constituentes intellectualem mundum, neque nunc esse, neque vnquam fuisse in loco corporeo. Nisi fortè quis dixerit, dicens non apparere, Angelos in nihilo, & ante, ac extra congruum Empyrei habitaculum produci, vel saltem permanere diu iamque beatos.

25 S. Hieronymus adductus in numero 16. loquitur de paradiso terrestri; sed dum ait, *Quod priùs, quàm cælum, & terram Deus faceret, paradisum ante condiderat*, illud *Ante*, idem sonat, ac ante perfectam cæli, & terræ exornationem, vt interpretantur Pereyra lib. 3. in Genesim, num. 7. Torniellus in Annalibus sacris die mundi tertia n. 13. Bonfrerius in cap. 2. Genesis v. 8. Vellosillus in Aduertentiis ad 3. tomum S. Hieronymi, quæsito vnico. Rua tomo 1. contro v. 3. positiua pag. 331. vbi explicat quædam similia verba ex 4. Esdræ cap. 3. v. 6. Messana in difficilibus Doctoris Maximi verbo *Paradisus*; consulendusque est Rupertus lib. 2. in Genesim cap. 25. Addit Pereyra, explicari posse S. Hieronymum de Paradiso spirituali, quæ est vita æterna præparata electis ante mundi constitutionem.

S. Basilij

26 S. Basilij mens valdè est obscura; nam ex vna parte videtur agere de luce corporea, vt expensum est supra; quicquid velit Petauius allegatus in n. 1. Ex alia vero parte, lux corporea *non potuisset stare per se, sed deberet inhærere alicui corpori: quare fuisset aliquod corpus conditum à Deo ante cælum.* Quæ sunt Pereyræ verba lib. 1. in Genesim n. 59. Responderet tamen aliquis, aut S. Basilium putasse cum Epedocle relato ab Aristotele lib. 2. de Anima cap. 7. textu 70 cum lucretio lib. 4. de natura rerum Theodoreto q. 7. super Genesim S. Damasceno lib. 2. de fide orthodoxa cap. 7. S. Augustino apud Auersam q. 54. Philosophiæ sect. 2. Lucem esse substantiam corpoream per se stantem, aut licet putarit esse accidens, sed creatam, & conseruatam diuinitus, diffusamque per spatium imaginarium independenter à subiecto substantiali corporeo. *Et primo modo lucem aliquam procreatam fuisse ante vniuersitatis huius conditionem, Basilius existimare potuit, eamque per se subsistentem, non tamen sempiternam, vt Palamitæ Græculi. & Eugubinus falcissima oponiones errore finxerunt.* Ita Petauius tomo 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de opere sex dierum cap. 7. num. 6. Mihi quidem malè adhuc, & durè sonat productio, quantumuis non æterna, creaturæ corporeæ, siue substantialis, siue accidentalis, ante cælum, & terram. Sed præstat fateri occultum nobis esse sensum S. Basilij. *Et crebrò quidem accidit, vt Ecclesiæ luminaria, quoniam multa à nobis celsitudine separantur pro quodam nostra ignorantia nobilo, cum in se splendentia maneant, nobis videantur obscura.* Quæ est obseruatio Facundi Hermianensis lib. 6. pro defensione trium Capitulorum Consilij Calcedonensis cap. 5. Quia verò *malignus animus, quæcumque non intelligit; statim tanquam friuola falsaque per arrogantiam eicit, nulli cedens, neque aliquid supra ipsum esse existimans*, vt aduertit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 13. ideo nos, quibus malignus animus, præsertim in Patres Ecclesiæ, nullus inest, S. Basilium non refutamus, quin potiùs cupimus, vt diligentiores alij cogitationem ipsius de illa luce declarent, & componant ad normam verioris doctrinæ.

27 Pro Exercitationis mantissa non desinam adnotare ex S. Epiphanio hæresi 24. Basilidis errorem dicentis, ex nescio quibus *Potestatibus, ac Angelis factum esse supremum cælum*, Idem in Hæresi 31. refert Valentinianos effutire *Paradisum, qui supra tertium cælum est, quartum Angelum virtute, ac potentia esse, & ab hoc aliquid accepisse Adamum conuersatum in ipso.* Legantur S. Irenæus lib. & cap. 1. aduersus Hæreses, lib. etiam 2. cap. 55. Tertullianus lib. contra Valentinianos cap. 20. qui eisdem ferè vtuntur verbis S. Hieronymus Indiculo de Hæresibus in 2. Nicetas lib. 4. thesauri hæresi 1. Maluenda cap. 5. de Paradiso. Talia sunt Basilidis, & Valentinianorum ea somnia, ac commenta, vt à nobis non sine temporis repudiarentur iactura, congestis hinc, & inde argumentis ab authoritate, & ratione; confert tamen memorasse, & per hominum ora traduxisse *Multò enim melius est, accusandis, & reprehendendis aliis audire absurda, quàm ex inscitia in eodem incidere. Longè melius est, vt sordes cognoscas, & oderis, quàm ignorans in easdem incidas.* Sic S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi 6. Illuminatorum in causa haud dispari.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE NATVRA CÆLI EMPYREI.

SEV de eius essentia, & quidditate, quæ per rectam methodum explicanda venit post tractationem præmissam de existentia. Nec nos moratur illud Catonis in Dysthicis l. 2.

Mitte arcana Dei, cælumque inquirere, quid sit,
Cum sis mortalis, quæ sint mortalia, cura.

Quin potiùs cum Manilio lib. 1. Astronomicôn

——— Iuuat ire per ipsum
Aera, & immenso spatiantem viuere cælo.

Nam immortales etiamnum animo sumus, speramusque vna cum corpore immortalitatem adepto Empyreas sedes inhabitare.

EXERCITATIO QVARTA.

De Natura corporea, vel spirituali composita, vel simplici Empyrei.

NATVRA creata quæuis corporea est, vel spiritualis, composita, vel simplex. Quam ex his conditionibus obtineat Empyreum, explorabit hæc Exercitatio.

SECTIO I.

An Empyreum sit natura corporea?

1 DVbitarunt nonnulli apud Ioannem Pium Mirandulanum in Heptaplo lib. 1. cap. 2. *Naturâ ne esset corporeâ, an incorporeâ potiùs Empyreum?* Alij apud Antonium Agellium in Ps. 148. v. 4. asseruerunt, corporeum non esse summum cælum, in quo manent beatæ animæ. Paulus Burgensis additione ad Postillam Nicolai de Lyra super Ps. 18. ait, Empyreum esse cælum spirituale, ideoque ob subtilitatem vocari à Regio vate opus digitorum Dei; cum tamen cæli syderei, quia corporei, appellentur opera manuum Dei. Paulus Sçaliger de rerum causis, & successibus lib. 5. c. 4. tradit, Empyreum non esse naturâ verè corporeum.

2 Nihilominus illud esse verè corporeum, & quantum asserimus indubitanter. Libet hîc apponere Nostri Adami Tanneri verba tom. 1. disp. 6. q. 2. dub. 4. vt quæ ad punctum præsens contineant doctrinam maximè vtilem, *Empyreum verò* (sic Tannerus) *licet Iustinus in Admonitorio intelligibile; Anselmus lib. 1 de imagine mundi cap. 28. spirituale dixerint; ad hæc, Origenes in Genesim homilia 1. Cælo Empyreo corporeum opponat, &*

denique

denique Steuchus in cap. 1. Genesis vlterius temere progressus etiam lucem quandam increatam, & perenniter à Deo emanantem, dixerit; tamen alij sancti Patres, hodieque Theologi omnes, meritò cælum etiam Empyreum vtpotè non tantùm Angelorum, sed etiam hominum beatorum sedem, ac domicilium, corporeum esse docent. Vt taceam, quod Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. absolutè pronuntiat, nihil incorporeum, & intelligibile naturâ credendum, nisi solum Deum. Hactenus Tannerus, qui omnino debuisset omittere Gennadij pronuntiatum, vtpote peccans per excessum. Nisi explicandum sit benignè cum Petauio tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 2. cap. 1. n. 15. non secus ac simile aliud S. Hilarij Canone 5. in Matthæum Cassiani lib. 7. collatione 13. Methodij apud Photium in Bibliotheca codice 234. Theophyli apud eundem Gennadium lib. 1. de viris illustribus, Macarij senioris homilia 4. Et quidem S. Damascenus elegantem interpretationem nos edocet, dum in cap. 1. Physicæ inquit: *Ad eam partem, quæ in contemplatione posita est, rerum corpore, ac materiâ vacantium consideratio pertinet, hoc est Dei, qui primum ac propriè corpore, atque materia vacat, ac deinde Angelorum, ac Dæmonum, & animarum: quæ etiam, si corporis ratio habeatur, à materia remota dicuntur, tametsi alioqui si cum eo, quod propriè materia caret, hoc est cum diuino Numine conferantur, materiæ consitent.* Legatur etiam lib. 2. de fide Orthodoxa c. 3. ac 12. sed hoc omisso placet in reliquis insignis ille Theologus.

3 Et pro Patribus Ecclesiæ addo, si Empyreum aliquando vocatur ab ipsis incorporeum, spirituale ideo esse, quia non habet corporeitatem crassam, aut materiam similem saltem sydereæ, & elementari in crassitie. Quo sensu scripsit Abulensis in cap. 23. Exodi q. 53. *Cælum Empyreum, licet corpus sit, ideo non est totaliter spirituale, tamen est quasi spirituale, quia non est de materia aliorum cælorum; imò non dicitur esse de materia; & sic illud est sexta essentia.* Potuit etiam dici spirituale, quia est Regio, & locus Angelorum, vt obseruant Petrus Comestor in hist. Genesis c. 13. Ambrosius Sptera in floribus sapientiæ serm. 9. parte ac conclus. 3. Author Philosophiæ Marguarita lib. 7. tract. 1. c. 8. & vniuersim notat S. Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 6. *Eum locum esse spiritualem, vbi & consideratur, & versatur spiritualis, atque incorporea natura.* Tandem intellectuale ea de causa est nuncupatum Empyreum, iudice S. Vincentio Ferretio serm. 4. in Dominica 1. Aduentus, quia nunc à nobis intellectu tantùm capitur.

4 Admissa existentia Empyrei corporeum illud omnino esse probatur non inefficaciter ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica: nam ibi creatura à Deo condita diuiditur in spiritualem, & corporalem, nempe in Angelicam, & mundanam; rursusque in humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Ast Empyreum non est creatura Angelica, proindeque non est creatura purè spiritualis; neque item est creatura humana; proptereàque non est creatura constituta ex spiritu, & corpore. Ergo est creatura mundana, adeoque purè corporea. S. Clemens Romanus, nomine S. Petri, affirmat, contineri firmamentum intra Empyreum. Et hinc optimè infert Franciscus Alfonsus disp. de cælo sect. 1. n. 2. Empyreum habere trinam dimensionem, seu esse substantiam, corpoream, compositam ex partibus integrantibus. Idque etiã persuadet ratio indicata à Tannero, quòd scilicet Empyreum sit locus realis extrinsecus Angelorum & hominum beatorum.

5 Probaui, Empyreum esse corpoream substantiam, Anne inde euidenter inferatur, spiritualem non esse? Ita quidem. Nam, vt argumentabar ex Concilio Lateranensi, ens creatum diuiditur, vt in extrema opposita, in spirituale, & corporale, & in compositum ex spirituali, & corporali tanquam ex condistinctis extremis. Ergo Empyreum, quod est substantia corporea, & solo corpore constans, non erit spirituale, neque spiritu constabit. Rursus corporeum opponitur incorporeo, & quod corporeum est, non potest esse incorporeum. Ergo neque potest esse spirituale, si quidem incorporeum, & spirituale idem prorsus sint, tùm in sacris litteris, vt testatur S. Augustinus epistola 174. quàm in profanis. Præterea substantia cõsiderata semper est respectu corporeæ, & corpore vacantis, seu spiritualis tanquam genus respectu differentiarũ, à quibus contrahitur, & diuiditur. At differẽtiæ cõtrahentes & diuidẽtes genus nequeunt vnam, eandemque speciem constituere. Ergo substantiæ species, quæ fuerit corporea, non potest simul esse spiritualis. Ad hoc; Ecclesiæ Patribus, qui Deum esse substantiam spiritualem, & Hæreticis, qui corpoream esse contendebant, nunquam in mentem venit, illis quidem vt probarent, sic esse spiritualem, vt corporea simul non esset, his sic corpoream esse, vt simul non esset spiritualis. Ergo quia vltra hominum opinionem semper fuerunt spiritualitas, & corporeitas identificatæ in entitate indiuidua. Certè quòd vna substantia sit perfectior in gradu corporeo, quam alia, eo quòd vna aliam excedat in gradu spirituali, notissimum cunctis. Sed quod vna, eademque substantia classem teneat spiritualis, & corporeæ inauditum prorsus fuit ad nostra vsque tempora, Iam tamen Modernus quidam exertè pronunciat, vnam eamdemque rem simul esse spiritualem, & corpoream; quem non aliter audio, ac si diceret posse simul esse increatam, & creatam, rationalem, & belluinam, animatam, & mortuam, naturalem, & supernaturalem, substantialem, & accidentalem, &c. Certè S. Damasceno in Homilia de Sabbato Sancto tam repugnans visum fuit, eandem rem simul esse spiritualem, & corporalem, quàm quòd simul sit increata, & creata, sic enim loquitur, *Nullo pacto hæc vnum, idemque naturâ sua esse queunt, creatum scilicet esse, & simul increatum, mortale, & immortale, sub visum cadens, ab eoque seiunctum.* In quibus verbis *sub visum cadens*, est idem ac corporale in phrasi Patrum, *à visu* seiunctum idem est, ac spirituale.

6 Pronuntiati sui duritiem emollire vult, quatenus spirituale tantùm, & corporale tantùm duæ sint differentiæ in substantia; cum quo rectè stat, vt detur tertia alia differentia conflata ex spirituali simul, & corporali, non secus ac practicum, & speculatiuum simul potest esse differentia cognitionis, etiamsi extent duæ aliæ differentiæ, scilicet practici tantùm, & speculatiui tantùm. Sed contra, quia si triplex differentia assignata in cognitione ministrat argumentum ad triplicem illam aliam in substantia, licebit æquo iure posthac dicere, posse dari vnam animam, quæ simul esset rationalis & belluina, æquina, & leonina, quamuis adsint aliæ, quæ solùm sint rationales, & solùm belluinæ equinæ solũ & solũ leoninæ. Nõ ergo quæ in cognitione ob diuersitatẽ obiectorum, vel cognoscentium

tium admittitur possibilis differentia compacta ex practico simul, & speculatiuo, transferenda est ad substantiam. Addit Modernus, eadem entitas pendere potest indiuisè ab spiritu,& corpore: sicque pendet vnio inter animam rationalem,& materiam. Ergo est indiuisè spiritualis,& corporalis. Sed contra, quia pariter colligere posset, eandem entitatem esse indiuisè naturalem, & supernaturalem,siquidem actus permulti pendeant indiuisè à principio naturali,& supernaturali. Quare sicut dependentia actuum à principio supernaturali partiali, est in causa, vt sint supernaturales, quin simul sint naturales, ob dependentiam à principio partiali naturali: ita dependentia vnionis à materia tanquam ab extremo partiali, sufficiet vt sit tantùm corporalis, non obstante dependentia ab anima spirituali, tanquam ab extremo partiali. Videatur n. 40. Exercit. 7. Si Neothericus non aliud intenderet, quàm vnionem humanam non esse tam imperfectè corpoream, quàm equinam v.g. annueremus. Sed non possumus non renuere, dum inquit, esse simul spiritualem; nam minor imperfectio ingradu corporeo sat ad id non est, sicut è contra maior imperfectio animæ rationalis præ Angelo in gradu spirituali non sufficit, vt anima rationalis sit simul corporalis. Rationem à priori exhibeo; quia scilicet essentiales conceptus rei corporeæ, & rei spiritualis debent consistere in indiuisibili. Vnde si anima rationalis est spiritualis, quia non dependet physicè in sui permanentia à quantitate, neutiquam corporalis erit, etiamsi primam sui existentiam nequeat accipere naturaliter separata à quantite, & ex hac parte imperfectior sit in ingradu spirituali, quàm Angelus. similiterque si vnio humana est corporalis. quia tam infieri, quam in conseruari dependet à quantitate, haud quaquam spiritualis erit ob dependentiam ab anima spirituali, licet titulo eius dependentiæ antecellat vnionem equinam alligatam animæ corporeæ. Sed ab hoc excessu præcindit essentialis conceptus entitatis corporeæ quemadmodùm spiritualis entitatis conceptus abstrahit à defectu illo alio, quem comparatiuè ad Angelum habet rationalis anima.

7 Neque opponat quispiam, species visiuas, immateriales,& spirituales vocari ab Aristotele lib. 2. de Anima textu 121. S. Augustino lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 16. Auerroe in 2. de Anima commentario 97. & 101. S. Thoma apud Auersam q. 53. Philosophiæ sect. 3. qui in q. 54. sect. 2. citat alios asserentes, lucem esse qualitatem spiritualem. Cum autem negari nequeat, species visiuas, & lucem esse corporeas, videtur, Authores illos ad misisse entitates spirituales, quæ simul essent corporales. Non, inquam, opponat, nam species visiuæ dicuntur ab illis Authoribus immateriales ob deputationem à materia obiecti repræsentati, seu quia species coloris est forma sine colore; dicuntur item spirituales ob indiuisibilitatem in repræsentando, vt notat Auersa, vel quia referunt entia spiritualia modo explicato à nostro Villapando, tomo 2. explanationum Ezechielis parte & lib. 2. cap. 5. Denique lux appellatur spiritualis, quia instar substantiarum spiritualium putatur vulgariter peruadere corpus diaphanum, quod illuminat, quasi ex vna parte progrediatur ad aliam eademmet numero.

SECTIO II.

An Empyreum sit corpus completum simplex, vel compositum ex materia & forma?

8 Simplex esse, iudicant Granadus tract. 2. de opere sex dierum disp. 1. n. 7. Celada in benedictione 1. de Adamo & Eua in cap. 1. Genesis v. 1. n. 7. Franciscus Alfonsus disp. 12. de cælo sect. 1. n. 21. Auersa q. 33. Philosophiæ sect. 5. Redemptus Baranzanus, teste Hugone Sempilio lib. 10. de Mathematicis disciplinis cap. 2. Angelus à Montepiloso tomo 2. partis 2. Theologiæ disp. 32. art. 2. allegans Scotum in 2. dist. 14. q. 1. art. 2. tanquam manifestum sibi patronum; sed mihi suspiciosum, Amadeus tractat. 8. suæ Apocalypsis, & censebunt à fortiori omnes illi, qui negant cælo sydereo compositionem ex materia, & forma. Eos referunt Zabarella lib. de natura cæli cap. 6. & 7. Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 10. n. 2. & præcitatus Auersa. Ast reliqui Theologi, ac Philosophi tribuunt Empyreo compositionem ex materia, & forma. Imo repugnare corpus illa carens, affirmant Connimbricenses lib. 2. de cælo cap. 2. q. 4. art. 3. ad 8. Petrus Hurtadus disp. 1. de cælo sect. 1. §. 8. & disp. 2. de Anima sect. 4 §. 49. Tellez parte 3. Philosophiæ disp. 54. sect. 6. n. 11. propendet Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. &. n. 10. qui multos alios allegant.

DIGRESSIO

Non repugnat corpus completum simplex.

9 Probat P. Ouiedus Contr. 5. Physic. punct. 5. §. 1. n. 2. quia inter substantias spirituales creatas datur quædam simplex completa, qualis est Angelica, quædam incompleta, qualis est anima stica rationalis. Ergo inter materiales non repugnabit substantia, quæ sit simplex completa. Sed inefficaciter, tum quia ex Antecedenti infertur etiã existentia substantiæ materialis simplicis cõpletæ: tum quia multi apud Vazquium 1. p. q. 50. in cõmentario art. 2. & apud Valentiam 1. p. disp. 4. q. 1. puncto 4. constituunt in Angelo compositionem ex materia, seu primo substantiali subiecto,& forma spiritualibus, putantes oppositum repugnare. Probant alij, quia potest Deus producere corpora perfectiora,& perfectiora in infinitum syncategorematicè. Ergo potest deuenire ad corpus, seu substantiam corpoream, adeò perfectam, vt seipsa sit completa absque substantiali forma. Hi etiam inefficaciter, vt patet exemplo animarum rationaliũ, quas potest Deus perfectiores, & perfectiores in infinitum syncategorematicè efficere, non tamen eam animæ rationalis speciem, quæ seipsa sit completa absque materia. Quare sicut maior,& maior perfectio animarum rationalium contineri debet intra gradum substantiæ spiritualis incompletæ, ita maior, & maior perfectio substantiæ corporeæ debebit contineri intra gradum compositæ ex materia,& forma, nisi aliunde probetur contrarium. Quod ab iisdem sic contenditur rursus, non repugnat corpus incompletũ tanta præditũ perfectione vt non egeat forma ad existendum naturaliter, vt non repugnat, imò de facto existit forma incompleta tantæ perfectionis, vt absque materia naturaliter permaneat, & conseruetur; talis est forma rationalis

rationalis. Ergo neque repugnabit corpus tam perfectum, vt non solum non egeat forma, qua compleatur, verùm etiam incapax eius sit. Attamen ex Antecedenti nullatenus deducitur, quod postremo loco infertur. Nam & si materia talis esse concedatur, vt naturaliter existere queat sine omni forma substantiali, talisque sit forma rationalis, vt existat conseruata naturaliter absque vnione ad materiam, adhuc illa capax est naturaliter compleri per formam substantialem; & hæc, scilicet forma rationalis, capax est naturaliter compleri per materiam. Ergo hinc vt summùm deducitur, possibile esse corpus, quod non egeat formæ ad existendum naturaliter, non tamen, quod incapax sit cumpleri naturaliter per eam. Præterea Antecedẽs est falsum, si sermo sit de corpore indifferenti, vt compleatur substantialiter siue per formam, quæ possit naturaliter conseruari sine ipso, siue per formam, quæ non possit: tale enim corpus debet egere formæ ad existendum naturaliter; alioqui ex corpore, & forma nequiret resultare vnum substantiale per se, vt ostendam n. 8. Exercit. 6. Si verò sermo sit de corpore determinato, vt si habeat formam, ea sit, quæ nequeat conseruari naturaliter sine ipso, transeat, possibile esse, vt non egeat formæ ad existendum naturaliter; sit tamen incompletum. Quid inde? Certè à corpore incompleto ad completum videtur argui disparatè: & fortè melius inuerti sic posset argumentum, repugnat corpus incompletum tanta præditum perfectione, vt non egeat materiæ ad existendum naturaliter; si quidem repugnet forma corporea substantialis tantæ perfectionis, vt absque materia perseueret naturaliter. Ergo repugnabit corpus tam perfectum, vt non solùm non sit capax materiæ, verùm etiam eius non egeat ad sui complementum, & conseruationem naturalem.

10 Validius non est aliud eorundem argumentum in hunc modum: possibilis est natura creata subsistens essentialiter per se ipsam, licet naturæ creatæ de facto existentes subsistant per subsistentias distinctas à se realiter. Ergo similiter, licet naturæ corporeæ nunc existentes compleantur per formas substantiales realiter distinctas, possibilis erit natura corporea, quæ per se ipsam sit completa. Sed nisi inferatur: *quæ per se ipsam, & per formam substantialem sit completa*; nihil infertur: nam natura creata possibilis, assumpta in Antecedenti subsisteret per se ipsam, vt per subsistentiam, seu esset terminata substantialiter per se ipsam habentem rationem subsistentiæ identificatam secum. At natura corporea simplex, in cuius fauorem arguitur, non esset completa substantialiter per se ipsam habentem identificatam sibi rationem formæ substãtialis. Denique iidem probant impossibile non est corpus integraliter simplex, seu quod expers sit compositionis continuæ ex partibus integralibus. Ergo impossibile non erit corpus essentialiter simplex, seu quod expers sit compositionis essentialis ex materia, & forma P. Martinonus tomo 4. disp. 30. sect. 12. n. 80. meminit corporis propositi in Antecedenti. Et P. Ouiedus controu. ac puncto 5. Physicorum §. 2. tuetur, possibile esse corpus indiuisibile integraliter secundum substantiam, diuisibile tamen secundum quantitatem; quod à fortiori concedent, qui volunt, substantias corporeas de facto non habere partes nisi ratione quantitatis, & qui censent animalium imperfectorum animas corporeas esse diuisibiles integraliter, imò Alfonsus disp. & sect. 4. de Anima n. 43. Ouiedus controu. 7. Metaphysicæ puncto 2. §. 4. n. 26. iudicant, corpus illud impartibile posse esse præditum quãtitate incapaci diuisionis in partes. Verùmtamen cum S. Augustino in epistola 28. & in 57. lib. 4. de Anima, & eius origine c. 11. lib. 1. de quantitate Animæ. cap. 4. & 14. S. Claudiano Mameteo lib. 1. de statu animæ c. 18. S. Damasceno lib. 1. fidei orthodoxæ c. 16. lib. 2. c. 12. apud me est impossibilis substantia corporea, quæ suapte natura non dependeat à diuisibili integraliter quantitate, & quæ proinde non habeat ordinem ad compositionem continuam ex partibus quantitatiuis, ideoque non vtor eo Antecedenti; quicquid sit de possibilitate corporis indiuisibilis integraliter secundùm substantiam.

11 Aliunde itaque argumentor pro possibilitate corporis simplicis completi; non repugnat substãtia spiritualis completa, quæ composita sit ex subiecto, & forma spiritualibus substantialibus. Ergo ex aduerso non repugnabit substantia materialis completa quæ incomposita sit ex materia, & forma corporeis substantialibus. Tam enim videtur esse de conceptu substantiæ spiritualis completa incompositio substantialis, quàm asserunt ab Aduersariis esse de cõceptu substantiæ materialis cõpletæ compositio substantialis. Antecedens fulcitur primò, non implicat contradictionem forma substantialis spiritualis incompleta diuersæ speciei ab anima rationali humana; neque item implicat materia substantialis incompleta spiritualis. Ergo non implicabit substantia completa spiritualis constans tali materia, & forma. Probatur posterior Antecedentis pars, quæ solùm eget probatione, quia materia illa, vel implicaret titulo substantialis, & hoc est falsum, vt patet in materia corporea; vel implicaret titulo incompletæ, & id etiã est falsum, vt liquet in eodem exemplo, vel denique implicaret titulo spiritualis, quia scilicet omnis materia debet esse corporea. Tamen ad conceptum præcisum materiæ vt sic satis videtur esse, si sortiatur rationem primi subiecti substantialis; ex quo quidpiam eo pacto fiat, vt non per accidens insit, & vltra id materia corporea habebit titulo corporeæ dependentiam naturalem à quantitate.

12 Fulcitur secundò superius Antecedens, existit de facto anima rationalis humana, quæ est forma substantialis incompleta spiritualis apta constituere vnum per se cum materia corporea. Ergo & si fateamur non existere aliam formam substantialem incompletam spiritualem, quæ apta sit constituere vnum per se cum materia spirituali, quia talis formæ nullum de facto indicium habemus, deffiteri tamen non debemus, possibilem esse, si quidem magis distans à materia corporea, magisque improportionata videatur anima rationalis humana ad vnionem cum ea, quàm esset illa alia forma respectu materiæ spiritualis. Confirmari potest, & exornari insigniter hoc argumentum simili alio S. Augustini lib. 22. de Ciuitate Dei caput. 6. *Si animæ* inquit, *tantummodò essemus, id est sine vllo corpore spiritus, & in cælo habitantes, terrena animalia nesciremus, nobisque futurum esse diceretur, vt terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteretur, nonne multo fortiùs argumentaremur id credere recusantes, & diceremus, naturam non pati, vt res incorporea Ligamento corporeo vinciretur, & tamen plena est terra vegetantibus animis, quibus hæc membra terrena miro modo sunt connexa, & implicita. Cur ergo*

ergo, eodem volente Deo, qui fecit hoc animal, non poterit terrenum corpus in caeleste corpus attolli, si animus omni, ac per hoc etiam caelesti corpore praestantior terreno corpori potuit alligari. Hactenus S. Augustinus, qui in epistola 3. ad Volusianum, vt probet non esse contra rationem vnionem Verbi diuini spiritualis cum humana anima incorporea, arguit ex vnione huius cum corpore, dicens, *duarum rerum incorporearum commixtio facilius cudi debuit, quàm vnius corporea, & alterius incorporea. Nam si anima in sua ratione non fallitur incorpoream se esse comprehendit, multò magis incorporeum esse Verbū Dei, ac per hoc credibilior Verbi Dei, & animæ debuit esse cōmixtio, quàm animæ & corporu, sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere iubemur.*

12 Iam idem Antecedens fulcitur tertiò, Substantia spiritualis potest esse subiectum alterius entitatis spiritualis, non solùm accidentalis, sed etiā substantialis, vt exploratum cōmuniter est in Angelica natura substātiali nunc existēte, & in anima rationali humana, quæ non solùm recipiūt accidentia spiritualia, sed etiā subsistentiam substantialē spiritualē, & anima recipit vnionē cum corpore substantialē, quæ iuxta plures est spiritualis. Cur ergo repugnabit substantia spiritualis, quæ sit primum subiectū alterius entitatis substātialis spiritualis? Vnde merito fatentur non repugnare Petrus Vvadingus in tract. de Incarnat. Bubalus, & Martinonus in tract. de Angelis, Bartholom. Amicus in Physic. Arriaga, Alfons. & Ouied. in Animasticis; licèt cōtradicant Suar. disp. 13. Metaph. sect. 14. n. 13. Petrus Hurtad. disp. & sect. 2. de Anima Tellez p. 2. Philosop. disp. 22. sect. 5. n. 3. Teophylus Raynaudus in Theolog. naturali dist. 3. q. 1. art. 5. n. 42. Arrubal, Turrianus, Tannerus, Præpositus, Meratius, Frācitcus Amicus, Auersa Araujus, & Caspensis in tr. de Angelis quorū rationes dissolnam in sect. 1. Exercit. venientis.

13 Argumentor iterùm, non implicat contradictionem substantia corporea completa immunis ab essentiali partiū compositione, neq; substantiæ, neq; cōpletionis, neq; corporeitatis ratione. Suadetur ex Angelo, & materia prima corporea; ille enim est substantia cōpleta, expers tamen cōpositionis substantialis; hæc simplex, corporea tamen. Ergo ex nulla ratione repugnat corpus cōpletum simplex. Dices, implicantiā desumi ex coniunctis his rationibus in vna, eademq; entitate. Contra, sicq; vltima probatio non apparet cōuincens illius implicātię argumētū.

14 Nam si aliquod, maximè vnum ex his, vel hæc omnia simul. Primum, corpus simplex completum foret imperfectius animo rationali incorporeo; *nam omni corpore, qualibet natura incorporea præstantior*, iuxta S. Augustinum epistola 120. ad Honoratum, & lib. 12. de Genesi ad litteram c. 16. S. Anselmum c. 4. de Sacramento altaris; foretque vnā perfectius; nam substātia completa nobilior est, quàm incompleta, qualis est animus rationalis. Similiter foret imperfectius homine, quia hic constat animo rationali spirituali. *Absque dubio autem melior est natura rationalis, quàm irrationalis*, iuxta Richardum Victorinum lib. 1. de Trinitate, cap. 11. perfectius item, quia penes S. Bernardinum lib. 5. de cōsideratione ad Eugenium, *Natura simplex multiplici antefertur*, & penes S. Anselmum c. 3. de Incarnatione verbi, *simplicia præstant compositis, quantùm ad simplicitatem, & compositionē attinet*; homo autem est natura multiplex, seu composita. Secundum, repugnat corpus incapax formæ accidentalis. Ergo & incapax formæ substantialis. Tertium illud corpus esset, & non esset naturale: esset quidem, vt supponitur, non esset, quia non constaret materia & forma, quæ sunt principia corporis naturalis in facto esse. Quartum, materia est de intrinseco conceptu substantiæ corporeæ. Ergo impossibilis est substantia corporea, quæ non habeat materiam, & proinde formam ex sua natura, nec ex sua natura sit physicè incomplebilis materia. Ergo repugnat substantia corporea, quæ ex natura sua sit completa, & simplex, seu carens compositione materiæ, & formæ. Confirmatur, omnis substantia corporea debet esse materialis. Ergo nulla est possibilis, quæ componi non debeat ex materia.

15 Quintum, corpus illud esset quantum, quia extensum, & impenetrabile. Ergo constaret quantitate. Aliunde autem non constaret, quia defectum materiæ sequeretur defectus quantitatis, quæ quarto modo est proprietas materiæ. Sextum, quælibet substantia corporea necesse est, vt sit vel potentia, vel actus. Sed substantia corporea simplex completa neque esset potentia, neque actus, cum neque materia, neque forma esset. Septimum, in genere Metaphysico impossibilis est substantia completa (nisi sit genus summum) quæ non componatur ex genere, & differentia. Ergo in genere Physico impossibilis est substantia singularis completa, quæ non componatur ex materia, & forma. Octauum, ea substantia esset operatiua, tum quia repugnat substantia creata, quæ operatiua non sit, tum quia si substantiæ imperfectiores compositæ ex materia, & forma sunt operatiuæ, multò potiùs ea substantia. Rursus non esset operatiua. Nam in primis, non transeunter; alioqui cum modus operandi sequatur modum essendi, & ea substantia sit in modo essendi independens à subiecto, operaretur modo independenti à subiecto; propterèaque operaretur per creationem. Deinde non vitaliter, tum quia nec vitam substantialem completam, nec incompletam haberet: nam si completam, foret Angelus, si incompletam, homo; tum quia nullum genus vitæ accidentalis assignari potest ei substantiæ; non quidem genus vitæ intellectiuæ; superat enim genus substantiæ corporeæ; nec item genus vitæ sensitiuæ, vtpote quæ requirat in viuente primas qualitates, quibus careret ea substantia, eo quòd inepta esset disponi ad suscipiendam formam substantialem: non denique genus vitæ vegetatiuæ ob eandem rationem, & quia corporea ea substantia non posset acquirere nouas partes alterius, quæ esset composita ex materia, & forma, neque alterius, quæ esset simplex. nam cum altera composita non posset inire vnionem continuatiuam, & in altera simplici non posset introducere accidentia similia suis, & contraria alienis: alioqui daretur corruptio formæ substantialis in partibus substantiæ adquisitæ per vegetationem, quod est contra suppositionem. Nonum, vniuscuiusque primum subiectum est materia, & ex hac, ac ex forma debent constare vt ex principiis omnia entia naturalia, seu corpora completa; quod vtrumque docetur ab Aristotele in definitione materiæ, & principiorum entis naturalis, seu corporis completi. Decimum desumitur ex authoritate S. Damasceni dicentis lib. 1. de fide orthodoxa cap. 4. *Quo etenim modo corpus esse queat ∴∴ quod simplex est, compositionisque expers?*

16 Incipio ab hoc vltimo argumento, & respondeo, authoritate S. Damasceni tantùm probari, non posse non competere corpori compositionem ex partibus integralibus saltem quantitatis, quæ compositio perstare germanitùs potest cum essentiali simplicitate, vt liquet in materia corporea.

rea. Ad nonum loqui Aristotelem de vnoquoque, deque enti naturali, seu corpore completo, quæ sint cõposita substantialiter, ac physicè. Ad octauũ dico primò, nõ repugnare substantiam creatã, quæ nulla tenus sit operatiua, & quæ in perfectione excederet absolutè, & simpliciter alias operatiuas etsi ab his excederetur secũdùm quid, vel è conuerso quæ exederetur absolutè, & simpliciter, cum tamen ipsa exederet secundùm quid. Remitto lectorem ad. Exercit. 16. Dico secundò, eam substantiam posse esse operatiuam transeunter, & non per creationem, quamuis enim in modo essendi independens esset à subiecto, non ideo deberet esse independens in modo operandi. Deus namque, & Angelus sunt independentes in modo essendi à subiecto, nec tamen Deus in omni operatione debet seruare independentiam à subiecto, neque Angelus in vlla potest eam seruare. Forma materialis tã substantialis, quàm accidentalis dependet in fieri, & conseruari à materia immediatè vel mediatè, quin in operando sit dependens, ita vt materia cooperetur cum foma ignis v.g. ad productionem ignis, aut caloris, vel ita vt materia, aut quantitas concurrat cum calore v.g. ad species, quas diffundat. Non ergo modus operandi debet in omnibus, & semper sequi modum essendi. Tertiò multis videri non impossibilem diuinitus creaturam præditam virtute naturali creandi. Quartò, eam substantiam posse esse operatiuã immanenter suarum proprietatum & passionum, inanimem tamẽ. Etsi enim sit actus simplex completus subsistens, non apparet, cur debeat esse viuens. Inter actus compositos cõpletos subsistentes dantur alij, qui sunt viuentes, vt homo, equus, alij, qui sunt inanimes, vt ignis: quidni inter actus simplices cõpletos subsistentes, poterũt dari alij, qui sint, viuẽtes vt Deus, Angelus, alij, qui sint inanimes, vt ea substãtia? Quinto, posse esse viuentẽ, quin sit Angelus, quia non haberet vitam substantialem spiritualem cõpletam, & quin sit homo, quia non haberet vitã substantialem supiritualem incompletam. Sextò, posse esse viuentem, & non vita accidentali intellectiua, neque sensitiua neque vegetatiua, si posset se mouere localiter extra locum sibi debitum, & connaturalem, si id satis sit ad vitam, vt pluribus placet. Septimò, posse esse viuentem vita intellectiua, si substantia corporea non repugnet perceptio obiecti spiritualis, de quo in Exercit. 24. à sect. 3. Quod si repugnet, non quæcumq; immaterialitas erit radix intelligendi in substantia completa, vel incompleta; sed immaterialitas liberatam à cõpositione ex materia corporea, quàm à compositione ex partibus substantialibus corporeis. Ea autem substantia iis partibus constaret, & præthereà dependeret in fieri, & conseruari à partibus quantitatis adiunctæ; idque solùm sufficeret, ne esset intellectiua, etiamsi ex abundãti concedatur incomposita ex partibus integralibus substãtialibus corporeis. Octauò, posse esse viuentem vita sensitiua, cui vita diuersæ speciei à nostra, & animalium irrationalium, deseruirent qualitates omnino dissimiles iis, quæ nobis, & animalibus irrationabilibus deseruiunt; vel si essent similes, eiusdemque rationis qualitate deseruientes ad vitam sẽsitiuam talis sustãtiæ, non ideo disponerẽt ad formam substantialem, cum huius esset in capax talis substantia. Nonò posse esse viuentem vita vegetatiua acquirendo sibi partes alterius substantiæ corporeæ simplicis cõpletæ per vnionem continuatiuã, præcedentibus dispositionibus productis à substantia se aggenerante in altera, ex qua aggeneratur.

17 Ad septimum respondeo, argui ineptè ex compositione generis, & differẽtiæ in ordine metaphysico ad compositionem materiæ, & formæ in ordine physico, cum manifestũ, sit non omnes entitates creatas quæ in ordine metaph. gaudent cõposione generis, & differentiæ, gaudere cõpositione materiæ, & formæ in ordine physico. Ad sextum, corpus completum simplex, fore potentiam passiuam formarum accidentalium, & fore etiam actum cõpletum subsistentem, quod vtrũque conuenire potest entitati creatæ substãtiali carenti materia, & forma substantiali, vt patet in exemplo Angeli. Ad quintum, quãtitatem non esse proprietatem solius materiæ, sed ipsius, & corporis, simplicis completi, posseque in hoc, & in illa esse eiusdẽ speciei, vt facile est colligere ex sect. 1. Exercit. 13. Quod si velis esse diuersæ speciei, imò identificatam cũ corpore simplici completo, rem profectò dices non planè improbabilẽ si quãtitas esset diuersæ speciei, posset inepta esse ad recipienda accidentia, quæ disponũt modò ad introductionem formæ substantialis in materia. Sed etsi eiusdem speciei esset, & reciperet ab agentibus extrinsecis ea accidentia, non ideo disponeretur corpus ad formã substantialem, cuius est prorsus incapax. Forsan non produceret calorẽ ignis applicatus corpori illi, ne ageret frustra & vanè. Ad quartũ, & ad cõfirmationẽ negatur, materiã esse de conceptu intrinseco cuiuscumq; substantiæ corporeæ, non tantùm incõpletæ (qualis est forma substantialis ignea, aut leonina v.g. quæ ex materia non constituitur intrinsecùs) verum etiam completa, & omnem substantiam corpoream debere esse materialem, si materiale significet idem, ac primu subiectum corporeum formarum substantialium, vel id, quod à tali subiecto depẽdeat in fieri, & conseruari. Conceditur verò, omnem substantiam corpoream debere esse materialem, si materiale significet idem, ac quantum, aut idem, ac nõ spirituale. Ad tertiũ dico, illud corpus fore naturale prout naturale opponitur supernaturali theologicè accepto, seu enti, quod est supra debitũ, & exigentiã omnium substantiarum nunc existentiũ, & creatarum, milliumque aliarum possibilium, nam in hoc sensu non minus erit ens naturale, quàm Angelus, qui materia, & forma non constat. Vnde etsi illud corpus nõ esset naturale prout naturale significat ens cõpositũ ex materia, & forma contradictio nulla sequetur. Qui voluerit defendere, illud corpus fore naturam, quatenus natura sumitur pro principio causatiuo motus, & quietis, foreque etiam ens naturale, quatenus ens naturale vsurpatur pro ente completo, quod costat natura, adeat Exercit. 9. Legatque speciatim 9. eius numerum.

18 Ad secundum respondeo per instantiam sic; repugnat substantia creata incapax formæ accidentalis. Ergo & incapax formæ substantialis. Hæc consequentia est falsa, si quidem Angelus, & forma substantialis sunt substantiæ creatæ incapaces substialis formæ. Non ergo ex capacitate fomæ accidentalis necessaria cuiuis substantiæ creatæ siue corporeæ, siue spiritualis infertur inductabiliter capacitas formæ substantialis. Vlteriùs vt corpus illud simplex esset capax mutationis substantialis, sicut est capax accidentalis ex conceptu & imperfectione creaturæ, satis esset virtus receptiua subsistentiæ realiter distinctæ, & vnionis continuatiuæ partium ipsius, si ea vnio sit substantialis. Nonnullis cum Arriaga disput. 2. Metaphysicæ n. 39. tom. 2. in p. 1. disp. 3. n. 19. videtur non implicare contradictionem substantia creata incapax compositionis accidentalis; &

oppositum

oppositum demonstrari non posse ex sola ratione entis creati vt sic, quia ad eam sufficeret dependentia à Deo in fieri, & conseruari, animaduertitur à Suario disp. 31. Metaphysicæ sect.13. n.26. Abstineo modò ab hac controuersia, circa quam consulantur ex Patribus Iunilius lib. 1. de partibus diuinæ legis c.20. S. Claudianus Mamercus lib.3.de statu animæ c.12.S. Maximus apud Nicetam lib.2.thesauri c. 11. Ex Scholasticis Herueus quodlibeto 8.q.3, Fonseca 5.Metaphysicæ c.8.q.4 sect.3.§.*ad alterum*.Tellez.p.3.Philosophię disp.54 sect.4.n.10.Recupitus lib. 5. de Deo vno q.20.à v.*Quinta compositio*, vsque ad finem Theophylus Raynaudus in.Theologia naturali dist.3.q 1.art.6. n.60.fusius dist.7.q.1.art.4.& 5.alijque.Theologi dum 1.p.q.3.& 9.agunt de simplicitate,& immutabilitate Dei. Illud non prætermittam, quamuis non repugnaret substantia creata, quæ ex natura rei nullum accidens subiret, tamen subiectionem obedientialem cuiusuis creaturæ ad Deum debere esse tantam ex Augustino lib.9. de Genesi ad litteram c. 17. vt in illa, & ex illa possit Deus facere multa non exacta ab ipsa,& idcircò impossibilem esse creaturam substantialem incapacem essentialiter accidentium supernaturalium, aut non connaturalium sibi in quo saltem sensu aiebat S.Aug. lib.& cap.6. de Trinitate, *omnem creaturam esse mutabilem*. Neque item prætermittam, spectare ad infinitam largitatem, & munificentiam Dei, nec non ad eius omnipotentiam, vt possit cuiuis substantiæ creatæ citra omnem exigentiam, ex mera, & gratuita sua voluntate multa elargiri dona accidentalia, & vt possit tanquam author supernaturalis maiora facere in bonum, & perfectionem cuiuscumq; substantiæ, quàm tanquam author naturalis. Ad primum, animo rationali, & homine fore absolutè,& simpliciter imperfectius illud corpus, etsi secundùm quid perfectius. Sic in multis aliis passim occurrit. Ipso animo rationali est absolute, & simpliciter imperfectius corpus compositum completum v. g. ignis (*negaretur* quippè *stultissimè animam meliorem esse corpore*. Vt in epist. 56. asserit S.August.nec non in tract.ad Ps.145.lib.12. de Genesi ad litteram c.32.& 33.lib.8.de Ciuitate Dei c.16. Simulque est perfectius secundùm quid; rursus ipso homine est absolutè, & simpliciter imperfectius cælũ, vnáq; est perfectius secundũ quid.

19 Rogabit quis primò, per quam actionem produceretur illud corpus? Secundò, an posset destrui ab agentibus creatis? Respondeo ad primum, actionem productiuam partium illius corporis fore creatiuam, vtpotè respicientem terminum,& causantem independenter à subiecto sustentationis: vna enim pars illius corporis non dependeret in fieri,& conseruari ab alia vt à subiecto. De productione vnionis inter vnam, & aliam partem, variæ possunt esse sententiæ; totque, quot versantur circa productionem vnionis inter partes materiæ, aut formæ substantialis corporeæ. Non vacat de eis sententiis, nec præsens institutum petit diiudicare. Totum illius corporis resultans ex partibus vnitis denominabitur creatum, si vnio continuatiua partium creetur per actionem dependentem ab eis tanquam ab extremis quibus cũ habeat essentialem connexionem, non verò tanquam à subiectis. Sed etsi vnio generetur, denominabitur illud corpus creatum, dummodò partes sint homogeneæ, & in qualibet parte seruetur eius essentia; nam tunc vnio non pertinebit ad essentiam, & integritatem corporis, de quo tamen vt integrato non renuam concedere denominandum generatum. Quòd si partes sint heterogeneæ, & in qualibet parte non saluetur essentia corporis, denominabitur istud generatum in ratione corporis ex generatione vnionis: Quæ omnia vt intelligantur operæ pretium erit legere Exercitat.6.numeros.57.& 67.Exercitationisq; 14.numerũ 16. Respódeo ad secundũ, posse illud corpus destrui à causis secundis, si ab iis naturaliter crearetur cum facultate suspédendi, actionem conseruatiuam; secus si crearetur naturaliter sine ea facultate in causis secundis, aut si crearetur ab istis vt eleuatis, & adhuc cum ea facultate, quia productum per creationem à causis secundis eleuatis exigeret naturaliter, vt in defectu illius actionis succederet actio conseruatiua prouenιens à sola causa prima, quæ si decreuisset non substituere suam actionem adæquatam conseruatiuam, non tam deficeret corpus ex defectu actionis causarum secundarum, quàm ex defectu actionis conseruatiuæ præstandæ naturaliter à causa prima ob naturale ius ipsius corporis postulantis permanentiam sui, vt de Angelo, & materia prima communiter dicitur. Addo, non posse partes illius corporis destrui siue à causis secundis, siue à Deo per accidentia contraria. Et ratio est, quia non possent interitum subire ex aliquo accidenti recepto, in instanti, in quo reciperent, vt patet; neque item in alio sequenti; tum quia si in vno instanti pars recipiens, & accidens receptum fœderantur, cur non in sequentibus? tum quia accidens receptum petens destructionem partis recipientis, intentaret destructionem sibi ipsi, & actio, per quam naturaliter produceretur accidens dependenter à parte recipiente, eius esset conditionis, vt ad ipsam sequeretur necessariò desitio accidétis: quod vtrũque absurdum omnino est: Tum denique quia vt inquit S.August.lib.& c.6.de Trinit. *Nihil simplex mutabile est*. S. Proclus Constantinopolitanus ad Armenios, de fide, *Omnis passio pugna est, atque seditio compositarum rerum*. Ex materia videlicet, ac forma. Arnobius lib.1.aduersus Gentes; *Interitionis dissolutione dilabi non potest id, quod est vnum, & simplex, nec vllarum partium congregatione compactum*. Et vt Cassiodorus lib.de Anima c. 10. *vnum atque simplex habere nescit aduersum, & ideo semper manet, quoniam in essentia sua non habet litem*. E contra verò, vt ait S.Greg.Naz.orat.2. de Theologia: *Compositio initium est pugnæ, pugna autem seditionis, seditio dissolutionis: .·:· Non admittendum dissidium, ne destructio existat*. Sed quid de vnione continuatiua partium illius corporis? posset quidem destrui à causis secundis producentibus aliquid ei contrarium, ad cuius exigentiam cessaret actio conseruatiua vnionis, etiamsi talis actio esset creatiua,& à solo Deo: vt enim ad exigentiã agentis naturalis vltimò disponentis materiam prodit Deus in actionem creatiuam animæ rationalis, sic ad exigentiã alicuius qualitatis, quę contraria esset vnioni cótinuatiuæ partium illius corporis, posset Deus suspendere conseruatiuam creationem vnionis. Hinc si corpus illud non posset naturaliter conseruari nisi in tanta, vel tanta mole partium continua, si exigeret naturaliter octo vt minimum partes v.g. fieret, vt deficiente vnione duarum ad octo, vel ad plures deficerent naturaliter eo ipso duæ partes. In hoc modo defendédi partes aliquas illius corporis destructibiles naturaliter vi, & exigentia causarum secundarum nullã, vel leuem inuenio difficultatem: neque contra eum militant obiectæ ab Arriaga disp.5.Physic.sect.3.n.41.

DIGRESSIO II.

Cælum Sydereum non est corpus simplex completum.

20 ITa Theologi communiter, & nobiliores hac tempestate Philosophi. Nititur assertio congruentibus his fundamentis è Philosophia emendicatis. Primum, sydereum cælum ornatur accidentibus, quæ comitantur materiam, & formas substantiales in corporibus sublunaribus, vt quantitate, luce, motu. Ergo ex similitudine horum accidentium deducitur satis aptè, communem esse cælo sydereo compositionem ex materia & forma. Secundum in cælo sydereo sunt accidentia ordinata ad agendum, vt lux, & ad recipiendum vt quantitas. Ergo illa formam indicant, hoc materiam. Tertium, sydereum cælum habet magnam communicationem cum corporibus inferioribus, quatenus agit in illa Ergo assimilatur illis in compositione ex materia, & forma. Et licet in illis odorati sint Philosophi materiam & generationem vicissitudine, qua frequenter censetur, carere cælum sydereum, tamen semel comperta materiæ, & formæ compositione in sublunaribus, inde ad cælestia rectè transitur; infertùrque ex similitudine accidentium, & proprietatum communicare in hac compositione. Sic Philosophi deuenerunt in actionis notitiam ex exigentia, quam eius habet terminus; & tamen conceptus actionis non consistit in eo præcisè, quòd sit termino necessaria. Species impressæ cognitæ sunt à Philosophis iam ex distantia iam ex improportione obiectorum; nec ideo conceptus earum, in hoc solùm consistit, quòd aut distantiam, aut improportionem suppleant. Substantiæ cognitio comparata est in Philosophia ex necessitate subiecti, cui insint accidentia; & nihilominus Deus, qui est accidentium expers, non excluditur à substantiarum numero, sed potius est nobilissima substantia. Si Cælum stelligerum sit ex natura rei corruptibile, vt agentium naturalium, conficietur quartum argumentum non spernendum: non enim cum simplicitate corporis completi conciliatur corruptibilitas, nisi vt summùm per discontinuationem partium; qui autem illud cælum existimant corruptibile vi naturali causarum secundarum, intendunt aliam incorruptibilitatem, quàm per discontinuationem partiū.

21 Ex sacris litteris non desunt fundamenta. Conimbricenses lib. 1. de cælo c. 2. q. 4. art. 2. adducunt illud sapientiæ 11. v. 18. *Omnipotens manus tua :: creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* Etenim sub nomine orbis terrarum intelligi debet secundùm S. Aug. lib. 1. de Genesi cōtra Manichæos c. 5. & Eucherium lib. 1. in Genesim c. ac v. 1. totus mundus corporeus. Attamen Suarez disp. 13. Metaphysic. sect. 11. n. 29. perdoctè notat, eo loci non esse sermonem de materia prima. Lotinus interpretatur locum de sublunari tantùm mundo; & non nisi de hoc videntur loquuti S. Aug. & Eucherius. Firmius fundamentum nobis offert c. 5. Geneseos. Innuit enim, Deum construxisse cælum sydereum ex parte aliqua aquarum, quæ prima productæ die totum spatium iacens Empyreum inter, & terram occupabant. Ita exponunt complures Patres apud Salianum die mundi secunda. Ita Biblicæ, Theologiæ, ac Philosophicæ litteraturæ peritiores Moderni commendati in n. 4. Exerc. 2. consentiuntque Petauius in Rationario temporum parte, lib. & c. 1. & Sandæus in Theologia iuridica cōment. 30.

REGRESSIO.

Cælum Empyreum non est corpus simplex completum.

22 CVm simplicitati cæli Empyrei nullum sit apparens vestigium, nisi tantùm eius non repugnantia, dicendum est, constare materia, & forma. Huic asserto fauent congruentiæ Philosophicæ expensæ pro compositione cæli syderei. Et si quidem Empyreum ordinatum præcipuè est in domicilium glorificatorum hominum penes animam, & corpus, par est æmulari ipsos in eo, quòd coalescat ex materia, & forma.

23 Ait Franciscus Alfonsus, corpus completum simplex est perfectissimum in genere corporum non viuentium. Ergo Empyreum, quod electum est in finem prestantissimum, inter eos, quibus deseruiunt corpora non viuentia, pertinet ad speciem corporis simplicis completi: Posset quis negare Antecedens sequutus Suarium disp. 13. Metaphysicæ sect. 10 n. 11. vel ex eo non admittentem simplicitatem in cælo sydereo, quòd sequeretur, illud esse substantiam valde imperfectam, ob carentiam substantialis actus, qui est maximè perfectus inter actus informantes. Non acquiesco, quia carentia actus substantialis informātis compensaretur per actum substantialem completum per se existentem: quippe hic actus ex ordine suo superat perfectione illum. Et aliqui tam altè cogitant de actu substantiali completo per se existente, vt negent eius perfectionem cælo sydereo, & Empyreo; ne vtrumque hoc cælum nobilius sit homine composito ex materia, & actu substantiali incompleto in formanti. Sed & hi peccant vt visum est in n. 18. nam homo absolutè, & simpliciter nobilius esset vtroque cælo ratione etiam sui actus substantialis incompleti informantis, vt qui sit spiritualis, & viuens. Ad argumentum Alfonsi concesso antecedenti, neganda est cōsequentia. Finis præstantissimus Empyrei persuadet, vt summùm, illud esse perfectius cunctis corporibus non viuentibus; quod quidem rectè stat cum compositione ex materia, & forma; si vna ex illis eminentioris sit perfectionis, quàm materiæ, aut formæ omnium aliorum corporum vita carentium. Sanè si ex fine nobilissimo Empyreum euehitur ad gradum inexpertum corporis simplicis completi, æquo iure poterit euehi ad gradum compositi coalescentis essentialiter ex duplici parte materiali substantiali, quarum neutra sit materia, neque forma, quale possibile esse tentat ingeniosè Ouiedus Controu. 5. Physicorum punct. 4. Poterit etiam euehi ad gradum corporis integraliter indiuisibilis secundum substantiam de quo in calce n. 10. Neque incongruum illud erit fini Empyrei, si gaudeat partibus quantitatis. Scripsi supra *vt summùm*, nam infernus est corpus destinatum ignobilissimo fini præ omnibus, quos habere potest corpus non viuens, nec ideo componitur ex materia, & forma imperfectioribus, quàm sunt illæ, quibus constant quæuis alia corpora, & quibus coalescere queunt plura possibilia. Ergo quòd è contra Empyreum ordinatum sit ad nobilissimum illum finem, non est manifestum indicium excessus in materiæ, aut formæ perfectione respectu reliquorum corporū inanimatorum. Adde, non repugnare corpus compositum substantialiter ex materia, ac forma inanimi superans absolutè, & simpliciter in perfectione corpus aliud simplex, vt tenet ipse Alfonsus

Alfonsus n.8. Ergo non est, cur potiùs Empyreum pertineat ad gradum corporis simplicis, quàm ad gradum compositi excedentis absolutè, & simpliciter in perfectione aliquod corpus simplex.

24 Ait Auersa, rationabile est, supremum cælum omnibus aliis corporibus antecellere in eo, quòd simplex sit. Darem manus Auersæ, si vt Empyreum antecelleret, opus esset simplicitate. Certè opus eà non est, vt superet absolutè, & simpliciter; in perfectione corpora alia non viuentia, & secundùm quid viuentia Vrgebit quis vniuersum erit incompletum, si careat gradu possibili corporis simplicis completi. Respondeo, non ideo vniuersum fore absolutè incompletum, etsi omnimodo non esset completum; siquidem complementum, & pefectio, consistens in gradu corporis simplicis completi non est debita: Nihil autem dicitur incompletum absolute, si careat complemento, & perfectione indebita. Profectò opus non est, neque oportet, vt existant omnes species, & gradus rerum possibilium. Non opus esse, patet, nam cuiusuis creaturæ productio debet esse Deo libera, vt pote nullatenus requisita ad intrinsecam ipsius pefectionem. Vnde dixit S. Ambrosius citatus à Francisco de Lugo disp.& cap.1. de Angelis num.20. *Cuncta & singula voluit Deus producere pro liberio voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Non oportere, ostenditur à posteriori ex inde quòd possibiles sint non solùm infinitæ rerũ species, sed etiã multi, quin & infiniti gradus siue perfectiores siue imperfectiores existentibus, & nihilominus neque producti sunt, neque vnquã producentur; imò repugnabit produci simul infinitas species, & gradus, si repugnet infinitum in actu quoad numerum. Vrgebit vlteriùs, ad varietatem, & pulchritudinem vniuersi necessarium est corpus simplex comeletum, vt sicut existunt substantiæ creatæ spirituales simplices, & completæ, sic etiam existant substantiæ creatæ materiales simplices, & completæ. Hæc coniectura proponitur vt probabilis à P. Arriaga disp.5. Physicorum sect.3. num 48. sed contra, quia perfectio vniuersi non postulat existentiam omnium specierum, & graduum possibilium, neque debet esse quanta potuit, sed quanta placuit conditori Deo, *Qui cum possi omnia facere, non tamen efficit, quatenus* potest, sed quatenus *vult*, vt ait Magnetes lib. 4. ad Theostenem relatus à Francisco Turriano in Antapologia, teste Raynau. in Theologia naturali dist.8.q 5.art.6.n.382.& vt Tertullianus lib. cõtra Praxeam cap.10. *non quia omnia potest facere Deus, ideo credendum est, illum fecisse, etiam quod non fecerit, sed an fecerit, requirendum*, atque vt S. Theophylus Alexandrinus epist.1. Paschali. *Liquidò apparet, Deum non tanta fecisse, quanta poterat, sed quantùm rerum necessitas expetabat, tantùm eius fecisse virtutem.* Maior esset in vniuerso varietas, & pulchritudo, si Deus condidisset (vt potest iuxta scripta num.11.) substantias spirituales compositas ex materia & forma spiritualibus. Quare sicut actu non admittitur ex Angelis existentibus aliquos esse substantias sic compositas, quia nullum datur vestigium, ex quo con lligatur perfecta compositio; ita non debet asseri, Empyreum, aut aliud corpus de facto existens, esse simplex, quia nulla datur coniectura, ex qua deducatur discriminari ab aliis corporibus compositis, quorum habemus notitiam. Neque rerum species, aut gradus sunt multiplicandi sine vrgenti ratione, quæ in præsenti non apparet. Imò etsi varietas vniuersi cogeret ponere in rerum natura speciem corporis simplicis completi, rationes anteà traditæ me mouerent, vt remouerem ab ea specie cælos sydereum, & Empyreum.

SECTIO III.

An compositum Empyreum distinguatur realiter inadæquatè à materia, forma, & vnione simul sumptis? An consistat adæquate in entitate quadam vltra tres recensas? An eà superaddita, entitas sit subsistentia Empyrei compositi?

25 CVm probatum iam sit, Empyreum esse compositum substantiale conflatum ex materia prima, & forma substantiali, tractationem de vtraque suscipiemus in duabus sequentibus Exercitationibus. Et cum compositum quoduis substantiale, non magis requirat partes, quàm compositionem, seu vnionem: proindeque Empyreum hanc importet non minus, quàm materiam, & formam, quæ sunt eius partes substantiales, ideo in alia Exercitatione agemus de vnione inter materiam, & formam Empyrei. Tandem cum compositi cuiusuis substantialis sit velut corollarium appendix, & complementum vltimum subsistentia, dicabimus huic penultimam præsentis libri Exercitationem. Sed quia vltra hæc omnia requiruntur ab aliquibus constitentiua alia; & nonnulli volunt, ipsum consistere in quadam entitate superaddita, & ex eis vnus vel alter dixit, talem entitatem superadditam à subsistentia esse indistinctam: operæ pretium me factutum duxi te in hac Exercitatione de Empyrei composita natura reiiciam, expellamque de medio indicatas opiniones, vt expeditior sit via ad Empyrei compositi vera, propr aque constitutiua, & ad eius complementum.

26 Quapropter, in primis certum esse debet, compositum à materia, forma, & vnione seorsim sumptis distingui realiter inadæquatè tanquam includens ab incluso: neque enim sola materia, neque sola forma, neque sola vnio est compositum. Vnde à fortiori constat, distingui eo modo à materia, & forma simul, & collectiuè sumptis, sed seorsim ab vnione: nam etsi coexistant materia, & forma, si tamen abest nexus earum, distinctusque modaliter ab ipsis, non resultat compositum; quapropter materia, & forma, sumptæ simul etiam, & collectiuè, non erit compositum, sed vlteriùs requiretur vnio, non vt pars, sed vt nexus distinctus modaliter inadæquatè à composito.

27 Deinde apud me est certum, præter materiam, formã & vnionem nihil aliud opus esse ad constitutionem compositi substantialis, quod essentiale, & physicum appellatur. Probatur primò, quia materia, forma, & vnio independenter à quauis alia entitate superaddita constituunt quoddam vnum substantiale per se ex potentia, & actu substantialibus, non enim constituunt aliquod vnum ant integrale, accidentale, aut perparem aggregationem. Ergo independenter à quauis alia entitate superaddita constituunt compositum substantiale. Nec dicas, materiam, formam, & vnionem

independenter ab entitate superaddita habere se præcisiuè in ordine ad constitutionem vnius. Nam imperceptibile est, vnionem physicam non communicare vnitatem materiæ, ac formæ. Cum ergo non cõmunicet vnitatem, aut integralem aut accidẽtalem per purã aggregationem, cõmunicauit formaliter vnitatem vnius substantialis per se. Secundò, intellecta, & posita vnione substantiali, non potest non intelligi, & poni vnitum substantiale. Sed circumscripta quauis entitate superaddita intelligitur, & ponitur vnio substantialis inter materiam, & formam. Ergo intelligitur, & ponitur vnitum substantiale conflatum ex vtraque. Quod vnitum nihil aliud est, quàm compositum substantiale. Omnes huius argumenti propositiones videntur mihi ex terminis per se notæ. Confirmatur, materiam, & formam esse formaliter vnitas, & formaliter esse compositas mutuò substantialiter. Sed vt materia, & forma sint formaliter vnitæ, nihil aliud requitur præter ipsas, & vnionem. Ergo neque vt sint formaliter compositæ mutuò suastantialiter. Confirmatur rursus vbi datur compositio substantialis, necesse est, dari substantiale compositum. Sed absque entitate adiecta materiæ, formæ, & vnioni datur compositio suastantialis, cum ipsa vnio sit formaliter talis compositio. Ergo absque entitate adiecta datur substantiale compositum. Tertiò, Compositum substantiale, seu totum metaphysicum ex natura, & subsistentia, si accedat vnio, saluatur adæquatè constitutum; neque enim in supposito Christi Domini assignare est aliam entitatem vltra naturam humanam, & subsistentiam diuini verbi vnitas. Similiter totum accidentale componitur adæquatè ex subiecto, accidente, & vnione; totum integrale ex duabus materiæ v.g. partibus vnitis. Ergo compositum substantiale essentiale, & physicum non includet aliam entitatem præter materiam, & formam vnione physica copulatas. Eadem namque est ratio de hoc composito, ac de illis aliis. Sufficiant hæc argumenta. Qui plura cupiar, reperier apud Gerardum Senensem in 1. dist. 8. q. & a 1. Dominicum Sotum lib. 1. Physicorum q. 3. Astudillum ibidem q. 6. Giannini um lib. 4. Phylosophiæ cap. 48. ac 49. Suarium disp. 36. Metaphysica sect. 3. Rubium lib. 1. Physicorum tract. 3. q. 1. Petrum Hurtadum disp. 6. Physicorum sect. 1. Arriagam disp. 5. Physicorum sect. 1. Balthasarem Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 20. sect. 3. Auersam q. 19. Philosophiæ sect. 8. Bartholomæum Amicum tract. 11. Physicorum q. vltima dub. 4. tract. item 14. q. 4. dub. 3. Nicolaum Cabeum lib. 4. Meteologicorum textu 2. q. 3. Murciam lib. 1. Physicorum disp. 3. q. 4. Chrysostomum Caberum tract. 1. Phys. D. 6. dub. 3. Martinonum tomo 4. Disputationum Theologicarum disp. 8. sect. 1. Ouiedum controu. 5. Physicorum puncto 1. & 2. Francisc. Alfonsum disp. 6. Physicorum sect. 1. & 2. ***quando ad tales remisisse competens plenitudo probatur esse doctrina***, vt ait Cassiodorus in præfatione ad libros diuinarum lectionum.

28 Ob opposita argumenta reiiciendus est P. Vazquez, dum tomo. 1. in 3. p. disp. 19. cap. 2. à n. 26. adstruit in composito substantiali essentiali & physico quendam modum substantialem deriuatum à forma, ex quo vt ex parte constituatur compositum illud. Adiicio alias impugnationes, quarum prima sit; vt materia commuiscet suos effectus formales ipsi formæ, non est necessarius modus substantialis deriuatus à materia in formam. Ergo neque è conuerso. Si enim vt materia reddat animam rationalem sibivnitam impenetrabilem cum alio corpore, non est necessaria nisi vnio, cur hæc non sufficiet, vt anima reddat materiam corpus completum? Secunda, vt compositum substantiale distinguatur ab accidentali, superuacaneus est ille modus, imo destrueret rationem compositi substantialis, cum impediret, ne materia, & forma vnirentur immediatè. Quod si resultet modus ille ex forma vnita materiæ, si quidem non pertineat ad constitutionem suppositi vt subpositi, erit accidentalis, vt infert Doctor Angelicus lib. 4. contra Gentes cap. 81. videndus etiam in 3. dist. 6. q. 1. a 2. ad 5. Tertia, Verbum diuinum assumpsit integram humanitatem in ratione compositi. Ergo si compositum humanum constituitur ex eo modo substantiali; sequitur, eum fuisse assumptum à verbo. Quam illationem non credam admissum iri à Vazquez. Quarta. Accidentalis forma communicat suum effectum formalem subiecto per solam vnionem adistud & idem est de subsistentia respectu naturæ. Ergo substantialis forma, per solam vnionem communicabit suum formalem effectum materiæ, tam enim est potens forma substantialis, quàm accidentalis, & quàm subsistentia; tamque est formalis effectus formæ substantialis, quòd ipsa communicetur materiæ capaci, quàm est formalis effectus formæ accidentalis, & subsistentiæ, quòd communicentur subiecto, & naturæ capacibus. Quinta, non minus anima est viuificatiua corporis, nec minus huic immediatè vnitur, quàm modus inueptus à Vazquez. Ergo talis modus repudiandus est vt superfluus.

29 Rursus, certum esse velim, compositum substantiale essentiale, & Physicum non consistere adæquatè in quadam entitate, quæ sit omnino extra materiam & formam vnitas, quæque distinguatur ab ipsis tanquam excludens ab excluso. P. Suarez di.d. 36. Metaphysica sect. 3. num. 7. ait, hanc assertionem esse receptam ab omnibus, & in num. 9. addit, euidentiorem esse, quam vt probatione egeat P. Arriaga disp. 5. Physicorum sect. 1. num. 2. inquit, euidentissimam esse explicatis terminis. Sapientissimus Sotus lib. 1. Physicorum q. 3. scribit, *Cerdo quidem neque Aristotelem, neque S. Thomam vnquam suspicatos fuisse contrarium, & quamuis id alicubi insinuare viderentur, credo, mihi non persuasissent; adeo res mihi manifesta videtur.* Dolenter. & acerbè audit hæc Soti Verba Didacus Ortiz Dominicanus, qui tract. 4. Physicorum conferentia & §. 2. num. 368. Lamentatur, quòd Moderni suæ Religionis sequentes Magistrum Sotum, non tantùm deseruerint, sed etiam impugnarint communem Thomistarum antiquorum sententiam de distinctione reali totius à partibus simul sumptis; pro qua in §. 1. n. 363. præallegarat decem Thomistas doctrina, & vetustate nobiles. Nihilominus nostra assertio suadetur primo; quia alioqui compositi humani essentia non includeret vt constitutiua sui animam rationalem, & carnem, quod non sine piaculo concedes, cum S. Athanasius proclamet in symbolo; ***Anima rationalis, & caro, vnus est homo***. quem loquendi modum seruant S. Augustinus in epist. 57. ad Dardanum, & lib. 7. de Trinitate c. 4. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 3. S. Iustinus in Parallelis S. Damasceni littera *R.* tit. 73. (testante Petauio) S. Damascenus lib. & cap. 3. fidei otthodoxæ, Boetius lib. de duabus Christi naturis. Aristoteles

ſtoteles lib. 2. de Anima cap. 1. textu 10. lib. 7. Metaphyſicæ cap. 11. textu 39. & Ferrandus Diaconus in epiſtola ad Seuerum ait: *ſimul corpus, & anima rectè nuncupatur homo* : : : : . *ſimul conſtans ex natura corporis, eſt anima vna & natura humana.* Si reſpondeas, propoſitionem, *Anima rationalis, & caro vnus eſt homo*, intelligendam eſſe non in ſenſu formali, ſed in cauſali; quatenus ex anima rationali, & carne vnitis reſultat tertia illa entitas, in qua formaliter conſiſtit compoſitum humanum. Contra, quia ea propoſitio intelligenda eſt in eo ſenſu, in quo alia, *Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Sed hoc accipi debet in ſenſu formali, & non in cauſali: non enim ex verbo Diuino, & natura humana vnitis reſultat tertia quædam entitas, in qua formaliter conſiſtat Chriſtus, & quæ non ſit Deus, nec formaliter, & intrinſecè aliquid increatum. Ergo ea prior propoſitio intelligenda eſt in ſenſu formali, & non in cauſali.

30 Hinc ſuadetur ſecundo intentum à paritate compoſiti metaphyſici ex natura, & ſubſtantia, quod etſi ſit vnum per ſe, tamen non conſiſtit in entitate noua reſultante ex natura, & ſubſiſtentia vnitis, vt conſtat exemplo compoſiti facti ex natura humana aſſumpta, & ſubſiſtentia diuini verbi aſſumente, Quapropter requiſitus Ferrandus in epiſtola, de qua ſuprà, *Quid eſt totum Chriſtus?* reſpondet ſapientiſſimè, *eſſe verbum Dei, animam rationalem, & carnem.* Igitur neque compoſitum phyſicum, & eſſentiale, conſiſtet in entitate noua prodeunte ex materia, & forma copulatis, licet tale compoſitum ſit vnum per ſe. Tertiò, compoſitum integrale ex duabus partibus materiæ v. g. & compoſitum accidentale ex materia, & quantitate v. g. nihil aliud ſunt, quàm duæ partes materiæ, & materia, ac quantitas vnitæ. Ergo compoſitum eſſentiale, & phyſicum ex materia, & forma nihil aliud erit, quàm materia, & forma ſimul ſumptæ, ac vnitæ. Si dicas diſcrimen eſſe, quod hoc totum ſit ens per ſe, & illa alia ſint entia per accidens impugnaberis, quia cur ſaltem illa alia non conſiſtent in entitatibus reſultantibus quæ ſint entia per accidens formaliter, ita vt duæ partes materiæ, aut materia, & quantitas vnitæ ſint entia per accidens radicaliter tantum? Sicut entitas reſultans ex materia, & forma vnitis eſt ens per ſe formaliter, & materia, ac forma vnitæ eſt ens per ſe radicaliter tantùm.

31 Quarto, Deus poſſet impedire, ne exiſtentibus materia, & forma cum vnione, reſultaret entitas illa deſtincta & poſſet illam conſeruare deſtructis aut ſeparatis materia, & forma; nec enim eſt fundamentum ad aſſerendum habere mutuam eſſentialem connexionem. In primo euentu perſeueraret compoſitum, quia manerent partes componentes media vnione. In ſecundo autem non perſeueraret compoſitum, quia non maneret partium Simultanea poſitio? *& totum quidem non erit, partibus non exiſtentibus*, vt perſpicuum videtur S. Methodio apud Photium in Bibliotheca Codice 236. in fine, & Theodoro Gazæ aienti in libro de Menſibus cap. 10. *ex partibus totum conſurgere.* Sed permiſſa perſeuerantia compoſiti humani abſque corpore, & animo rationali vnitis, fieret, permanere principium ratiocinandi ac diſcurrendi ſecluſo rationali animo, cum perſiſteret id, quod eſt homo. Quis autem concipiat tale principium ſeorſim ab animo rationali? Quintò, illa entitas, vel eſſet ſimplex vel partibus conſtans? ſi primum, nequit in illa conſiſtere compoſitum, cum hoc exigat multiplicitatem partium. Si ſecundum, nego, an ab illa entitate partibus conſtante diſtinguatur compoſitum? Si reſpondeas, diſtingui, incurres proceſſum in infinitum. Si reſpondeas, non diſtingui, Ergo ob eandem rationem debuiſſes affirmare non diſtingui à materia, formaque vnitis. Rogo rurſus, an partes, quibus conſtet illa entitas ſint materia, & forma vnitæ, aliquidque aliud deſtinctum ab ipſis, vel ſint partes omnino diuerſæ? Non primum, quia eſt contra mentem Aduerſariorum, & quia refutatum iam eſt ſuprà. Non ſecundum, quia duplex partium ſeries eſt prorſus commentitia, & quia de poſteriori partium ſerie redit eadem quæſtio, ac de priori, an ſcilicet ſit compoſita per ſe ipſam, vel per entitatem reſultantem? Sextò, entitas illa non componit, neque vnitur cum partibus vnitis, alioqui ſicut illa reſultat ex partibus vnitis, ita ex illa vnita, & componente cum partibus vnitis reſultabit vlterior alia entitas. Aliunde componet, & vnietur cum partibus vnitis, alioquin compoſitum ſubſtantiale erit quoddam totum per aggregationem puram.

32 Septimò, vti totum Mathematicum eſt maius ſua parte, ex celebri Euclidis axiomate lib. 1. elementorum Geometriæ, S. Auguſtini lib. 10. Confeſſionum. cap. 6. lib. & cap. 6. de Trinitate. Serm. 38. de verbis Domini in Euangelium ſecundum Ioannem, ita quodcumque totum eſt perfectius qualibet parte ſeorſim ſumpta, & æque perfectum, ac partes collectiuè ſumptæ; quorum neutrum ſaluatur in oppoſita ſententia: nam in natura humana, ſuperabit perfectio animæ rationalis perfectionem entitatis, quæ dicitur totum, & à fortiori ſuperabit perfectio animæ, & corporis collectiuè ſumpta. Octauò, natura Angelica eſt ſimplex pro humana. Ergo illa non includit partes, ſecus hæc. At natura humana, & compoſitum eſſentiale, ac phyſicum humanum idem prorſus ſunt. Ergo quas partes includit natura humana, eaſdem includet compoſitum humanum. Non ergo conſiſtet in entitate diſtincta à corpore, & anima rationali vnitis quę ſunt partes, quas includit, & quibus adæquatè conſtituitur natura humana. Et id circò inquit S. Thom. opuſculo 2. c. 154. *Humanitas non eſt aliqua alia forma præter animam, & corpus, ſed eſt aliquid compoſitum ex vtroque.* Inquies, naturam Angelicam eſſe ſimplicem præ humana, quia nullas habet partes, vel ex quibus reſultet, vel in quibus cõſiſtat; cum tamen natura humana, ſeu homo, qua eſt compoſitum eſſentiale, & phyſicum, habeat ſaltem partes, ex quibus reſultet, licet careat partibus, in quibus conſiſtat. Sed omiſſo, periculoſum videri, quod homo ſumptus pro humanitate, naturave humana non conſiſtat in anima rationali, & carne vnitis, contra inſurgo, quia quòd aliqua entitas reſultet ex partibus, non ſatis eſt, vt ipſa ſit formaliter compoſita, & partibus conſtans, vt ipſe tu fateris. Ergo neque ſatis erit, quòd aliquid conſiſtat formaliter in entitate reſultante ex partibus, vt ſit formaliter compoſitum, & partibus conſtans, ſi talis entitas ſit ſimplex, & à partibus realiter diſtincta. At iuxta te, homo ſumptus pro humanitate conſiſtit formaliter in entitate, quæ, etſi ex partibus reſultet, eſt tamen ſimplex, & à partibus realiter diſtincta. Ergo homo ſumptus pro humanitate non erit formaliter quid compoſitum, & partibus conſtans, ſed potiùs quid incompoſitum, & ſimplex.

33 Nonò, Neque mente concipi poteſt, vt ait Suarez

Suarez, totum, & per se compositum, nisi intrinsecè constans partibus, & compositione, seu vnione. Nam resultare præcisè ex partibus vnitis, & eas essentialiter connotare (vt dicis de illa entitate, in qua per se consistit compositum essentiale, & physicum) non est, esse totum & per se compositum formaliter, sed tantùm est oriri ex aliquo toto, & per se composito formaliter, habereque essentialem ordinem ad illud. Sic accidens resultare ex substantia, & ad eam dicere essentialem habitudinem, non est ipsum esse substantiam formaliter. Et prætereà aliter se debet gerere totum, & per se compositum respectu partium vnitatum, ac se gerit vna pars vnita respectu alterius vnitæ. Ergo illud ita se debet gerere, vt partibus vnitis intrinsecè constet, ac constituatur; nam & vni parti conuenire potest resultantia ex alia, cuilibetque vt vnitæ essentiale est connotare aliam compartem. Decimò, partes sunt essentiales composito. Sed si hoc consistat in entitate realiter adæquatè distincta à partibus, implicatorium est, partes esse ipsi essentiales; nihil enim potest esse de essentia eius, à quo realiter distinguitur adæquatè. Respondebis ex Ioanne Canonico apud Auersam, id quod est de essentia metaphysica alterius, non posse distingui realiter, secus verò id, quod est de essentia physica; ideoque partes posse esse de essentia physica compositi, non obstante distinctione reali adæquata. Cæterùm si id, quod distinguitur realiter adæquatè ab alio, potest esse de essentia Physica illius, quæro à te, cur ego non possim esse de essentia physica tui? Implicas certè in terminis, dum quæ distincta sunt realiter adæquatè, ais, posse habere eandem essentiam physicam. Nam essentia physica est realitas rei. Ergo quæ habent distinctas adæquatè realitates, nequeunt habere eandem essentiam physicam; sicut quia essentia metaphysica est formalitas rei, ea, quæ concipiuntur habere distinctas adæquatè formalitates, nequeunt concipi habere essentiam eandem metaphysicam. Vbi obiter exemplo compositi metaphysici ex genere, & differentia, aut ex specie, & singularitate; quorum neutrum consistit in formalitate adæquatè distincta à partibus metaphysicis, confirmari potest tota doctrina huius assertionis.

34 Quam precipuè direxi aduersus Neothericum quemdam nimis addictum entitati superaddiæ realiter, in qua adæquatè consistat compositum substantiale essentiale, & physicum ex materia, & forma vnitis. P. etiam Gabriel à Porta, cuius non sine commendatione meminit Martinonus, eidem entitati fuit deuotus, imò in composito ex natura, & subsistentia, nescio quam entitatem adiecit. Sed & Modernus priori loco memoratus confudit cum subsistentia entitatem realiter superadditam materiæ, & formæ copulati, ansam, nisallor, arripiens ex quadam obiectione apud P. Suarium num. 11. vbi hæc interserit, *Dices, vt resultet totum compositum substantiale, necessarium esse modum subsistentiæ, qui est distinctus ab vnione. Respondetur, nunc nos loqui de composito, quod immediatè resultat ex materia, & forma vnitis, quod est humanitas v. g. seu natura integra; cui natura verum est, addi modum subsistentiæ eo modo, quo in superioribus declaratum est; tamen inde resultat formaliter loquendo aliud compositum, quod est suppositum materiale, quod à suis etiam componentibus simul sumptis, & vnitis in re non distinguitur.* Hactenus Suarius. Video item apud Arriagam disp. 4. metaphysicæ sect. 8. num. 89. impugnatos nonnullos, qui dixerunt, subsistentiam esse totalitatem naturæ, & hos fortè præ oculis habuit Modernus ille, vel potiùs Ioannem de Ianduno, qui lib. 7. Metaphysicæ q. 28. conclus. 2. scribit. *Notandum, quòd si aliquis quæreret, quid est illud reale additum in composito super materiam, & formam? Dicendum, quòd est substantia composita; vel si vis aliter nominare, vocetur per se subsistentia actualis. Vnde verum est, quod substantia composita per se subsistit actu, & illud non verificatur de materia, nec de forma, quia materia non subsistit per se in actu, nec forma, sed in composito, sed illa subsistentia per se, & actualis in composito est illud additum causatum intrinsecè à materia, & forma. Quia Commentator dicit 8. Physicorum, quòd forma est causa actus in composito, sed non est causa sui. Ergo alterius actus, quem compositum addit super actum formæ. Et tu dicis, quòd illa subsistentia actualis, cum sit accidens, vbi erit, vt in subiecto? dicendum, quòd illa subsistentia est aliquid de genere substantiæ &c.* Hæc Iandunus illaudatus Author, & infælicis memoriæ in Annalibus Ecclesiasticis Illustrissimi Spondani anno 1324.

35 Ast siue proprio, siue alieno Marte Recentior in eam mentem deuenerit, solicitus est, ne aliquis arbitretur, coincidere secum Durandi sententia in 1. dist. 34. q. 1. n. 15. de subsistentiæ humanæ à natura humana distinctione per solam rationē ratiocinantem fundatam in diuerso modo significandi, quem habent voces *homo*, & *humanitas*, ex quibus prima exprimit subsistentiam, & secunda naturam cum tamen in re neque detur distinctio, neque fundamentum distinctionis inter subsistentiam, & naturam humanam. Hæc est sententia Durandi, quam toto cælo à sua distantem contendit Recentior ille: nam iuxta suam, subsistentia humana distinguitur realiter à natura humana, seu humanitate, cum sic distinguatur totum per se, quod ex anima rationali, & carne vnitis resultat; totum autem per se sit subsistentia; & anima rationalis, ac Caro vnitæ sint natura humana, seu humanitas. Vnde verbum diuinum potuit assumere naturam humanam, quin re ipsa assumeret subsistentiam humanam; id quod saluari consequenter non valet in sententia Durandi, non distinguentis vtramque nisi ex solo modo significandi, & non agnoscentis reale discrimen totius per se ab anima rationali, & carne simul sumptis, ac vnitis, vt constat ex loco præcitato, primum; & secundum, ex 3. sententiarum dist. 2. q. 2. si numero 1. adiungatur 14.

36 Quidquid sit de distantia à Durandismo, quantùm ad modum declarandi subsistentiam; at in absurda ferè eadem videtur recidere Modernus. Nam si compositum humanum essentia, & quidditas humana est indistincta realiter, imò & per nostros etiam conceptus à subsistentia humana, cum hæc à verbo diuino non fuerit assumpta, sequitur verbum non assumpsisse compositum humanum, neque item id, in quo essentia, quidditasque humana formaliter consistit. Sed tamen susceptum esse à verbo compositum humanum, & naturam humanam compositam, elicio ex his Ferrandi in præcitata epistola verbis, *Quare verbum sine anima rationali, & carne non totum Christus, aut anima rationalis, & caro sine verbo non totum Christus? Nisi quia alia est verbi alia rationalis anima, carnisque natura. Illa simplex, ista composita; cum tamen vna ipsa Christi persona, quæ* duas

duas, diuinam, & humanam, id est simplicem, & compositam, videtur, adunare substantias, non fit composita, sed in singulis simplex, & in vtrisque simplex, & ita simplex, sicut fuit antequam in sua natiuitate susciperet humanam naturam, vt haberet deincept substantias duas, vnam, sicut diximus, simplicem, aliam verò compositam. Sic vir (ex censura Trithemij) in diuinis scripturis & studiosus, & eruditus: & non minus sanctitate conuersationis, quàm doctrina venerabilis Ferrandus, quem Carthaginis Spartariæ, & Toleti Antistitem fuisse post Diaconatum festum in Carthagine Lybica tradunt Marcus Maximus, Iulianus Perez, & cum ipsis Ioannes Marquez in origine Eremitarum S. Augustini cap. 11. §. 4. ac 5. Hæc obiter de Ferrando, vt eius authoritas pluris habeatur. Assumptio humani compositi, & essentiæ, quidditatisque humanæ deduci etiam potest ex celebri axiomate apud sextam Synodum Generalem act. 18. S. Damascenum lib. 3. de orthodoxa fide cap. 6. & 18. atque in homilia de Sabatho Sancto, *Quod non est assumptum, non est curatum.* Nam si quid debuit curari per Christum, proindeque assumi à verbo, maximè compositum, essentia, & quidditas humana, imò hæc debuit esse medium tam dignitatis, quàm congruitatis assumendi corpus, & animam, Debuitque prius naturâ in ordine intentionis suscipi à verbo, vt perspicuum est ex Doctrina S. Thomæ 3. p. q. 6. art. 5. & Theologorum ibi loquentium de tota humanitate siue indistincta sit, siue distincta realiter à corpore, & anima simul sumptis, atque, vnitis. Vnde facta hypothesi totalitatis realiter distinctæ, concludit apposité Nicolaus Ysambertus Doctor, & Socius Sorbonicus 3. p. ad q. 6. disp. 1. art. 12. totalitatem humanam fuisse assumptam à verbo, & non tantùm animam ac corpus, simul sumpta, vnitaque. Affirmat id ipsum noster Bartolomeus Amicus tract. 14. Physicorum q. 4. dub. 3. art. 5. num 32. quia principaliter totalitati conueniret subsistere; quod in humanitate Christi præstitit verbum. Petrus Voadingus tract. de Incarnatione dis. 4. dub. 12. num. 151. inquit, si totum superadderet partibus vnitis aliquam entitatem realem, tunc videri satis certum, dandam vnionem verbi ad illam entitatem, qua totum constituitur, distinctam ab vnione ad partes. Consulat Lector alios Theologos; notetque, nouum, ac rarum esse secernere naturam humanam, & humanitatem à composito, essētia, quidditateque humana; & qui tenetur fateri, verbum diuinum assumpsisse humanitatem & naturam humanam, ægrè negare posse, quòd susceperit compositum, essentiam, quidditatemque humanam? Sunt enim synonimæ omnes hæ voces, nisi meę aures peregrinantur. Et à S. Damasceno in præallegata Homilia docemur, *Christum in semetipso omnem primi Adami essentiam circumferre.*

36 Aliis argumentis Neothericum insequor; sitque primum; etsi totum per se humanum, esset idem, ac suppositum humanum, tamen illud non consisteret adæquatè in entitate, quæ foret omnino extra materiam, & rationalem formam vnitas, si quidem compositum humanum ita constituatur ex subsistentia, vt includat etiam materiam, & rationalem formam vnitas. Vnde consequentiùs diceretur, totum per se humanum requirere aliam entitatem præter materiam, & rationalem formam vnitas, consistere tamen adæquatè in illa, & in his, secundum, materia, & rationalis forma vnitæ conseruari possunt absque omni prorsus subsistentia de potentia Dei absoluta; non tamen absque eo toto, & vno per se consistenre in illis. Ergo subsistentia distinguitur ab eo toto, & vno per se. Si neges priorem partem Antecedentis, saltem negare non poteris, materiam, & rationalem formam vnitas, ac inuariatas entitatiuè, posse terminari iam subsistentia humana, iam diuina, quin ratio totius, & vnius per se consistens in eis diuersa esset in vno casu, ac in alio. Si dicas, supponi falsò in posteriori parte Antecedentis totum, & vnum per se consistere in materia, & rationali forma vnitis, teneris dicere, eas posse diuinitus conseruari sine toto, & vno per se non consistente in ipsis, & proinde sine subsistentia (quod anteà negatas) nam supposita distinctione non valebis assignare rationem inseparabilitatis essentialis. Tertium, subsistentia humana potest diuinitùs conseruari absque materia, & rationali forma vnitis, præsertim cum per Aduersarium non sit modus, sed res absoluta. Ast totum, & vnum per se siue consistens in eis, siue non consistens conseruari neutiquam potest sine ipsis: exigit namque necessariò, & essentialiter partes vnitas, vel in quibus consistat, vel ex quibus resultet, vt Aduersarius fatetur, Quartum, subsistentia humana non resultat inimpendibiliter ex materia, & rationali forma vnitis; alioqui verbum Diuinum non posset assumere has, sine illa. Ergo neque resultauit inimpedibiliter totum, & vnum per se humanum. Ergo sicut in Christi materia & forma rationali vnitis impedita est subsistentia humana, ita etiam impeditum fuisset totum, & vnum per se humanum, seu totalitas, & vnitas per se humana, quæ naturaliter debuisset resultare. Non ergo erit in Christo tota, & vna per se natura, essentiaque humana; neque Christus erit formaliter homo, sed tantùm radicaliter, & causatiuè; quòd ego non auderem concedere.

37 Quintum, subsistentiæ munus non est facere totum, & vnum per se ex partibus substantialibus simul sumptis, & vnitis; Deus enim, Angelus, & rationalis anima separata carent eis partibus, non tamen subsistentijs. Confirmatur ex Diuini verbi subsistentia, quæ in triduo separationis animæ Christi à corpore, non minus, quam anteà, terminauit animam, & corpus, nec tamen in triduo obiicit functionem totiùs, & vnius per se, quod resultare debuisset naturaliter, si anima, & corpus essent vnita, & coniuncta. Sextum, subsistentia propria Angeli est extra simplicem vnitatem essentiæ, ac naturæ Angelicæ. Ergò subsistentia propria hominis erit etiam extra compositam vnitatem essentiæ naturæ humanæ. Antecedens, quoad Angelos existentes de facto firmabitur in sect. 2. Exercitat. 8. Dices, saltem non repugnat essentia Angelica simplex, cui sit identificata propria subsistentia. Ergo neque repugnabit essentia humana composita habens identificatam sibi propriam subsistentiam. Concedo Antecedens, & Consequentiam, notans in casu Antecedentis non ideo identificandam subsistentiam cum essentia Angelica, quia præcisè hæc sit simplex; neque ideo in casu consequentis identificandam subsistentiam cum essentia humana, quia præcisè ista sit composita per se substantialiter: fundabitur ergo identificatio subsistentiarum in speciali conditione talis essentiæ Angelicæ, & talis humanæ essentiæ; & præterea hæc non distinguetur ab anima rationali, & corpore vnitis, quæ eiusdem

speciei

speciei cum nostris non erunt. Recentior, cum quo disputo, non distinguit subsistentiam Angelorum nunc existentium ab ipsorum essentia simplici, & de hac ait, aut non posse assumi Hypostaticè à persona diuina, vel assumendam vt subsisteret simul personalitate creata, & increata. Hinc autem quàm fortiter ad hominem redargui possit in essentia composita, humana, quis non videat? Septimum, natura, essentiaque simplex diuina intelligitur formaliter ante subsistentias personales, distinguiturque ab his virtualiter; vnde tota essentia diuina datur in qualibet ex tribus personis. Ergo essentia, naturaque etiam composita humana intelligetur formaliter ante humanam subsistentiam, & ab hac distinguetur realiter. Vnde in Crhristo, in quo deest subsistentia humana, aderit tota humana essentia formaliter constituta; nisi absurdissimè dicatur, hanc in Crhisto esse ipsammet subsistentiam diuinam, quæ humanæ subsistentiæ gerit vices.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis in fauorem entitatis, quæ superaddita materiæ ac formæ vnitis sit adæquatè compositum.

40 PRætermissis communibus pro alio constitutiuo compositi substantialis essentialibus, & physicis præter materiam, formam, & vnionem; relictis etiam, quæ à P. Vazquez afferuntur pro modo substantiali deriuato à forma in materiam, nam eis copiosè, & expeditè satisfaciunt laudati Authores in n. 27. proponam tantùm illa, & enodabo, quæ Recentior lynceo præditus ingenio vel adinuenit, vel promouit in fauorem entitatis, quæ adæquatè esset compositum. Arguet itaque primò, vniones Petri, & Pauli v. g. distinguuntur specie. Ergo si Petrus includat materiam, formam, & vnionem, in eisque formaliter consistat, distinguetur specie à Paulo includente vnionem specie distinctam. Cum ergo sit manifestè falsum, Petrum distingui speciè a Paulo erit etiam à veritate alienum, essentiam Petri includere materiam, formam, & vnionem, consistereque in eis formaliter. Antecedens probatur, quia duæ vniones, quarum vtraque sit inter materiam, & formam Petri differunt numero. Ergo duæ vniones, quarum vna sit inter materiam, formamque Petri, & alia inter materiam, formamque Pauli, differunt specie, siquidem plus differant, quàm duæ priores vniones; hæc autem maior differentia erit saltem specificia, quippe numerica differentia non admittit magis, & minus. Prior consequentia roboratur, quia vt Petrus distinguatur speciè à Paulo, satis est, quòd vnum constitutiuum Petri non conueniat in specie cum vno constitutiuo Pauli, & si alia conueniat. Sic non obstante conuenientia specifica inter materias Petri, & equi, distinguuntur specificè hi duo ob discrimen specificum formarum. Si ergo Petrus, & Paulus constituantur vel inadæquatè per vniones specie diuersas sequitur, Petrum, & Paulum specie interse differre.

41 Arguit secundò si totum per se humanum exempli gratia consisteret formaliter in materia, forma, & vnione, deficiente hac numero materia, quæ antea erat, non posset permanere hoc numero totum per se humanum, seu hic numero homo, qui constituebatur ex hac numero materia; nam deficiente, aut variato numerico constitutiuo, nequit non deficere, aut variari numericum constitutum. Atqui consequens illud non est verum. Ergo neque Antecedens. Et quidem consequens non esse verum, suadetur primò, quia docente Fide Catholica, idem numero homo qui moritur, resurrecturus est. At non cū omnino eadem numero materia; addentur namque puerorum corporibus plures partes materiæ; & potest contingere, vt homo carnibus humanis vescens moriatur statim post eas in se conuersas per nutritionem; nec tamen resurget cum partibus materiæ hominis alterius etiam resurgentis. Pisces, quos edimus, humanis forsàm carnibus & in resurrectione restituendis, saturati sunt, eisque decursu temporis immutatis, & per vegetationem adquisitis sæpe constant herbæ, olera, poma, quibus nutrimur. Suadetur deinde, quia idem numero homo est in senectute, qui fuit in infantia. Sed in illa non perseuerant eædem numero partes materiæ, multas namque & fortè omnes amittit homo vi caloris naturalis, comparatque alias per nutritionem. Hoc argumentum est valdè senex, & annosum; nam eo iam antiquitus vtebantur, qui opinati sunt apud Suarium disp. 36. Metaphysicæ sect. & n. 2. formam substantialem esse totam quidditatem compositi substantialis, & materiam solum modò ad illud pertinere tanquam vehiculum, ac sustentaculum formæ. Primum etiam argumentum satis est inter Modernos per vulgatum, vsurpaturque passim in alios fines: imò inter veteres etiam increbuit, vt in simili animaduertere est ex Okamo apud Almainum super 3. dist. 14. art. 1. corrollario 2.

42 Arguit tertiò; totum per se differt à toto per accidens, vt exploratum est. Sed nequit in alio differre, quàm in eo, quòd resultet ex collectione plurium entitatum inuicem distinctarum, sitque integritas huius collectionis; cum tamen totum per accidēs consistat formaliter in tali collectione. Nam si dicatur, totum per se differre à toto per accidens in eo, quòd illud sit collectio plurium substantiarum physicè vnitarum; hoc verò sit collectio plurium entitatum, quæ vel non vniantur physicè, vel si vniantur physicè, vna sit substantia, & altera accidens. Contra insurgit, tum quia duæ formæ substantiales vnitæ physicè non constituerent totum per se, sed per accidens: tum quia non assignatur communis ratio vniuoca totius per accidens ad hoc & illud totum per accidens, sed ratio æquiuoca, ac disiunctiua, vel disiuncta. Addit in argumenti confirmationem, dum communiter dictitatur, *Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*, sensum esse, non posse ex duobus entibus in actu constitui formaliter vnum per se, licet possit ex eis resultare.

43 Arguit quartò, partes compositi substantialis simul sumptæ, & vnitæ constituunt totum per se; sed nihil potest constituere semetipsum. Ergo partes simul sumptæ, & vnitæ distinguuntur à toto per se. Maior est comperta: nam si partes non coexistant, aut etsi coexistent, non sint vnitæ, nequeunt constituere totum per se. Minor probatur, quia si aliquid posset constituere, aut componere semet ipsum, quid in causa erit, ne Deus sit capax compositionis, neue natura diuina queat se ipsam compónere? Probatur rursus, quia quod constituit,

constituit, aut componit, est vera causa constituti, aut compositi, alioqui causa vera non rectè diuideretur in extrinsecam, & intrinsecam, & alioqui causa formalis, quæ non aliter causat, quàm constituendo, aut componendo, non esset vera causa. At nihil potest esse vera causa sui ipsius. Ergo nihil potest constituere se ipsum. Si dicatur, argumentum pati instantiam in toto per accidens, quod non distinguitur à partibus simul sumptis, & vnitis, quamuis ab eis constituatur. Occurrit instantiæ reddens disparitatem exinde, quòd in toto per accidens ex pariete, & albedine v.g. hæc sola constituit parietem album, & solus paries cōstituitur albus, quia sola albedo propriè denominat parietē album, & solus paries verè albus denominatur ab albedine. Cæterùm in toto per se humano nec sola forma hominem constituit, nec sola materia constituitur homo. Vnde non est vera hæc propositio, *anima rationalis est homo*, neq; item hæc *materia est homo*. Sicut in toto per accidens vera est ista: *Paries est albus*. Quarta hæc ratio, atque etiam tertia canos habent, sed repuerascentes Iunioris industria. Hactenus *ingenuè, & æquo animo ea, quæ ab Aduersario dicuntur, attuli. Tunc enim demum splendida, ac redundans victoria parta erit; cum illius argumenta, quæ aliquid roboris videntur habere, minimè abscondimus; abscondere enim potius dolus est, quàm victoria*. Vt verbis S. Chrysostomi in homilia 7. ad Philippenses vtar.

43 Ad primum argumentum respondeo primo, etiā si vniones Petri, & Pauli distinguerentur specie logica, imo & physica, non ideo sequi, distinguendum sic Petrum, & Paulum constitutos partialiter ex eis vnionibus. Vt enim Petrus habens in instāti *B*. vnionem numericè diuersam ab ea, quam habuisset in instanti *A*. non esset diuersus numericè à seipso, sicque neque erit specificè distinctus à Paulo, quamuis constet vnione distinctæ speciei ab vnione Pauli Legatur n. 72. Exercit. 7. quo loci præbeo discrimen inter diuersitatem specificam Petri, & equi prouenientem, ex distinctione specifica formarū. Inquies, Petrus ex generatione vnionis dicitur genitus licet neque materia, neque forma generetur. Ergo similiter ex distinctione specifica vnionis ab altera Pauli dicetur specificè distinctus, etsi nec in materia, nec in forma Petri, & Pauli detur specifica distinctio. Instatur replica in concreto albi, & dulcis, quod ex generatione vnionum albedinis, & dulcedinis dicitur generatum, quin tamen ex diuersitate specifica earum vnionū dicatur specie diuersum: imò idem numericè est album, & dulce; etsi non solùm vniones, sed etiam albedo, & dulcedo distinguantur specie. Quapropter sicut album, & dulce est idem non tantū specie, sed & numero, quia subiectum, quod nomine albi, & dulcis sumpti materialiter & specificatiuè significatur solūmodò in recto est idem numero, etiamsi vniones, albedoque, & dulcedo significatæ in obliquo diuersæ sint specie: ita Petrus, & Paulus conuenient specie, quia materia, & forma, quas in recto tantùm important Petrus & Paulus, eiusdem sunt speciei, licet vniones importatæ in obliquo ad eandem speciē non spectent. Replicabis, ergo quemadmodùm album, vt album sumptum formaliter & reduplicatiuè distinguitur specie à duplici vt duplici, sic Petrus vt vnitus, & compositus distinguetur specie à Paulo vt vnito etiam, & cōposito. Concedo vtramque propositionem, quia formales rationes, quas in recto vtraque significat distinguatur in specie, nimirùm albedo, & dulcedo vnio Petri, & vnio Pauli; nec in posteriori est maior difficultas, quàm in ista concedenda ab aduersario. *Petrus vt albus formaliter per albedinem A* cadente reduplicatione supra vnionem, seu *vt albus formaliter per albedinem A vt vnitam est distinctus specificè à Paulo, imò & à seipso, vt albo formaliter per albedinem B, vt vnitam*, quandoquidē vniones accidentales albedinis A, & B, non minus distinguendæ sint specie, quàm vniones substātiales Petri, & Pauli, si Aduersarij ratio pro harū distinctione sit neruosa. Sed adhuc pungit spina primæ replicæ, Petrus namq; absolutè, & simpliciter dicitur genitus ex generatione vnionis. Cur ergo absolute, ac simpliciter non dicetur distinctus specificè à Paulo ratione distinctionis specificæ inter vtriusque vniones? Si respondeatur, Petrum non habere vnde denominetur genitus nisi ab vnione genita, habere autē vnde denominetur conueniens specificè cum Paulo, videlicet à materia, & forma. Contra, quia cōpositum, cuius forma generaretur, & vnio crearetur, diceretur creatū absolutè, & simpliciter, licet adesset formæ generatio, ex qua prouenire posset denominatio generati. Ergo quòd è contrario Petrus denominetur genitus absolutè, & simpliciter, ob generationem vnionis, reuocandum non est in defectum generationis materiæ, aut formæ. Contra rursus quia quod intenditur est, Petrū non denominandum genitum ratione vnionis, nisi eiusdem ratione denominetur distinctus specificè. Si præterea respondeatur, denominationes sequi debiliorem partem, & imperfectiorem; ideoque Petro competere geniti denominationem ex vnionis generatione, quæ debilior, & imperfectior est, quā creatio materiæ, & formæ. Contra, quia casu, quo vnio crearetur, & forma generaretur, denominatio deriuata in compositum non esset generati, sed creati, vt antea argumentabar, quamuis generatio formæ debilior, & imperfectior foret, quàm creatio vnionis. Meliùs respondebitur, dum Petrus dicitur absolutè, & simpliciter genitus, sumi ipsum vt cōpositum formaliter, ac reduplicatiuè; dum verò dicitur eiusdem speciei cum Paulo, sumi non vt compositum formaliter ac reduplicatiuè, sed materialiter tantùm, ac specificatiuè. Cuius discriminis non aliunde, quàm ex communi vsu ex hiberi potest ratio. Quapropter vnionis generatio denominabit Petrum absolutè, & simpliciter genitum, eo quòd compositi vt compositi ratio formalis sit & vltimum complementum vnio; huius tamen diuersitas specifica non denominabit specificè diuersum absolutè, & simpliciter, eo quod compositum sumptum materialiter, & specificatiuè, non diuersificetur ex vnione, sed ex partibus.

44 Ad idem argumentum dico secundò, vniones Petri, & Pauli nō esse distinctas specie morali, nec phylosophica, nec logica, sed dissimiles intra eādē omnino speciem, alioqui ipsæ animæ Petri, & pauli ob respectum essentialē ad vniones illas haberēt etiam specificam distinictonem, nullaque daretur entitas creata, quæ non distingueretur specie ab alia, siquidē nulla sit, quæ non possit, & debeat esse terminatiua diuersorum modorum, cognitionum, & volitionum, ac alia. Dices, ea, quæ pertinent ad eandem speciem, non posse aliter esse dissimilia, quàm in eo, quòd vnum non sit aliud, vniones autem præter hoc, quod est, vnam non esse aliam, gaudere maiori dissimilitudine. Sed contra, quia contenta intra eandem speciem non recusant maiorem illam dissimilitudinem, vti contenta

intra idem genus infimum admittunt magis, & minus: nam leo, equus, & homo conueniunt in genere infimo animalis, cum tamen leo sit similior equo, quàm homini, & hic sit perfectior species, quàm leo, & equus. Hinc aliqui inferũt indiuidua eiusdem speciei, exempli gratia animas humanas (de quibus videantur inter alios noster Cornel. in c.8. sapiẽtiæ v.20. Valentia tomo.1. disp.6. q.7. p.1. Suarez tomo 2. in 3. disp.50. sect.5. v. *Secundo Consistet* Oviedus controu.1. de Anima p.8 §.4. n.34. Rubius tr.2. de anima q.3.) posse, & actu esse inæquales in perfectione substantiali. Sed isto principio nõ egemus in præsentiarum. Itaque maior dissimilitudo, quæ datur inter vniones Petri, & Pauli, quàm quæ reperitur inter duas Petri, non obstat vnitati specificæ harum omnium vnionum, nec ratio vnionis humanæ prædicabitur nisi de pluribus solo numero differentibus. Si opponas, rationem vnionis Petri abstractam ab hac, & illa vnione esse quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus. Respondetur, rationem vnionis Petri prædicari vt indiuiduum in communi, præcisum ab indiuiduo determinatio huius, & illius vnionis, vel prædicari nõ in quid, sed contingenter, & accidentaliter etiam logicè, habito respectu ad rationem vnionis humanæ, cui contingit, & accidit etiam logicè, quòd vnio sit potiùs Petri, quã Pauli.

45 Relinquamus hæc Dialecticis, vt percontemur Aduersarium, an totalitas Petri sit distinctæ speciei, vel non à totalitate Pauli? Quicquid dixerit de totalitate dicemus & nos de vnione. Cui si Petri totalitas non sit essentialiter alligata, no apparet ratio, ob quam debeat esse affixa essentialiter ad aliquam aliam vnionem; si autem ad nullam poterit diuinitus conseruari absque materia, & forma vnitis. E contra verò si sit essentialiter adstricta ad Petri vnionem, cum hæc sit specificè distincta ab vnione Pauli in sententia Aduersarij: sequitur, totalitatem Petri sic etiam esse distinctã à totalitate Pauli. Rogandus est etiam, num natura humana Petri ratione vnionis, qua constituitur, sit specificè diuersa à natura humana Pauli, vel eiusdem potiùs sit speciei, non obstante vnionis specifica differentia? Et vt responderit de naturis, sic & nos de Petro, ac Paulo. Quærendum item ab illo est, an specifica conuenientia cõpositorum attendẽda sit solummodo penes conuenientiam specificam totalitatum, vel præterea penes partium, & vnionis? Si primum, ergo casu quo duo composita haberent diuinitùs eandem numero, vel specie totalitatem, essent eiusdem speciei, licet haberent partes, & vnionem specie diuersas, quod est apertissimè falsum. Insuper si ex Recentioris placito totalitas Petri sit ex se indifferens, vt resultet à Pauli materia, & forma vnitis, sequitur, non repugnare Petro, quòd sit idem numero homo ac Paulus. Vt enim mera vnitas specifica totalitatum in Petro, & Paulo facit eos eiusdem speciei, sic sola capacitas in partibus vnitis Pauli, ad habendam numericam totalitatem Petri faciet hunc non repugnantem, vt sit idem numero homo, ac Paulus. Si secundum, cur tam anxius est circa totalitatem, vt ex ea desumat vnitatem specificam compositorum? Vrgetur ampliùs, nam iuxta multos Doctores recensos à Balthasare Tellez parte 3. Philosophiæ disp.54. sect.3. n.1. & præcipuè Angelicum 3. p. q. 2. art.5. in corpore c.211. Compendij Theologiæ, Suarium in 3. p. q.16. art.1. in Commentarij. v. *Dicendum verò est*, nõ videtur posse cadere in dubium apud Catholicos, hominem dictum de Christo, seu Deo, & aliis hominibus esse quid vniuocum specificè, quod aut horitate, & ratione stabilitur doctè, & neruosè ab Ylamberto 3. p. ad q.2. disp.3. art.6. Vnde Simon de Cassia lib.1. de gestis Saluatoris c. 2. vt quam longissimè distet ab admittenda diuersitate alia, præter quam indiuiduali, inter Christũ, & meros alios homines, nec inæqualitatem quidẽ perfectionis substantialis inter horum, & illius animas rationales tutò concedi posse pronuntiat, contra quosdam sibi coætaneos, & contra censurã Parisiensis Academiæ. Excessit quidem Cassiensis (vt & noster Toletus lib.3. de Anima q.18 in eodem ferè pronuntiato) nam maior perfectio substantialis Animæ Christi securissima est, suo tamen illo excessu ostendit, quantùm prospiciendum sit specificæ vnitati Christi cum meris aliis hominibus. Iam si sola totalitas esset homo, eaque in Christo identificata sit cũ subsistentia diuini verbi non poterit in Christo ratio hominis esse vniuoca cum aliis meris hominibus, sed deberet esse diuersa, non tantum secundùm speciem, sed etiam secundũ genus, sic enim esset diuersa totalitas Christi à totalitate aliorum hominum. Respondet Modernus, satis esse si Christus conueniat specificè cũ aliis hominibus ratione naturæ humanæ actiuè; & passiuè. Sed in primis penes ipsum non poterit conuenire si quidem vnio corporis, & animæ Christi requisita ad naturam humanam vt distinctam à composito, & supposito erit diuersæ speciei ab vnionibus humanarum aliarum naturarum. Deinde si homo consistit adæquatè in totalitate, quæ sit extra materiam, & rationalem formam vnitas, & ea totalitas in Christo est indistincta à diuini verbi subsistentia, non solùm specie, sed genere diuersa à totalitate & subsistentia reliquorum hominum nihil prodest conuenientia specifica in materia, & rationali forma vnitis, vt Christus homo conueniat specificè cum reliquis hominibus. Hæc de primo argumento.

46 Ad secundum dico primò, si Moderno illi non apparet absurdum, quòd tota quidditas hominis consistat adæquatè in entitate, quæ sit extra materiam, & rationalem formam vnitas; neque item debere apparere absurdum, quòd consistat adæquatè in rationali forma; quo admisso, nullum esset ipsius argumentũ. Ast inquit, improbabile esse, quòd compositum humanum consistat adæquatè in rationali forma, tum quia homo generatur, & corrũpitur, non autem rationalis forma. Tum quia ex S. Athanasio in symbolo, aliisque, Patribus suprà adductis, *Anima rationalis, & caro vnus est homo*. Ergo homo vel debet consistere partialiter in materia, vel ex ea, vt ex causa intrinseca debet resultare: quare sola anima rationalis non erit homo, cum neque consistat in materia, neq; ex ea vt ex sui causa resultet. Tum quia idem numero est equus ante, & post decẽ annos: nec recurrere licet ad identitatem numericam formæ, quæ sit tota quidditas cõpositi equini: si quidem equus vi caloris naturalis absumat, & deperdat partes non solùm materiæ, sed etiã formæ. Miror, hæc ingessisse difficultatem illi Neotherico; Nam ad primum dici potest, hominẽ generari, & corrumpi denominatiuè ab vnione formæ rationalis cum materia vt sui vehiculo, non secus ac in sententia ipsius Moderni, & si homo, seu totũ humanũ creatur, quia cũ partibus vnitis, ex quibus resultat non cõparatur tanquã forma cũ subiecto, cui insit, sed tanquã terminus intrinsecus cum fundamẽto, ne si cõparetur primo modo, & cõstituatur aliud totũ ex partibus vnitis, & ipsomet toto, tamẽ homo,

homo seu totum humanum generatur, & corrumpitur denominatiuè ab vnione partium. Ad secundum; si fas est interpretari Patres, & Concilium Francofordiense scribens ad Præsules Hispaniæ. *Quid est natura hominis, nisi anima, & corpus? perfectus homo non est nisi anima, & corpore.* Si fas est interpretari, inquam, quatenus homo non consistat in anima rationali, & carne, sed ex his resultet, fas itidem erit interpretari, quatenus nec resultet, neque consistat in vtraque, sed tantùm in anima rationali, requisita carne vt vehiculo, vel potiùs vt subiecto receptionis, ita quidem vt homo adæquatè saluetur in anima rationali. Ad tertium non manere eundem n. equum post decem annos, si deperdat partes formę materialis, in qua consistat tota quidditas equi, vti non manet idem n. si deperdat totalitatem antiquam, quæ sit essentia adæquata equi. Et videtur non posse non deperdere, quia diuersis partibus materiæ, & formæ equinæ nequit non respondere diuersa totalitas, alioqui duobus equis n. distinctis posset respondere eadem numero totalitas, & equo ac muscæ eadem quo ad speciem; saltemque vt de facto integra totalitas vnius equi est numericè diuersa ab integra alterius, ita putandum esset de integris, vel partialibus totalitatibus equi recenter geniti, & adulti.

17 Respondeo secundò, absolutè (nam prima responsio est tantùm ad hominem) respondeo, inquam, secundò, eundem hominem resurrecturum non logicè, nec physicè sed moraliter, quod in natura humana, vt distincta à totalitate approbari debet ab arguente. Et quidem resurget cum illis materiæ partibus, quas habuit in instanti mortis; si enim resurgeret cum omnibus habitis toto vitæ decursu, eoque longo, Giganteam in molem excresceret. Addet Deus partes materiæ de perditas vi caloris naturalis, vel supplebit ex alio corpore, si illæ, cum quibus decedit homo, sufficientes non sint ad magnitudinem, aut Corporis Christi Domini exæquandam, aut corporis, quod homo haberet, si peruenisset ad ætatem Christi. Sed quid continget si duo homines moriantur cum eisdem partibus materiæ? Consulatur Suarius tomo.2.in 3. p.disp.44. sect.2.v. *fundamento Durandi*. Et animaduerti volo, cum in scriptura sacra non minus dicatur resurrecturum idem corpus, eademque caro, quàm idem homo, vrgeri Aduersarium non minus, quàm nos difficultate proposita. Inquies, identitas moralis nō est vera, sed penes apparentiam, & accidentia externa. Ergo non benè saluatur illud Iobi v.27. in cap.19. *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Fieret enim satis illi identitati, si alius homo similis resurgeret. Respondeo, fieri satis identitati morali vtcumque, non autem veritati resurrectionis, ad quam opus est, vt idem homo secundùm animam, & corpus maiori ex parte, & non alius similis resurgat; tum quia è diuina iustitia est, quòd idem homo præmio afficiatur, vel supplicio, tum quia docente S. Gregorio lib.14. Moralium cap.27. *Non rectè resurrectio dici potest, vbi non resurgit quod cecidit*, & docente S. Damasceno lib.4. de fide orthodoxa c. 18. *Resurrectionem dicentes, corporum resurrectionem intelligimus. Resurrectio enim nihil aliud est, quā secunda eius, quod cecidit surrectio. Ex quo efficitur, vt illud ipsummet corpus, quod interit, & dissoluitur, tandem interitus expers ad vitam rediturum sit.* Quare à Deo disponentur eo pacto res, vt in eadem materia maiori ex parte resurgat homo, sub qua vitam finiuit, eritque idē omnino physicè quoad animam quoad partes verò materiæ erit partim idem physicè, partim idem moraliter, seu penes prudentum hominum considerationem. Qui est sensus Iobi in superioribus verbis, & in aliis immediatè antecedentibus v.26. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*, nec non Concilij Toletani vndecimi in istis insertis Confessioni fidei. *In ea carne resurgemus, in qua viuimus, consistimus, & morimur.* Inquies iterùm, resurrectio Christi fuit exemplar nostræ resurrectionis. Sed Christus resurrexit idem numero physicè, qui vixerat homo. Ergo & nos resurgemus iidem numero physicè, qui vixerimus homines. Respondeo, tum rationē perfectam exemplaris non requirere æqualitatem in omnibus, sed proportionem; quæ sunt verba Suarij tom.2. in 3. p. disp.50. sect.5. v. *secūdo consistet*, tum Christum non resurrexisse eundem numero physicè hominem qui vixerat, & mortuus est, nam in resurrectione resumpsit sanguinem effusum à tempore, quo in horto orauit; & proinde anima re vnita corpori informauit aliquas partes, quas non informabat quādo est separata à corpore, & fortè plus sanguinis resumpsit, quā qui effusus est à tempore illo vsq; ad instās mortis, & vsque ad vulnus lāceę, nec est certum resumpsisse totum sāguinem, quem habebat in instanti mortis. Ex quibus omnibus videndis apud Suarium suprà disp.47. sect.3. fit, Christum non resurrexisse eundem numero physicè hominem, qui vixerat, & mortuus est, præsertim si sanguis informetur anima rationali, vt probabilissimum est; sed etsi non informetur, pertinet tamen ad integritatem, & veritatem naturæ humanæ, & hominis, ideoque hic erit physicè numero diuersus pro diuersitate numerica sanguinis. Ad hæc, præputij in corpore resurgentis Christi supplementum ex aliqua parte materiæ, quæ cum extitisset in Christi corpore, deperdita fuit per cōtinuam nutritionem, quo pacto discurrit reperitus Suarius disp. illa 47. sect. Bollandus in Actis SS. die 1. Ianuarij nobis suppeditat argumentationem non tenendam, qua id ipsum fulciamus.

48 Iam quod additur in secundo argumento de homine puero, & sene Lenidense est, homo enim senex est idem adæquatè non physicè, sed moraliter secum vt puero; diminutio namque, & accretio partium imperceptibili fit modo paulatim, ac successiuè, imo etsi fieret subitaneè, sufficeret accidētium similitudo, vt item moraliter iudicaretur. Dicta de homine, in quo manet sēper inuariata physicè forma rationalis, extende à fortiori in alia viuentia irrationalia, in quibus non solùm partes materię sed etiā partes formæ varientur physicè per vegetationem, aut nutritionē. Et mihi siue in homine, in siue in aliis viuentibus irrationalibus difficile est non variari physicè totalitatē illam adstructam à Neotherico, dum physicè variantur partes, ex quibus resultat. Sicut enim, *vbi pars deest, totum esse non potest*, vt docet S. Fulbertus Carnotensis serm.3. Contra Iudæos, Sextusque Philosophus l. 8. aduersus Mathematicos titulo de toto, & parte, lib.3. Pyrrhoniarum Hypotyposeon c.12. & vt argumentatur sapientissimus Idiota in Psal.15. v.1. sicut, *destructa vna parte vniuersi destruitur totum vniuersum*, quā scilicet totum est per aggregationem: ita variatis physicè partibus, non potest non variari physicè totum. Adiicit ibi Fulbertus; *vbi totum est, partes quoque esse, necesse est. Quod si vna parte pereunte nomen totius perit, quantò magis cunctis pereuntibus, totum non subsistit?* Quæ verba huc etiam deseruiunt;

existantque nos, vt transcribamus alia Iustiniani Imperatoris in Edicto suæ fidei transmisso ad Ioannem Papam II. in quibus non obscurè indicat indistintionem totius à partibus. En illa: *Cum compositionem dicamus, necesse est, confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci.* Similia ex Ioanne Maxentio refert Vazquez tomo 1. in 3. p. disp. 16. cap. 4. n. 24. Et tam Iustinianus, quàm Maxentius videntur institisse Aristoteli lib. 4. Physicorum c. 3. textu 23. tradenti, partem esse in toto, & totum in partibus, eo quòd totum non sit diuersum à partibus. Martianus Capella lib. 4. de nuptiis Phylologiæ, & Mercurij, consentaneè etiam ait, *Partes sunt, quæ in toto esse intelliguntur, & ex quibus totum constat.* Omitto geminam ad secundũ argumentum responsionem, alteram fundatam in doctrina Durandi super 4. disp. 44. q. 3. asserentis, non esse de conceptu huius numero hominis has determinatè partes materiæ; sed has, vel illas, indeterminatè ac disiunctiuè: alterã acceptam ex Magistro sententiarũ in lib. 2. dist. 30. Abul. ad c. 2 Math. 243. opinantibus, partes materiæ, cum quibus homo generatus fuit, pertinere ad essentiam hominis, easque semper in homine perseuerare, quin deperdantur vi caloris naturalis, reliquas verò per mutationem comparatas non esse essentiales, sed integrales respectu huius numero hominis. Omitto, inquam, ne occasione argumenti, quod tam perspicuè, ni fallor, est dilutum, ingrediar tramites difficultatibus plenos.

49 Tertium argumentum instatur, in composito suppositali ex natura humana, suppositalitate verbi diuini, quod compositum est totum per se, & differt à toto per accidens, quin vt quid distinctũ resultet ex collectione naturæ, humanæ, & suppositalitatis verbi diuini, & quin sit integritas eius collectionis. Scio, Gabrielem à Porta dixisse, compositum ex natura humana assumpta, & persona diuina assumente distinctum esse ab vtraque. Sed hoc supra est reiectum satis efficaciter, præcipuè in n. 29. Et fundamentum Gabrielis apud Martinonum non aliud probat, quam vnionem substãtialem inter naturam humanam, & personam diuinam, quæ vnio distinguatur ex parte rei ab extremis vnitis. Scio etiam, non neminem affirmasse, Christum, prout est homo, non esse vnum per se, neque ens per se, & cum præuideret, posse contra ipsum inferri, Ergo Christus, inquantùm homo, est ens per accidens, Respondit distinguendo cõsequens, id est, aliquo accidenti constitutum, negatur consequentia, idest, consistens formalissimè in collectione conceptuum, seu entitatum realiter distinctarum, conceditur consequentia. Cumque vlteriùs videret, inferri posse, Ergo Christus propriè homo non est; dixit, sicut album est propriè album, licet sit ens per accidens, ita Christus est propriè homo, etiam, si vt homo sit quodam modo ens per accidens. Res hæc est, in qua cautissimè loqui oporteat nobis, *& ad certam regulam ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem*, vt monet S. August. 10. de c. 23. *Et verò sicut anima rationalis & caro vnus est homo*, eo quidem pacto, vt sit vnum per se, & ens per se; *ita Deus, & homo vnus est Christus*, eo etiam pacto vt sit vnum per se, & ens per se, repositusque in categoria substantiæ ad modum, quo alij meri homines. Neque dici potest, non aliter esse vnum per se, & ens per se, quàm illud, quod constitueretur ex duabus v. g. formis substantialibus vnitis physicè, aut ex Angelo, & animo rationali, in quibus compositis nulla pars esset accidens.

50 S. Thomas 3. p. q. 2. art. 6. docet naturam humanam non fuisse accidentaliter vnitam verbo Dei; & sensu præcisè non est, vnionem non fuisse accidentalem, quatenus ea vocetur vnio accidentalis, quæ terminatur ad aliquod accidens. Sed prætereà neque fuisse per modum accidentis vti est vnio vestis ad corpus, Et id patet ex argumento. *Sed contra* vbi sic fatur, *Illud quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, sed quantùm, vel quale, vel aliquo alio modo se habens. Si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cum dicitur, Christus est homo, non prædicaretur quid, sed quale, aut quantùm, aut aliquo alio modo se habens. Quod est contra Decretalẽ Alexandri Papæ dicentis; cum Christus sit perfectus Deus & perfectus homo, qua temeritate audẽt quidam dicere, quòd Christus secundùm quòd est homo non est quid?* Notentur, verba, tum S. Th. tum Alexãdri Papæ tertij, Ne ab eis vel transuersũ vnguẽ dicedatur. Subiiceo multa expensa à Theologis præsertim à Petro Hurtado disp. 21. de Incarnatione per totam S. 3. vt comprobent ex Conciliis & Patribus, vnionem Hypostaticam esse substantiam, & Christum esse ens per se, neutiquamque per accidens, quemadmodùm Petrus merus homo est ens per se, & vnio creatæ subsistentiæ, cuius vices gerit increata, respectu naturæ humanæ Christi, est substantialis in Petro. Sed non silebo Decretalem Alexandri tertij relatam *cap. cum Christus*, de Hæreticis, transcriptam ex Concilio Lateranensi sub eodem Alexandro p. 49. c. 20. haberi integram apud Baronium anno Christi 1179. n. 13. his verbis: *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Vuillelmo Semensi Archiepiscopo salutem. Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viua voce iniunximus, vt suffraganeis tuis Parisiis tibi adscitis ad abrogationem prauæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quòd Christus, secundùm quod est homo, non est aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quòd fraternitati tuæ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus quod tibi, cũ præsens esses, præcipimus, suffraganeos tuos Parisios conuoces, & vna cum illis, & aliis viris Religiosis, & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima, & corpore consistentem præcipias edoceri: vniuersis firmiter, & strictè iniungens, quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant sed ipsam penitus detestentur.* Sic Papa Alexander. Quod si Franciscus Pena, & P. Vazquez vidissent integram hanc epistolam, neutiquam existimassent, directam contra Manichæos negantes Christo veram humanitatem. Est igitur scripta aduersus Petrum Lombardum Episcopum Parisiensem, & sententiarum Magistrum cognominatum. Et id indicarat Scotus dum in 3. dist. 6. q. 3. animaduertit, opinionem reprobatam ab Alexandro non fuisse hæreticam tempore Magistri, cuius obitus paulò anteà contigit, anno scilicet 1164. Hinc qui ad vnguem percipere velit damnatam ab Alexandro sententiam adeat Magistrum lib. 3. si autem legat dist. 10. mirabitur, Vazquem esse ueratsse tomo 1. in 3. p. disp. 17. c. 5. nullam esse in Magistro mentionem, quòd Christus, inquantùm homo est, non sit aliquid. Pensitata verò diligenter vtraque distinctione comperiet, quàm genuinè Theologi antiqui intulerunt definitum

definitum esse à Pontifice, hominem prædicari de Christo vt aliquid, seu vt quid, & non vt accidens. Fatetur Vazquez veram, & Catholicam esse doctrinam eius illationis, sed illegitimè deductam ex decreto Pontificio. Ob cuius authoritatem concludo, Christum, pro vt est homo non esse ens per accidens, alioqui homo prædicaretur de Christo per accidens, & non per se. Nec abeat absque expensione, *perfectum hominem, ac verum consistere ex anima, & corpore*, vt decernitur ab Alexandro; similitérque ab Innocentio tertio c. *In quadam* de celebratione Missarum, ibi *Adesse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus, & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit.* Addo ex concilio Franco fordiensi, *in nomine hominis totum quicquid hominis est* (id est vt anteà explicuerat, animam, & corpus) *intelligi.* Ergo homo non consistit adæquatè in aliquo extra animam, & corpus, nec intelligitur totum quicquid hominis est absque anima, & corpore formaliter. Reuertor ad Angelicum Doctorum.

51 Qui in q. illa 2. art. 9. docet, vnionem diuini verbi cum humanitate esse omnium maximam in ratione vnionis nectentis extrema realiter distincta, & speciatim respondens ad 2. ait, *vnitas diuinæ personæ est maior vnitas, quam sit vnitas, & personæ, & naturæ in nobis. Et ideo vnio Incarnationis est maior quàm vnio animæ, & corporis in nobis* S. Bernardus iam anteà dixerat, *Inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis qua tres personæ vna substantia sunt: secundo loco illa præcellit, qua è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt.* Sic l. 5. de consideratione ad eugenium. Si autem vnio Hypostatica non faceret vnum per se, neque ens per se, nequaquam esset maxima in ratione vnionis; cum non deseruiret ad maximam vnitatem, qualis est vnitas per se. Ad hæc; ipse S. Thomas 3. p. q. 17. art. 1. tradit, Christum esse simpliciter, & absolutè vnum, quamuis hoc prædicatum in neutro genere sumatur. Et sermo est de vno per se, vt explicat Suarez ibi, qui disp. 4. Metaphysicæ sect. 3. num. 15. proponit tanquam constans in Theologia Christum vt compositum ex Deo, & humanitate esse vnum simpliciter, quatenus vnum simpliciter propriè, & in rigore dicitur id, quod est vnum per se. Scripseratque anteà Suarez in n. 8. certum vniuersim esse, quòd compositum ex natura, ac subsistentia sit verè, ac propriè ens per se, & vnum per se; imò inter composita, quæ sunt ens per se, & vnum per se conuenire supremum gradum composito ex natura, ac subsistentia, animaduertit Aucsa q. 5. Philosophiæ sect. 5. v. *ex his patet.*

52 Omissa alia instantia tertij argumenti desumpta ex composito continuatiuo duarum partium materiæ, aut formæ substantialis, quod est vnum per se, & ens per se, docente Aristotele lib. 5. Metaphysicæ cap. 7. rursus que lib. 10. cap. 1. & consentiente Petro Hurtado disp. 15. Physicorum sect. 1. Francisco Alfonso disp. 25. Physicorum sect. 1. aliisque, dum agunt de continuo; cum tamen ex duabus partibus materiæ aut formæ substantialis vnitis non resultet tertia entitas. *Omnia* (enim) *membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt*: inquibus verbis 1. ad Corint. cap. & v. 12. Apostolus insinuat, corporis vnitatem non in alio consistere, quàm in multis membris vnitis. Omissa, inquam, hac alia instantia, quia Modernus ille negat, compositionem continuam esse ens per se, nec vacat de hoc puncto litem ipsi intentare, iam absolutè Respondeo, id quod sufficit, vt ex his partibus, & non ex illis resultet causaliter tertia entitas, quæ penes Aduersarios sit totum per se, sufficere etiam, vt sine resultantia tertiæ entitatis distinguatur totum per se à toto per accidens. Vnde sicut ex materia, & forma vnitis resultat tertia entitas per Aduersarios, quia vniuntur physicè tanquam partes substantiales habentes inter se proportionem per modum potentiæ, & actus substantialis, ita quin resultet ea tertia entitas, constituent se ipsis totum per se, distinctumque à toto per accidens; in quo vel non interuenit vnio physica partium (& totum huiusmodi non est propriè totum, per modum vnius; & quamuis esset, non deberet assignari ratio vniuoca inter ipsum, & quoduis aliud totum per accidens potiori iure, quàm inter totum per se, & totum per accidens) vel si vnio interveniat, omnes partes sunt accidentales, aut saltem vna ex illis; vel si omnes partes sint substantiales, & nulla accidentalis, tamen non gaudent certa quadam aptitudine, & propositione requisita ad constitutionem totius per se, & vnius compositi per se. Quod totum, & vnum compositum per se tam longè abesse debet à tertia entitate simplici, vt potius nec esse sit eam formaliter excludere, ne vnitas compositionis coincidat cum vnitate simplicitatis. Quod axioma ascitum, & extortum in confirmationem argumenti Consule num. 71. Exercit. sequentis. Et verò si ex duobus entibus in actis non possit vlla ratione fieri vnum per se multo minus poterit fieri addito alio tertio.

53 Quartum argumentum instatur, sicut præcedens, in composito ex natura humana, & subsistentia verbi diuini, in composito etiam ex genere, & differentia, vtrumque enim constituitur ex partibus, vel quasi partibus simul sumptis, & vnitis ergo cum nihil possit cōstituere semetipsam, distinguetur (dissentiente Aduersario) primum à natura humana, & subsistentia verbi diuini, secundum autem exempli causa, homo, metaphysicè consideratus, ab animali rationali. Optima præterea est instantia in composito per accidens ex pariete, & albedine; pessimumque discrimen ibi assignatum. Etsi enim albedo sola per modum formæ constituat parietem album; at per modum subiecti intrat ipse paries. Et sicut vera est illa propositio: *Paries est albus* ita vera est hæc, *materia est animata.* Ideo autem non vera ea propositio, *Anima rationalis, aut materia est homo*, vt neque ista; *Paries est albedo*, aut *albedo est Paries* quia in priori distinguitur inadæquatè, & in posteriori adæquatè prædicatum à subiecto. Instatur denique argumentum in totalitate numeri binarij, quæ non distinguitur à duabus vnitatibus, per quas constituitur, *neque enim aliud est numerus, nisi vnitatum compositio*, vt docet S. Greg Nissl. lib. in Exameron, & alioqui numerus binarius euaderet in ternariū, vt parcam aliis rationibus, quas Nuperus, qua cum disceptatio est, intorquet aduersus totalitatem in quantitate numeri distinctam, dum in dialectica disputat de prædicamento quantitatis. *Non enim oportet ex eo, quod in confesso, est sed ex eo, quod in ambiguo, quæstionem instituere*, quæ est præceptio S. Iustini Martyris in responsione ad quæstionem 143. Orthodoxorum. Sed & ipse modus arguendi implicat in terminis. Nā si partes cōpositi substantialis simul sūptæ, & vnitæ cōstituunt totum

totum per se. Ergo totum per se distinguitur ab illis realiter, nihil enim potest sic distingui ab eo, per quod constituitur, si quidem non aliud sit res constituta, quàm formalia sui constitutiua. Falsum insuper est, nihil posse constituere se ipsum per identitatem, Deus namque se ipsum identicè constituit, licet neque se componat, neque se causet, quia conpositio arguit partes, & causa distinctionem simpliciter à causato, Deus verò & partibus caret, & à seipso est simpliciter distinctus. Ad argumentum dico in forma cum Ioanne Gonsalio Martino lib. 1. Physicorum disp. 4. q. 1. ne in voce *Constituere* hæreatur, partes simul sumptas, & vnitas constituere totum, componere, & causare illud, si accipiantur copulatiuè, aut distributiuè, secus si accipiantur copulatè, aut collectiuè nam primo modo significant hanc, & illam partem, quarum quælibet constituit, componit, & causat intrinsecè totum distinctum inadæquatè à qualibet; ast secundo modo significant totum vt totum, quod est omnino indistinctum ab ipsis. Vel dici potest cum Auersa, partes simul sumptas, & vnitas id est, dum simul sumuntur, & vniuntur, constituere, componere, & causare totum, non verò vt simul sumptas, & vt simul vnitas, id est, quatenus reduplicatiuè sumuntur, & vniuntur simul.

54 Replicabis; pars nulla vt diuisa à reliquis constituit totum. Ergo nulla, nisi vt reliquis vnita, constituit. Ergo omnes vt vnitæ constituunt. Negatur sola hæc postrema consequentia, quia omnes partes vt vnitæ nullam à se ipsis distinctionem realem continent; secus verò vna pars vt vnita ab altera vt vnita, & respectu vnius atque alterius gerit se vnio tanquam formalis ratio constituendi totum. Quod an distinguatur ratione ratiocinata, vel solum ratiocinante à partibus vt vnitis? Quæstionis est. In qua adhæreo Auersæ, Petro Hurtado, & Francisco Alfonso, posteriorem tantum distinctionem approbantibus, non enim est, cur magis distinguatur compositum à partibus vt vnitis, quàm homo ab animali. Exhibeo rationem à priori, quia partes vt vnitæ, seu vnitum prædicantur formaliter de composito, & hoc de illis, seu de illo. Ergo non distinguntur nisi ratione ratiocinante penes conceptum implicitum, & explicitum. Inquies, compositum distingui ratione ratiocinata, tum ob attributum vnitatis consequutum ad entitatem compositam, tum quia compositum vt est vnum, refertur ad connotatum indiuisionis in plura; partes verò vnitæ referuntur ad connotatum pluralitatis, & diuisionis. Non eo inficias, dici hæc ingeniosè, si concipiatur compositum vt præscindens ab vnitate simplicitatis, & compositionis, partes autem vnitæ concipiantur determinatè secundùm vnitatem compositionis. Negandum tamen absolutè est, posse compositum aliter concipi, quàm secundùm compositionis vnitatem, quæ est pluralitas plurium partialium, seu indiuisio in plura adæquata, proindeque non est attributum entitatis compositæ, sed ipsamet entitas composita formaliter.

***

SECTIO V.

Diluuntur argumenta in fauorem entitatis, quæ in composito ex materia, ac forma vnitis sit simul totalitas, & subsistentia.

55 Restant eleuanda Recentioris argumenta pro indistinctione subsistentiæ à totalitate compositi substantialis ex materia, & forma. Primum est, compositum resultans ex corpore, & animo rationali est homo, circumscripto quouis alio. Sed nequit esse homo, quin subsistat, & persona sit. Ergo &c. Minor, & consequentia liquent. Probatur Maior, tum quia homo est formalissimè animal rationale, videlicet principium radicale, & vt quod sentiendi, & ratiocinandi. Atqui compositum resultans ex corpore & animo rationali seorsim à quouis alio est tale principium. Tum quia à Sanctis Patribus allegatis suprà, & à Philosophis Ethnicis non ratò definitur homo præcisè compositum ex anima rationali, & corpore. Secundum, persona ex Boethio lib. de duabus Christi naturis *est rationalis natura indiuidua substantia.* Sed hoc totum numero per se, quod ex anima rationali, & corpore resultat, est se ipso rationalis naturæ indiuidua substantia. Ergo se ipso, & independenter à quocumque alio est persona. Tertium, actiones sunt suppositorum, iisque attribuuntur, vt ex omni Phylosophorum schola pronuntiat *Ioannes* Thessalonicensis in Concilio Florentino sect. 18. At actiones partium tribuuntur toti. Vnde Aristoteles lib. 1. de Anima cap. 4. textu 64. scribit *Dicere autem, animam irasci, vel timere, simile est, ac si quispiam diceret, animam texere, vel ædificare; nam melius est fortasse dicere, non animam, sed hominem anima misereri, vel discere.* Quartum subsistentia compositi ea est, quæ sustentat quicquid est in composito, & cui insunt, atque inexistunt omnes partes tam essentiales, quàm accidentales, iisque subsistit. Sed omnes partes substantiales, omniaque accidentia insunt, & inexistunt composito, & toti per se. Ergo ab hoc est indistincta subsistentia. Quintum, substantiæ concretæ ex materia, formaque substantialibus habent subsistentiam realiter distinctam, non sic substantiæ simplices quales sunt Angeli. Sed huius diuersitatis ratio non alia est, nisi quòd priorum substantiarum natura consistat in materia, ac forma vnitis, subsistentia verò in toto per se resultante ex eis, distinctoque realiter ab eis; cum tamen posteriorum substantiarum natura consistat in partibus metaphysicis, & subsistentia in toto per se metaphysico, cui speciale est resultare ex partibus, neque ab illis realiter distingui.

56 Huius quinti argumenti falsa est Maior quoad secundam partem de indistinctione reali subsistentiæ à natura Angelica. Et licet vera esset, non video, cur totum per se metaphysicum non sit distinguendum à partibus metaphysicis eo genere distinctionis, quo ipsæ partes inter se, nimirùm aut ratione ratiocinata, aut virtualiter intrinsecè, si totum per se physicum distinguatur realiter à partibus physicis. Neque item video, vnde probetur, subsistentiam identificari cum toto per se resultante realiter ex materia, ac forma vnitis, etiã si gratis admitterẽ, distingui realiter, resultareque ab his.

Quarti

57 Quarti argumenti maior nimis Grammaticè proponit conceptum subsistentiæ competentis composito, neque enim subsistentia est subiectum, in quo recumbant partes, siue essentiales, siue accidentales compositi, sed potius est terminus, & complementum partium essentialium, sustentaturque, vel recipitur in eis, vel vnitur tanquam terminus purè intrinsecus. Fateor, Hypostasim, subsistentiam, suppositum aliquando dici, sustentare naturam. Sed tunc aut attenditur tantum ad etymologiam vocum, *& non est semper idem id, à quo imponitur nomen ad significandum, & id, ad quod significandum nomen imponitur*, vt inquit S. Thomas 1. p. q. 3. art. 8. aut consideratur logicè suppositum tanquam concretum, cuius rectum, ac subiectum est suppositalitas, & obliquum, atque forma est compositum, proindeque concipitur illa, vt habens in se compositum, & hoc vt habitum ab illa. Idemque est de Hypostasi, ac subsistentia sumptis in concreto. De quo Cardinalis Lugus disp. 12. de Incarnatione sect. 3. n. 33. & disp. 13. sect. 3. Sed quid prodest ea consideratio? Ignarus non sum, Vvadingum Nostrum disp. 4. de Incarnatione dub. & §. 3. dicere, subsistentiam diuini Verbi sustentare humanitatem Christi per influxum, qui similis sit materiali influxui subiecti erga accidentia, & materiæ erga formas materiales, demptis tamen imperfectionibus. Ast hæc opinio valde singularis est. Et Patres dum dictitant, humanitatem inexistere verbo, sustentari à verbo, non aliud volunt, *quàm sicut Deus quamlibet creaturam sustentat in esse suo, & hominem sustentat in esse, & subsistentia humana, siue in basi creata, sic hominem Iesum in gradu & persona Dei, siue in basi increata sustentat*. Quæ sunt appositissima verba præclarissimi Theologi P. Alfonsi Salmeronis tom. 2. tract. 27. p. 279. Quamuis verò in subsistentia verbi respectu humanitatis permitteretur Vvadingi sententia, nihil tale ipse cogitat de subsistentiis creatis respectu suarum naturarum, quin potiùs in n. 57. illud remouet. Minor haud quaquam est solidior, si quidem entitati illi, quam ex abundanti permitto esse totum per se distinctum à partibus copulatis non insit, neque inexistant ipsæ partes, sed contra totum per se insit, & inexistat partibus, afficiatque eas, vel tanquam forma, vel tanquam terminus purè intrinsecus.

58 Ad tertium fateor, actiones esse suppositorum, & compositorum, tribuique vtrisque eas, quas efficiunt partes. Hinc autem neutiquam infertur, composita ex materia, & forma vnitis non distingui à suppositis: quamuis enim distinguantur, poterunt tam compositis, quàm suppositis attribui.

59 Ad secundum, amplector definitionem personæ traditam à Boethio, recidentemque in idem cum alia Ioannis Thessalonicensis sessione 19. Concilij Florentini, Richardi Victorini lib. 4. de Trinitate cap. 18. & sequentibus, videlicet. *Natura rationis capax, incommunicabilis existentia.* Nego tamen, totum per se, siue consistens in anima rationali, & corpore vnitis, siue resultans ex eis, licet seipso singulare sit, & actu existens in rerum natura, esse seipso substantiam indiuiduam prædicabiliter, & incommunicabilem existentiam: habet namque id à subsistentia distincta, per quam redditur incommunicabilis supposito alteri, quatenus per eam communicatur proprio supposito, fitque independens ab alieno. S. Anselmus cap. 2. de Incarnatione Verbi, quædam habet verba, quæ ab arguente velim notari, *Qui non potest intelligere* (sic S. Anselmus) *aliquid esse hominem, nisi indiuiduum, nullatenus intelliget, hominem nisi humanam personam: omnis enim indiuiduus homo persona est: Quomodo ergo iste intelliget hominem assumptum esse à Verbo, non personam, id est, aliam naturam non aliam personam esse assumptam?* In his verbis S. Anselmus docet, hominem, & personam distingui debere ab indiuidua substantia humana sumpta pro singulari præcisè substantia. Videatur n. 4. Exercit. 8.

60 Primum argumentum conficitur etiam a Durando in l. dist. 34. q. 1. n. 4. & 15. pro indistinctione tam reali, quam rationis ratiocinatæ inter humanitatem, & subsistentiam propriam. Ad illud respondeo, compositum, siue consistens formaliter in corpore, & animo rationali vnitis, siue ex eis realiter resultans, esse hominem per modum naturæ, & abstracti, id est, esse naturam humanã & humanitatem; non verò esse hominem per modum suppositi, & concreti id est, non esse suppositum, neque concretum constitutum ex natura humana, & subsistentia: & licet secundo hoc modo nequeat esse homo, quin subsistat, & persona sit, secus primo modo. Dumque definitur homo præcisè compositum ex anima rationali, & corpore, attenditur explicando homini per modum naturæ, & abstracti, quin curetur de explicatione illius per modum suppositi, & concreti, nisi velis subintelligi tacite subsistentiam, vt potè communem omni substantiæ tam secundæ, quàm primæ. Duplex illa significatio vocis *homo*, vt poneretur iam pro sola natura humana, iam pro persona temporibus saltem antiquis, eaque de causa permulti Patres insistentes priori significationi dixerint, Verbum Diuinum assumpsisse hominem, illustratur eruditissimè ab Vvadingo disp. 12. de Incarnatione dub. 3. & ab Halloix in notationibus ad cap. 5. vitæ S. Hierothæi; addo Philippum Presbiterum, optimum S. Hieronymi Auditorem. l. 2. in Iob c. 31. pag 140. vbi inquit, *Credimus, Saluatorem verum hominem assumpsisse.* Ex dictis de homine patet responsio ad id, quod de animali rationali affert Neothericus; quem iam ex parte mutasse sententiam audio, nouaque facie daturum in lucem vnà cum integro Philosophico cursu. Sed ego inueniendæ veritatis studio, & sine præiudicio arctissimæ inter nos amicitiæ priores curas in Manuscriptis contentas refutaui, memor illius dicti Statij Papinij l. 1. Syluarum ad Stellam, *Nec quisquam est illustrium Scriptorum, qui non aliud operibus suis stylo remissiore præluserit.* Prodeant vtinam in publicum posteriores curæ elimatiores, ex quibus rei Philosophicæ insignem accessum speramus.

EXERCITATIO QVINTA.

De Empyrei materia prima.

STABILIVI in Exercitatione superiori, Empyreum constare materia prima, forma substantiali, vnione nectente ipsas, & subsistentia complente. Erit opus, laborque sequentium toto hoc libro penitiùs exenterare prædictorum naturas. Et imprimis materiæ primæ.

SECTIO PRIMA.

An Empyrei materia distinguatur specie à materia reliquorum corporum.

1 Numero distingui, extra litem est, Specie verò tradit Bañez p 1.q.66. art. & dubitatione 2. circa tertiam conclusionem in prima conclusione. Tostatus in cap. 13. Exodi q. 53. vt illum interpretatur Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 5. n.2. qui. n. 3. tenet, diuersam esse specie à materia non solùm sublunarium corporum, sed etiam aliorum cælestium Molina disp. 5. de opere sex dierum §. *Ad secundam* fatetur, posse id probabiliter defendi, vt & Bonfrerius cap. 1. Genesis v. 2. §. *Petes secundo.* Arriaga tomo 2. in 1. partem disp. 29. sect. & subsect. 2. n. 13. propter altissimum finem, ad quem Empyreum est productum: vbi interpretatur Tostatum, quatenus senserit, istud cælum non esse compositum ex materia, ac forma. Petrus Hurtadus disp. 1. de cælo sect. 2. §.26. ait, nihil certi posse affirmari de conuenientia, aut differentia materiæ cæli Empyrei, & sublunaris, quia possunt esse eiusdem speciei, & possent esse diuersæ, concluditque, se nescire, quid factum sit, licet disp. 12. Metaphysicæ sect. 3.§. 14. dicat, Empyreum differre ab homine in specie ratione materiæ, & ratione formæ. Rubius, lib.2. Physicorum cap.& q.1. n.19. item lib. 2. de cælo cap. 5. q. 3. tradit, materiam Empyrei esse diuersæ valdè conditionis à materia aliorum corporum cælestium, & subcælestium. Adstipulari videntur Posseuinus lib. 11. Bibliotheca selectæ c.7. Alexander Valignianus lib. 2. Iaponensis Catechismi Christianæ fidei Concione 4. Petrus Ribadeneyra in festo Conceptionis Deiparæ Virginis, quo loco inquit, Empyreum esse cælum alterius substantiæ, Chrysostomus Caberus tract. 1. Physicorum disp. 2. dub. & n. 5. scribit, neminem inficiaturum, materiam Empyrei differre specie à sublunari: rursus dubio 6. n.18. pronuntiat, diuersam esse specie à materia cælestium, ac sublunarium corporum. Ex antiquioribus citati possunt Mauburnus in Rosero exerciciorum spiritualium tit. 38. Alphabeto 75. lit. D, Georgius Venetus de Narmonia mundi cantico 1.tom.3.concentu 6. tomo 4.concentu 32.Cantico 3.tomo 8. concentu 5. S. Anastasius Synaita libr. 3. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus ait, *Materia eiusmodi* (loquitur de materia corporis humani) *nulla in supernis illis consistit regionibus.* Et lib. 2. Anagogicarum contemplationum in Exameron, *Cur non secundùm quoque cælum, sicut primum fuit indigena, sed tanquam aliqua externa regione ipsum extulit ex terra, & ex eius gutti.* Denique quotquot diuersificant specificè materiam Sydeream à sublunari, separabunt consequenter Empyream:& hanc etiam à syderea, quotquot sydereorum corporum inter se materias. Harum opinionum Patronos videbis in Connimbricensibus lib. 1. de cælo c.2.q.6.art.2 & 4. in Raphaele Auersa. q.33. Philosophiæ sect.6. & 9.

2 Ex aduerso Guilelmus Parisiensis in primæ partis de vniuerso parte 1. cap. 36. Guillermus Vorrillong.in 2. dist.10. parte 1. conclus.1. art.2. videntur denotare, Empyreum constare eadem materia in specie, quâ corpora reliqua. Huc forsan respexit S.Athanasius (aut quisquis est Author quæstionum ad Antiochum) dum dixit q.9. *Sciendum vero, quòd quemadmodùm natura hominum vna, & vnus homo dicitur, multi item sunt homines; sic etiam calorum natura vna, & vnum calum dicitur in diuina scriptura, & cali multi.* Sed hæc verba, (quibus similia alia S.Anastasij Sinaitæ & Gennadij Constantinopolitani leges in.n. 47. & 43. Exercit.2.) vnitatem etiam specificam formarum omnium cælestium indicant, ideoque aut nimis, aut nihil fauent. Alium Authorem pro hac parte non reperi. Ea tamen mihi gratior est. Quam vt probem, non vtor rationibus petitis ex repugnantia diuersitatis specificæ inter materias. Talem repugnantiam nullatenus agnosco.

DIGRESSIO

Possibilis est Diuersitas specifica inter materias.

3 Moueor primo, quia conceptui primi subiecti substantialis non repugnat partitio in varias species, imò & genera naturalis, supernaturalis, materialis, & spiritualis. Non repugnare primum subiectum substantiale, quòd supernaturale sit, concedent quotquot astruunt, possibilem esse substantiam supernaturalem, aut saltem non concedendi nulla apparet ratio, siue tale subiectum sit spirituale, de quo statim, siue materiale. Videatur sect. 2. Exercitationis sequentis, vbi contendo, possibilem esse formam substantialem supernaturalem. Rursus non repugnare primum subiectum substantiale, quod spirituale sit, tenentur fateri, quotquot iudicant, possibilem esse substantiam spiritualem compositam substantialiter ex duplici parte, quarum vna sit subiectum, & alia forma. Pro qua opinione argumentatus sum in n. 3. Exercitationis præcedentis.

præcedentis. Nominari solet materia illud subiectum, etsi spirituale, quia materiam corpoream nobis notam æmularetur in munere erga spiritualem formam exercendo, non aliter ac vocatur materialis causa suorum actuum anima rationalis, & spiritualis, quia in eis sustentandis perinde se gerit, ac materia respectu formæ corporeæ tam substantialis, quàm accidentalis.

4 Moueor secundò, quia conceptui primi subiecti substantialis, naturalis, & materialis receptiui formarum separabilium, aut inseparabilium, non aduersatur partitio in subiectum solummodò receptiuum viuentium v.g. & in subiectum receptiuũ non nisi vita carentium. Neque item aduersatur partitio in subiectum receptiuum solius formæ solaris, exempli causa (quam suppono inseparabilem) & solius formæ lunaris. Quamuis enim omnes materiæ conueniant in ratione communi recipiendi formas, differre nihilominus possunt in aliis rationibus. Consule Auersam q.20. Philosophiæ sect.1. & iterum q. 33. sect. 9. Confirmatur argumentum, nam ex potentia susceptiua vnius formæ substantialis non sequitur potentia susceptiua omnium, vt patet à paritate potentiæ susceptiuæ formæ accidentalis, & à paritate potentiæ actiuæ. Quòd si materia præstet influxum Physicum in formas materiales, quo fuerint perfectiores illæ, ad quas ordinetur, eò debebit ipsa perfectior esse. Quare non repugnabit materia, quæ possit sustentare simi formam, non verò caballi, & alia materia, quæ possit hanc sustentare.

5 Moueor tertiò, quia plures formæ substantiales in specie distincta sunt possibiles, quam quæ in hoc erunt vniuerso. Ergò non repugnat, materiam actu existentem esse incapacem illarum, capacem autem aliam, quæ in altera rerum serie posset produci. Confirmatur, non implicat contradictionem, fieri à Deo formam aliquam, quæ licet non sit supra exigentiam totius naturæ possibilis, sit tamen supra exigentiam totius naturæ existentis. Ast materia receptiua illius formæ distingueretur specie à præsenti, quia hoc non posset recipere naturaliter talem formam, cum non detur actu agens naturale valens producere illam formam; ac proinde neque dabitur passum: omni enim passo naturali debet respondere agens naturale. Motiuum hoc, & confirmatio habeant inter verisimilia.

6 Moueor quartò, quicquid manifestè non ostenditur contradictionem inuoluere, neutiquam denegandum est Diuinæ omnipotentiæ; sed non ostenditur manifestè, inuoluere contradictionem materiam ex se alligatam naturalitèr formæ Empyreæ v. g. Talis autem materia differret specie à cælesti alia, & sublunari. Neque item ostenditur manifestè, repugnare materiam sublunarem alligatam ex se naturaliter quatuor speciebus formarum substantialium successiuè habendis, imò vni speciei formarum substantialium corruptibilium; quæ materiæ differrent specie à sublunari de facto existente. Possem alia capita diuersitatis specificè inter materias assignare: sed sufficiunt indicata, & insequentibus nonnulla non spernenda accedent.

Expediuntur argumenta contra possibilitatem materiæ spiritualis, seu primi subiecti substantialis spiritualis.

7 PRimum nostrum motiuum in n. 3. ex parte erat, quòd non repugnaret spiritualis materia, Nam si primum subiectum substantiale potest diuidi in spirituale, & corporeum, quidni corporeum poterit partiri in varias species. Sed contra arguitur primò, impossibilis est forma ordinata ad faciendam compositionem cum materia, quæ non indigeat ad aliquam operationem. Constat id inductione per omnia composita ex materia, & forma; & quia frustra esset compositio nisi propter aliquam operationem. Sed nulla est operatio, ad quam spirituali alicui formæ posset esse necessaria materia spiritualis. Nam si aliqua, vel erit intellectio, & volitio, vel motus localis: Non intellectio, & volitio, vt patet in elicitis ab anima rationali humana non exigentibus materiam; imò potiùs exigentibus iure immanentium recipi in eadem anima, à qua eliciuntur. Non localis motus sui ob eandem rationem. Localis autem motus impressus in alienum subiectum multò minus requirit materiam, cum non recipiatur in mouente, sed in moto. Secundò, si esset possibilis materia spiritualis, compositum resultans ex ipsa, & ex forma spirituali esset perfectius, quàm ipsa materia. Ergo compositum deberet connaturaliter occupare plus spatij, quàm materia; quo enim spiritus est perfectior, eo plus spatij debet connaturaliter occupare. Ast impossibile est, compositum occupare connaturaliter plus spatij ratione formæ, quàm ratione materiæ. Ergo &c. Tertiò, Ens spirituale debet esse ens in actu. Ergo repugnat ens spirituale, quod sit in pura potentia; atque adeò repugnabit materia prima spiritualis. Quartò, omnis substantia spiritualis deber esse independentior à subiecto, quàm omnis corporea. Sed aliquæ corporeæ sunt independentes à primo subiecto substantiali, scilicet completæ tam simplices quàm compositæ vt tales. Ergo nulla spiritualis potest esse dependens à primo subiecto substantiali: & idcircò repugnabit forma spiritualis dependens in sui esse à materia prima spirituali. Quintò spiritualis forma, quæ ad materiam spiritualem compararetur, vt actus ipsius, foret perfectior & imperfectior rationali anima humana; perfectior quidem ob independentiam omnimodam à materia corporea; imperfectior autem ob dependentiam in conseruari à materia spirituali, & proinde ob dependentiam etiam ab actione generatiua.

8 Sextò compositum coalescens ex materia, & forma spiritualibus, esset nobilius, quàm rationalis animus humanus; superaret enim hunc in entis completi substantialis perfectione; rursus esset simul ignobilius, quia superaretur in eo, quòd non haberet totam suam perfectionem substantialem per entitatem simplicem, vti habet animus rationalis humanus. Septimò, materia spiritualis esset, & non esset intellectiua; primum, quia spiritualitas est radix intelligendi; secundum, quia cum materia sit principium singularitatis habebit limitationem, vt non valeat attingere vniuersale abstractum. Confirmaturque ex homine, qui est expers materia secundùm partem quâ est intellectualis; præterea Deus, & Angelus eo quòd sint ad æquatè intellectuales, nullam materiæ subeunt compositionem. Octauò, materia spiritualis foret diuisibilis integraliter titulo materiæ, & integraliter indiuisibilis titulo substantiæ spiritualis; *nam vltima insipientia nec omnino, vel intelligentia consequens, vt incorporea natura substantialis diuisio possit intelligi*, vt ait S. Augustinus lib. 1. de Incarnatione Verbi c. 11. & in

& in lib. 2. circa medium, *Impossibile est de incorporeo dimisionem aliquam fieri.* Accinit Iulius Firmicus inquiens lib. de mysteriis, & erroribus prophanarum religionum cap. 5. *Quod potest diuidi, corpus est.* Nonò de ratione spiritualis substantiæ est, quòd sit perfectior, & actualior quauis forma materiali, & proinde quòd materiam in perfectione, & actualitate excedat, vt suadet maior nobilitas gradus spiritualis; sed materia spiritualis deberet esse omnino passiua, & pura potentia; hæc namque est materiæ essentia. Ergo implicat, quòd aliquid sit materia, & simul sit spirituale. Decimò, diuisio, & multiplicatio in pluribus indiuiduis est impossibilis sine quantitate. Ergo cum materia spiritualis, neque actu, neque potentia esset quanta repugnabit diuisio, & multiplicatio indiuiduorum constantium materia spirituali. Vndecimò, illa forma spiritualis non esset anima, siquidem non respiceret corpus physicum organicum, sed subiectum spirituale. Aliunde verò esset anima, quia foret primum vitæ principium. Confirmatur, repugnat anima ordinata ad corpus, & quòd illud non sit organicum. Ergo multò potiùs erit impossibilis anima, quæ neque ad corpus ordinetur.

9 Ad primum dico primò, ordinationem formæ, & materiæ spiritualium, ad faciendam compositionem fore propter complementum substantiale vtriusque: nam hic titulus satis esset, etsi forma nullam haberet operationem, cuius de causa indigens esset materiæ. Sic accidentia corporea, si recipiantur in materia, ordinantur ad faciendam compositionem cum ipsa propter complementum accidentale accidentium, & materiæ, quamuis hæc non efficiat, neque recipiat transeuntes operationes illorum; quæ separata diuinitus à materia, vt in Eucharistia, operantur ad extra æquè connaturaliter ex se, ac si essent coniuncta. Secundò, præter effectus recensos possibiles esse alios spirituales, ad quos inadæquatè recipiendos, vel efficiendos deseruiret materia spiritualis; excogitari namque potest aliud accidens spirituale commune formæ, & materiæ, proindeque recipiendum in hac inadæquatè; excogitari etiam potest alius effectus spiritualis non producendus à forma in extraneo supposito, nisi ex consortio materiæ coefficientis. Tertiò, materiam spiritualem posse esse necessariam tanquam receptaculum inadæquatum specierum intelligibilium, & operationum, quarum in argumento fit mentio. Nam licet nunc existentes non recipiantur in materia corporea, neque spirituali; cur impossibiles erunt aliæ, quæ ob diuersam suæ naturæ conditionem exigant materiam spiritualem, tanquam receptaculum inadæquatum, imò & tanquam causam effectiuam partialem? Hinc si omnis substantia spiritualis debeat esse intellectiua, ac volitiua, competeret materiæ spirituali iure spiritualitatis substantialis efficere, & recipere intellectiones, ac volitiones saltem inadæquatè; discriminareturque à forma effectiua, etiam, ac receptiua, quatenus esset primum subiectum substantiale. Sed reuera non omnis substantia spiritualis præsertim incompleta debet esse intellectiua, & volitiua, vt patet in subsistantia Angelica, & in vnione animæ rationalis ad corpus, si ea vnio censeatur spiritualis.

10 Secundum argumentum instatur sic; Compositum spirituale substantiale resultans ex natura Angelica, & ex subsistentia (quæ per arguentem præcedit illam pro priori, cum sit actio substantialis creatiua) est perfectius, quàm ipsa subsistentia, & tamen tale compositum non occupat connaturaliter plus spatij, quàm subsistentia. Instatur itidem in natura Angelica, quæ etsi perfectione excedat accidentia spiritualia, quibus ornatur, non occupat connaturaliter plus spatij, quàm accidentia. Ratio est, quia cum compositum non distinguatur à partibus vnitis, non debet occupare plus spatij, quàm partes vnitæ, nec vna pars superans in perfectione aliam, debet etiã in amplitudine loci superare, siquidem commensurantur mutuò, & excessus perfectionis sumitur ex alio capite, si partes comparentur inter se. Si verò comparentur cum aliis entitatibus, fateor, Angelum Gabrielem v. g. eo esse perfectionem, si cætera sint paria, quò occupat plus spatij, quàm alius; & formam spiritualem ordinatam ad materiam spiritualem, eò fore nobiliorem, si cætera etiam sint paria, quò occupet plus spatij cum sua materia, quàm alia forma cum sua. Recentior quidam, cuius est hoc secundum argumentum; cum in nostris Manuscriptis legisset primam instantiam, respondit postea in suis, virtutem Angeli ad vbicationem coalescere ex ipsamet subsistentia, tanquam conditione sibi intrinseca, ideóque vbicationem esse vtriusque, & ad eam concurrere Angelum immediatè, subsistentiam verò mediatè. Verùm in euentu compositi conflati ex materia, & forma spiritualibus, non concurreret forma ad vbicationem materiæ, neque compositum posset naturaliter efficere maiorem aliam vbicationem, ex qua maior ipsius, quàm materiæ solius indicaretur perfectio. Contra, vel vbicatio Angeli, & subsistentiæ est eadem, vel est diuersa? Si est eadem, etsi Angelus excedat in perfectione subsistentiam, cur etsi forma spiritualis nobilior sit, quàm spiritualis materia, non respondebit vtrique eadem, & æqualis vbicatio? Si est diuersa, sed tamen æqualis in ordine ad spatium, non obstante inæquali perfectione Angeli, & subsistentiæ, cur similiter materia, & forma spirituales non habebunt diuersas vbicationes; sed æquales in ordine etiam ad spatium, quin obstet inæqualis perfectio, & maior formæ præ materia?

11 Ad tertium dico, sufficere enti spirituali, si sit ens in actu entitatiuo excludente dependentiam à quantitate; neque requirere vt sit ens in actu entitatiuo excludente potentiam passiuam propriam primi subiecti substantialis: & ob exclusionem dependentiæ à quantitate superabit absolutè materia spiritualis non solùm materiam corpoream, sed etiam omnes formas corporeas, *est enim indubitanter spiritus corpore melior*, ex Didymi Alexandrini censura in cap. 2. Epistolæ S. Iacobi. Et nemo sanæ mentis ambiget, Angelum, quia spiritualis adæquatè, meliorem esse homine; hunc verò, quia inadæquatè spiritualis, nobiliorem esse asino. Vnde S. Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram scitè scripsit: *Spiritum omnem omni esse corpore sine dubitatione præstantiorem.* Et paulò post: *nullo modo spiritu præstantius esse corpus imo perspicuo modo spiritum corpore.* Et Pius II. Pontifex Maximus in Epistola 396. ad Mahometem Principem Turcarum, *Nobiliora sunt spiritualia, quàm corporea.*

12 Ad quartum, distingo Maiorem, Omnis substantia spiritualis debet esse à subiecto corporeo independentior, quàm omnis corporea, concedo, à subiecto incorporeo, nego. Quòd autem corpus

corpus simplex completum, & corpus etiam compositum completum vt tale, à nullo subiecto primo substantiali dependeat, non probat, repugnare substantiam spiritualem, quæ vel solum in fieri, vel in fieri simul, & conseruari habeat dependentiam à primo subiecto substantiali spirituali, vti non probat, repugnare spiritualem substantiam, quæ in fieri habeat dependentiam à primo subiecto substantiali corporeo.

13 Ad quintum, fore, vt forma spiritualis non dependeret in conseruari à materia spirituali, & proinde vt non generaretur, sed crearetur: vel fore, vt eo modo dependeret, & vt generaretur. Sed non inde sequi, quòd esset absolutè imperfectior, quàm anima rationalis humana; quia ea dependentia non esset absolutè maior imperfectio, quàm dependentia animæ rationalis humanæ in fieri, & in aliquibus operationibus à corpore. Sic licet accidentia spiritualia dependeant in fieri, & conseruari à subiecto substantiali spirituali, non minus, quàm materialia à subiecto substantiali corporeo, non idcircò habent æqualem imperfectionem ex hoc capite. Nec formam spiritualem ordinatam ad materiam spiritualem terminare ex natura rei generationem argueret absolutè minorem perfectionem in ipsa, quàm in anima rationali humana terminante ex natura rei creationem: nam materia corporea terminat ex natura rei creationem: & nihilominus superatur absolutè in perfectione à formis substantialibus corporeis terminantibus ex natura rei generationem. Prior solutio magis mihi arridet, & ex ea parte constat, animam rationalem humanam dependentem in fieri, & in aliquibus operationibus à materia corporea, superandam absolutè imperfectione ab illa alia forma spirituali.

14 Ad sextum, compositum coalescens ex materia, & forma spiritualibus, esse absolutè perfectius animo rationali humano, quia est substantiale ens completum non constans corpore, nec vlla ex parte siue in fieri, siue in operari dependens à corpore. Quòd autem non habeat totam suam perfectionem substantialem per entitatem simplicem, non facit, vt excedatur absolutè ab animo rationali humano: nam absolutè præponderat gradus entis substantialis completi: nec constantis corpore, nec vlla ex parte siue in fieri, siue in operari dependentis à corpore. Et verum non est, animum rationalem humanum habere totam suã perfectionem substantialem, per entitatem simplicem, quandoquidem perficiatur substantialiter per vnionem ad corpus. Quare per entitatem simplicem non habet nisi totam suam perfectionem substantialem entitatiuam, cum ordine tamen ad corpus.

15 Ad septimum respondeo, non omnem spiritualitatem substantialem esse radicem efficiendi intellectiones, siue materia spiritualis esset radix inadæquata recipiendi has, siue solummodò ordinaretur ad complendam substantialiter formam spiritualem. Dici etiam potest, materiam spiritualem fore principium effectiuum intellectionum. Et licet materia corporea limitet formam media illa percipientem, vt non valeat percipere nisi tantùm singulare, & non vniuersale abstractum, non est, cur similiter deberet limitare materia spiritualis. Quòd si homo ea parte, quâ est intellectualis, caret spirituali materia, ideò est, quia secundùm eam partem ordinatur ad componendum vnum totum per se substantiale cum materia corporea: non posset autem ad id ordinari, si secundùm eam partem constaret alia materia: siquidem vna materia nequeat ordinari ad compositionem substantialem cum alia, & forma, quæ completa est substantialiter per vnam materiam, non potest petere vlterius complementum substantiale prouueniens ab alia. Insuper entitas, quæ respectu animæ rationalis esset materia spiritualis, comparata ad materiam corpoream foret forma; & cum aliunde entitas alia, quæ respectu animæ rationalis esset forma, simul etiam foret forma comparata ad materiam corpoream, sequeretur, hanc informari gemina forma substantiali, quarum vna supponeret aliam suapte naturâ. Id autem inuoluit contradictionem: nam quæ subsequeretur, non esset substantialis; cum forma substantialis debeat esse actus primus subiecti. Si autem diceretur, præsuppositam habere se vt dispositionem ad subsequutam intentam præcipuè à materia corporea, iam quæ posterior foret, & non quæ prior, gradum teneret formæ substantialis. Angeli de facto existentes ideo carent materia, & forma spiritualibus, tum quia neque indicium vllum, neque necessitas apparet eiusmodi compositionis in eis. Tum quia alioqui spiritualis forma Angelica diceretur, & esset anima rationalis, competeretque ipsi definitio animæ rationalis tradita à Philosopho lib. & cap. 2. de Anima textu 24. scilicet *id, quo primo intelligimus*, Nam ratione eius intelligerent primò Angeli. Qui si constarent anima rationali, fieret huius mentio in sacris litteris; cum animæ hominum toties fiat. Argumentum istud ab authoritate negatiua compulit S. Augustinum lib. 1. Retractationum cap. 11. & 16. necnon lib. 2. cap. 14. vt reuocaret vsurpatam à se vocem animæ loquendo de Angelis, & significando vitam, ac mentem eorum. Tum quia S. Dionysius Areopagita cap. 1. de cælesti Hierarchia vocat Angelos simplices intelligentias: cap 4. ait, Angelis inesse simplicitatem Dei formalissimam, seu quæ diuinam maximè æmulatur. Quod verum non esset, si Angelis inesset compositio ex materia, & forma substantialibus spiritualibus. S. Augustinus, vel quisquis est Author quæstionum veteris, & noui Testamenti q. 7. docet, naturam Angelicam esse secundùm se simplicem. Citari solent S. Dionysius Areopagita cap. 1. & 2. de cælesti Hierarchia, cap. 4. de diuinis nominibus alijque Patres, dum appellant Angelos immateriales, materia vacantes, & ab omni materia solutos, ac liberos, materiæ expertes &c. Si respondeatur Patres hos intelligendos de materia corporea, saltem S. Thomas aliter intellexit Areopagitam; nam opusculo 15. cap. 18. concludit *Ex his omnibus patet, hanc fuisse Dionysij sententiam, quòd Angeli sint immateriales, & simplices substantiæ.* Suarez lib. 1. de Angelis cap. 7. n. 2. colligit, vt minus, Patres sensisse, nullam aliam rerum materiam præter corpoream creatam fuisse de facto à Deo; cum enim absolutè negent in Angelis materiam, non occurrebat eorum menti existere de facto nisi corpoream, à qua abstractos esse Angelos persuaserunt sibi. Deus denique ideo expers est materiæ, & formæ spiritualium, quia materiæ imperfectio, compositionisque ex potentia, & actu dedecet diuinum Numen. Alias rationes pro immunitate Dei, Angelorum nunc existentium, & humanorum animorum rationalium à materia spirituali, remitto in alium locum.

16 Ad Octauum respondeo, non repugnare vnam materiam

materiam ſpiritualem, quæ ſit diuiſibilis in partes integrantes, ſi hæc diuiſibilitas non ſit contra conceptum rei ſpiritualis, vti indiuiſibilitas oppoſita non eſt contra rei materialis, ſeu corporeæ conceptum in opinione Thomiſtica adſtruente indiuiſibiles integraliter animas corporeas perfectorum animalium. S. Auguſtinus excluſit ſolùm à ſubſtantiis incorporeis diuiſibilitatem in partes quantitatiuas, quibus conſtarent, vel à quibus eſſent inſeparabiles naturaliter in fieri, & conſeruari, vel loquitur ſolùm de ſubſtantia incorporea increata, Iulius Firmicus fatur in primo ſenſu. Reſpondeo rurſus, non repugnare aliam materiam ſpiritualem, quæ ſit indiuiſibilis integraliter, neque enim conceptus materiæ primæ vt ſic exigit eſſentialiter diuiſibilitatem in partes integrantes. Idem dictum puta de formis ſpiritualibus, à quibus actuarentur vna, & alia materia, quarum prior poſſet informari per formam ſiue diuiſibilem, ſiue indiuiſibilem, vti euenit in materia corporea.

17 Ad nonum, quod eiſdem verbis proponitur à P. Balthazare Tellez parte 2. Philoſophiæ diſp. 22. ſect. 5. n. 4. dico, ſubſtantiam ſpiritualem debere abſolutè excedere in perfectione ob gradum entis ſubſtantialis ſpiritualis formam quamcumque corpoream, & materiam etiam corpoream. Idque apertius erit, ſi ſpiritualis omnis ſubſtantia ſiue completa, ſiue incompleta habens ſe per modum materiæ, aut formæ non poſſit non eſſe intellectiua; nam gradus entis intellectiui perfectior eſt abſolutè, quàm quiuis alius non intellectiuus. Hinc materia ſpiritualis, præſertim ſi eſſet intellectiua, ſuperaret abſolutè in perfectione tam formam, quàm materiam corpoream, vt notaui in ſolutione ad tertium. Nec materia ſpiritualis eſſet omnino paſſiua, & pura potentia, ſi exiſteret in gradu intellectiuo; tunc enim gauderet actiuitate non ſolùm erga ſuas proprietates, ſed etiam erga intellectiones, licet fatendum ſit, quòd adhuc tunc foret potentia paſſiua pura aliquatenus, videlicet reſpectiuè ad actum formalem, & perfectiuum; & quòd ſecundùm quid ſuperaretur in perfectione à forma corporea ratione maioris actualitatis, quæ huic competit. Inquiet aliquis, in compoſito ex materia, & forma ſpiritualibus ſortiretur munus ſubiecti illa præ hac. Ergo illa non poſſet principium operatiuum intellectionum eſſe, ſed ſola hæc; ſiquidem id eſt in compoſito ſubiectum, quod nullam exercet operationem, ſed tantùm recipit eas, quas efficit forma, vt iudicarunt nonnulli. Contra tamen, quia albedo in compoſito parietis albi eſt forma, & paries ſubiectum, quin albedo efficiat aliud, quàm ſpecies viſiua ſui, quæ nullatenus recipiuntur in pariete. Idem eſt de aliis formis, vt de quantitate, vbicatione, quarum nullam nouimus operationem effectam ab ipſis, & receptam in ſuis ſubiectis. Contra rurſus, quia animus rationalis humanus, ſecundùm gradum etiam rationalis, eſt forma corporis, nec ideo recipiuntur in corpore operationes gradus rationalis vt talis nempe intellectio, & volitio. Præterea materia ſiue corporea, ſiue ſpiritualis effectione ſuarum paſſionum gaudet, & ſine fundamento requiritur in compoſiti parte, quæ eſt ſubiectum, vt nullam operationem exerceat. Non ergo ea de cauſa materiæ ſpirituali deneganda eſt actiuitas intellectionum. Sed etſi aliis de cauſis tali actiuitate careret, non idcircò excederetur abſolutè in perfectione à forma corporea; nam huius dependentia à quantitate, & illius independentia denotaret ſemper maiorem abſolutè perfectionem in illa, & minorem in hac, quæ nihilominus ſecundùm quid ratione actualitatis maioris eſſet nobilior, quàm illa. Sic fatente ipſo Tellez in n. 5. accidentia ſpiritualia ratione actualitatis ſunt ſecundùm quid perfectiora, quàm materia corporea, quæ ijs ſis eſt abſolutè perfectior ratione ſubſtantiæ, & entis per ſe.

18 Ad decimum, etiam ſi quantitas eſſet prorſus neceſſaria ad multiplicationem numericam, inde vt ſummum colligi non eſſe poſſibilia eius conditionis compoſita, quæ inter ſe non diuerſificentur ſpecificè. Dixi *etiam ſi &c.* Nam falſum eſt, ſola ex quantitate deſumi poſſe principium multiplicationis intra eandem ſpeciem; de quo conciſè in n. 30. Et permiſſo, requiri materiam ad eam multiplicationem, ſufficiet materia vel corporea, vel ſpiritualis.

19 Ad vndecimum reſpondeo, formam illam ſpiritualem, & intellectiuam non ordinatam ad corpus phyſicum organicum fore animam attenta definitione tradita ab Ariſtotele lib. & cap. 2. de Anima textu. 24. non autem fore, attenta alia, quæ habetur cap. 1. textu 6. Quod ſi velis vnam & aliam definitionem voce tenus, ſed non ſenſu diuerſam eſſe, dicam, aut illam formam non eſſe animam, aut Philoſophum definiiſſe animam conſideratis tantùm animarum gradibus nunc exiſtentibus. Ad confirmationem aio, primò, repugnare animam, formamue vitaliter operatiuam, quæ reſpiciat corpus, & non organicum; nam reſpectus ad corpus eſſet propter operationes vitales materiales; his verò deſeruire nequit corpus carens organis. Simili ferè ratione Bubalus noſter tomo de Angelis q. 50. a. & quæſito 2. diffic. 1. rurſus q. 51. a. 2. quæſt. 2. §. 5. docet, impoſſibilem eſſe animam puræ intellectiuam ordinatam ad corpus, quia ſcilicet iſtud impertinenter ſe haberet ad omnes illius operationes; Quo pacto non ſe gereret ſpirituale ſubiectum vt viſum eſt in n. 9. Aio ſecundò poſſibilem forſan eſſe animam informatiuam corporis non organici; quia ſi vnius tantùm operationis vitalis, materialis, eſſet principium ab intrinſeco, non videtur deſideratura diſpoſitionum diuerſitatem, in qua conſiſtit organizatio. Et probabile eſt, non inuolui contradictionem in compoſito ex corpore, & anima purè intellectiua, quæ per ſpecies infuſas, & non acceptas ex ſenſibus cognoſceret, ordinareturque ad corpus, vt ad ſuum præciſè complementum ſubſtantiale. Si autem iſtud eſſe variè diſpoſitum, tribueretur id perfectioni animæ, non verò operationum exigentiæ. Qui non agnoſcunt repugnantiam in anima materiali, vel ſpirituali purè loco motiua corporis, cuius ſit actus ſubſtantialis, nihil curant de corporis organizatione. Et aliqui dicunt, nec Ariſtotelem de ea curaſſe in definitionibus Animæ. Sed oſcitanter legerunt textum 6. ac 7. in cap. 1. lib. 2. de Anima; ibi namque manifeſtè requirit corpus, cuius partes ſint inſtrumenta conducentia ad varias functiones vitales; idemque eſt ex Ariſtotelis ſenſu corpus habere vitam in potentia, ac eſſe inſtrumentale, ſeu organicum, vt concinnè ad eum locum interpretatur Toletus poſt priſcos alios commentatores.

20 Percontabitur non nemo, an materia ſpiritualis informari poſſet per formam corpoream, vti materia

materia corporea informatur per formam spiritualem humanam? Tellez in n.8. respondet negatiuè, quia materia spiritualis esset incapax qualitatum corporalium, à quibus dependet conseruatio formæ corporeæ. Si replicetur, forma spiritualis humana dependere potest in operari à materia corporea incapaci qualitatum spiritualium. Ergo pariter forma corporea poterit dependere quoad sui conseruationem à materia spirituali incapaci qualitatum corporalium. Negat consequentiam in n.9. reddens eam disparitatem, quòd agens spirituale potest naturaliter vti instrumento corporeo, eleuareque illud ad recipiendum, & ad agendum, cum nobilius sit agens spirituale, quàm instrumentum corporeum: ast agens corporeum nequit tanquam instrumento vti re spirituali, nec eleuare ipsam vt recipiat, & agat; cum id, quod corporeum est, inferius sit re spirituali. Si vlteriùs replicetur, valere hæc ex natura rei, sed non ex Dei absoluta potentia. Ait, si valent ex natura rei, valere etiam ex absoluta potentia Dei; nam vnum per se naturaliter, non diuinitus fieri postulat. Postremum id mihi non probatur; multa namque, quæ ex natura rei nequeunt vniri ad faciendum vnum, siue per se, siue per accidens, queunt ex potentia Dei absoluta, vt patet in anima, & gratia habituali sanctificante, in humanitate Christi Domini, & subsistentia Verbi diuini: nam in primo exemplo fit vnum per accidens, & in secundo vnum per se ex extremis; quorum vnio non est ex natura rei, seu naturalis. Quapropter non apparet mihi repugnantia in eo, quòd materia spiritualis ordinata naturaliter ad formam spiritualem, & forma corporea ordinata naturaliter ad corpoream materiam vnirentur de potentia Dei absoluta, & constituerent vnum per se, ita quidem vt si materia spiritualis esset diuisibilis integraliter, cuilibet eius parti responderet alia pars formæ corporeæ, vel si esset indiuisibilis responderet ipsa singulis, & omnibus partibus corporeæ formæ, non secus ac animus rationalis humanus indiuisibilis integraliter existit in quacumque parte, & in cunctis corporis humani. Et posset forma corporea esse etiam integraliter indiuisibilis. Addo, nec mihi apparere repugnantiam in vnione, & constitutione vnius per se ex materia spirituali, & spirituali nostro animo rationali: etsi enim hic non sit ex natura rei proprius actus materiæ spiritualis, sed corporeæ, & illa non sit ex natura rei propria potentia respectu rationalis nostri animi, sed alterius formæ spiritualis distinctæ in specie; tamen id non obstat, ne de potentia absoluta Dei eleuetur materia spiritualis ad vnionem, & constitutionem vnius per se cum nostro rationali animo, vt colligere licebit ex dicendis in sect. 2. Exercit. 6. Dices, rationalis anima superaretur in perfectione ab illa materia spirituali. Ergo ex vtraque non posset constitui vnum per se compositum substantiale: nam forma debet esse in composito per se substantiali, pars præcipua, ac nobilior. Obiectiunculæ huius solutio constabit in n. 37. Dices rursus ex Innocentio III. Papa c. *In quadam*. 8. de Celebratione Missarum, ***Rationalis anima non potest viuificare nisi verum corpus humanum, ex quibus verus homo consistit.*** Respondeo Pontificem loqui de rationali anima considerata ex natura rei.

Diluuntur obiectiones contra possibilitatem materiæ corporeæ alligatæ ad vnam speciem formarum corruptibilium.

21 PRonunciaui in quarto motiuo, non repugnare materiam corpoream determinatam ad vnicam speciem formarum corruptibilium. Quòd non caret speciali difficultate. Oppones namque primò, eo ipso quòd forma sit naturaliter corruptibilis non habebit vnionem indissolubilem à materia, ac proinde poterit à quocumque agente cõtrario expelli forma antiqua, & alia diuersæ speciei, produci de nouo. Si respondeatur, in ea materia non posse ab agentibus naturalibus produci formam specie, sed numero tantùm diuersam. Contra, nam cum idem valeat præstare præcedens forma, ac alia, quæ de nouo generaretur, & vtraque sit habilis stare sub eisdem dispositionibus nulla est necessitas, ob quam præcedens destruatur. Quòd si dicatur formas distinctas numero posse, quantùm ex se est, stare sub eisdem dispositionibus; sed materiam posse fieri talem, vt ad formam *A.* postulet aliquam peculiarem dipositionem, qua deficiente pereat forma *A.* & ad formam B. postulet specialem dispositionem, qua introducta existat forma *B.* non ob exigentiam ipsius formæ, sed materiæ. Contra, quia materia ad formas numericè solum distinctas nequit exigere dispositiones, quæ non sint communes tam vni, quã alteri formæ. Et prætereà cur materia determinata ad speciem formæ ligneæ v.g. habensque actualiter talem numero formam, nequeat ab igne spoliari ea forma & suscipere formam ignis? Anne quia forma lignea vniretur materiæ per vnionem incorruptibilem? Hoc tamen, & si possibile sit de potentia Dei absoluta, at non ex natura rei, si quidem vnio materiæ ad formam ex se corruptibilem non potest non esse corruptibilis ex natura rei ab agentibus contrariis. Vnde repugnabit materia, quæ ex natura sua petat vnionẽ incorruptibilem cum forma ex se corruptibili, & subiecta contrariis agẽtibus.

22 Sed adhuc dupliciter superari potest obiectio. Fas namque est dicere primò, non esse impossibilem materiam, quæ sit naturaliter defectibilis. Secundò, non esse impossibilem aliam, quæ semel producta cum forma queat naturaliter conseruari sine illa. Multi id vltimum censent de materia præsenti, quantùm ex se est, & primum quoad materiam etiam præsentem nonnullis placet, quatenus ea nec naturâ suâ petat esse æterna, neque vt æternùm duret, opus habeat potentia Dei absoluta: sed indifferens sit ad vtrumlibet, quantùm ex se est; vti aer ex se est, indifferens vt sit, & vt non sit lucidus, nosque de de materia alia possibili non renuemus, cum maius quid admittamus in sect. 6. Exercit. 12. nempe non repugnare materiam, quæ vltra certam durationem non conseruaretur naturaliter. Hinc materia determinata ad quandam speciem formarum corruptibilium, si orbaretur singulari vna forma, & non succederet alia eiusdem speciei, vel abiret naturaliter in nihilum, vel omni forma carens permaneret naturaliter, quemadmodùm animus rationalis, dummodo in primo instãti informet corpus, persistit in sequẽtibus naturaliter extra illud; & queadmodùm ignis conseruatur naturaliter absq; octo gradibus caloris, aqua absq; octo frigiditatis licet absq; eis non valeant naturaliter primò produci. Dices, agentia contraria non posse expellere formã antiquã è materia quin introducãt

similem propriæ ipsorum; non enim intendunt destructionem directè, & per se, sed propagationem, conseruationemque suæ speciei, habendo se permissiuè circa interitum formæ occupantis materiam. Respondetur, illud verum esse in materia indifferenti ad formas similes iis, quibus ornantur agentia contraria. Et ista tunc per accidens non introducerent in materia formam similem propriæ, quin directè, ac per se intenderent desitionem alterius formæ, dispositionumque ipsius. Rursus dices, materiam, quæ persisteret naturaliter absque omni forma non composituram vnum per se cum ea, quam actu vnitam sibi haberet ob rationem proponendam à nobis exercitat. sequenti n. 8. Respondetur, satis fore ad compositionem vnius per se, si forma nequiret naturaliter consistere seiuncta à materia.

23 Oppones secundò esse contra conceptum primi subiecti, quale est materia in composito physico, rationem differentialem, per quam determinetur ad vnam speciem formarum siue separabilium, siue inseparabilium. Etenim ex duobus extremis vnitis illud est subiectum, quod est indifferens, & determinatur ab alio; & illud est forma, quod determinat. Quapropter materia determinatè & vnicè respiciens formam igneam v. g. vel Solarem, caderet à conceptu primi subiecti, esto ab eo non deficeret quæ non omnes, sed aliquas tantùm species formarum præfixas sibi habeat. Confirmabis primò, in compositione Metaphysica genus se habet vt materia, & differentia vt forma; non ob aliam rationem, nisi quia genus, indifferens ex se ad varias species contrahitur per differentiam ad terminatam speciem. Rursus obiectum diuiditur in materiale, & formale per proportionem ad materiam, & formam; eaque de causa cognitioni non illud, sed hoc speciem determinat. Confirmabis secundò, quia causa formalis definitur à Philosopho lib. 2. Physicorum cap. 3. textu 28. *Ratio quidditatis*, seu essentiæ rei. Ergo ex formali causa, & non ex materiali est desumenda essentialis diuersitas compositorum. Ergo subiectum, quod coincidit cum causa materiali, debet esse indifferens ad varias species quidditatis, & forma, quæ cum formali causa coincidit, debet esse determinata ad vnam quidditatis speciem.

24 Respondetur, conceptum subiecti esse longè diuersum, tum quia plura sunt subiecta ex se determinata ad plures formas, scilicet materia ad quantitatem, anima ad potentias vitales, si ab ea distinguantur; & permulti dicunt, materias specie diuersas esse determinatas ad eandem speciem quantitatis, quin è conuerso dicant, quantitates specie diuersas esse determinatas ad eandem speciem materiæ. Quid? quòd maior determinatio datur in materia, quæ est subiectum, quàm in quantitate, quæ est, forma. Tum quia homo, qui est subiectum albedinis non magis est indifferens ad ipsam, & ad nigredinem, quàm albedo ad hominē, & ad parietem, nec magis est indifferens anima ad gratiam habitualem sanctificantem, & ad peccatum, quàm gratia ad animā, & ad Angelum, quamuis anima sit subiectum, & gratia forma. Ex qua gratia indifferenti ad animam, & ad Angelum, licet nec anima, nec Angelus sint indifferentes ad varias species gratiæ in sententia multorum negantium possibilem esse gratiam specie diuersam ab existente, argumentum aliud potest confici. Tum quia non repugnat materia indifferens tantùm ad duas formarum species, ex quibus vna quæque sit indifferens ad duas materiæ species; quo in casu æqualis erit indifferētia subiecti, & formæ, poteritque maior esse huius, quàm illius, si, vt non repugnat, hæc sit indifferens ad tres, vel quatuor species materiæ. Quòd si forma Metaphysica, exempli causa, *Animal* in ista propositione *homo est animal.* Habet maiorem indifferentiam, quàm *homo*, qui est subiectum Metaphysicū, quandoquidem animal sit indifferens ad plures species hominis, leonis &c. non sic homo; cur forma physica non poterit habere maiorem indifferentiam, quàm subiectum physicum? Omitto alia, quæ contra appositum modum explicandi conceptum subiecti physici sponte occurrebant. Excogitabit quis in eius defensionem, materiam, quatenus est subiectum esse indifferentem ad plures effectus formales: ad quantitatem v. g. esse determinatam vt communicet materiæ effectum formalem quantæ; ideoque illam esse subiectum; hanc verò formam. Quare cōceptus formæ non consistet in determinatione ad vnum subiectum; sed ad vnum effectum formalem & conceptus subiecti non in indifferentia ad plures effectus formales. Euasione hac subterfugiet proximas obiectiones; proindeque miror, Arriagā, quem non latuit, fidisse specialiùs in desumpta ex forma indifferenti ad materias specie diuersas. Prætentatæ tamen euasioni occludenda est via sic: forma est indifferens ad communicandos diuersos effectus formales iuxta varietatem subiectorum, sicut subiectum est indifferens ad suscipiendos diuersos effectus formales iuxta varietatem formarum: diuersum enim album constituitur ex albedine vnita pani, ac vnita parieti. Ergo &c.

25 Ad confirmationem primam dico, loquutiones illas vsurpari per Metaphoram ad materiam corruptibilium corporum nunc existentem, quin idcirco impossibilis sit alia, quæ ratione prædicati Metaphysici differentialis habeat speciem. Ad secundam confirmationem respondetur, Aristotelicam definitionem multis Recentioribus non placere; primò, quia materialis causa, & vnio, sunt etiam ratio, per quam constituitur quidditas, & essentia rei substantialis compositæ; secundò, quia in multis accidentalibus compositis diuersitas essentialis, & specifica ab aliis consistit non in causa formali, sed materiali. Respondeo deinde, Philosophum solummodò intendisse causæ formalis tradere definitionem, quæ directè respiceret formales causas compositorum substantialium corruptibilium: horum autem inter se se diuersitas essentialis, & specifica reducitur nunc in causam formalem, & non in materialem; est namque eiusdem essentiæ, atque speciei materia, qua constant substantialia composita corruptibilia modò existentia, & habentia diuersitatem essentialem atque specificā inter se se: Quare & si constituantur per materiam, non tamen tanquam per rationem diuersificandi vnum ab alio. At de possibili non repugnant composita substantialia, in quibus diuersitas desumatur ex causa etiam materiali & in quibus materia sit æquè determinata, ac forma ad cuiusdam quidditatis cōpositę speciem, siue ea composita sint corruptibilia, siue incorruptibilia; qualia de facto reputantur communiter cælestia, in quibus non minus communiter indicatur, dari materiam destinatam ad speciem vnius tantùm compositæ quidditatis. Scrupuli Recentiorum contra definitionem Aristotelicam possunt sedari attenta mente Philosophi. Adito Franciscum Alfonsum disp. 12. Physicorum sect. & n. 1.

Oppones

26 Opponés tertiò, repugnat materia ex se determinata ad vnam numero formam siue corruptibilem, siue incorruptibilem. Ergo & ad vnam speciem formarum siue corruptibilium, siue incorruptibilium. Negabam quondam incautè Antecedens, nunc (*quia accurata rerum inquisitio persæpe ea quoque quæ rectè indicata sunt, exactiore examine veritatis adhibito, longè aliter se habere ostendit*, vt prudenter monet in 1. oratione cohortatoria ad Græcos S. Iustinus Martyr) illud concedo, & nego consequentiam. Elucescet disparitas, ratione antecedentis concedendi reddita exinde, quòd materia capax formæ vnius, non potest non esse capax multarum omnino similium, soloque numero differentium. Nam si non est impossibilis forma *A*, v. g. & capacitas ad eam; possibilis erit forma *B*, omnino similis, soloque numero differens, nec non capacitas ad eam. Quo argumentandi modo vsus est idem S. Iustinus Martyr q. 7. inter eas, quas Gentes Christianis ponunt, inquiens, *Deum autem voluntate mundum facere, hinc sciri potest, quòd cum plures soles posset facere, non plures, sed vnum tantum fecerit, qui enim plures soles efficere non potest, ne vnum quidem; & qui vnum potest facere, necessariò plures facere idem potest. Cur ergo Deus plures soles non fecit, quos facere poterat, nisi quòd plures facere noluit?* En S. Iustinus probat, fore, vt non posset Deus efficere vnum solem, si plures non posset. En etiam concludit, posse facere plures, si vnum potest. Consonat Adagium Hispanum: *Qui en haçe vn cesto hara ciento*, idest, latinè, *Qui facit vnum corbem, faciet centum.* Et ratio à priori est, quia inter finita, si productio vnius non inuoluat contradictionem, nec inuoluet productio alterius perfectè similis numeroque solo differentis.

27 Sed dices primò, rectam non esse hanc rationem, vt patet exemplo naturæ diuinæ nullam inuoluentis contradictionem in sui existentia, cum tamen non sit possibilis alia natura illi similis, & æqualis. Dices quidem, augens potiùs, quàm eleuans nostræ rationis vices. Etenim ideo repugnat natura omnino similis; & æqualis diuinæ, quia hæc debet esset infinitè perfecta simpliciter; non esset autem sic perfecta, si alia distincta, cuius perfectione indiuiduali omnino careret, possibilis esset. Quam rationem elegantissimis his verbis expressit Tertullianus cap. 4. aduersus Hermogenem, *Oportet Deum vnum esse, quia quod summum sit, Deus est: summum autem non erit, nisi quod vnicum fuerit, vnicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur.* Tunc vltra. Ast forma ignea, aut solaris non est infinitè perfecta simpliciter, imò repugnat sic esse perfectam. Ergo non est, cur duorum eius indiuiduorum omnino similium productiones importent contradictionem. Confirmatur primò, natura diuina hoc habet speciale, ob sui infinitam perfectionem simpliciter, vt non patiatur superiorem aliam naturam. Ergo & hoc speciale habebit, vt comparem aliam, & æqualem excludat essentialiter. Confirmatur secundò, si forma creata non possit specificè multiplicari, vti non potest natura diuina, esset infinita quoad perfectionem specificam, sicut est natura diuina. Ergo si non posset indiuidualiter multiplicari, vti non potest natura diuina esset infinita quoad perfectionem indiuidualem, sicut est diuina natura. Vt enim forma creata immultiplicabilis specificè contineret omnē perfectionem possibilem sui generis, ita quæ esset immultiplicabilis numericè, contineret omnē perfectionē possibilem suæ speciei. Cōfirmatur tertiò: persona diuina non est multiplicabilis in personas numericè tantum diuersas, quia persona Patris v.g. cum sit infinitè perfecta simpliciter, debet habere in ratione formali personæ Patris totam perfectionem possibilem. Ergo cum forma ignea v. g. aut solaris non sit simpliciter infinitè perfecta, non debebit, imò repugnabit habere omnem perfectionē possibilē in ratione formali specifica formæ igneæ, aut Solaris. Vbi aduertendum est, etsi persona sit specificè multiplicabilis intres personas, & persona Patris v.g. non excludat vllatenus alias Filij, & Spiritus Diuini, imò quia ita est persona, vt simul sit essentialiter relatio ad personas Filij, & spiritus, ideo has alias exigat essentialiter, vt terminos correlatiuos distinctos realiter à se, & specie subiicibili diuersos respectu personæ diuinæ vt sic, tamen quamlibet personam determinatam esse infinitè perfectam intensiuè simul, & extensiuè in ratione talis personæ, licet non sit infinitè perfecta intensiuè simul, & extensiuè in ratione personæ diuinæ vt sic.

28 Dices secundò, instari apertè superiorem rationem in opinione negante possibile esse infinitum in actu secundùm multitudinem indiuidualem; nam in ea sententia productio simultanea infinitorum hominum, etsi omnino similium, centum v.g. myriadibus hominum, quę modò existant, inuoluit contradictionem, quin illā inuoluant centum myriades. Sed contra, quia etsi permittatur ea sententia, non ideo causa cadit nostrum argumentum; nam in tali opinione non debet repugnare infinitum saltem syncategorematicum hominum omnino similium. Et mihi satis erit obtinuisse vi argumenti confecti, posse existere simul, vel successiuè duas formas, vel plures omnino similes, licet non possent existere simul infinitæ, eo quod multitudo infinita, siue indiuiduorum, siue specierum requirat ex suo conceptu successionem, quæ dabitur, si una forma producatur destructā alia simili, vel potiùs non est opus dari, si multitudo sit finita. Confirmatur primò, si possibiles sint simul, vel successiuè duæ formæ numericè tantùm distinctæ, possibiles etiam erunt tres, & infinitæ saltem syncategorematicè, eo quòd inter perfectè similia, si duo sint possibilia, erunt etiam possibilia tria, & sic sine fine. Vnde subtiliter Aurelius Prudentius in Hamartigenia redarguit per Deorum, quia inde consectarium esset multa Deorum millia possibilia fore; imo & actu existere ob specialem Deitatis in sui existentia necessitatem. Audi Hispanum Poetam,

Sunt duo? sunt. igitur cur non sunt multa Deorum
Millia? Cur Deitas numero contenta gemella est?

& Scotus apud Victorinum Mansum lib. & cap. 3. Harmoniæ Theologicæ non minus acutè inquit, *quicquid naturâ sua non est determinatum ad vnum, ac potius ad plura eiusdem rationis interminatum est, nunquam erit certo numero per se definitum, si quidem par erit semper ratio de singulis quibuscumque, cum sint, vt ponitur, eiusdem rationis. Nam & vetusti Philosophi etsi negant Deum plures mundos posse efficere; tamen si duos eum posset dicerent, neque tres, neque quatuor, neque infinitos eum negarent posse.* Iam ergo si possibilis est vna forma finita, etiam erit possibilis altera omnino similis, eo quòd inter perfectè similia

similia finita, si vnum non repugnet, neque repugnabit aliud. Confirmatur secundò, vna forma non exhaurit virtutem, quæ est in Deo adproducendā perfectionem formæ tam indiuidualem, quàm specificam, quia forma est terminus finitus, & limitatus in vtraque perfectione. Ergo sicut producta vna forma potest Deus in infinitum saltem syncategorematicè producere alias & alias specifica perfectione diuersas, ita alias, & alias indiuiduali sola differentes.

29 Dices tertiò, eneruari manifestè eandem rationē in productione omnium formarum possibilium pertinentium ad eandem speciem; nam à nobis asserenda est ea productio impossibilis, etsi cunctæ illæ formæ sint omnino similes. Sed reuera eius rationis acies non hinc hebetatur, quin potiùs acuitur. Dicimus namque, Deum post productam vnam formam posse producere aliam, imò & infinitas & post infinitas posse producere alias, & alias omnino similes, quin assignabiles sint, siue finitæ, siue infinitæ, inquibus sistat diuina omnipotentia: Cum enimprior multitudo non repugnet, neque repugnabit alia, & alia posterior omnino similis; & id circò in Deo non deerit potentia ad eā.

30 Propugnata ratio eò magis expedirè procedit, quominus desiderari potest materia pro multiplicabilitate numerica formæ materialis. Vnde etsi contenderetur, inter perfectè similia, si vnū non repugnet, neque repugnaturum aliud, dummodo ad sit materia; à qua quia remoti sunt Deus, & Pater diuinus, & Angeli, ideo dicatur repugnare Deos, & Patres Diuinos, & Angelos distinctos numericè; adhuc subsistit inconcussa nostra ratio infauorem numericæ multiplicabilitatis formæ materialis, adest namque materia, ex qua petatur distinctio indiuidualis. Sed obiter noto, recurri sine causa ad materiam, vt ex duobus perfectè similibus, vno nō repugnante, aliud non repugnet. Certè si non obstante remotione à materia Angeli sunt multiplicabiles specificè, non sic Deus, & Pater diuinus. Ergo non obstante remotione à materia Angeli erunt multiplicabiles numericè ob nostram rationem, non sic Deus, & Pater diuinus, ob discrimen etiam iam assignatum in n. 17. Rursus si Deus est vnum numero indiuiduum, vt & etiam Angelus *A* v.g quin rationi indiuidui, quæ est invtroque, obstet materiæ defectus. Ergo neque is præcisè obstaret indiuiduationi alterius omnino similis indiuidui, & consequenter nec obstaret multiplicationi plurium intra eandem speciem. Quare repugnantia duorum & multiplicium indiuiduorum diuinorum orietur non ob defectum materiæ, sed ex illo alio capite supra proposito, quod in Angelo non vrget. Hæc obiter, vt propugnata ratio vsui etiam sit pro multiplicabilitate numerica cuiuscumque entis creati P. Franciscus de Lugo disp. 2. de Angelis c. 7. vult vniuersim, non repugnare speciem creatam, quæ non possit esse nisi in vnico indiuiduo, & non videtur loqui de sola specie creata non habente ordinem ad materiam, vt loquuntur communiter Thomistæ, dum docent Angelorum multiplicitatem impossibilem prorsus esse intra eandem speciem verumtamen tam hi, quàm illi reiiciendi sunt ex dictis, & nobis consentient aliqui Thomistæ, videlicet Ægidius Romanus quodlibeto 2. q. 7. Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. Viguerius in Institutionibus c. 5. §. 3. Arausus 1. p. q. 50. art 4. cum Ferrariensi. Bañes, Zumel, Ripa; existimant namque contendentes cum suis & de re, & de Præceptoris Angelici mēte, fieri posse diuinitùs plures Angelos solo numero distinctos; quod non inuenustè colligiturab Yssambetto 1. p. ad q. 50. disp. 4. art. 3. ex singulari loco S. Augustini lib. 3. de libero arbitrio cap. 12.

Dissoluuntur argumenta, quæ generaliter militant contra materias specie diuersas.

31 Obiicitur primò materia capax vnius formæ substantialis non potest non esse capax omnium aliarum possibilium; quia cum ad capacitatem formæ in materia non sit necessaria continentia illius, si vnius est capax, erit & omnium. P. Arriaga disp. 2. Physic. sect. 11. à n. 154. exarmare conatur hanc obiectionem exinde, quòd nō valeat ex virtute receptiua vnius formæ accidentalis deductio ad receptiuam virtutem aliarum. Nullum tamen adducit exemplum, in quo subiectum formæ accidentalis non contentæ aliqualiter in ipso alias nequeat recipere. Deinde ait, materias posse habere differentias essentiales ex eo, quòd vna incorruptibiliter, alia corruptibiliter informaretur, vel ex eo, quòd vna haberet diuersum prædicatum absolutum, ac alia. Verùm de sola sublunari, & corruptibiliter informata proponitur obiecto à suis pattonis, eoque redit, vt neget materiæ omne prædicatum, quod non sit in ordine ad formas. Quare illud nouiter roboro: Potentia obedientialis passiua extenditur ad omnes effectus possibiles, quia ad eam necessaria non est aliqualis continentia effectus, adquem eleuatur. Ergo similiter naturalis potentia materiæ extēdetur ad omnes formas possibiles, si in ea non sit necessaria continentia virtualis formarum. Respondendum ob id est, non repugnare materiam sublunarem, cui non sit naturaliter possibilis forma, quæ alteri materiæ sublunari sit possibilis. Sic licèt potentia obedientialis passiua non exigat aliqualem continentiam effectuum, tamen non extenditur ad impossibiles. Sic iuxta arguētes naturalis potentia materiæ cælestis non extenditur ad formas sublunares, neque è conuerso naturalis potentia sublunaris materia extenditur ad formas cælestes, etsi neutra materia habeat continentiam virtualem suarum formarum: ex quibus aliquæ sublunares magis, aut saltem æque distant interse, quàm aliquæ cælestes interse etiam comparatæ. Addo, ruere sponte obiectionem si materia præstet influxum physicum in formas materiales sublunares.

32 Insurges ex P. Suario disp. 13. sect. 12. metaphysicæ n. 6. materia capax vnius formæ corruptibilis nequit non esse capax aliarum corruptibilium, tum quia omnes formæ corruptibiles cōueniunt in ratione separabiliter informandi, quæ est sufficiens ad constituendam vltimam quandam speciem materiæ; tum quia omnes formæ corruptibiles possūt sese inuicem deturbare ab eadē materia. Sed contra ad hominem, quia omnes formæ cælestes incorruptibiles cōueniunt in ratione informādi inseparabiliter, & nihilominus per Suarium ea ratio non est sufficiens, vt materia cęlestis nō diuidatur in varias species. Vnde sicut ratio inseparabiliter informandi est generica respectiuè ad materiam cælestem, ita ratio separabiliter informandi posset esse generica respectiuè ad sublunarem, & sub illa ratione possent dari aliæ magis determinatę, quæ specificarent varias materias sublunares. Neq; opus est, vt omnes formæ corruptibiles queāt se mutuò excludere ab eadē materia; satis est, si decē, aut viginti pugnēt inter se pro possessione eiusdem materię. Et quāuis materia

materia capax vnius formæ corruptibilis deberet esse capax omnium aliarum corruptibilium, cur repugnabit materia, quæ no tantum omnium corruptibilium, sed & alicuius cælestis esset capax, & alia, quæ nō huius, sed illarū solum esset capax?

33 Obiicitur secundò à Moderno præstātis ingenij nostro in Philosophia addiscenda indiuiduo socio, cuius ad 1. partem cōmentariis iam iā in publicum edendis ditesce t Theologica facultas, non repugnat genus aliquod potentiæ substantialis, quæ sit expers cuiuscumque determinationis. Sed in hoc genere potentiæ erit impossibilis distinctio specifica; quodlibet enim prædicatum, in quo secundùm speciem dessiderent potētiæ, esset extra potentiam cuiusuis, seu non esset requisitū ex cuiusuis conceptu. Tunc sic: Potentia substantialis formarū expers omnis determinationis meretur solūmodò nomen materiæ primę; quia talis potentia erit prope nihil, habebitque summā potentialitatē. Sanè hoc argumento posset pariter probari, materiam, quæ de facto datur, nullius formæ habere exigētiam, indeterminatā, quia æquiori iure mereretur nomē materiæ omnino primæ illa potētia, quæ expers esset omnis determinatio nis ad formā in communi; quæq; capax esset formæ, nullā tamen exigeret. Et prætetea meliori iure mereretur nomē materiæ omnino primæ illa potentia substantialis, quæ cum nulla possibili forma cōnecteretur. Vlteriùs exisio argumēto fieret materiam actu existentem esse expertem determinationis ad quantitatem, accidentiaque alia. Adde, eas materias distinguendas specie, quarum vna exigeret essentialiter formam substantialē actu habitam, alia naturaliter tantùm: determinatio autē ad formam aliquam indeterminatè non extraheret materiam à conceptu omninò primæ. Suadent hæc omnia, determinationem, quæ non includat actum formalem substantialem non obesse conceptui materiæ prorsus primæ. Vnde esto non repugnaret aliqua potentia substantialis inmultiplicabilis in diuersas specie potentias, non est fundamentum, vt asseratur talem esse potentiam actu existentē, neque item, vt dicatur, quidquid sit de existenre, inuolui contradictionem in alia multiplicabili.

34 Obiicitur tertio communiter, non sunt possibiles actus puri specie distincti. Ergo neque puræ potentiæ specie distinctæ. Quare cum materia sit pura potentia, non admittet varias species. Friuolum argumentum, tum quia ex eo fieret, repugnare materias numero distinctas, quando quidem repugnent puri actus numero distincti. Tum quia purus actus debet continere omnem possibilem perfectionem tam numericam, quam specificam, eo quòd sit infinitus simpliciter in perfectione. Ast pura potentia, cum non sit infinita in perfectione, non debet continere omnem specificam, & indiuidualem imperfectionem. Replicabis pura potentia materiæ distat summè à puro actu. Ergo sicut purus actus excludit gradus specie diuersos, ita & pura materiæ potentia. Sed ego potiùs inferrem, Ergo si purus actus reiicit diuersitatem specificam graduum, admittet eam è contra pura materiæ potentia, vt sic saluetur summa distantia huius ab illo, & vt sic diuersitas specifica, quam ratione suæ perfectionis repudiat ille, cōpetat huic ratione suæ imperfectionis. Omitto, purā materiæ potentiā nō ita distare à Deo, seu à puro actu, vt alia entia creata magis non distent, de quo posteà. Vrgebis rursus ex Durando in 2. dist. 12. q. 1. n. 11. materia est infimum ens simpliciter inter substantias. Ergo quemadmodùm supremum ens simpliciter inter substantias respuit diuersitatem specificam graduum; quia in supremo nequeunt dari grdus; sic quia in infimo nequeunt etiam dari, excludet materia eandem diuersitatem. Respondetur, materiam inter substantias non esse infimum ens simpliciter; nam propriam subsistentiā quæ est substantia siue absoluta, siue modalis, excedit in perfectione, vt docet Suarez disp. 7. Metaphysicæ sect. 2. n. 11. & disp. 34. sect. 4. n. 41. Concordante Oniedo controu. 2. Physicorum puncto 8. n. 7. nec videtur negari posse, cū subsistentia sit proprietas materiæ; proprietas autē ignobilior esse debet, quàm natura, cui competit, & à qua exigitur. Vnionem etiā inter materiam, & formam superari in perfectione ab ipsa materia, videtur certum; ea verò vnio est substantia non absoluta, sed modalis. Solutionem aliam acturū subiiciam. Premes iterùm, materia est prima causa materialis. Ergo est immultiplicabilis specifice; causa enim, quæ in aliquo genere est prima, debet esse sic immultiplicalis. Sed dico, postremum id falsum esse in genere causæ materialis, & formalis, sicut enim in vtroque hoc genere potest dari multiplicitas numerica, ita etiam specifica; & posterior hæc in causæ formalis genere negari à nemine potest. Sanè, vt materia sit prima causa materialis, sat est, quòd in isto genere, non præsupponat aliam acusā.

35 Obiicitur quarto, materia possibilis distincta in specie, vel esset tam imperfecta quàm hæc, quæ de facto existit; vel esset imperfectior, vel perfectior? Non primum, quia res diuersæ in specie debēt esse inæquales in perfectione. Non secundum, quia alioqui materia præsens non esset imperfectissima omnium substantiarum. Non tertium, aliàs deficeret à conceptu materiæ, quæ debet esse omnium substantiarum imperfectissima. Respondetur primò materias spectantes ad diuersas species, posse esse æquè imperfectas in sentētia pluriū, qui volūt opus nō esse ad diuersitatē specificam in æqualitate imperfectionis. Dices, vna materia respiceret formas specie dissimiles iis quas alia Ergo vna esset imperfectior, quā alia. Sed notare debuisses, formas etiam specie dissimiles posse esse pares in imperfectione.

36 Respondeti posset secundò, ex Arriaga, & Perro de Oña infra citandis, materiam non debere esse imperfectissimam omnium substantiarum, quæ ipsius etiam proprietates, & modales entitates non sint. Aiunt namque, materiā forsan esse perfectiorē multis formis substantialibus absolutis. Sed hoc nō sine aliqua specie inobseruantiæ erga antiquitatem dictum comperiet, qui oculis lustrauerit Argentinensem in 1. dist. 44. art. 2. & in 2. dist. 12. art. 4. Sotum 1. Physic. q. & dubio 6. Fonsecam 7. Metaph. q. vnica sect. 1 Pereyram lib. 5. Philosoph. c. 12. Conimbricēses lib. 1. Physic. c. 9 q. 2. art. 3. & lib. 3. c. 8. q. 3. art. 2. Suarium disp. 13. Metaph. sect. & n. 11. nec non sect. 12. n. 5. Rubium tr. 1. de Materia q. 2. n. 11. Bartholomæum Amicum tract. 6. Physic. q. & dub. 6. Theophylum Raynaudum in Theolog. naturali dist. 6. q & art. 1. n. 6. Præpositum 1. p. q. 9. art. 2. Recupitum lib. 2. de Deo vno q. 12. n. 13. Et quidem à S. Dionysio Areopagita c. 2. de Hierarc. Cælesti §. 4. asseritur, materiam esse vilissimam, à S. Augnst. esse prope nihil, esse pene nullam rem, & inferius materia nil aliud agnoscitur à S. Doctore lib. 12. Confessionum cap. 7. Nicetas lib. 5. thesauri cap. 43. inquit, *Duo sunt eorum, quæ sunt extrema; Deus, & materia: ille quidem ascendendo, hæc verò descendendo; postque materiam nihilominus super est.* Procopius Gazeus proœmio *in Genesim,*

Materia formis vilior, & deterior est. Aristoteles lib. 7. Metaphysicæ textu 7. pronunciat, materiam *esse minus ens, quàm formam.* 2. Physic orum textu 12. *hanc esse naturam magis, quàm illam.* 9. Met. textu. 15. & 19. *omni actu esse ignobiliorem puram potentiam* inferioritas materiæ comparatæ cum forma rationali, & cum aliis irrationabilibus viuentibus dubitari non potest, quia, vt docet S. Augustinus lib. 83. quæstionum in 54. *omnis anima omni corpore melior est; melius est enim omne quod viuificat, quàm id, quod viuificatur, corpus autem ab anima viuificari, non animam à corpore, nemo ambigit. Quod autem corpus non est, & tamen aliquid est, aut anima est, aut ea melius aliquid. Deterius enim omni corpore nihil est, quia & si materiam quis dixerit, vnde ipsum corpus fit, rectè, quoniam caret omni specie, nihil dicitur.* Sic S. Doctor, qui non actum entitatiuum, sed formalem adimit materiæ secundùm se. Et inferioritate materiæ respectu formarum viuentium, & ex eo, quòd sit pura potentia. Suaderi etiam posset inferioritas respectu formarum non viuentium, quia si materia pertingeret formæ alicuius inanimis perfectionem, non repugnaret materia, quæ æquaret nobilitatem formæ animatæ, & quia pura potentia nequeat non superari ab actu perfectiuo substantiali. Sed postremum hoc qua facilitate dicitur, potest negari. Et ad primum responderi valet tantam esse nobilitatem formæ viuentis, vt sicut æquari nequit à forma inanimi, ita neque à materia, quæ existeret in eodem gradu perfectionis, ac forma aliqua inanimis.

37 Eandem materiæ inferioritatem respectu cuius vis formæ substantialis etiam inanimatæ probat non nemo, quia materia exercet munus subiecti præ forma in composito substantiali; non posset autem exercere illud munus, nisi imperfectior esset, quàm forma. Sed inefficaciter, quia materia non est minus perfecta, quàm quantitas recepta in ipsa vt in subiecto; & quia licet materia respectu formæ, cuius posset esse subiectum, deberet esse imperfectior; non sic respectu alterius, cuius esset naturaliter incapax: imo nec respectu eius, cuius esset naturaliter capax, deberet esse imperfectior absolutè, sed vt summùm ex genere suo. Validior non est alia probatio desumpta exinde, quòd materia sit principium passiuum operationum compositi, & forma principium effectiuum; hoc veró principium nobilius sit illo vt inquit Aristoteles l. 3. de Anima cap. 5. text. 19. nam quod efficit, ostentat abundantiam, ac fæcunditatem, quod autem patitur, & recipit, suam prodit indigentiam, ac paupertatem. *Beatiusque est magis dare, quàm accipere,* Actorum 20. v. 35. scilicet, interprete S. Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *in hac vita*, seu in principiis creatis, *vbi est inopia, qua vtique melior est copia. Melius enim est habere, quàm egere, & melius est donare, quàm accipere, erogare, quàm mendicare.* Validior, inquam, non est; nam materia non est dumtaxat principium passiuum, sed etiam est principium effectiuum suarum proprietatum, & quamuis materia non sit principium effectiuum aliarum operationum non repugnat forma, quæ non nisi suarum passionum sit effectiua. Sunt præterea aliquæ formæ, quibus tam parci & tam ignobiles effectus distincti à proprietatibus respondent, vt maioris perfectionis videatur in materia, quòd eius potentia passiua extendatur ad totamque nobiles formas, & operationes recipiendas. Vnde etsi principium passiuum sit ex genere suo imperfectius, quàm principium effectiuum, posset absolutè materia superare in perfectione aliquas formas, vti ab omnibus concedendum est, superare secundùm quid eas, quæ materiales sunt, quatenus scilicet est ingenerabilis, & immortalis, quatenusque est indifferens, vt iam hoc, iam illud compositum substantiale constituat, nimirùm cum forma humana hominem, cum forma cælesti cælum, quæ indifferentia caret forma cineris v. g. habens determinationem, vt constituat vnum compositum substantiale, valdeque imperfectum, & ratione determinationis ad vnius tantùm compositi substantialis constitutionem exceditur secundùm quid forma etiam rationalis à materia indifferenti ad compositum humanum valdè perfectum, & ad varia alia. Vidi alterum Modernum, qui (post Sfortiam Pallauicinum lib. 2. de vniuersa Philosophia cap. 3. n. 356. & Amicum præcitatum) in materiæ ordine ad formam, vt ad finem suum (talis namque reputatur hæc ab Aristotele lib. 2. Physicorum cap. 8. textu 81. & 91. in cap. 9. lib. 2. de Anima cap. 4. textu 37. lib. & cap. 1. de partibus animalium, lib. 5. Metaphysicæ cap. 4.) fundabat minorem perfectionem absolutam materiæ respectu formæ, cuius illa sit naturaliter capax. Sed nec hoc fundamentum est solidum; nam finis materiæ est compositum substantiale, quod perfectius est, quàm materia. Præter quam quòd cur forma magis est finis materiæ, quàm materia ipsa sit finis formæ, salua Aristotelis authoritate? Et ad hanc sufficit si forma sit finis secundarius materiæ; finis autem nisi sit vltimus, non debet esse perfectior suo effectu, vt probat Bartholomeus Amicus alibi; & finem qui posse esse ignobiliorem re ordinata ad ipsum, obseruat in simili puncto Ripalda disp. 21. de Ente supernaturali. sect. 2. n. 10. Ego quidem non video rationem, qua manifeste impugnari possint Arriaga, & Onna. Ob authoritatem tamen antiquorum sentiendum est, materiam non solùm ex genere suo, sed etiam absolutè esse imperfectiorem quacumque forma inanimata, ita vt quamuis possit Deus producere perfectiores materias, & imperfectiores formas inanimes in infinitum, nulla tamen materia valeat æquare perfectionem vllius formæ inanimis, non secus ac nulla forma irrationalis valet æquare perfectionem vllius rationalis.

38 Tertiò, & meliùs ad obiectionem quintam respondetur, inter materias ipsas posse dari aliam perfectiorem, & aliam imperfectiorem ea, quæ de facto existit. Ita Hernæus quodlibeto 3. q. 10 art. 1. & tract. de Materia cæli. q. 3. ad. 9. ac. 10. Petrus de Onna lib. 1. Physicorum parte 2. q. 3. art. 10. Machin in 1. p. q. 25. art. 6. disp. 53. sect. 2. Aueria q 20. Phylosophiæ sect. 2. &. 11. Petrus Hurtadus disp 2. Physicorum sect. 5. in fine. Caberus, trac 1. Physicorum disp. 2. dub. & n. 5. Arriaga disp. 2. sect. 11. n. 153. Ouiedus controu. 2. puncto 8. n. 7. Franciscus Alfonsus disput. 2. sect. 10. n. 139. Probantque aliqui primo, quia repugnat substantia creata, vltra quam nequeat Deus efficere perfectiorem aliam Ergo & substantia, infra quam nequeat efficere imperfectiorem. Ergo infra materiam actu existentem poterit Deus producere aliam imperfectiorem? Secundò, implicat contradictionem tam forma substantialis, quàm accidentalis, qua deteriorem aliam non valeat Deus causare. Ergo similiter implicabit contradictio

traditionem materia, qua ignobilior alia effici à Deo nequeat. Tertiò, in quantitate continua, siue permanenti siue successiua non est deuenire ad minimam, Ergo neque in quantitate perfectionis substantialis. Quartò, in moralibus non potest dari deterrimum. Ergo neque in physicis imperfectissimum. Non applaudo his argumentis. Primi Antecedens negatur à nonnullis referendis n. 53. Exercit. 10. & problematicè discutitur à Richardo Mediauillano quodlibeto 2. quæst. 4. Quod etsi à me concedatur, tamen inficior priorē consequentiam, quia inconuenientia, quæ apparent in substantia creata suprema omnium, neutiquam vim habent in omnium infima. Participabilitas Dei infinita, ex qua suadetur, & conuincitur, meo iudicio, possibilem esse aliam, & aliam creaturam substantialem nobiliorem, nullatenus conuincit, nec suadet, possibilem esse aliam, & aliam ignobiliorem. Perfectio creaturæ substantialis desumitur ex accessu ad Deum, & recessu à nihilo, imperfectio è contra ex recessu à Deo, & accessu ad nihilum. Anne quia repugnet summus creaturæ accessus ad Deum, & recessus à nihilo, repugnabit etiam summus recessus à Deo, & accessus ad nihilum? Primum quidem est valdè conforme, imò & necessarium infinitati Dei, & finitati creaturæ; secundum autem neque Dei infinitati, neque creaturæ finitati fauet potiùs, quàm oppositum. Sed & admissa priori consequentia, nego posteriorem; tum quia materia non est omnium substantiarum actu existentium imperfectissima vt constat ex num. 31. tum quia saltem materia excedit in perfectione accidentia aliqua, quare non erit omnium creaturarum imperfectissima; & satis est, si in productione accidentium imperfectiorum, & imperfectiorum non sit assignare terminum respectu diuinæ omnipotentiæ. Raphael Auersa, qui q. 24. Philosophiæ sect. 4. censet, repugnare speciem creaturæ simpliciter supremam inter creabiles, fatetur sect. 8. & 9. possibilem esse speciem infinitam in certo suo genere, ita vt in illo genere nequeat fieri alia perfectior. Quæ est multorum sententia, dum in generibus vnionis nectentis extrema realiter distincta, & cognitionis creatæ, ac substantiæ corporeæ aiunt, non esse possibiles perfectiores alias species, quàm vnionis Hypostaticæ verbi ad naturam creatam, cognitionis creatæ attingentis intuitiuè Deum, substantiæque humanæ. Vnde retorqueo argumentum: Non repugnat species creata, in cuius genere non possit fieri perfectior alia. Ergo neque species, quæ in suo genere sit imperfectissima. Ergo in genere materiæ, aut substantialis naturæ, non repugnabit aliqua materia ignobilissima. Ad secundum posset responderi negando Antecedens: posset etiam, concesso Antecedenti, negari consequentia, eo quòd materia in genere substantialis naturæ sit prope nihil. Vrgebis, si possibiles sunt absque termino formæ imperfectiores, debent etiam possibiles esse sine fine materiæ determinatæ ad ipsas indeque inæquales in perfectione. Sed contra, quia materia erit ex æquo indifferens ad omnes eas formas, vel saltem non demonstratur repugnantia in materia sic indifferenti. Tertij Antecedens est falsum, iuxta eos, qui quantitatem continuam Permanentem solis punctis, & successiuam solis instantibus constare putant. Et quæstio erit de nomine, an vnum punctum, & vnum instans dicendum sit quantitas permanens, & successiua. Quapropter qui sic putant, possunt in hunc modum argumentari: In quantitate continua datur quantitas minima, nempe punctum, & instans. Ergo & in quantitate perfectionis substantialis. Crescit difficultas exemplo quantitatis discretæ in qua deuenitur ad dualitatem, qui est numerus omnium infimus. Neque proderit dicere, numerum binarium esse potiùs perfectissimum omnium, quia reliquis simplicior, & magis sui communicatiuus, vt pote in cæteris inclusus, quin vllus ex cæteris recedat summè, & infinitè ab ipso; semper namque restat alius, & alius remotior, proindeque neque numerus binarius erit imperfectissimus, neque quiuis alius, licet ille sit perfectior, qui minus recedat a binario, & imperfectior ille, qui magis recedat. Non, inquam, proderit, cum negari non possit, dualitatem esse numerum minimum, seu pauciores vnitates continentem, siue sit, siue non sit perfectissimus numerus. Ergo sicut datur numerus minimus, quantitasque minima discreta, dabitur etiam quantitas minima perfectionis substantialis. Confirmatur, creaturæ supremæ, & perfectissimæ impossibilitas probatur communiter à paritate numeri finiti, quem repugnat esse maximum. Ergo creaturæ infimæ, & imperfectissimæ possibilitas probabitur rectè à paritate numeri finiti, quem non repugnat esse minimum. Ad quartum respondetur ab Arriaga tomo 1. in 1. 2. disp. 43. num. 4. & sequentibus negando Antecedens. Sed hoc vltrò concesso cum Angesto cap. 14. Moralium, si quid infertur ex impossibili deterrimo in moralibus, nihil aliud est, quàm quòd sit impossibile perfectissimum in physicis, non verò, quòd sit impossibile imperfectissimum, non deterrimum in moralibus respondet perfectissimo in physicis, & minimum in moralibus imperfectissimo in physicis. Hinc ex non repugnante actu minimæ malitiæ moralis ob leuissimam aduertentiam, & intensionem, passionemque maximam argui potiùs potest in fauorem creaturæ, quæ physice sit imperfectissima. Ex his colligitur quàm arduum sit, ostendere repugnantiam materiæ, quâ imperfectiorem aliam nequeat Deus producere. Nihilominus dico, talem non esse materiam, quia nec ostenditur repugnantia alterius imperfectioris, neque vllum est fundamentum, vt de materia nunc producta asseratur, esse ignobilissimam omnium, quæ à Deo valent fieri.

39 P. Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 12. num. 6. Rubius lib. 1. Physicorum tract. 1. de Materia q. 8. à num. 53. lib. 1. de cælo cap. 2. q. 7. Balthasar Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 22. sect. 5. num. 1. & 5. Theodorus Smiling. tract. 3. de Deo vno disp. 7. num. 74. affirmant, materiam saltem nostram sublunarem tam esse imperfectam, vt imperfectior alia prorsus repugnet. Pro qua opinione citantur à Suario in num. 5. Richardus, Ægidius, Durandus, Argentinas, Abulensis; adducitur etiam S. Augustinus, inquiens, materiam esse prope nihil, esse penè nullam rem, inferiusque illa nihil existere. Sed S. Doctor æquè fatur de materia cælesti, ac de sublunari nostra, nec tamen apud Suarium Materia cælestis est imperfectissima. Et sicut S. Doctor ait, materiam esse propè nihil, & ea inferius nihil esse, ita ait, Angelum esse prope Deum, & hunc solum illo superiorem existere, inde tamen nemo inferet, Angelum de facto existentem tam esse perfectum, vt impossibilis sit perfectior alius, & qui magis accedat ad

Deum. Vt summum inferri potest, Angelum de facto existentem tenere ex genere suo supremum gradum substantiæ creatæ, & è contra materiam tenere ex genere suo infimum substātialis naturæ creatæ, quin impossibiles sint perfectiores, ac perfectiores Angelorum species, & quin impossibiles sint imperfectiores, ac imperfectiores species materiæ. Addit Suares, materiam præsentem sublunarem esse summæ potentialitatis; verùm si summa potentialitas sit idem, ac summa imperfectio, restat probandum quod additur. Si summa potentialitas sit idem, ac summa capacitas passiua formarum, quâ maior alia dari nequeat, sanè ea summa capacitas neque arguit summam imperfectionem, neque debet competere materiæ præsenti sublunari. Non arguit summam imperfectionem, quia materia potiùs crescit, quam decrescit in perfectione ex capacitate ad plures, & nobiliores, formas. Vnde materia capax quatuor formarum perfectior foret capaci duorum, & quæ esset capax quatuor vitalium formarum perfectior foret, quàm quæ esset capax quatuor non vitalium, si cætera saltem sint paria. Rursus non debet competere materiæ præsenti sublunari ea summa capacitas? nam non repugnat materia, quæ separabilium plurium formarum sit capax, quàm nostra sublunaris, vt deducitur ex num. 5. neque repugnat eandem specificè materiam capacem esse formarum separabilium, & inseparabilium, quæ materia maiorem haberet, iuxta Suarium, capacitatem, quàm materia præsens sublunaris.

40 Addit P. Antonius Perez optimus meus, & obseruātissimus Præceptor in conclusionibus Theologicis de Deo Trino editis Romæ anno 1648. num. 79. & 80. si esset possibilis materia ignobilior existenti, sequeretur, eam iam nunc dari, omnis enim entitas ob appetitum sibi innatum excellentiæ, ac dominationis postulat ex se præesse actu iis, quibus potest præesse, fugitque ex se esse infima, si potest non esse. Hæc ratio, si efficax esset, probaret, Deum ex natura rei non potuisse non producere creaturas ab æterno, vt eis actu præemineret, ac dominaretur, si productio creaturarum ab æterno sit possibilis; probaret etiam, Deum non posse non ex natura rei efficere simul omnes creaturas, quarum simultaneà existentia non est impossibilis: itē deberet ex natura rei existere actu cunctas species, imò & cuncta indiuidua possibilia infra Angelum, aut hominem, vt sic Deus actu præesset, & simul omnibus creaturis, quibus potest præesse; idemque est de Angelo, & homine respectu specierum, & indiuiduorum inferiorum: probaret denique productas iam fuisse, attenta rerum natura, quascumque species possibiles supra Angelum, vel certe supra illum non esse possibiles alias perfectiores, vt enim Angelo competeret naturaliter appetitus eminentiæ supra species ipso imperfectiores; ita naturaliter conueniret appetitus subiectionis ad species perfectiores; Nec minus congruum est, non esse supremum quod potest non esse supremum inter creaturas, quàm non esse infimum, quod potest non esse infimum. Si dicatur, ideo non sequi productas iam fuisse species possibiles supra Angelum, quia illæ sunt infinitæ; nec esset potior ratio, vt ob appetitum subiectionis producerentur duæ, quam viginti, & infinitæ. Id ipsum ego dico, ne ob appetitum eminentiæ sint iam productæ species materiæ possibiles infra materiam nunc existentem nam & hæ sunt infinitæ. Fingitur procul dubio vterque appetitus innatus, & productio harum specierum potiùs, quàm aliarum, siue perfectiorum, siue imperfectiorum reuocanda est in voluntatem diuinam, non verò in inanes eos appetitus.

41 Instat P. Antonius Perez in num. 81. si materia inferior est possibilis, & non est factum miraculum impediens eius existentiam, sequeretur, existere de facto. At non est factum miraculum quia non probatur, esse factum, & dum non probatur, debet negari. Ergo ea materia non est possibilis naturaliter, si quidem de facto nō existat, & absque miraculo. Iam verò natura, quæ non est possibilis naturaliter, est omnino impossibilis, quia nulla natura substantialis supernaturalis est possibilis. Proponitur vniuersaliter hoc argumentum ad probandum non esse producibiles naturas substantiales præter illas, quæ de facto sunt, vel in se, vel in causis. Porrò autem si inter causas numeretur Deus ab arguente, habet inde suæ argumentationis solutionem. Nam materia inferior, etsi non existat de facto, continetur in Deo tanquam in causa adæquata, non minus, quàm in agentibus creatis effectus, qui ab ipsis concurrente Deo vt causa vniuersali, produci possunt; nunquam tamen producentur. Et debet quidem arguens numerare Deum inter causas: alioqui vltra Angelos nunc existentes adigeretur dicere, non esse possibiles alios siue perfectiores, siue æquè perfectos producibiles à solo Deo. Vt ergo hi, quamuis nunc non producti continentur in Deo tanquam in causa adæquata potenteque eos naturaliter, & naturales in substantia producere per creationem; sic æquè putandum est de materia ignobiliori, cuius existentia non est impedita per miraculum, sed per nolitionem diuinam haud quaquam aduersantem naturalibus exigentiis creatorum entium. Missum facio substantiæ super naturalis creatæ impossibilitatem incertam esse, atque ancipitem, de quo in sect. 2. Exercit. 6. item aliquod ens posse esse naturale in se, & nihilominus improducibile naturaliter in talibus circunstantiis, vt de formis iam corruptis existimatur vulgò. Post hæc scripta, allatus est ad nos tristissimus nuntius anno 1649. de immatura morte prælaudati P. Antonij Perez, cum à litteratis omnibus auidissimè expectatus post liminiò Salmanticam rediret ex vrbe, vbi primariam Cathedram Theologicam nostri Collegij Romani administraret, vocatus, suffectusque in locum Eminentissimi Cardinalis Ioannis de Lugo. Vehemens conceptus dolor facit, vt vix à lachrymis temperemus; charissimum namque amisimus Præceptorem, quem ob eximias virtutum dotes, ob doctrinæ, ingeniique copiam, atque acumen & diligebamus, & tanquam prodigium mirabamur: eaque fuit, omnium, qui Vallisoleti, & Salmanticæ nouerunt, persuasio, Societatem nostram inter principes sui primi sæculi Theologos meritò habituram tantum virum. Nec in Hispania solùm, sed etiam Romæ summam sibi laudem comparauit. Ne autem discipuli ductus affectu excessisse videar, profero duos testes omni exceptione maiores P. Sfortiam Pallauicinum, & P. Honoratum Fabri; quorum prior cap. 47. Vindicationum Societatis hæc scribit, *Antonius Perez in Theologico Magisterio mihi collega, vir ingenio mortalium, quos ego aut viuentes, vbique nouerim, aut in Societate nostra floruisse sciam, pro mea æstimatione nulli secundus.* Posterior verò in Metaphysica

physica demonstratiua Appendice 2. in epistola ad Mousneitum inquit, *Plures appellare possem, qui res tuas in minimis nonponunt; sed duos tantum accipe vt breuitati consulam; alterum P. Antonium Perez Nostræ societatis, qualem virum, Deus immortalis. Clarissimum Romani Collegij Lumen, cuius ingenium Roma suspicit, Theologia occupat, desciplina omnes ambiunt; vel, vt verius dicam, illustri orbe coronant*. Addit de quodam ipsius tractatu, quem viderat, *Ita me in admirationem traduxit, vt nihil vnquam mihi, siue rationum momenta ponderarem, neruosius, siue ingenij lumina suspicerem, illustrius, siue nouam cogitationum varietatem demirarer, felicius quidquam ex cogitari posse videretur*. Hactenus Sfortia &, Honoratus. Apparantur iam in lucem posthuma opera Antonij Perez, quibus nihil doctius, aut subtilius nostra forsan ætas posteritati transmittet? Et fas fuerit sic parentasse Optimo Magistro.

42 Contra liberationem materiæ ab infimo gradu restat illud: si materia de facto existens non esset imperfectissima, sed infra eam possibiles essent aliæ & aliæ imperfectiores in infinitum, fieret, vt existeret in altissimo perfectionis gradu, imò & in infinito. Vulgari obiectioni sufficit vulgaris responsio, excessum materiæ existentis non tam prouenire ex absoluta altitudine materiæ, quàm ex ignobilitate aliarum sub ipsa possibilium; non enim prouenit ex inde, quòd materia existens sit ens à se, nullam dicens imperfectionem, aut omnem perfectionem, vel absolutè, vel sui generis absorbens, sed ex eo, quòd non sit imperfectissima, seu ex eo, quòd habeat pauciores imperfectiones, quam materiæ aliæ possibiles. An sit vocanda infinitè perfecta secundùm quid ob excessum illum? Quæstionis est, sed de mero nomine. Vocabo infinitè secundùm quid perfectam comparatiuè ad materias, quas superat, si tu voces infinitè secundùm quid imperfectam comparatiuè ad alias, à quibus superatur.

43 Iam quando ex professo actum est de imperfectione, vel perfectione materiæ, non silebo, perfectiorem esse absolutè formis accidentalibus naturalibus; quod docent apertè Scotus in 2. dist. 12. q. 2. v. *Ad argumenta principalia*. Mayro ibidem q. & art. 1. Toletus lib. 1. Physicorum cap. 7. q. 13. §. *Ex his patet*. Connimbricenses lib. 3. Physicorum cap. 8. q. 3. art. 2. innuûtque plerique. Et quidem de accidentibus, quæ sint materiæ proprietates, vt quantitas, vbicatio, ostenditur eadem ratione, qua in n. 34. vsus sum pro maiori perfectione materiæ, quàm subsistentiæ propriæ. De omnibus verò accidentibus naturalibus ostenditur vniuersim, quia cum materia sit ens perse, vt potè substantia, non potest non esse nobilior omni accidenti naturali, quod est ens entis, seu ens ab alio; & in alio. Inquies, hinc tantùm probari, materiam ex genere suo perfectiorem esse, id est, in ratione communi substantiæ: cum quo stare posset, vt esset absolute, & simpliciter ignobilior in ratione talis substantiæ. Respondeo, in nullo accidẽti naturali elucere aliquid speciale; ob quod absolutè, & simpliciter excedat materiam, qua ex genere suo imperfectius illud fateris nobiscum. Nec opponat quis S. Augustinum docentem, materiam esse prope nihil, & ea inferius nihil aliud stare. Loquitur namque de materia in genere, & ordine substantialis naturæ. Posset hic disputari, an materia excedat etiam absolutè & simpliciter accidentia supernaturalia? Balthasar Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 22. sect. 5. n. 10. citans S. Thomam, Vazquium, Suarium, & Fonsecam confet, sic excedere, quin neget ab accidentibus supernaturalibus excedi secundùm quid ipsam materiam. Connimbricenses suprà, materiæ anteponunt absolutè gratiam habitualem, & generaliter omnia accidentia supernaturalia. Molina 1. p. q. 12. art. 5. disp. 2. v. *Ad secundum argumentum*. indicat, qualitates gratiæ, ac luminis gloriæ perfectiores esse absolutè substantiis omnibus. quas Deus re ipsa creauit; & cum inter eas materia sit imperfectissima, aut valdè imperfecta, non dubium quin illi præferret absolutè præfatas qualitates, si de illa speciatim sermo occurreret. Idemque cogitandum est de aliis Authoribus, quos allegat Ripalda disp. 21. de ente supernaturali sect. 1. n. 4. pro maiori perfectione absoluta præfatarum qualitatum, quàm substantiæ intellectualis creatæ. Mihi valdè verisimile est accidentia nobilissima ordinis supernaturalis superare absolùtè materiam in perfectione: nam quidquid sit, an ita superent substantiam humanam, & Angelicam, vtraque hac multò imperfectior est illa, dequa non tam altè concipi solet, quàm de gratia habituali, lumine gloriæ &c. quin potiùs de materia abiectè existimatur, & sublimiter de gratia habituali, ac de lumine gloriæ secundùm illud Petri in 2. Epistola Canonica cap. 1. v. 4. *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ*. P. Suarez disp. 32. Metaphysicæ sect. 2. n. 31. ait; *quis dubitet, gratiam esse perfectius ens, quàm modum subsistentiæ, vel vnionis forma substantialis ad materiam?* Si autem gratia, esto sit accidens, præferenda est absolutè absque hæsitatione modis substantialibus subsistentiæ, & vnionis, nihil mirùm, si materiæ etiam à nobis præferatur. Quoad aliorum accidentium supernaturalium, non ita nobilium præcellentiam absolutam supra materiam, suum cuique iudicium liberum relinquo, licet magis propendeam, vt putem, materiam perfectiorem esse absolutè vbicatione supernaturali v. g. corporis. Obseruandum est, cum dixi, materiam excedere absolutè accidentia naturalia, respexisse non solum ad materialia, sed etiam ad spiritualia, nec solùm ad non vitalia, sed etiam ad vitalia, dum modò spiritualia, & vitalia subintelligantur superare secundùm quid materiam ipsam, sicut quæ non sunt spiritualia, nec vitalia, sed nihilominus actiua, excedunt eandem secundùm quid, nempè ratione actiuitatis; imo, & ita exceditur ab omnibus ratione actus perfectiui accidentalis.

REGRESSIO I.

Materia Empyrei est eiusdem speciei cum materia reliquorum Corporum Sublunarium.

44 ETsi hactenus visum sit, intutè confugi ad repugnantiam diuersitatis specificæ inter materias, vt propugnetur vnitas specifica Empyreæ cum reliquorum corporum materia, alia tamen remanent nobis propugnacula. Primum, diuersificandæ non sunt in specie entitates ab homine Philosopho sine necessitate comperta ex ratione, aut experientia. In præsenti autem nulla apparet ratio, aut experientia ad distinguendum specificè materiam Empyream à sublunari. Secundum, proportio inter materiam Empyream, & corporum glorificatorum potest esse non leue indicium vnitatis specificæ

cificæ inter eas: Ast corporum glorificatorum materia eiusdem est speciei cum materia sublunarium,& corruptibilium.

45 Tertium,si Empyreum constet materia specificè,distincta à sublunari,ea erit imperfectior, quam hæc: quod videtur absonare, siquidem Empyrei nobilitas exigat,vt si non superet,æquet saltem in materiæ perfectione corpora sublunaria sibi inferiora. Petrus Hurtadus disp.2.Physicorum sect.5. §.53.disp.1.de cælo sect.2.§. 27. Cabetus tract.1. Physicorum disp.dub.& n.5. Arriaga disp.2.Physicorum n.170.si distinguatur specificè materia sydetea à sublunari,dicunt, illam fore ista imperfectiorem, eo quòd ista sit receptiua formarum viuentium, quæ nobiliores sunt,præsertim rationales, formis sydereis;materiæ autem perfectio dimetienda est absolutè, & simpliciter ex ordine ad formam; iudice S.Thoma q. 1.de Malo art.2.in corpore, vbi ait:*Omne subiectum,in quantum est in potentia respectu cuiuscumque perfectionis, etiam materia prima ex hoc ipso,quòd est in potentia, habet rationem boni.* Sic S.Doctor Et prædicatum respiciendi formas præstantiores excedit absolutè, ac simpliciter alia, que in materia sydereaconsiderant Suarez disp.13. Methaphysicæ sect.12.n.5. Connimbricenses lib. 1.de cælo cap. 2.q.6.art.5. Auersa q.33. Philosophiæ sect.6. Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 22. sect. 5.n.1.Rubius lib.1. de cælo cap.2.q.7.Eandem rationem ego transfero ad probandum, materiam Empyream fore absolutè ignobiliorem sublunari,si inter vtramque intercedat specifica distinctio,quæ maior ignobilitas & si admittatur à Cabero suprà, & dub.6.n.19.mihi tamen absurda videtur, dedecensque dignitatem Empyrei.Premo hanc rationem contra eos saltem, qui Cabero refragentur,Ex hypothesi,quòd vnius cæli materia diuersæ sit speciei à materia alterius cæli.nobilior erit absolutè, quæ ad formam perfectiorem recipiendam ordinetur, vt fatentur Suarez n.2. Auersa sect.9. Ergo Concessa distinctione specifica materiæ Empyreæ à sublunari, non potest negari maior perfectio materiæ sublunaris, quàm Empyreæ, nam intota collectione formarum, ad quas recipiendas destinetur materia sublunaris, multæ nobiliores erunt eà forma, cuius solius capacitatem habeat Empyrea materia. Vrgeo rursus, duæ materiæ, quarum vna respiciat suaptè natura formas specie dissimiles ab his, quas respicit altera, nequeunt non asolutè distingui in specie, etiamsi conueniant generice inmodo recipiendi formas inseparabiliter informantes, si vtraque materia sit cælestis, vel separabiliter informantes, si vtraque sit sublunaris. Ergo & nequibit non esse vna perfectior absolutè,quàm alia, si vna respiciat præstantiores formas, quàm alia. Namquemadmodùm diuersitas specifica formarum debet arguere diuersitatem specificam in materiis non differentibus ad easdem formas, ita maior perfectio vnius formæ, quàm alterius, debet arguere maiorem perfectionem in materia determinata, vel indifferenti ad nobiliorem formam, etsi simul materia sit indifferens ad formas aliquas multò imperfectiores. quàm ea forma, ad quam est adstricta altera materia. Ergo cum materia sublunaris, casu quo specie distinguatur ab Empyrea, indifferens sit ad perfectiores formas, quàm materia Empyrea, & hæc sit determinata ad formam imperfectiorem, sequitur, hanc illi cedere absolutè in nobilitate. Nec obstat, si obiicies ex Suarez, & Tellez supra, nec non ex Bartholomæo Amico tract.5. Physicorum q. vltima dub.3. materia sublunaris erit magis passiua, quàm Empyrea. Ergo & minus perfecta; vt enim materiæ potentialitas est imperfectio, sic maior potentialitas erit minor perfectior Respondetur namque, potentialitatem materiæ esse imperfectionem admixtam perfectioni, eoquè maiori, quò fuerit ad plures, & eminentiores formas: sic quod Angelus habeat spatium certæ magnitudinis, quin naturaliter possit existere in ampliori, est imperfectio, quia tamen adiuncta perfectioni, ideo tantò perfectior est Angelus, si cætera sint paria, quandò diffusius spatium occupare valet. Ad est aliud exemplum formarum substantialium, & accidentalium,quæ quò subiectum præstantius respiciunt, eò censentur præstantiores, tamen si imperfectio sit vis informatiua subiecti. Neque item obest, si cum Moderno quodam dicas, Empyrea forma est longè perfectior innumeris formis, quas possidere potest materia subcælesti, & quibus comparatæ superantes Empyream in nobilitate sunt valdè paucæ. Ergo materia adstricta ad formam Empyream excellentior erit quàm subcælestis,quia æstimabilior est determinatio ad formam Empyream, quàm ius vagum ad innumeras formas ipsa imperfectiores, & ad paucas perfectiores; sicut si aliquis haberet ius vagè ad viginti formas inæquales, ita vt quauis satisfieret eius exigentiæ, minus æstimabile hoc esset, quàm si determinatè debita ipsi foret decimaquinta. Nam etiam respondetur, falsam esse consequentiam, & exemplum,quo probatur, aut in quo inculcatur, si materia, vel alius habens aptitudinem vel ius ad vigesimam formam perfectiorem possit commodè, & facile hanc adquirere, imò & possideat.

46 Quartum, si materia Empyrei distinguatur specie è sublunari, nulla etiam, erit pars, aut indiuisibile materiæ in ipso Empyreo, quod non differat specie à quouis alio eiusdem Empyrei. Nam pars affecta per vnam formam est incapax ex natura sua recipiendi aliam formam, per quam afficitur alia pars, quæ proinde est eius capax ex sua natura. Ergo partes illæ distinguntur specie. Consequentia patet,quia hæc diuersitas prædicatorum arguit distinctionem specificam. Antecedens probatur, quia alioqui ex parte *A* v.g.& forma Empyrea non constituetur corpus incorruptibile ratione impotentiæ repertæ in ea parte materiæ,sed ratione solius formæ,aut vnionis, aut defectus contrarietatis inter dispositiones, vel accidentia partium *A*,& *B*,formarumque, quibus ornantur. Ecqui autem absurdam non censeat distinctionem specificam omnium partium materiæ Empyreæ comparatarum inter se? P.Molina disp.5.de opere sex Dierum, durum nimis esse pronuntiat, si materiæ cælorum mobilium, aut astrorum differant specie inter se P. Balthasari Tellez parte 2. Philosophiæ disp.22. sect.4. n.13. incredibile id videtur. Sed multò durius esse pronuntiaret Molina multoque incredibilius videretur Tellezio, si omnes partes cæli cuiusuis,au astri haberēt inter se diuersitatem specificam;nec minor durities, & incredibilitas appaget,si in Empyreo omnes partes eandem sortiantur diuersitatem. Dices, si formæ, quibus afficiuntur partes Empyrei, distinguantur specie,non esse duram, neque incredibilem diuersitatem specificam earum partium;si verò non distinguantur specie, non sequi in eis partibus diuersitatem à nobis intentam. Probabis primum,

quia

quia supposita distinctione specifica in formis duorum cælorum mobilium, aut duorum astrorum non desunt grauissimi Authores, qui asserant apud Auersam q.33. Philosophiæ sect.9. diuersas fore in specie materias ipsorum. Ergo similiter asserent, partes Empyrei sic fore diuersas, si formæ earum distinguerentur specie. Probabis secundum; quia etsi pars *A* respiciat ex natura sua peculiarem formam, quam non respiciat pars *B*. tamen si forma respondens parti *A* non distinguatur specie à forma respondente parti *B*, deficiet caput diuersitatis specificè in partibus, videlicet distinctio specifica terminorum, seu formarum. Sed contra, tum quia nullus ex indicatis Authoribus asserit partes cæli vnius mobilis, aut astri diuersas esse specie inter se. Ergo nullus assereret, partes Empyrei sic inter se esse diuersas. Tum quia materiæ partes conuenientes specie debent esse indifferentes, vel determinatæ ad easdem omnino formas specie, vel numero diuersas, vt fert communis consensus. Vnde quælibet pars materiæ sublunaris, quia conuenit specie cum alia qualibet parte materiæ sublunaris, est indifferens suapte natura ad omnes formas specie, vel numero diuersas, ad quas indifferens est quælibet alia pars. Video, quæ conueniunt specie, & differunt solo numero, posse habere aliquod prædicatum vltra id, quod est vnum non esse aliud, vt notaui in n.25. proximæ Exercitationis. Sed in materiæ partibus speciei eiusdem solus ille cogitationum Occeanus P. Suarez disp. 12. Methaphysicæ sect.11. n. 20. tale prædicatum insinuauit loquens de materia cælesti, & in ordine ad formas. *Non est autem improbabile* (ita eximius Doctor) *hanc singularem materiam talis speciei esse naturaliter coaptatam, & proportionatam huic singulari formæ, & cum ea habere peculiare vinculum, & propriam indiuidualem habitudinem, quanquam id incertum sit, parumque ad rem præsentem referat.* Alij Authores eius prædicati non meminerunt. Nobis sat erit, coegisse aduersarios, vt inter singulas partes materiæ Empyreæ assignent maiorem diuersitatem, quàm quæ est inter singulas materiæ sublunaris.

47 Quintum addi potest, accidentia Empyrei sunt intra eamdem speciem, intra quam accidentia aliqua sublunaria, nimirùm quantitas, lux. Ergo eorum subiecta, quæ est materia prima, spectant ad eandem speciem. Non fido huic argumento. Nam antecedens est adhuc sub iudice, & consequentia infirma. Subiectis specie diuersis queunt rectè inesse accidentia communia distincta tantum numericè. Tenentur id concedere, qui accidentia subiectari in toto composito contendunt. Et corpori simplici completo competeret eadem quantitas in specie, quæ compositis. Prætereà retorquetur argumentum, quia in Empyreo dantur aliqua accidentia diuersæ speciei ab aliquibus accidentibus repertis in compositis sublunaribus. Ergo horum, & illius materiæ pertinebunt ad diuersas species. Sed certe nec conuenientia specifica aliquorum accidentium arguit sufficienter vnitatem specificam in materiis, nec disconuenientia specifica diuersitatem specificam. Vide sect.1. Exercit.13.

Eneruantur argumenta contra vnitatem specificam materiæ Empyreæ, & sublunaris.

48 Ppones primò, vnitatem specificam inter materias sublunares indagarunt Philosophi ex varietate formarum, quibus successiuè afficitur eadem pars materiæ, *quæ semper in mutatione versatur.* Vt ait Ephræm Syrus in confessione & reprehensione sui ipsius. Ergo cum Empyrea materia nulli transmutationi subiaceat prouenienti ex formis substantialibus, deest nobis vestigium vnitatis specificæ. Confirmabis ex eo, quòd Empyreum non possit pati ab agentibus sublunaribus, quare non habebit materiam communem. Nam per Aristotelem lib.1. de Generatione textu 43.54. & 87. ea solùm potiuntur materia communi, quæ inter se inuicem agere, & pati possunt. Respondetur, sicut nonobstante defectu transmutationis ponitur in Empyreo materia; ita eo non obstante percipi benè vnitatem specificam penes ipsam. Est quidem transmutatio optimum indicium materiæ, & vnitatis specificæ; ast non vnicum; si quidem à paritate rationis potest in corpore intransmutabili deduci, tum existentia materiæ, tum vnitas. Sic si Deus materiæ sublunari aliquam formam ex se corruptibilem, aut separabilem vniret indissolubiliter, ita vt à nullo agente creato valeret destrui, aut seiungi, nullam ibi transmutationem videremus; inde tamen non benè inferretur carere materiæ compositione, aut vnitate. Ad confirmationem fateor, actionem, & repassionem inter duo esse iudicium communis materiæ, non tamen ita necessarium, vt sine eo nequeat aliunde inuestigari, maximè si actionis, & repassionis inuenire sit impedimentum, stante communitate materiæ. Sic multiplicationis indiuiduorum intra eandem speciem sufficiens ratio est conseruatio speciei, ne vno indiuiduo deficiente pereat tota species, nihilominus non est ita requisita, vt repugnet indiuiduorum incorruptibilium multiplicatio intra eandem speciem; & non solùm non repugnat, sed etiam de facto datur in sententia communi agnoscente varia indiuidua intra quamlibet speciem Angelicam; nec videtur negari posse, dari multas stellas eiusdem speciei, etsi incorruptibiles; & in vno quoqne corpore cælesti incorruptibili plures partes formæ solo numero differentes. Ex his interpretari licet Aristotelem, quatenus voluerit, mutuam duorum actionem, & passionem esse indicium communis materiæ; sed non omnino necessarium; vel esse indicium in rebus his inferioribus, non autem absolutè in omnibus rebus. Philosophi mens circa compositionem cæli ex materia satis est obscura, multoque magis circa eius distinctionem specificam, vel oppositam indistinctionem à materia sublunari.

49 Oppones secundò, si materia Empyrea, & sublunaris pertineant ad eandem speciem, fore primò, vt non differrent inter se specie forma Empyrea, & sublunaris. Secundò, vt Empyreæ materiæ potentia esset infinita, cum formæ Empyreæ, & sublunares possibiles, specieque distinctæ sint infinitæ secundùm numerum. Tertiò, vt materia Empyrea esset semper violenta, cum careret continuò pluribus formis sublunaribus perfectioribus, quàm Empyrea; ac proinde magis appetitis. Ad primum inconueniens respondeo, licet ex respectu ad materiam non differant forma Empyrea, & sublunaris, aliunde posse diuersitatem specificam nancisci, scilicet ex operationibus, vel proprietatibus, vel modo informandi, non secus ac multæ formæ sublunares distinguntur specie, etsi respiciant communem specificè materiam, quia habent diuersas operationes, vel proprietates. Insurges, Ergo homo, & Empyreum non differunt specie.

specie. Concedo, non differre specie completa & adæquata. Dicuntur tamen simpliciter, & absolutè differre, quia distinctio vnius compositi ab alio sumitur simpliciter, & absolutè à forma. Ob id homo senex non dicitur distingui numero à se, vt puero, etsi constet diuersa numero materia saltem ex parte. Ad secundum inconueniens respondeo, non fore simpliciter infinitam materiæ potentiam, quia modo limitato esset capax omnium formarum possibilium. Ob hanc rationem intellectus humanus non est infinitus simpliciter, etiamsi possit efficere infinitos actus specie distinctos. Ipsa materia siue Empyrea, siue sublunaris habet per aduersarios potentiam ad infinitas formas siue Empyreas, siue sublunares numericè distinctas; nam in specie formæ Empyreæ sunt possibiles non tot, quin plures in infinitum, idemque est de qualibet specie cuiusuis formæ sublunaris. Inquies, perfectionem materiæ non crescere, si respiciat multas, & infinitas formas eiusdem speciei; crescere verò, quò respiciat plures diuersarum specierum. Ergo si respiciat infinitas species formarum, erit simpliciter infinita. Sed hoc argumentum militat etiam contra te; nam materia sublunaris, distincta specificè ab Empyrea respiceret infinitas species formarum sublunarium. Quapropter etiam si crescat perfectio materiæ ex respectu ad plures, & nobiliores species formarum, non ideo euadet simpliciter infinita ea materia, quæ respiciat infinitas species; quia incrementum perfectionis non est penes proportionem Arithmeticam sed Geometricam. Obuia sunt nonnulla exempla, quibus hæc doctrina clarescit. Sufficit digito designasse commune illud cognitionis vel abstractiuæ, vel intuitiuæ, qua noster intellectus attingit Deum, obiectum infinitum, quin sit infinita simpliciter nostra cognitio siue abstractiua, siue intuitiua, quia à nobiliori obiecto diffunditur, cæteris paribus, maior perfectio in sui cognitionem, non quidem proportione priori, sed posteriori. Vnde ab infinito obiecto simpliciter, qualis est Deus, non debet refundi in cognitionem nostram de ipso perfectio simpliciter infinita. Gratis admisi, formas speciè distinctas possibiles materiæ præsenti esse infinitas. Ad tertium inconueniens respondeo, materiam in primus pro signo habitæ cuiusuis formæ non appetere alias etiã inefficaciter, licet ex natura sua sit impotens plures simul recipere; quia appetitus innatus nequit tendere in bonum impossibile naturaliter. Deinde quamuis pro priori signo ad omnem formam maiori appetitu feratur in nobiliorem, nõ esse violentam consecuta ignobiliori, cum illam non appetat efficaciter, aut vt bonum necessarium simpliciter sibi; sed inefficaciter, & ad melius esse. Vtraque hæc responsio explicabitur ampliùs in Sectione sequenti.

50 Oppones tertiò, frustraneam fore indifferẽtiam, quam habebit materia Empyrea ad formas subcælestes, cum nunquam reducenda sit ad actum. Confirmabis primò, eò quòd nulla entitas dicatur effectiua naturaliter aliorum effectuum in specie, quàm illorum, quos de facto efficere constat. Ergo similiter materia non dicetur receptiua naturaliter aliarum formarum in specie, quàm earum, quas de facto noscimus recipere. Cum ergo materia Empyrea non recipiat defacto nisi formam Empyream, huius, & non sublunarium erit naturaliter receptiua. Confirmabis secundò, exinde quòd materia sublunaris præsens distincta est in specie à materia alia sublunari, quæ posset recipere formas alias specificè diuersas non possibiles in hac serie vniuersi. Cuius ea est ratio, quòd cum materia præsens non sit habitura, neque possit habere in hac serie vniuersi illas alias formas, videtur Deus ad formas possibiles in hac serie elegisse materiam, quæ solùm sit ipsarum capax. Tunc sic: materia Empyrei nunquam est habitura aliam formam distinctam à semel habita, neque potest. Ergo &c. Respondeo, frustraneam esse indifferentiam nunquam reducendam ad actum ratione alicuius impedimenti importati per se à re, in qua ponitur. Huiusmodi indifferentiam non habet materia Empyrea; quippe non importat per se, sed ex accidenti impedimentum recipiendi formas sublunares. Vt enim in primo instanti accepit à Deo conditore formam Empyream, poterat, quantùm ex se erat, accipere aqueam, aut terrestrem; & vt acceperit hanc formam Empyream, poterat accipere aliam numericè tantùm distinctam, contentam intra sphæram diuinæ omnipotentiæ. Vnde sicut non est frustranea indifferentia ad hanc aliam, etsi nunquam reducenda sit ad actũ ita neque ad aqueam, aut terrestrem. Adde, si diuinitus materia, quæ modo ornatur forma Empyrea, orbaretur ipsa, tunc ex suppositione miraculi exerceret suam indifferentiam admittendo naturaliter quancumque aliam formam. Multi ex contrariis constituunt in materia sublunari potentiam esse naturalem ad recipiendam formam, quæ corrupta est, si iterum producatur; & tamen ea potentia, nũquam reducetur ad actum ratione voluntatis diuinæ denegantis agentibus creatis simultaneum concursum omnipotentiæ ad reproducendam formam, quæ destructa est. Paremiæ illius, ***frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum*** sensus alios perdoctè proponit Didacus Ruiz disp. 80. de scientia Dei sect. 10. à n. 5. Vrgebis, cuicumque potentiæ passiuæ naturali debet respondere agens naturale. Ergo si materia Empyrei habet, quantùm ex se est, potentiam passiuam naturalem sublunaris formæ, debet existere agens naturale, quod valeat in illa introducere formam sublunarem. Sed Dico primò, potentiæ passiuæ naturali debere quidem coexistere creatam actiuam naturalem in sensu, in quo illa est ad formam, non in alio. Hinc cum materia Empyrei habeat potentiam passiuam naturalem ad formam sublunarem in sensu diuiso ab Empyrea, aut in sensu abstractionis ab vtraque, non verò in sensu composito Empyreæ, sufficit si in illo sensu coexistat ei agens naturale creatum. Quoduis autem ex existentibus introduceret formam in materiam Empyream, casu quo hæc aut orbaretur forma Empyrea, aut præcederet pro priori cum indifferentia ad ipsam, & sublunarem. Dico secundò, satis esse, si potentiæ passiuæ naturali respondeat agens increatum gerens se vt author naturæ. Sic in Angelo datur principium passiuum naturale specierum impressarum repræsentantium res ordinis naturalis: Quas tamen species solus Deus vt Author naturæ potest efficere secundùm celebriorem opinionem. Sic etiam materia sublunaris habet potentiam naturalem susceptiuam animæ rationalis: hæc tamen à solo Deo potest naturaliter fieri. Quapropter si à Deo vt Authore naturæ valeret induci alia forma in materiam, quæ modò est Empyrei, satis superque prospiceretur veritati Axiomatis contenti in Antecedenti. Vt omittam prospici abundè penes aliquos, si valeret induci ab agente creato naturali possibili. Ad primam

primam confirmationem respondeo, posse tribui agenti, quod constaret esse impeditum extrinsecè, virtutem remotam ad alios effectus præter eos, quos de facto producit, si ad eam tribuendam adesset aliquod fundamentum. Quare cum constet, materiam Empyrei posse sufficienter impediri extrinsecè ne recipiat alias formas etsi quantum est ex se, haberet virtutem; & prætereà adsint fundamenta non leuia, vt putemus, non nisi extrinsecè impediri, rectè in ea agnoscimus virtutem remotã ad alias formas præter præsentem. Secundæ confirmationis Maiorem concedo cum Arriaga disp. 2. Physicorum n. 158. Ouiedo controu. 2. Physicorum puncto ac n. 8. concedo Minorem, & nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia saltem existunt secundùm speciem in rerum natura formæ corruptibiles, & sublunares; at verò non existunt, neque vnquam erunt in rerum natura formę diuersarum specierum purè possibilium; ideo ad primas habebit potentiam remotam materia Empyrea, nõ autem ad secundas materia sublunaris præsens. Sufficiat hæc discriminis ratio in re ex congruenti solum admissa. Namsi metaphysicè spectetur, potest materia præsens sublunaris esse receptiua formarum aliarum secundùm speciem purè possibilium.

05 Oppones quartò, non seruatur recta, sartaque Empyrei incorruptibilitas substantialis, quã Theologi pro comperto habent, teste Suario disp. 13. Metaphysicæ sect. 1. n. 13 & Petauio tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de opificio sex dierum c. 2. n. 8. Si illud sit compositum ex materia eiusdẽ speciei cum nostrate. Quòd si dicatur, Empyreum ratione dispositionum suæ formæ esse incorruptibile, quatenus dispositiones illæ tales sint, vt superari nequeant vlla vi agentium naturalium, etiã si materia ex se habeat capacitatem ad alias dispositiones, & formas. Insurges contra, tum quia materia communis ineptè proponeretur à natura in præmium certaminis, si impossibilis esset consequutio materiæ ob dispositiones inuincibiles ab agentibus naturalibus: tum quia pugna præfatorũ agentium eò tendit, vt occupent commune subiectum neque enim directè respicit formæ, aut dispositionum ruinam. Quare si inueniant commune subiectum in Empyreo, non poterunt non agentia naturalia pugnare pro illo. Si verò semel pugnent cũ forma, & dispositionibus Empyreæ formæ, vincent tandem aliquando, quæ nunc existunt agentia nobis nota, vel aliud ignotum nobis, sed maioribus præditum viribus. Respondeo, Empyrei incorruptibilitatem alia basi firmandam quã diuersitate specifica materiæ, vt latè tractabo in sect. 3. Exercit. 12. Quidquid verò sit, an ex dispositionibus formæ Empyreæ proueniat necne incorruptibilitas huius cæli; non video, cur materia ex se communis nequeat præoccupari per formam aliquam, & dispositiones, quibus agentia naturalia impediantur omnino in posterum à consecutione eius materiæ, & à pugna pro ea occupanda. Experimur in subcælestibus formas & dispositiones ægrè deturbabiles à materia communi semel possessa, vt in adamante & cedro, licet aliæ de facili reiici valeant: cur igitur nobis non persuadebimus, existere etiam in vniuerso formam, ac dispositiones, quæ ex natura rei non possint deturbãri? Et quidem illatio materiæ in Empyreo, aut aliis in cælis diuersæ à sublunaribus facta ex incorruptibilitate patet manifestis instantiis. Prima desumitur ex corporum cælestium quantitate, quæ frequenter conceditur non differre in specie à quantitate sublunarium. Et tamen quantitas illa diuidi non potest (sic vulgò putatur) ratione dispositionum cælestium, vel impedimenti, quod mauis, neque item potest recipere qualitates primas elementares propter coniunctionem cum materia, vel forma cæli: quod secus est de quantitate hac, nempe de sublunari. Instantia secunda desumitur ex ipsorum corporum cælestium materia, quæ est vna specificè in omnibus cælis mobilibus, vt plures ex Aduersariis fatẽtur, nec ideo cæli sunt inuicem corruptibiles ob communicationem in materia. Sed etsi vnius cæli materia distincta sit specificè à materia alterius cæli; ast partes materiæ cæli eiusdem non sic sunt distinctæ, si compararẽtur inter se; quin inde sequatur, formam partis *A*, v. g. esse corruptibilem à forma partis *B*. nec formam, quæ est in parte *A*, aut *B*. informare separabiliter. Prætereà pars *A* materiæ sicut initio accepit talem indiuiduam formam, potuit accipere quamlibet aliam indiuiduam ex infinitis possibilibus intra eandẽ speciem, & est nunc esse indifferens ad quancumque eiusdem speciei; sed non idcirco separabiliter, aut corruptibiliter informatur à tali indiuidua forma primitùs accepta: Tertiam instantiam offert ipsa materia, quæ ex se penetrabilis est cum alia materia, vt multi existimant; accedente autem quantitate, redditur naturaliter impenetrabilis. Ergo similiter etsi ex se sit capax materia Empyrea formæ sublunaris, poterit huius incapax reddi naturaliter, si informetur inamissibili formã Empyrea. Et ne à materia discedã quartam instantiam peto ex corporum glorificatorum materia, quæ eadem numero erit, quæ fuit in ipsis pro statu corruptibili: sed per dotes gloriæ id habebit, vt nec alterare queat, neque rationalem animam amittere. Et licet gloriæ dotes sint supernaturales, superentque exigentiam naturæ, tamen ex eis prudenter coniectamur, posse materiam de se capacem patiendi corruptionem formæ, ac dispositionum, accipere aduentitium aliquid naturale, quo fiat proximè incapax.

52 Oppones quintò, compositum humanum est corruptibile ex se intrinsecè, quamuis constituatur ex forma incorruptibili in se, quia materia, ex qua etiam constat, potens est recipere alias formas contrarias. Igitur compositum Empyreum non erit incorruptibile, etsi potiretur forma in se incorruptibili, si tamen coniugat ex materia capaci contrariarum formarum. Respondeo, compositum humanum non esse corruptibile eò præcisè, quòd coalescat ex materia indifferenti ad contrarias formas, alioqui quando resurgat gloriosum, non posset non manere corruptibile. Quapropter ideo nunc corruptibile est, quia rationalis animus informat amissibiliter materiam: non sic forma Empyrea: Et reuoluo obiectionem in Aduersarios: humanum compositum est modò corruptibile ratione vnionis solubilis vi naturalium agentium, tametsi conflertur ex materia, ac forma in se incorruptibilibus. Ergo è contra incorruptibile erit Empyreum compositum ratione indissolubilis vnionis, non obstante materia habili ex se ad corruptionem compositi, ac formæ.

35 Oppones sextò, materiam sublunarem esse generabilem, & corruptibilem, esse principium, ac radicem generationis, & corruptionis, quæ nequeunt competere materiæ Empyreæ. Respondeo, materiam sublunarem esse in se ingenerabilem, & incorruptibilem; licet concedi possit, esse generabilem, & corruptibilem ratione formarum, seu quatenus subiacet formis generabilibus, &

corruptibilibus ab agentibus secundis; quo pacto materia Empyrea non diceretur generabilis post susceptam formam cælestem. Rursus respondeo, materiam siue in Empyreo, siue in corporibus sublunaribus esse ex se principium passiuum, & radicem generationis, ac corruptionis prouenientis à causis creatis; quia ex se apta est generationi formæ nouæ, & corruptioni formæ antiquæ per causas: contingit tamen per accidens in Empyreo, vt eius materia ob possessionem formæ cælestis impediatur, ne sit proximè principium, & radix generationis, ac conceptionis. Sic creatura rationalis subiecta ex se corruptioni, & morti morali per peccatum, vt loquuntur Ecclesiæ Patres, impediri potest donis nonnullis supernaturalibus, ne sit proximè labilis in peccatum.

54 Oppones septimò, Consultū iri melius incorruptibilitati Empyrei, si denegetur eius materiæ virtus, & capacitas etiā remota ad alias formas. Sed cōtra, tum quia posses ex simili prouidentia stabilire in diuersitate specifica quātitatis incapacitatem à te positam in Empyreo, vt rarefiat, & condensetur. Vnde sicut prædictam incapacitatem non redigis in quantitatem, quia sufficienter reuocatur in dispositiones alias, & absque necessitate non est tribuendum quantitati Empyreæ speciale illud prædicatum: ita similiter: tum quia si Empyreo proueniat incorruptibilitas ex dispositionibus, vel ex forma substantiali, hæ vel illæ reddent Empyreum, materia ex se capaci formæ corruptibilis compositum, tam incorruptibile ex natura rei, quàm si componeretur incapaci. Non ergo titulo prospiciendi incorruptibilitati Empyrei deneganda est eius materiæ virtus remota ad alias formas.

55 Oppones octauò, Etsi non repugnet compositum incorruptibile ratione materiæ determinatæ ex se ad formam, quæ naturâ sua sit corruptibilis, & actu corrumperetur, si collocaretur in alia materia; tamen Empyreum compositum non sic est incorruptibile per nos, sed habet incorruptibilitatem ratione formæ. Ergo & habebit incorruptibilitatem ratione materiæ, etiamsi vtcumque possibile sit compositum incorruptibile ratione solius formæ. Concesso, aut permisso Antecedente, nego consequentiam; nam cum conueniamus in eo, quòd forma Empyrea sit incorruptibilis suapte natura; sufficit hoc incorruptibilitatis caput in Empyreo, nec opus est assignare aliud ex parte materiæ.

56 Oppones nonò, vt aliquod compositum esset incorruptibile, non desideratur quidpiam aliud tanquam necessarium, nisi vnio ab intrinseco incorruptibilis inter materiam & formam, siue materia sit, siue non sit ex se determinata ad formam; siue hæc & ipsius dispositiones sint incorruptibiles, siue corruptibiles ex se. Atqui hoc nonobstante Empireum compositum incorruptibile gaudet forma, & dispositionibus incorruptibilibus ex se. Ergo gaudebit etiam materia ex se determinata ad suam formam. Maior est falsa de composito incorruptibili suaptè naturâ, & constante vnione naturali, si quidem ista nequeat esse incorruptibilis ab intrinseco, si nectat materiam non determinatam ex se ad formam, si nectat etiam formam corruptibilem ex se, aut formam ex se separabilem à materia. Et in præsenti agimus de composito, quod suapte naturâ sit incorruptibile, cōsterque vnione naturali. Vnde Empyreum compositum præfatæ conditionis gaudere debet vel materiâ determinata ex se ad formam, vel formâ, & dispositionibus incorruptibilibus ex se: & quia id solum posterius sufficit, vt paulò anteà obseruaui, ideo prius illud recuso, vt superfluum.

57 Oppones decimò, forma incorruptibiliter afficiens materiam, postulat ex natura rei eam, quæ sit inepta ad recipiendas alias formas; nam cum materia ordinetur ad formam; erit improportionatum medium fini formæ informantis inamissibiliter materia non respuens ex se reliquas formas, & saltem erit medium magis proportionatum ea, quæ respuat. Respondeo, vnam, & alteram materiam esse medium connaturaliter, sufficienterque proportionatum illi fini, & licet posterior materia esset medium magis proportionatum, non debere appeti à forma, quandoquidem hæc sit contenta medio sufficienti. Sed tenera ad finem formæ incorruptibilis, haberet se per accidens materia posterior, non secus ac ad finem formæ corruptibilis sic reputaretur materia suapte naturâ transiens, de qua in n. 63. Exercit. 12.

58 Oppones vndecimò, alienum est à recta, & suaui dispositione, vt compositum incorruptibile & immutabile deesse ad non esse exigat materiam sui constitutiuam, quæ sit principium intrinsecum corruptionis, & mutabilitatis. Sed contra, quia dummodo corruptio, & mutatio deesse ad non esse impedita sit per formam, ex qua potissime constituitur compositum, recta, & suauis seruatur dispositio.

59 Oppones duodecimò, forma Empyrea est inseparabilis à materia. Ergo hæc è conuerso debet esse ab illa inseparabilis, vt sic inter vtramque detur proportio. Si autem materia Empyrea sit inseparabilis à forma cælesti, distinguetur vtique specifice à materia sublunari. Respondeo, in ratione potentiæ, & actus, nonnullisque aliis conditionibus debere dari proportionem inter materiam, & formam, non verò in omnibus: alioqui forma spiritualis non posset recipi in materia corporea; nec forma corruptibilis in materia incorruptibili; & alioqui sicut materia nequit conseruari naturaliter absque vnione ad aliquam formam substantialem, ita rationalis forma substantialis nequiret conseruari naturaliter absque vnione ad aliquam materiam; alioqui etiam vt potest materia sublunaris existere naturaliter sine hac specie formæ sublunaris, sic hæc species posset naturaliter existere sine tali materia. Ex quibus liquet, proportionem inter materiam, & formam non esse sufficiens argumentum, vt ex inseparabilitate formæ Empyreæ à materia colligatur reciproca istius inseparabilitas ab illa.

60 Oppones decimo tertiò, possibilis est diuersitas specifica inter materiam Empyream, & sublunarem. Ergo agnoscenda est de facto, tum ex eo, quòd nullum detur genus, intra quod non existant actu multæ species, quarum varietas confert magnopere ad perfectionem ornatumque vniuersi: tum vlteriùs, quia modus, quem habet materia Empyrea, causandi incorruptibiliter formam, & modus, quem sublunaris habet, causandi corruptibiliter, indicant satis congruenter diuersitatem specificā vnius materiæ ab alia. Concedo Antecedens, & nego consequentiam. Ad cuius priorem probationē dico, possibiles esse multas species Angelorum, & animorum rationalium; nec tamen actu dantur ex aliquorum sententia quoad Angelos, & ex communi quoad animos rationales. Non ergo vniuersim certum, aut verum est, in vno quoque genere existere

existere actu multas species. Confert quidem ad perfectionem, & ornatum vniuersi, varietas harum; sed etsi non detur in materia Empyrea & sublunaris, reperitur in aliis rebus. Replicabis; maior erit decor, & pulchritudo vniuersi si materia Empyrea, & sublunaris differant specie. Contra, quia etiam foret maior, si quælibet pars materiæ Empyreæ distingueretur specie à qualibet alia parte eiusdem Empyrei, si cuiusque cæli mobilis, aut syderis materia diuersæ esset speciei à materia tum Empyrei, tum alterius cæli mobilis, aut syderis; si inter materias sublunares existerent nonnullæ dissimiles in specie: si denique vltra species materiæ actu existentes produxisset Deus duas alias, aut quatuor species. Hæc omnia fateris nobiscum possibilia, nec tamen propter maiorem decorem, & pulchritudinem vniuersi putas ea in præsentiarum producta. Recole n. 14. Exercit. vicinæ. Ad posteriorem probationem dico, diuersos illos causandi modos præcisè ex se non magis arguere diuersitatem, quàm vnitatem specificam in materia Empyrea, & sublunari. Quod si eadem numero materiâ sublunaris habet iam recipere, & sustentare formas materiales corruptibiles naturaliter, iam purè recipere animam rationalem incorruptibilem æquè congruenter habebit eiusdem speciei materia causare modo corruptibili formas sublunares, & modo incorruptibili formam Empyream; quæ non causatur sic, quia ipsa in se sit incorruptibilis vti est animus rationalis, neque quia sit perfectior, quam idem animus, sed ob specificam suam conditionem de qua in Exercit. 12.

61 Oppones decimoquartò, vna ex proprietatibus materiæ est affici aliquâ ex primis qualitatibus, Materia autem Empyrei nullâ ex illis afficitur. Hoc argumentum deuiat ab scopo, cum in id tendat, vt Empyreo neget materiam. Deinde etsi elementaris, & Empyrea pertinerent ad diuersas species, adhuc nulla ex primis qualitatibus compararetur, vt proprietas ad elementarem, sed ad formam substantialem; quippe aptius reduceretur in hac exigentia primæ alicuius qualitatis, vt benè notat Arriaga disp. 2. Physicorum num. 140. Inficior absolutè, materiam debere semper affici aliquâ ex primis qualitatibus.

62 Oppones vltimo, Empyreum non gaudet principio motus. Ergo nec materia specificè vniformi cum corporibus sublunaribus. Materia enim, quam Aristoteles definiuit, quamque in cæteris corporibus agnoscimus, est principium motus, & quietis eius, in quo est. Obiectio hæc Dominici Bañez præcitati in n. 1. aut imbellis est, aut euincit contra illum, esse alienum à compositione materiæ cælum Empyreum; gratis namque dicetur non definitam ab Aristotele omnem materiam sed eam solùm, quæ est rei ordinatæ ad generationem per causas secundas. Patior ex abundantia *τὸ principium motus* haberi vt definitionem materiæ. Sed hoc prætermisso, & reseruatis aliis responsionibus in num. 13. Exercit. 9. satis nunc sit dixisse, partem saltem mediam Empyrei agitari, & moueri, vt tradam Sect. 1. Exercit. 14. n. 17.

REGRESSIO II.

Materia Empyrei est eiusdem speciei cum materia reliquorum Corporum cælestium.

63 Assertum hoc suadetur probabiliter eisdem argumentis, quibus superius. Potiserque vlterius suaderi, quia vt in superiori, visum est, materia Empyrea, & sublunaris sunt eiusdem speciei; Materia autem sublunaris est etiam eiusdem speciei cum syderea, nam materia, quæ primâ die conditi mundi habuit formam aqueam, accepit secundâ die cælestem, vt in tract. de opere sex dierum sapienter, & eruditè illustrauit, & promouit Ludouicus Molina quem præiuit Amadeus Minorita raptu 8. suæ Apocalypsis, & Hieronymus ab Oleastro Dominicanus tum annotationibus ad c. 1. Genesis, tum in explicationibus earundem annotationum, sequutique sunt Auihores laudati n. 4. Exercit. 2. Dionysius Carthusianus super 1. ad Corinth. c. 15. v. 39. expendens Apostoli verba. *Non omnis caro, eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium. Et corporea cælestia, & corporea terrestria; sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum* Inquit, *Porrò exemplum Apostoli magis consonat opinioni dicentium, materiam primam in omnibus corporibus esse eiusdem rationis, quàm eorum, qui ponunt, eam distinguendam specificè.* Hactenus Carthusianus. Sed vellem, explicuisset ampliùs consonantiam illam maiorem. Quicquid de hoc sit, non caret congruentia, vniuersi corporei machinam produisse ab opifice Deo vniformem specificè in materia.

REGRESSIO III.

Materia Empyrei habet vnitatem specificam positiuam cum materia omnium aliorum corporum

64 Id addo propter nuperos Thomistas, quibus familiare est, negare materiæ vnitatem positiuam specificam, quin & numericam. Cæterùm ipsimet non renuunt concedere vnitatem transcendentalem, quæ importet entitatem non diuisam. Ego aliud non contendo. Certum namque est, materiam non habere ex se vnitatem specificam positiuam importantem autum formalem. Transcendentalis illa vnitas, quatenus est indiuisio in entitates numero differentes, vocatur vnitas numerica, & quatenus est indiuisio in entitates plusquàm numero differentes, appellatur vnitas specifica, entitatiua, & incompleta, quia postulat compleri per vnitatem formalem, siue numericam, siue specificam, preuenientem à forma. Hinc venit intelligendus S. Thomas, cum 1. p. q. 16. art. 7. ac. 2. ait, *Materia prima dicitur esse vna, non quia habet vnam formam, sicut homo est vnus ab vnitate vnius formæ sed per remotionem omnium formarum distinguentium.* Primò enim negat materiæ vnitatem formalem positiuam; deinde tribuit vnitatem formalem negatiuam, quin inficietur, vnitatem entitatiuâ specificam, & numericam. Sanè neutram inficiari posset. Non numericam, quia pars, vel punctum *A*, materiæ est entitas positiua, & realis vt distincta à quolibet alio. Ergo vt sic habet vnitatem numericam positiuam, & realem, distinctionemque positiuam, & realem à parte, vel pūcto *B*. materiæ. Non specificam, quia materia constat prædicatis essentialibus genericis, ac differentialibus. Conuenit enim cum forma in eo, quòd sit substantia incompleta, differt in eo, quòd sit primum subiectum substantiale. At species constituitur ex genere, & differentia. Ergo &c.

65 Dices primò, ex Aristotele lib. 2. de Anima textu 7. & alibi prouenire à forma distinctionem, & vnitatem. Respondeo, illum loqui de distinctione, & vnitate completa, seu de distinctione, & vnitate entis physici completi, ac totalis. Hunc in modum interpretor S. Thomam quando 1. p. q. 44. art. 2. in corpore scribit, *materiam contrahi per formam ad determinatam speciem.* Videlicet completam. Neque obiicias ipsum S. Thomam edocentem opusculo 31. v. 1. *Materiam primam dici vnam numero in omnibus.* Nam si addas sequentia verba compertum erit, nos non aduersari Angelico Doctori, *Sed vnum numero* (ita ille) *dicitur duobus modis, scilicet, quòd habet vnam formam determinatam in numero, sicut Sortes: & hoc modo materia prima non dicitur vna numero, cum in se non habeat aliquam formam. Dicitur etiam aliquid vnum numero, quia est sine dispositionibus, quæ faciunt differre secundum numerum; & hoc modo dicitur materia prima vnum numero, quia intelligitur sine omnibus dispositionibus quæ faciunt differre numero, vel à quibus est differentia in numero.* En excludit à materia secundùm se vnitatem numericam formalem, & admittit in illa secundùm se absque sigillatione qantitatis, & aliorum accidentium rationem vnius numero, quatenus vt sic non discriminet perceptibiliter indiuidua. Nihil ex his contra nos est.

66 Dices secundò, actum esse, qui distinguit, & formam esse, quæ dat speciem. Respondeo, formalem actum esse, qui distinguit completè composita physica; & formam esse, quæ ipsis dat speciem completam. Imò & distinctio, speciesque incõpleta materiæ potest esse ab actu formali, vt à termino intrinseci, ac transcendentalis ordinis, quem materia habet ad ipsum; omnis namque potentia præsertim creata, & naturalis refertur intrinsecè transcendentaliter ad possibilitatem sui actus. Addo, differentiam vocari actum, & formam metaphysicam; desumique ex actu metaphysico distinctionem & ex forma metaphysica speciem, vt patet in Angelis, qui ratione actus, & formæ metaphysicæ sortiuntur distinctionem, & speciem. Vnde similiter materia ratione talis actus, ac formæ habebit etiam distinctionem, & speciem. Nec ideo debet per se poni in prædicamento, vt opponit Rubius lib. & tract. 1. Physicorum q. 2. n. 14. Nam cum non sit species completa, satis est, si reductiuè titulo compositi physici, quod est species completa, ingrediatur prædicamentum. Aduertendum hic est tum pro præsenti puncto, tum pro aliis anterioribus, distinctionem specificam appellari formalem, quia in compositis physicis sublunaribus de facto existentibus prouenit ex sola forma, & ad instar distinctionis repertæ in præfatis compositis dicitur vniuersim formalis distinctio quæuis specifica, licet reuera possit desumi etiam ex materia: imò inter ea, quæ non constant ex materia, ac forma, potest dari distinctio specifica, vt inter Angelos. Similiter gradus, & distinctio indiuidualis vocatur materialis, non quia consistat vnicè in materia tanquam principio intrinseco, vel extrinseco, potest namque reperiri inter eosdem Angelos, qui nec componuntur ex materia, neque ad eam ordinantur, & ipsa composita ex materia, forma, atque accidentalibus, habent distinctionem indiuidualem desumptam æquè ex his omnibus in ordine ad alia composita vel per se, vel per accidens, & quælibet ex præfatis entitatibus in ordine ad aliam habet etiam suam indiuidualem differentiam; quæ proinde materialis nuncupatur, quia proportionatur materiæ infimæ parti physicæ, similitudine quadam inadæquata, quatenus est primum subiectum logicum, & infimus gradus metaphysicus, de quo enuntiantur omnia prædicata, quæ vel composito, vel entitati simplici competunt, vel quia sicut composita physica sublunaria nunc nota non dissident speciè per materiam, sed per formam; ita composita metaphysica ex genere, specie, ac indiuiduatione, non per hanc dissimilia sunt, sed per genus, aut per speciem; conueniunt namque in indiuiduatione, & disconueniunt in genere, aut specie. Tandem in compositione ex genere, & differentia respondet materiæ genus, & formæ differentia, vt inquit S. Damascenus c. 8. Dialecticæ, quatenus genus est quid potentiale, sicut materia; & differentia est quid actuale: sicut forma: cum tamen ea, quæ expertia sunt materiæ, ac formæ, vt Angeli, admittant compositionem generis, & differentiæ. Quòd si Deo per nostros cõceptus non congruit ista compositio ideo, est, quia nequit vnum prædicatum diuinum; quà tale, concipi extra aliud, & adueniens alteri, vti opus esset ad rationem generis, ac differentiæ. Sed quicquid de hoc sit, ipsæmet substantiæ compactæ ex materia, atque forma potiuntur genere, & differentia desumptis indiuisim ex vtraque, siquidem genus, & differentia prædicentur de substantiis compositis, & non materia de forma, nec è conuerso.

Entitatiuus actus materiæ roboratur authoritate, & rationibus.

67 Dices tertiò, materiam non includere entitatiuum actum; proindeque ex ipsa nullam posse desumi distinctionem, & speciem etiam incompletam. Contra primo. ex SS. Dionysio Areopagita, Augustino, Damasceno, & Thoma. Nam S. Dionysius c. 4. de diuinis nominibus, dum latè docet, materiam non esse malam secundùm esse, multus est pro entitate, actuque eius entitatiuo. Legantur S. Dionysij Commentatores, S. Maximus, S. Thomas, & Pachimerius, quorum primus, & tertius expressè notant materiam *dici non ens, non quòd omnino nihil sit, sed quòd esse non habeat formalem actum* S. Augustinus lib. 12. Confessionum cap. 3. & 6. lib. 1. contra Aduersarium legis & Prophetarum c. 8. tradit, *materiam non esse omnino nihil;* quibus verbis clarè denotat actum entitatiuum materiæ; & posteà subiungens; esse *quandam informitatem sine vlla specie*, denotat non minus perspicuè, esse puram potentiam passiuam, non includentem actum formalem S. Damascenus c. 3. Physicæ inquit, *Materiam per se ens esse vt subiectum* S. Thomas affirmat 1. p. q. 44. art. 2. ad 3. & q. 66. art. 1. in corpore: *Creationis terminum esse ens actu.* Et meritò, nam quod non extrahitur ab statu nihili concipi nequit produci ex nihilo, sed potiùs debet intelligi manere in nihilo. Cum ergo materia vt distincta à forma sit terminus creationis, habet vt distincta à forma entitatem actualem. Id ipsum apertissimé traditur à S. Thoma q. 3. de veritate art. 5. ad 1. his verbis depromptis ex doctrina S. Dionysij Areopagitæ c. 2. de cælesti Hierarchia §. 4. *licet materia prima sit in formis, tamen inest ei imitatio primæ formæ, quantumcumque enim debile esse habet, tamen est imitatio primi entis.* Quod si materia non haberet actum entitatiuum, licet debile, non æmularetur primum ens. Quare cum 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. dicit, *Materia prima non existit*

in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentiâ tantum, intelligendus est (vt & in eadem 1.p.q.76. art.1. in corpore opusculo etiam 31.vers.1.) non de actu entitatiuo, sed de existentiali completo. Quem sensum ausculta ab ipso Angelico Praeceptore q.5. de veritate art.9. ad 6. *Dimensiones intelliguntur in materia, non in actu completo ante formas naturales, sed in actu incompleto.* Vbi concedit materiae ante formas incompletum actum essentiae, & existentiae. Eundem sensum elicio exinde quòd 1.p.q. illa 66. art.1. ad 3. & alibi vocet materiam *Ens in potentia*, vtpotè censens esse entitatem in potentia passiua ad actum formalem, & antea in q.50. art.5. dixerat, *esse secundùm se competit forma, vnumquodque enim est ens actu, secundum quòd habet formam. Materia verò est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia, & forma desinit esse actu per hoc, quòd forma separatur à materia. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut est in Angelis vt dictum est, non potest amittere esse.* In quibus verbis actus, quem tribuit formae per se non subsistenti est formalis, & ex huius separatione desinere compositum esse actu, docet, non autem materiam. At haec desineret etiam esse actu, si non alium, quam formae actum obtineret. Hinc praetereà quando 1.p.q.115. art.1. ad 1. inquit, *materiam primam esse potentiam puram, sicut Deus est purus actus,* solùm modò vult, materiam esse puram potentiam absolutè (sicut Deus est absolutè, & in omni genere actus purus) esse, inquam, puram potentiam absolutè, quia ex se nullum includit actum formalem determinatum, perfectiuum potentiae passiuae ipsius. Et licet non repugnaret materia determinata ad numericam aliquam formam, tamen vt materia non est actus formalis, cum vt sic debeat distingui à forma, quae vt actus formalis respondet potentiae passiuae repertae in materia. Sic paries in ordine ad albedinem est potentia passiua pura, quanuis habeat aliunde actum entitatiuum distinctum ab albedine, in eo quod actu fundetur potentia illa passiua. Sic etiam metallum, aut lignum respectu statuae est pura potentia passiua, quin ex se sit expers entitatiui actus. Vtuntur hoc exemplo Aristoteles lib.1. Physicorum c.7. textu 63. S. Damascenus in Physica c.9 aiuntque metallo, aut ligno in artificialibus respondere materiam in Physicis, & statuae respondere formam; vt autem metallum est in potentia ad statuam, figuramque artificialem, quam ratione sui non habet; ita materiam esse in potentia ad formam quamcumque, quin vllam in sua essentia habeat. Hinc materiae attributum est nomen purae potentiae, & non quia careat entitatiuo actu. Replicabis, pura potentia absolutè est ea, quae omnem excludit actum, sicut purus actus absolutè is est, qui excludit omnem potentiam. Ergo si materia non excludat actum entitatiuum, non dicetur pura potentia absolutè Arriaga disp. 2. Physicorum n.66. concedit illationem, sed non benè, quia purus actus, qui est Deus, non excludit potentiam actiuam. Quapropter sicuti non est cōtra rationem actus puri absolutè potentia actiua, ita neque erit contra rationem potentiae purae absolutè actus entitatiuus. Et sicuti Deus dicitur absolutè actus purus, quia nullam includit potentiā passiuam ita materia dicetur absolutè pura potentia, quia nullum includit actum formalem. Insistes adhuc, Ergo Deus non est in omni genere actus purus, vt neque materia in omni genere pura potentia. Me expedio inquiens, Deum non fore actū purum in omni genere, si per actum purum intelligatur actus excludens omnem potentiam, tā passiuam; quam actiuam. Quia tamen actus purus sumitur communiter absolutè, & in omni genere pro actu excludente tantùm potentiam passiuam; dico similiter, materiam esse potentiam puram absolutè, & in omni genere, quia excludit actum formalem.

68 Contra secundò ex ipsorum Thomistarū principiis, Actualis essentia materiae distinguitur entitatiuè ab existentia, per quam existit. Sed nequit dari distinctio entitatiua, nisi inter actus entitatiuos. Ergo materia praedita est saltem actu entitatiuo essentiae. Ergo non est pura potentia entitatiua. Consequentia haec vltima claret, nam pura potentia entitatiua debet excludere omnem actum entitatiuum, sicut pura potentia passiua omnem actum formalem. Prior consequentia naeuo caret. Minor constat ex ipsis terminis. Maior est Thomistarum effatum, aiunt enim, actualem essentiam materiae existere per existentiam formae distinctam ab essentia purè possibili, & actuali materiae: quae distinctio cum non sit Chimaerica, nec rationis, debet esse entitatiua.

69 Contra tertiò, materia est potentia passiua pura sed pura potentia passiua, etsi excludat actum formalem, siue per fectiuum, non potest excludere actum entitatiuum essentiae actualis, quin potiùs debet talem actum includere formaliter. Ergo &c. Minor ostenditur, tum quia si excluderet actum entitatiuum essentiae non esset ens, sed nihil, proindeque formae, quae ex ipsa fierent, producerentur ex nihilo; quae verò in ipsa destruerentur, subirent annihilationem, si quidem subiectum, quod remaneret, esset nihil. Tum quia actus formalis, & perfectiuus nequit actu vniri, praestareque perfectionem potentiae carendi entitate, alioqui forma actualiter existens posset informare, ac perfecere materiam possibilem: imò & posset se communicare materiae Chymericae. Tum quia materia quādo existit, est in potentia passiua actuali ad formas; nam si tantùm esset in potentia possibili, seu obiectiua, & logica, sequeretur, ipsam materiam, & formam praecisè esse possibiles. Sed potentia passiua actualis includit formaliter actum entitatiuum; alioqui non distingueretur à potentia passiua obiectiua, & logica; imo huic responderet actus entitatiuus repugnans, cum tamen deberet esse potentia ad entitatiuum actum non repugnantem. Praetereà potentia passiua actualis requirit non minus actum entitatiuum, quàm potentia actiua actualis; vt enim ad agendum opus est entitate actiua, ita ad recipiendum, & sustentadū opus est entitate receptiua, & sustentatiua. Vbi omittendū non est, proprietates materiae emanare ab ipsa actiuè, quod sine ipsius entitatiuo actu imperceptibile est. Tum denique quia ex potentia passiua materiae, & actu formali substātialis formae resultat substantiale cōpositum distinctis partibus substātialibus constitutū. Sed nisi materia habeat entitatem substantialem, intelligi nequit, quo pacto constituat vnum per se entitatiuum substantiale. *Quî enim fieri poterit vt è non substantia constet?* Vt inquit Aristoteles lib.1. Physic c.6. textu 51. Vnde idem Philosophus lib.8. Metaphysicae c.1. Scribit: *quòd autem materia quoque substantia, Patet*, est S. Damasc. c.3. Physic. ait, *Materiam, vt quae subiecti rationem obtineat, & quantùm ad id, quod potentia est, attinet substantia praeditam esse, & cum priuatione esse, ac forma actu praesente manere, atque illud ipsum potentiâ ab omni* mutatione

mutatione liberum conseruare. Hincque fieri, vt neque ab hoc, quod potentia est in actum migret, verùm in suo statu manens formam suscipiat, ac forma recedente rursus priorem statuum retineat, sicque neque oriatur, neque intereat.

Entitatiuus actus materiæ protegitur à Thomistarum Obiectionibus.

70 VT hæc, quæ pro actu entitatiuo materiæ ex occasione attulimus, maneant omnino obfirmata, oportet celeri calamo satisfacere alis, quæ contra illum congeruntur à Thomistis. Obiiciunt itaque primò, in definitione materiæ non exprimitur ratio aliqua actus. Ergo in eius essentia (quæ explicatur per definitionem) nihil actus includitur. Secundò, ens diuiditur in actum, & potentiam. Ergo cum materia habeat realem potentiam, sequitur non esse actum. Tertiò, iuxta Philosophos esse, existere, & actus est à forma. Quartò, materia non est actus informans, vt patet, neque subsistens, alioqui esset perfectior, quàm forma, essetque ens completum, & prætereà si aliquo actu constaret, cum ali unde sit potetia, mixtum quid foret ex potentia, & actu; quod est absurdum. Quintò, ex duobus entibus substantialibus in actu non potest fieri vnum per se, vt colligitur ex Aristotele 7. Metaphysicæ c. 3. Ergo cum verum sit ex materia, ac forma substantiali vnitis fieri vnum per se, & hanc esse in actu entitatiuo, falsum vtique erit, illam etiam esse in eodem actu entitatiuo. Sextò, si materia potiretur actu entitatiuo, posset saltem diuinitus existere denudata ab omni forma substantiali. Sed non potest sic existere. Ergo quia caret entitatiuo actu. Septimò, materia non habet propriam existentiam, sed participatam à forma substantiali; quod secus esset, si materiæ competeret actus entitatiuus. Octauo substantialis forma non dicitur pura potentia informatiua, eo quod sit actus entitatiuus. Ergo materia, quæ dicitur pura potentia passiua, & subiectiua, ideo sic dicetur, quia non est actus entitatiuus. Nonò, Deus non dicitur pura potentia, quia est actus entitatiuus, licet sit potentia actiua, nullumque includat actum potentiæ actiuæ. Ergo etsi materia sit potentia passiua, nullumque includens actum potentiæ passiuæ, non dicetur pura potentia, si sit actus entitatiuus. Decimò, in tota latitudine entis datur ens supremum, qui est Deus, excludens omnem potentialitatem. Ergo & dabitur ens infimum, quæ erit materia, excludens omnem actualitatem, & entitatem. Vndecimò, materia est ens indeterminatum. Ergo est expers entitatiui actus; nam si hanc haberet, non posset non esse determinatum ens. Duodecimò, materia non est cognoscibilis ratione sui, neque est bona in actu, sed in potentia. Ergo ratione sui non est in actu entitatiuo, sed in potentia.

71 Ad primum respondetur, definiri materiam, quatenus potentia passiua distincta à forma; quo sub conceptu non exprimitur ratio actus entitatiui, quia in hoc non distinguitur à forma, neque item ponitur ratio actus formalis, quia hic non competit materiæ, *quæ potestate quidem est id, quod efficitur*, idest actus formalis, *non autem actu* vti explicat S. Damascenus c. 3. Physicæ: vbi docet, ens significare id, quod potestate est, & id, quod actu, scilicet formali; proindeque materiam non esse ens in posteriori, licet sit in priori sensu. Ad secundum, ens diuidi in potentiā, non vt distinctam ab actu entitatiuo, sed formali, diuidique in actum non vt distinctum à potentia entitatiua, sed passiua. Ad tertium, Philosophos loqui de esse, existere, & actu completo compositi physici generalis, ac corruptibilis gaudentis specifica diuersitate à generabili, alio, & corruptibili. Similiter capiendi sunt quando pronuntiant, materiam non esse ens, non esse aliquid, non esse substantiam, non esse corpus &c. Quo loquendi modo deprimunt materiam, vti è contra commendant Deum, quando per negationes imperfectionum explicant nobis cum tam ipsi, quam Ecclesiastici Patres collati bellè à Recupito lib. & q. 2. de Deo vno præsertim in 7. numero. Forsan nonnulli Philosophi cum Platone non distinguebant materiam à priuatione, quæ non est ens. Videatur S. Thomas in c. 4. S. Dionysij de diuinis nominibus lect. 2. Ad quartum, materiā esse actum subsistentem incompletum, & hinc imperfectiorem Angelo, qui est actus subsistens completus; sed non æquè perfectum, ac anima rationalis, aut quælibet alia forma substantialis, quæ est actus subsistens formalis incompletus, ob dicta in n. 37. Vlteriùs, eandem materiam esse indiuisibiliter potentiam, & actum: potentiam quidem vt relatam ad actum formalem, actum verò vt relatam ad potentiam obiectiuam, seu ad non repugnantiam suæ existentiæ; sic Deus respectu creaturarum est potentia actiua, & respectu potentiæ passiuæ repugnantis ipsi est actus purus. Ad quintum cum S. Damasceno cap. 41. Dialecticæ non posse fieri vnum per se ex duobus entibus substantialibus in actu completo, secus ex duobus, quorum quodlibet sit in actu incompleto, vti sunt materia, & forma. Legatur n. 52. Exercitationis superioris. Vbi exhibeo rationem, ob quam ex substantia, & accidenti vnitis non fiat vnum per se, etiam si vnita substantia sit materia, carens per Aduersarios actu entitatiuo. Ad sextum, præcisè ex actu entitatiuo materiæ non deduci, quòd possit diuinitus conseruari sine vnione ad formam substantialem; nam modales formæ præditæ sunt eo actu, & tamen absque subiectis non valent diuinitus conseruari, & Angelus, qui valdè perfecto entitatiuo actu fruitur, connectitur essentialiter cum Deo. Deinde, existere posse diuinitus materiam denudatam omni forma substantiali, in quo consentiunt Nominales, Scotistæ, & ex Thomistis Sotus, Bañez, & Medina, vel non tenuunt, vel prorsus conspirant; ex nostris autem omnes ab Origine Societatis P. Alfonsus Salmeron vnus ex primis decem viris Societatis tomo. 1. Prologomeno 10. Canone 1. pag. 170. ait: *Reuocare verò in dubium, an sine forma existere valeat materia illa prima non est admodùm rationi consonum. Nam illud ipsa diuina potentia, cui nihil est impossibile, nisi naturæ rei, aut rationi contradicat, satis demonstrat.* Sic Salmeron. Nec desūt, qui materiā, quātùm ex se est, posse etiā naturaliter conseruari absque substantiali forma, sibi persuadeant P. Arriaga disp. 2. Physic. Sect. 6. n. 119. ingenuè fatetur, nullam sibi pro contraria opinione occurrere efficacem rationem. Franciscus Alfonsus Franc. Ouiedus citandi in n. 8. Exerc. sequentis, & Ioan. Martinez de Ripalda in Manuscriptis post antiquiores nōnullos censent, materiā ex sua natura non importare dependentiā à forma substantiali pro posteriori. Ad septimum, conuenire materiæ propriam existentiam, & quanuis, non cōueniret non inde inferri, materiam carere actu entitatiuo; cum in sententia Thomistica humanitas Christi Domini existat per existentiā Verbi Diuini quin

quin negent humanitati actum entitatiuum. Ad octauum, substantialem formam non dici puram potentiam informatiuam, quia potest esse subiectum aliquorum accidentium; ast materiam dici puram potentiam passiuam, quia nullius subiecti potest esse actus informatiuus. Ad nonum potentiæ puræ actiuæ ad extra sine transmutatione sui posse Deo nomē attribui; quia vt operatiuus ad extra non includit actū respondentē tali potentiæ, videlicet effectū creatum. Si verò consideretur Deus vt operatiuus ad intra habet suos actus notionales, quos includat; ideoque non dicitur pura potentia actiua.

72 Ad decimum non bene argui ex ente supremo excludente omnem potentialitatem ad ens infimū vt hoc excludat omnem actualitatem, vti ex ente supremo habente infinitam perfectionem, veritatē, & bonitatē, non benè arguitur ad ens infimum, vt nulla sit in ipso perfectio, bonitas, & veritas. Discriminis ratio est, quia quodlibet ens, eo ipso, quòd existat actu, nequit non habere actum entitatiuum, vt & perfectionē, veritatem, bonitatemque. Addo, materiam non esse ens omnium infimum, vt traditum est in præcedentibus; & tam ipsam, quàm aliā quamcumque creaturam in statu meræ possibilitatis excludere omnem actualitatem, quæ tamen Deo existenti à se, & necessariè, non potest non competere; idque circò Deus alienus est ab statu meræ possibilitatis, & à conceptu potentiæ obiectiuæ ac Logicæ. Ad vndecimum, eatenus materiam esse indeterminatum ens, quatenus est indifferens ad constituendum hoc, vel illud indiuiduum, aut specificum compositum iuxta diuersitatem indiuidualem, aut specificam formarum. Et compositum quidem non constituitur in esse completo indiuiduali, aut specifico per solam formam, sed per ipsam, & per materiam, quin vna alteram constituat in completo suo esse indiuiduali, aut specifico. Vbi non silebo S. Thomam 1.p.q.75.art.7.ad 3. non formæ, sed composito tribuere, quod sit propriè in specie. Nec ideo dicent Thomistæ, Doctorem sanctum adimere formæ entitatiuum actum. Ad duodecimum, eo pacto negari materiæ cognoscibilitatem, seu veritatem, & bonitatem, quo esse ens; nam veritas, & bonitas sunt proprietates entis. Constat autem ex solutione ad tertium, quo sensu dicatur, materiam non esse ens, etiamsi gaudeat actu entitatiuo. Forsan in negando cognoscibilitatem materiæ non alia celantur mysteria, quàm quòd illius substantia non sit perceptibilis nunc à nobis, nisi per indeterminatè debita externa accidentia subiecta sensibus; vel quòd in nullo statu sit perfectè cognoscibilis nisi in ordine ad aliud, nempe ad formam, & neque imperfectè nisi in ordine ad carentiam alicuius perfectionis, quæ de ipsa negetur. Sed quia materiæ debetur saltem determinatè quantitas, ex qua tanquam ex accidenti nunc cognoscitur, & quia forma in ordine ad materiam, & ad carentiam perfectionis actus completi percipitur, ideo præferendus est modus prior explicandi specialem incognoscibilitatem materiæ ratione sui. Lege, si lubet, Bartholomæum Amicum tract.5. Physicorum q.1.dub 1.&.2.q.etiam vltima dub.4. vbi abundè discutit incognoscibilitatem materiæ; & de bonitatis in eadem defectu Consule Auersam, q.7.Phylosophiæ sect.1.

SECTIO II.

An Empyrei materia appetat innatè perfectiores formas quarum est capax? vbi de appetitu innato erga actu habitam.

73 VT, quàm clarè fieri possit, procedamus in hac sectione, explicare oportet in limine

Quid sit appetitus innatus, & quanam eius tendentia?

VNiuersim quidem appetitus declarari solet, quatenus sit inclinatio rei in sui bonum & perfectionem. Bipartitur communiter in elicitum, & innatum. Ille est inclinatio affectiua elicita à potentia cognoscente; hic est inclinatio insita rei ad bonum sibi debitum, vel saltem ad bonum connaturale per se. Quæ definitio mirè includit cum alia proposita ab Angelico Præceptore lib. 1. Physicorum lect. 115. *nempe ordinatio alicuius secundùm propriam naturam ad finem suum.* In quibus verbis nomine ordinationis intelligenda est ordinatio non actiua, sed passiua, facta à Deo ordinante sapientissimè rem in finem huic debitum, vel connaturalem per se. Hinc quia Deus non ordinatur, seu determinatur ab alio in finem suum; ideo idem S. Præceptor ait in 3.dist.27.q.1.art.2.ad 1. *in Deo est voluntarius appetitus tantùm, quia ipse determinat omnia, & non determinatur ab aliquo.*

74 Recentes nonnulli definiunt appetitum innatum, quatenus *sit proportio vnius entitatis cum alia, ex cuius defectu futura sit altera imperfecta, manca, & monstrosa.* Sed impugnantur optimè ab aliis, tum quia appetitus elicitus efficax foret imperfectus non sequuto effectu, cuius non est appetitus innatus, alioqui eadem entitas esset simul verus, & metaphoricus, proprius, & improprius appetitus erga eandem entitatem; nam appetitum elicitum esse verum, & proprium, innatum verò esse metaphoricum, & improprium constabit ex dicendis; tum quia diuina permissiua voluntas peccati, nisi hoc sequeretur, imperfecta foret, & vana, nec tamen innatè appetit peccatum: voluntas etiam efficax diuina delendi peccatum non appetit ipsum innatè, sed potiùs eius destructionem, & nihilominus imperfecta, & ridicula foret sine peccato.

75 P. Ripalda disp. 9. de ente supernaturali sect.4. videtur definire appetitum innatum, *connexio essentialis naturæ cum non repugnantia boni constituti in potestate alterius, & inclinatio in eius boni existentiam.* Sunt qui eum confutent, primò quia animus rationalis in statu separationis habet connexionem essentialem cum non repugnantia corporis, quandoquidem in eo statu retineat conceptum formæ, entisque incompleti; noster etiam intellectus refertur transcendentaliter ad non repugnantiam actus erronei; & nihilominus anima in eo statu non appetit innatè reditum ad corpus mortale, vt fert communis sententia, nec noster intellectus aspirat innatè ad actum erroneum. Prætereà intra ordinem naturæ plura sunt bona non superantia respectum transcendentalem eorum etiam entium, quibus non est debita existentia talium bonorum. Confutant secundò, quia permissiua peccati voluntas diuina, & scientia connectitur essentialiter cum pecato, quod

nec innatè, nec elicitè appetitur ab ipsis. Duratio item Angeli in instanti A. connectitur essentialiter cum sui desitione in instanti B, quin appetat desitionem; est enim ei mala, & disconueniens. Sed hinc respondebit quispiam pro Ripalda, connexionem essentialem cum alio tanquam cum bono requiri ad appetitum innatum; ideoque durationi non competere istum appetitum circa sui desitionem, etiam si duratiò admittatur distincta à re durante, & instanti coexistente, essentialiter que successiua, qualis nec à Ripalda, nec à nobis conceditur. Hinc etiam exprompte satisfaciet reliquis, quæ in secunda, & primo continentur confutatione. Nam permissiua voluntas peccati, & scientia diuina, qua cognoscitur, non respiciunt transcendentaliter illud vt bonum suum. Intellectus noster, & animus rationalis separatus appetent innatè possibilitatem actus erronei, & iteratæ vnionis ad corpus, non verò existentiam, quia illa, non hæc est bona ipsis; nisi malit quis, illam possibilitatem non esse bonam intellectui, & animo rationali separato, proindeque ab istis non appeti, & si connexis essentialiter cum illa. Tandem perfectionum naturalium, quæ sint indebitæ, & gratiosæ, non appeterur existentia efficaciter ab entitate, respectu cuius tales sunt, quia ad efficacem appetitum innatum existentiæ requiritur connexio cum ipsa, & non sufficit connexio cum possibilitate. Imo neque inefficaciter appeteretur ea existentia nam præfatæ perfectiones, etsi naturales sint in se, non erunt connaturales entitati in ordine ad quam censentur gratiosæ, & indebitæ. Legatur Ripalda disp. 5. sect. 3. n. 17. & fortè is Author negaret immediatam connexionem entitatis cum possibilitate perfectionum non connaturalium sibi; mediata autem connexio, quatenus immediatè entitas connecteretur cum Deo, & Deus cum possibilitate perfectionum illarum, vel non admitteretur à Ripalda iudicante Deum expertem ordinis transcendentalis ad possibilitatem creaturarum, vel nihil iuuaret admissa, vt quæ communis esset omnibus creaturis actu existentibus, quin quælibet creatura appetat innatè quamlibet aliam.

76 Nihilominus reiiciendus est Ripalda, primò, quia potentia libera proximè expedita desiderat innatè exercitium libertatis, & de eo gaudet innatè quando actu se exercet. Est autem in propria potestate illud exercitium. Secundò, quia voluntas efficax diuina creandi mundum v.g. connectitur essentialiter cum non repugnantia, & cum existentia mundi pro instanti volito à Deo, At ea voluntas non est appetitus innatus erga mundum, vt paulò ante notaui. Tertiò, quia ad appetitum efficacem sat est connectio naturalis cum existentia boni. Vnde & si materia non connecteretur essentialiter cum possibilitate formæ, sufficienter intelligeretur appetens formas efficaciter, si alicuius existentiam vt sibi bonam exigeret naturaliter. Et è contra, sufficienter in nostro intellectu intelligeretur defectus appetitus efficacis erga visionis beatæ Existentiam, eo præcisè quod hanc non postulet, quidquid sit an essentialiter connectatur nec ne cum possibilitate visionis. Et hæc satis contra Ripaldam.

77 Iam verò vt magis declarem appetitum innatum aduerto, non distingui eum à potentia appetente; quod & vox ipsa innati appetitus propalat & ratione probatur, tum quia quælibet entitas seclusio quouis alio propendet in suo bonum, & perfectionem: tum quia appetitus distinctus non esset nisi elicitus. Nec obstat, lapidem appetere innatè centrum per grauitatem. Etenim hæc vel non distinguitur à substantia lapidis, vel solummodò est medium inditum à natura lapidi, vt tendat in centrum.

78 Appetitus innatus cum concipiatur à nobis per metaphoram, & similitudinem ad elicitum, triplex est, seu triplicē habet tendentiam repertam in appetitu elicito. Prima est amoris, qui in bonum secundùm se præcindendo ab absentia, & præsentia fertur. Secunda desiderij, quod fertur in bonum vt absens. Tertia gaudij quod fertur in bonum vt præsens. Ad hæc: quia appetitus elicitus alius est absolutus tendens absolutè in bonum, alius conditionatus tendens sub præfixa aliqua conditione; alius efficax, qui quantùm ex se est, ponit bonum appetitum; alius inefficax, qui quantùm ex se est, componitur cum carentia boni appetiti hinc fit, vt similes tendentiæ constituantur vel considerentur à nobis in appetitu innato. Suas pariter difficultates præfatarum tendentiarum translatio ad appetitum innatum; sed in Sectione sequenti curabimus eas superare.

Multiplex appetitus materiæ erga formas adstruitur, & satisfit quæstioni propositæ.

79 Materiam primam habere appetitum innatum in formas substātiales, docetur ab Aristotele lib. 1. Physicorum cap. 9. textu 81. S. Damasceno cap. 2. Physicæ; & certum est à ratione, quia formæ substantiales sunt perfectio, & bonum materiæ proportionatum, ac debitum naturaliter. *Vniuersis autem pulchrum, & bonum desiderabile, & amabile est, & ab vniuersis diligitur*, vt post Aristotelem pronunciat Areopagita cap. 4. de diuinis nominibus §. 10. Habet etiam materia appetitum innatum in formas accidentales, quibus indiget ad sui conseruationem; secus in eas, quibus non indiget, vel quæ non sint per se connaturales ipsi, etsi possit ab eis perfici, quia ad appetitum innatum subiecti, respectu alicuius formæ satis non est, eam perfectiuam esse talis subiecti; sed vlterius requiritur debitam esse naturaliter, vel saltem esse connaturalem per se. Hanc ob causam entitates naturales non appetunt innatè dona supernaturalia, quantumuis per illa magnopere perficiantur. Vnde fit, appetitum innatum materiæ in formas substantiales, & accidentales debitas distingui ratione nostra ab essentia materiæ. Etenim vt apprehendatur essentia materiæ, sufficit concipere potentiam susceptiuam formarum. Ast non ex eo, quòd concipiatur potentia susceptiua formarum, apprehenditur appetitus innatus, cum his addat inclinationem in bonum sibi conueniens, & debitum: quæ inclinatio deficere potest adstante potentia susceptiua. Ideo dixit variis in locis S. Thomas, appetitum naturalem esse inclinationem consequentem formam naturalem: & licet aliqui interpretentur de boni accidentalis appetitu, quem per distinctas realiter proprietates habent formæ, vt de ignis ad centrū appetitu, per leuitatē, in eoque discriminent hunc appetitū ab alio boni substantialis indistincto prorsus tam à forma, quàm à materia, tamen Angelicus Doctor meliùs explicatur de inclinatione subsequuta per rationē nostram siue in forma, siue in materia cui, inclinationi prouisū est sępe mediū distinctum realiter ad consequutionem sui boni, vt materiæ quantitas, & igni leuitas ad obtinendum

obtinendum formam substantialem, & centrum. Quare Bartholomæus Amicus tract. 5. Physicorum q.7. dub.1. n. 4. optimè animaduertit, dum dicitur appetitus naturalis consequi formam, & oriri à forma, significari nomine formæ essentiam cuiusque rei. Nam Aristoteles lib. 1. Physicorum textu 60.& lib. 7. Metaph. textu 51. nomine formæ insignit essentiam rei, vt idem Amicus obseruat tract.6. q. dub. & n.1.

80 Materia secundùm se, & vt distincta ab omni dispositione accidentali appetit innatè formas substantiales, quia hæ sunt perfectio, & bonum debitum materiæ etiam consideratæ secundùm suam præcisam entitatem. Et quidem in appetitu, quem materia secundùm se habet ad formas substantiales radicatur appetitus ad dispositiones accidentales. Vbi notandum est primò, appetitum materiæ secundùm se non esse ad formas substantiales in communi, sed ad singulas in particulari. Nam materia non recipit actualiter, nec recipere valet formas in communi, sed in particulari: Nihil quippe recipit, aut recipere potest, quod à parte rei non existat, aut existere valeat; quod autem existit, aut existere potest à parte rei, particulare, & determinatum est. Notandum est secundò, appetitum secundùm se non esse ad omnes formas simul habendas; imò neque ad duas, si id est naturaliter impossibile. Habet ergo materia appetitum determinatum ad omnes formas non simul, & collectiuè, sed seorsim, & diuisiuè habendas.

81 Qui appetitus est efficax, & absolutus, æquiualens tamen appetitui elicito, disiunctè confuso. Esse efficacem, probatur, quia materia fieret violentia, si omnis forma ei denegaretur. Esse absolutum, suadetur primò, quia potentia materiæ secundùm se ad formas non est conditionata, sed absoluta. Ergo similiter appetitus non erit conditionatus, sed absolutus. Secundò, quia catenus appetitus ille esset conditionatus, & non absolutus, quatenus inclinaret in formam B. sub conditione destructionis formæ *A*. Ast non sic se habet res; tum quia destructio formæ *A* nequit esse conditio, cum non præcedat conditionatum, quod est introductio formæ *B*. & cum destructio formæ *A* non attingatur à materia, siquidem eam non causat; conditio autem debet ratione aliqua attingi ab appetitu conditionato. Tum quia non est, cur potius appetitus sit conditionatus respectu vnius formæ, quàm alterius; cum ad omnes se extendat. Appeteret ergo simul formam *B*. sub conditione destructionis formæ *A*, & formam *A* sub conditione destructionis formæ *B* eademque forma esset simul conditio, & conditionatum. Tum quia potentia intellectus ad assensum, & dissensum, voluntatis ad amorem, & odium eiusdem obiecti, non est conditionata ad assensum sub conditione carentiæ dissensus; neque ad amorem sub conditione carentiæ odij, sed est absoluta ad assensum, & amorem, quos comitatur, vel subsequitur carentia dissensus, & odij; alioqui esset etiam conditionata ad dissensum sub conditione carentiæ assensus, & ad odium, sub conditione carentiæ amoris. Ergo multò minus erit conditionatus appetitus materiæ ad vnam formam sub conditione destructionis, seu carentiæ formæ alterius; cum assensus, & dissensus, amor, & odium eiusdem obiecti nequeat etiam diuinitus conuenire simul in intellectu & voluntate, secus duæ formæ substantiales in materia. Tum quia appetitus conditionatus transit in absolutum posita conditione. Ergo posita destructione formæ *A*, non inclinabit appetitus in illam vlla ratione. Ast materiæ secundùm se appetitus est inuariabilis ad omnes formas. Tum denique, quia appetitus conditionatus attingeret aliqua ratione conditionem, quæ vel esset carentia formæ *A*, vel dispositiones ad formam *B*, Non primam conditionem ob dicta. Non secundam, cum & hoc pacto attingat formam *A*, & præterea redit quæstio, an materia appetat absolutè, vel conditionatè dispositiones ad formas? Quare sicut teneris dicere, appetere absolutè dispositiones ad formas, ita dicas, necesse est, appetere absolutè substantiales formas. Et cum ex nulla suppositione designari possit forma, quæ præ alia sit necessaria, vt compleatur præcisè appetitus materiæ secundùm se, fit, talem appetitum æquiualere elicito disiunctè confuso. Reuocentur in mentem, quæ in præludijs ad Dialecticam tradi solent de suppositione disiunctè confusa, ***Aliquis equus requiritur ad equitandum***, vt distincta ab hac disiunctiuè determinata, ***aliquis homo currit***, & facili negotio penetrabitur doctrina nunc indicata.

82 Præfatus appetitus materiæ in formas, habet se tum per modum amoris stricti; tum per modum desiderij; tum per modum gaudij. Et in primis habere se per modum amoris stricti, probatur primò, quia materia appetit formas, qua ratione sunt sibi bonæ, cõuenientes, & debitæ naturaliter. Sed formæ secundùm se, seu vt abstrahentes à præsentia, & absentia, sunt bonæ, conuenientes, ac debitæ naturaliter materiæ. Illas ergo appetit per modum amoris stricti. Consequentiæ rectitudo innotescit ex definitione amoris stricti edocta à S. Thoma 1.p.q.20. art.1. in corpore, & q.34.art.3.ad 1.necnon lib.1.contra Gentes c.90.ac 91. Maior probationem non exposcit. Fulcitur minor ex eo, quòd formæ vt possibiles, seu secundùm sua prædicata essentialia sunt bonæ, conuenientes, debitæque naturaliter materiæ: alioqui hæc non exigeret possibilitatem illarum. Secundò, nullum bonum potest esse obiectum desiderij nec gaudij eliciti, quod non valeat terminare strictum amorem elicitum. Ideo enim desideramus bonum, quod abesse nobis cognoscimus, quia illud amamus. Insignia sunt ad huius veritatis illustrationem verba illa Angelici Præceptoris 1.p.q.20.art.1.in corpore, ***Amor naturaliter est primus actus voluntatis, & propter hoc omnes alij motus appetitiui præsupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat nisi bonum amatum; neque aliquis gaudet nisi de bono amato. Vnde in quocumque est voluntas, oportet esse amorem.*** Qui, vt repetit idem S.Doctor in cap.4. S.Dionysij de diuinis nominibus lect.8. ***Est prima, & communis radix omnium appetitiuarum operationum.*** Tunc sic: In materia datur appetitus innatus desiderij, & gaudij, vt posteà videbitur. Ergo & amoris stricti. Nam appetitus innatus æmulari debet elicitum. Inscius haud sum, nonnullos Theologos, vt Petrum de Arrubal Martinum Aluir, Valentinum de Herice, quos allegat, & sequitur nouissimè Franciscus Felix Scotita in tract. de voluntate Dei c.ac difficultate 2. contendere, Deum habere gaudium sui, non tamen amorem strictum. Attamen ideo per eos Deus non habet amorem sui strictũ, quia non potest repræsentari diuino intellectui increata bonitas, vt abstrahẽs ab absentia, & præsentia. Ob quã etiam rationẽ videtur negãdus in brutis amor strictus, quia scilicet nequeunt percipere obiecta cum ea abstractione. Sed bonitas formarum in ordine ad materiam potest à nobis cognosci vt præcindens

ab

ab absentia, & præsentia, ac secundùm prædicata essentialia, quæ existentiam actualem non inuoluunt. Ergo potest à nobis considerari in materia respectu formarum sic conceptarum appetitus innatus per modum amoris stricti. Tertio, appetitus innatus nihil aliud est, quàm naturalis capacitas, & proportio entitatis alicuius cum perfectione, quam exigit. Sed materia est capax formarum secundùm se. & cum illis habet proportionem, vt cum perfectionibus, quas exigit. Ergo &c. Quartò, si materia duceretur cognitione, appeteret formas secũdùm se; sed id appetitur innatè ab inanimatis, quod appeteretur elicitè, si ducerentur cognitione. Vnde Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum ad Theodectem cap. 6. inquit, *sit ergo bonum, quod sui ipsius gratia est appetendum, & id, cuius gratia aliud quiddam appetimus, & quod omnia appetunt, vel quæ sensum habẽt omnia, vel quæ intellectum habent, aut si haberent.* Confirmatur; formæ secundùm se sunt bonum materiæ. Ergo in illas secundùm se, & proinde instar amoris stricti hæc fertur, ne sit aliquis formarum status, cui in materia non respondeat suus appetitus innatus.

83 Transeo ad probandum in materia appetitum per modum desiderij. Et primò, si miraculosè priuetur omni forma, aliquam desiderare, constans est, vt notat Arriaga disp. 2. Physicorum n. 43. Certum deinde esse debet, materiam pro priori ad formam habere appetitum desiderij erga aliquam. Tum quia pateretur violentiam, si omnis forma substantialis ei denegaretur. Tum quia pro priori exigit aliquam formam, quæ exigentia, cum non sit rei habitæ, sed habendæ, concipitur à nobis per modum desiderij, non secus ac exigentia, quam respectu centri habet lapis pro priori ad obtentionem illius, & aqua respectu frigiditatis pro priori etiam ad eius consequutionem, censetur à nobis instar desiderij. Confirmari posset exemplo animæ rationalis, quæ si valeret ex natura rei operari pro priori ad vnionem cum materia appeteret eam elicitè per desiderij actum. Ergo pro tali priori appetit innatè appetitu æquiualente actui elicito desiderij. Ergo similiter materia appetet vnionem ad formam. Sed exemplo litigioso non egemus. Operæ pretium tamen erit desiderij appetitum in materia aliter confirmare ad hominem contra nonnullos, qui si materia in vno instanti orbetur diuinitus omni forma, admittunt, desideraturam pro priori eam formam, quam reciperet pro posteriori instantis sequentis. Ergo & nunc desiderabit formam, qua in instanti *B*, informatur, licet in *A*, ornata fuerit per aliam formam. Non enim oberit desiderio possessio formæ, vt nec obest in casu Antecedentis, & vtrobique ad desiderium præcessit in anteriori instanti carentia fomræ expetitæ. Quod verò in casu Antecedentis præcesserit omnium formarum carentia, est prorsus per accidens, nec nisi gratis dicitur, desiderio formæ habitæ officere ante habitum.

84 Etsi autem verum sit, materiæ pro priori ad formam conuenire appetitum desiderij erga aliquam; addimus nihilominus, materiam pro priori instantis realis, quo obtinet aliquam formam, non desiderare determinatè, vel inefficaciter obtentam pro posteriori. Prima huius ratio est; materia non appetit determinatè, dispositiones ad formam ignis v.g. Ergo neque ipsam formam ignis, etiam cum disposita est vltimò ad illam: tam enim debet esse indifferens ad omnes formas substantiales, si consideretur secundùm se, quam ad omnes accidentales. Secunda ratio est; materia secundùm se non exigit determinatè formam ignis. At appetitus innatus desiderij saltem efficacis consistit in exigentia, seu indigentia boni, vt colligitur ex Aristotele lib. 1. Physicorum cap. 9. textu 81. vbi ait formam non appetere se ipsam, quia non indiget sui; doceturque à S. Thoma lib. 1. Physicorum lect. 15. & S. Bonauentura in 4. dist. 49. art. 1. q. 2. compendiose, ac scitè ait, *Duo sunt de ratione appetitus, scilicet conuenientia, & indigentia.* Ratio tertia est; appetitus determinatus ad formam igneam sufficienter ponitur ex parte agentis extrinseci, & dispositionum receptarum in materia. Ergo sine necessitate tenditur ad hanc: imò cum absurditate: alioqui ex parte materiæ ponendus esset appetitus, seu exigentia destructionis formæ, cui opponuntur dispositiones; alioqui etiam appetitus innatus desiderij distingueretur quoad rectum inadæquatè à materia, siquidem consisteret partialiter in ipsis dispositionibus? alioqui denique æquo iure dici posset, rationalem animum dispositum lumine gloriæ appetere innatè visionem beatam, si materia disposita calore appeteret innatè formam igneam.

85 Circa appetitum desiderij addimus vlteriùs, materiam vt informatam determinata forma, non desiderare alias: tum quia & vt informatæ per vnam formam sunt naturaliter impossibiles aliæ formæ; appetitus verò innatus nequit ferri in bonum impossibile naturaliter. Nam quod est naturaliter desperatum, appetitur inordinatè, & in cassum. Tum quia materia gaudet de ea forma, quam actu possidet. Ergo non desiderat alias vt affecta per illam, alioqui appeteret destructionem eius, in qua complacet; nam generatio cuiuslibet alterius erit corruptio possessæ formæ. Antecedens probabitur in n. 87. Tum quia negata quauis alia forma, non patietur violentiam materia, vt patitur aqua, si ab agente contrario priuetur aliquibus gradibus frigiditatis, quibus quia naturaliter carere potest, ideo absentes appetit. Et licet in materia affecta per vnam formam dari queant dispositiones ad aliam; tunc non materia, sed dispositiones desiderabunt aliam inefficaciter. Nam suppono esse dispositiones insufficientes ad introductionem alius formæ. Si enim sufficientes sint, non stabunt cum antiqua forma, sed pro posteriori illarum sequetur alia forma in eo instanti, quo sufficientes sunt. quin in eo materia secundùm se appetat determinatè, vel inefficaciter formam sequutam, vt dixi n. proximo. Quòd si neque in instanti, quo hæc introducitur, appetitur determinatè à materia secundùm se, multo minus in antecedentibus.

86 Ex his sequitur, à materia vt informata per vnam formam ablegandum esse desiderium aliarum formarum imperfectiorum, & æquè perfectarum, item earum, quæ perfectiores sint. Harum tamen non est ablegandum desiderium à materia considerata secundùm se. Nam cum appetitus naturalis nihil aliud sit penes S. Thomam in lectione præcitata, *quam ordinatio aliquorum secundum propriam naturam in finem suum*, non esset benè ordinatus a Deo cognoscente finem appetitus materiæ nisi tenderet propensiori inclinatione in maius bonum, seu in formas magis ipsam perficientes, & ornantes vti non benè se gereret cognoscẽs finem, & se ad illum ordinãs, nisi maiori inclinatione elicita afficeretur in maius bonũ. Et quidẽ si ex eo constituitur appetitus innatus in materia ad formas, quia istę sũt bonũ illius connaturale, & non præcisè, quia materia est

est susceptiua formarum ; quò nobiliores istæ sint, conuenientioresque materiæ, eò magis in illas propendere debebit. Neque hinc fit, materiam non appetere absolutè omnes formas. Etenim stat optimè, eas sic appetere, vnamque magis, quàm aliam: vti stat appetere elicitè aliquem equum ad iter agendum sub disiunctione, eumque magis, qui commodior sit. Neque item fit, materiam fore violentam sub forma imperfectiori, postulaturamque eius destructionem, vt consequatur perfectiorem. Non enim hanc appetit, vt informata per illam, nec secundùm se appetit efficaciter, sed inefficaciter, nec vt bonum simpliciter necessarium sibi, sed ad melius esse. Sic etsi animo rationali melior sit status separationis, quàm coniunctionis ad materiam, in hoc statu violentus non est, quia ille alius non est simpliciter necessarius ad sui naturalem existentiam, & conseruationem.

87 Deuenio tandem ad probandum in materia appetitum per modum gaudii. Pro quo argumentor primò ex authoritate S. Thomæ 1. p. 19. art. 1. in corpore aientis, *Qualibet res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet ipsam, quiescat in ea: & idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturæ. & hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis.* Secundò, Gaudium sequitur possessionem, ac præsentiam rei desideratæ. Sed materia desiderat formas, vt iam constitutum est. Ergo de earum possessione, & præsentia gaudet. Tertiò, si materia duceretur cognitione, gauderet possessione, ac præsentia formæ, doleretque, si eâ priuaretur postquam semel obtinuerit, nisi aliâ forma donaretur. Quartò, à simili, siquidem lapis quiescit, & gaudet innatè obtento centro, quod desiderabat. Nec dicas, materiam complacere solùm in possessa à se forma sub conditione, quòd aliam non recipiat. Nam ex adductis rationibus, quod suadetur gaudium, debet esse absolutum, sicut est absolutum desiderium, quo expetitur forma ante possessionẽ; & cum hæc sit absoluta, non potest non esse absolutum gaudium respondens ipsi; sequereturque alioqui materiam nunquam lætari absolutè in bono sufficiente sibi. Apparet etiam ex integro responsio ad difficultatem propositam in titulo sectionis.

SECTIO III.

Repelluntur obiecta contra doctrinam superiorem.

88 SParsim dicta in sectione præcedenti multis patent obiectionibus. Quare opus est, vt his occurramus. In primis contra appetitum per modum amoris stricti opponi potest primò. Materia nequit appetere formas sine inclinatione, & pondere in earum existentiam. Ergo nequit eas appetere per modum amoris stricti: hic enim tendit in bonum sine inclinatione, & pondere in eius existentiam. Secundò, materia non appetit formas nisi vt sibi conuenientes. Sed formæ vt abstrahentes ab absentia, & præsentia non sunt illi conuenientes. Tertiò, appetitus innatus sapit naturam eliciti appetitus concupiscentiæ. At hic fertur in bonum expetendo semper possessionem illius. Quartò, independenter ab operatione intellectus non dantur formæ præcindentes ab absentia & præsentia. Sed si quis appetitus constituatur in materia, debet esse independens ab operatione intellectus. Quintò amor strictus est circa bonum abstrahens à possessione, & carentia. Sed forma vel est præsens materiæ, vel absens. Si præsens, gaudebit de illa. Si absens, afficietur illius desiderio. Ergo non relinquitur locus amori stricto. Sextò, idemmet actus elicitus nequit simul esse amor strictus, desiderium, ac gaudium eiusdem obiecti. Ergo neque idemmet appetitus innatus materiæ potest concipi à nobis, vt simul amor strictus, desiderium, ac gaudium. Septimò, appetitus innatus est facultas rei, cui possessio boni conuenientis & est posterior & contingens. Sed possibilitas formarum neque est posterior, quàm existentia materiæ, neque huic est contingens. Ergo in formarum possibilitatem nullo appetitu innato fertur materia.

89 Respondeo ad primum, negando Antecedens, materia enim in ordine ad formas vt possibiles, seu secundùm prædicata essentialia potest considerari à nobis sine inclinatione, & pondere in earum existentiam. Ad secundum negando minorem, formæ enim secundùm se sunt conuenientes materiæ. Ad tertium, non omnem appetitum innatum sapere conditionem eliciti appetitus concupiscentiæ, sed appetitum innatum, qui se habet per modum desiderij. Omitto, amorem strictum posse esse actum concupiscentiæ, vt de amore stricto visionis beatæ docet Petrus Hurtadus disp. 105 de tribus virtutibus Theologicis sect. 2. Ad quartum, independenter ab operatione intellectus dari formas vt possibiles, & in eas, vt sic ferri amorem strictum materiæ. Ad quintum, posse dari amorem strictum boni, quod re ipsa sit præsens, quia in bonum re ipsa præsens potest tendi, secundùm quod præcisè est possibile; similiter posse dari amorem strictum boni re ipsa absentis, quia potest tendi in illud, secundùm quod præcisè est possibile. Ad sextum negari potest antecedens: nam fortè nõ repugnat actus elicitus creatus, qui simul sit strictus amor, desiderium, & gaudium eiusdem obiecti, vel qui saltem sit strictus amor & gaudium sui, desiderium verò alterius obiecti. Quippe in se vt absentem nequeat ferri. Sed concesso antecedenti negatur consequentia; quia appetitus elicitus non potest noua constitutiua comparare; secus innatus. Qui sufficienter re, & nomine discriminatur ab elicito, eo quòd ex parte recti indistinctus sit realiter à natura appetente. Quo in sensu accipienda est indistinctio innati appetitus à potentia appetente, nec alium nos intendimus in num. 77. contra Ioannem Franciscum Mirandulanum lib. de appetitu materiæ cap. 8. Et hic scias appetitum innatum materiæ instar amoris stricti ad formarum possibilitatem constituendum ex parte obliqui per hanc, si materia non connectatur essentialiter cum ipsa. Rationem facile colliges ex dicendis circa appetitum desiderij; & gaudij. Ad septimum, Maiorem vt summùm esse veram de innato appetitu instar desiderij.

90 Deinde aduersus appetitum materiæ per modum desiderij erga aliquam formam pro priori ad eam, quam actu obtinet, obiicies ex Arriaga disp. 2. Physicorum, num. 41. Non datur absentia formæ saltem pro posteriori. Appetitus autem desiderij debet tẽdere in bonũ absens. Non benè, quia desiderio satis est, si tendat in bonũ absens præcisiuè, sicut stricto amori sufficit, quòd tendat in bonũ abstrahens

abstrahens à præsentia, & absentia, licet à parte rei bonum habeat præsentiam. Hinc stat optimè desiderari elicitè bonum realiter præsens, quia potest repræsentari vt absens. Sic sæpe in eodem instanti, quo fundimus ad Deum preces pro obtinẽdo aliquo beneficio desiderato, obtinemus illud, vti obtinemus gratiam habitualem in eodem instanti, quo eam promeremur. Replicabis, desiderium pendet essentialiter ab absentia desiderati; sed materia non pendet essentialiter ab absentia formæ. Ergo illius non habet desiderium. Respondetur appetitum materiæ per modum desiderij pendere essentialiter ab absentia formæ; non tamen ipsam materiam secundùm se, quia appetitus ille non constituitur ex sola entitate materiæ, sed etiã in obliquo ex absentia formæ. Ex quo fit, non defectutam materiam, adueniente forma & licet possit concedi hac adueniente deficere appetitum desiderij, potest idem non incongruè negari, quia appetitus desiderij non exigit absentiam realem desiderati coexistentem sibi, sed vel realem, vel præcisiuam rei, siue prӕteritæ, siue futuræ; multoties enim datur desiderium elicitum rei consecutæ medio illo desiderio, quod cum sit efficax, debet saltem posse coniungi cum impetrata consecutione boni desiderati. Inquies ergo Beatus poterit habere desiderium vnionis beatæ, cum ei possit repræsentari visio vt absens præcisiuè pro aliquo signo instantis realis, quo illam possidet. Dico, talem modum repræsentandi bonum vt absens præcisiuè esse imperfectum, ideoque non dari in Beato; non tamen repugnare ipsi; & casu quo daretur, esset sine angore, & timore, quemadmodùm de facto est desiderium continuatæ beatitatis, adstructum in Beato à non indoctis Theologis. Infertur ex dictis, impossibile esse in Deo desiderium suæ bonitatis; hæc namque proponi nequit intellectui diuino, vt absens præcisiuè; quicquid sit, an queat proponi vt obiectum amoris stricti. Obiicies rursus naturæ prioritas, quæ est in materia respectu formæ, non sufficit ad priuationem formæ. Ergo neque sufficiet ad absentiam, quam requirit appetitus innatus per modum desiderij; Antecedens stabilitur latè in Exercit. 6. sect. 7. Vnde eo admisso distinguo consequens, non sufficiet ad absentiam physicam, quã non requirit appetitus ille, concedo; non sufficiet ad absentiam intentionalem, vel quasi intentionalem metaphoricè, qua contentus est ille appetitus, nego. Itaque vt ad appetitum desiderij elicitum, sat est absentia intentionalis in bono desiderato, siue simul detur, siue non detur absentia physica; sic ad appetitum innatum instar desiderij, sat erit absentia quasi intentionalis metaphoricè, quæ nihil aliud est, quàm carentia præcisiua formæ reputata à nobis in ordine ad appetitum innatum desiderij, ac si esset carentia priuatiua, cum tamen reuera non sit, nec possit esse, quia priuatio formæ nequit physicè, & in se coexistere ipsi formæ pro toto instanti reali, & proinde nequit physicè, & in se existere pro priori signo naturæ instantis realis, vt indicato loco copiosè ostẽditur. Quapropter cum priuatio formæ postulet absentiam physicam formæ, non sic appetitus innatus desiderij, non sufficiet ad priuationem ea naturæ prioritas, quæ ad desiderium sufficit in materia.

91 Obiicies deinceps, quamuis non requiratur talis absentia boni pro instanti desiderij eliciti, quia possibile est, Deum tibi reuelare, quòd collaturus sit gratiam pro instanti, quo eam desideras: at necessaria est saltem pro instanti antecedenti. Ergo idem eueniet in desiderio innato. Perperam itaq; assertum à nobis est vniuersim, ad hoc sufficere præcisiuam absentiam. Nego posteriorem Antecedentis partem; nam Angelo, qui desideraret gratiam in primo suæ creationis instanti potuisset Deus manifestare donationem gratiæ faciendam ipsi pro posteriori signo instantis eiusdem. Et vt omnem tergiuersationem præpediam, Angelo producto in æternitate à parte ante (neque enim id repugnat,) & exoptanti gratiam pro priori signo æternitatis, posset Deus intimare eius collationem pro posteriori: tunc autem absentia sola præcisiua gratiæ sufficeret ad desiderium elicitum, quia neque in se, neque in Angelo præcessisset positiua absentia, seu carentia. Ex quo fit, realem absentiam boni pro instanti præcedenti habere se per accidens ad desiderium elicitum, & ad innatum præsens. De quo puncto rursus in n. 95. Exercit. 6. Oppones denique, nemo expetit elicitè id, quo iam potitur siue formaliter, siue æquiualẽter. Quare ad obiectum eliciti desiderij requiritur contingentia in bono obtinendo, nec desiderari illud potest, quod aut priùs supponitur possessum, aut posteriùs possidetur absque contingentia. Ergo ingenito appetitu instar desiderij eliciti non expetet materia aliquam formam pro priori ad eam, qua informatur actualiter, quia absque contingentia, seu cum necessitate naturali subsequitur possessio alicuius formæ, ideoque pro priori datur æquiualenter aliqua. Occurro dicens, sufficere ad appetitum desiderij elicitum, & ad innatum, qui eum referat, si pro signis, in qbus dantur, aut considerantur, sit præcisiuè absens bonum, quin huius possessio realis, formalis, vel æquiualens ob sit subsequuta in aliis signis. P. Ripalda, cuius est postrema obiectio in disp. 9. de ente supernaturali sect. 4. n. 23. audit apud quosdam, vt minus sibi cohærens, cum ibidem doceat, appetitum innatum esse connexionem essentialem, & ordinem transcendentem ad boni in alterius potestate constituti possibilitatem. Ergo si quidem boni appetiti possibilitas non sit contingens appetenti innatè, traditur inconsequenter à Ripalda conditio contingentiæ. Verum tamen is Author requirit contingentiam in existentia, non autem in boni possibilitate, quam non appeti, sed per se supponi ab innatè appetente exprimit satis clarè. Non igitur inconsequenter procedit. Censeo tamen, discurrere minus verè; nam si boni possibilitas exigitur essentialiter, sic etiam appetetur; & ad appetitum satis esset connexio naturalis cum existentia boni.

92 Vlteriùs pro appetitu determinato desiderij in materia erga formam particularem consequutam in signo posteriori arguunt Recentes aliqui primò, indifferentia materiæ secundùm se ad formas appetit conditionatè, vt si determinetur ad formam ignis v. g. mediis dispositionibus caloris, detur sibi forma ignis. Sed materia vltimò disposita per calorem est iam determinata ab illo. Ergo tunc absolutè efficaciter appetit formam ignis. Secundò, ad bonam vniuersi gubernationem, (quam efficaciter appetit materia) spectat, vt materiæ vltimò dispositæ ad ignis formam detur hæc. Tertiò, agens habet appetitum determinatum, & efficacem formæ, ad quam vltimò disposuit materiam. Ergo in ista respondet appetitus determinatus, & efficax talis formæ, cum enim habeat appetitum formæ alicuius, & introductis vltimis dispositionibus ad formam ignis destruenda sit naturaliter necessa-

necessariò forma ligni, aliáque distincta à forma ignis nequeat naturaliter succedere, videtur hanc determinatè, efficaciterque appeti à materia ex suppositione, quòd vltimò sit disposita ad eam.

93 Rationes hæ vno eneruantur verbo, scilicet dicendo, appetitum determinatum, & efficacem formæ igneæ non se tenere ex parte materiæ, sed ex parte dispositionum ad formam igneam; sicut exigentia destructionis formæ ligneæ, non se tenet ex parte materiæ, sed ex parte dispositionum earundem. Loquor de forma ignea quoad speciem; nam neque ex parte dispositionum datur appetitus determinatus huius formæ igneæ præ alia contenta intra eandem speciem; siquidem determinatio ad hanc formam præ alia proueniat à Deo applicante suam omnipotentiam solummodò ad formam *A*, v. g. quæ potuit esse iam corrupta vel existens in alia numero materia, vel potuit eius productio impediri ex mero libito diuino. Vrgebis, materia disposita calore patietur violentiam, si ei negetur forma ignis. Respondeo, non materiam, sed calorem passurum violentiam, dummodò materiæ omnis alia forma non negetur, eius enim exigentiæ efficaci satisfit qualibet concessa. Quòd si calor expellatur à materia, non patietur propriè violentiam; hæc namque fit rei existenti, non verò destructæ. Instabis, formæ viuentes producuntur sæpe sæpius à Deo vt Authore naturæ ob exigentiam materiæ vltimò dispositæ ad illas, quin vllum sit naturale agens, quod illas possit producere, ac proinde quòd illas exigat, & appetat innatè. Aio, tunc ex parte materiæ dari appetitum efficacem alicuius formæ siue animatæ, siue inanimatæ; appetitum autem formæ animatæ dari tantùm ex parte dispositionum ad eam. Vbi animaduersum cupio, licet semper, ac producitur in rerum natura aliquis effectus naturalis, interueniat appetitus innatus, & exigentia illius, tamen non debere interuenire ex parte cuiuslibet causæ, sed collectionis omnium. Constat id in pluribus causis inadæquatis. Aer est materialis causa lucis, & aqua caloris, quin appetant innatè lucem, & calorem; aliter paterentur violentiam, quando priuarentur his accidentibus. Voluntas creata non appetit innatè actionem peccaminosam, nec intellectus erroneam; nec potentia loco motiua motionem violentam. Omnipotentia diuina influit physicè in actus praui entitatem materialem absque propensione in illius existentiam, sed potiùs in carentiam. Neque satis est transcendentalis ordo cuiuslibet causæ ad effectum. Nam cum is ordo (si admittatur) sit solùm ad possibilitatem effectus, tantùm sequitur appetitus innatus erga ipsam. Premes, adstructo in materia appetitu desiderij pro priori, ponendus est appetitus determinatus, & efficax formæ, quæ pro posteriori sequitur, & ad quam est disposita materia pro eo priori, præsertim cum formam esse præsentem, non obstet desiderio, quòd sit causa, & ratio præsentiæ, quodque in formæ consequutionem inclinetur vt causa prosequens illam. Non video qua necessitate vnum inferatur ex alio, sed vt summùm dispositiones appetere determinatè, ac efficaciter speciem formæ pro posteriori introductæ. Ipsi aduersarij fatentur, indiuiduam formam pro posteriori sequutam non appeti determinatè, & efficaciter à materia. Si ergo appetitus desiderij in materia pro priori non sufficit ad ponendum appetitum determinatum, & efficacem indiuiduæ formæ introductæ pro posteriori, putandum pariter est, non sufficere ad constituendum appetitum, qui feratur determinate, & efficaciter in speciem formæ pro posteriori existentis, etsi desiderio vtcumque non officiat præsentia formæ.

94 Præterea in fauorem desiderij aliarum formarum habiti à materia vt informata per vnam, argumentabitur nonnemo, materia in hoc instanti appetit sui conseruationem pro sequentibus; sed conseruatio materiæ licet possit naturaliter stare sine hac, vel illa forma determinatè, non tamen sine aliqua. Ergo materia in hoc instanti, in quo informatur per formam determinatam, & vt informata per eam, adhuc appetet indeterminatè aliquam formam. Respondeo, materiam, quæ in hoc instanti afficitur forma lignea verbi gratia desiderare aliquam formam, siue ligneam, siue alterius speciei; sed tamen vt informatam per formam ligneam non desiderare vllam aliam; quia ad explendum suæ conseruationis appetitum sat est forma lignea, qua actu afficitur. Inquies, ergo in hoc instanti desiderabit aliam formam, sub conditione saltem quòd deperdat ligneam. Nam purificata hac conditione non conseruaretur naturaliter, si alia forma non communicaretur ipsi. Quæuis autem entitas desiderat id, quod est naturaliter necessarium ad sui permanentiam. Iam dixi in n. 81. appetitum materiæ, etsi indeterminatum ad hanc, vel illam formam, non esse conditionatum, sed absolutum. Vnde materia desiderabit absolutè sui conseruationem sub quacumque forma, per accidensque erit in ordine ad desiderium materiæ ea conditio amissionis formæ ligneæ, sicut in ordine ad veritatem huius propositionis, ***Aliquis oculus, & non dexter requiritur ad videndum***, per accidens est, quòd sinister non requiratur. Et quidem si materia non desideraret absolutè omnes formas, sed formam igneam v. g. sub conditione, quòd amittat ligneam, quam actu habet, fieret, hanc non desiderari à materia; cuius oppositum volunt Aduersarij. Sequela probatur exemplo petentis nummos sub conditione, quod sibi deficiant vestes; non enim is desiderat defectum vestium, sed solùm nummos sub ea conditione. Secus esset si desideraret absolutè indeterminatè vel nummos, vel defectum vestium. Fieret etiam, destructionem formæ ligneæ debere esse aliquatenus rationem introductionis formæ igneæ contra vulgare prouerbium, ***Generatio vnius est corruptio alterius***; Et contra regulam, quam Deus seruat vt Author naturæ negans cæteras formas, quia vnam largitur. Secunda hæc sequela probatur exemplo promittentis peregrinationem ad limina Apostolorum, si periculum mortis euadat, nam liberatio à periculo est ratio adeundi limina Apostolorum. Et vniuersim conditionatum debet aliquatenus oriri ab eo, quod assumitur vt conditio. Sed insistes adhuc, Materia connectitur naturaliter cum hac forma sub conditione, quod reliquæ denegentur ei; nam sub tali conditione miraculum procul dubio esset, si hanc formam determinatam Deus non concederet, & materia ipsa, si duceretur cognitione, appeteret elicitè hanc formam sub tali conditione. Igitur in materia agnoscendus est innatus aliquis appetitus conditionatus. Respondeo talem conditionem esse

esse miraculosam respectu materiæ affectæ forma corruptibili; ideoque appetitum innatum materiæ non ferri in formam hanc sub conditione quod reliquæ denegentur, quemadmodùm si formæ corruptæ reproductio sit miraculosa, alienum erit à materia ipsam efficaciter appetere etiam sub conditione, quod Deus decreuisset concurrere ad eam; nec materia, si duceretur cognitione, tenderet in eam appetitu elicito efficaci naturali; qui solus consideratus conditionate ex parte rerum cognitione carentium est signum innati appetitus efficacis; nam elicitus inefficax naturalis competere potest nobis erga dona supernaturalia superantia efficacem nostrum appetitum innatum. Et qui dicunt, posse non naturaliter concipere donorum supernaturalium appetitum elicitum efficacem, sed non conferentem in salutem æternam, inficianturque simul in nobis appetitum efficacem, & inefficacem innatum illorum, tenentur dicere, appetitum elicitum, efficacem naturalem non esse certum signum innati appetitus illius. Rursus respondeo in ordine ad appetitum innatum materiæ secundùm se esse per accidens conditionem appositam in argumento, vt paulò antea declaraui, loquens de simili alia conditione.

96 Ad hæc: contra defectum desiderij in materia vt informata per vnam formam erga alias siue imperfectiores, siue æquè perfectas, siue perfectiores insurges primò, materia informata per formam ligneam, aut viuentem sæpe disposita est inchoatè ad igneam, aut cadauericam, & sæpe magis ad ligneam, quàm ad quamcumque aliam formam. Ergo igneam tunc appetit, & magis, quàm aliam formam, cuius ex se capax est, quin ad illam sit vllatenus disposita, vel non tantumdèm ac ad igneam. Probatur consequentia, quia dispositio aliqualis ad formam non potest non esse aliqualis determinatio ad formam, aliqualisque cum ea connexio; & maior dispositio non potest non esse maior determinatio, atque connexio. At appetitus innatus materiæ consistit in determinatione ad formam, & connexione naturali cum ipsa. Ergo &c. Respondeo, non materiam secundùm se, sed dispositiones desiderare inefficaciter formam, ad quam vltimò non præparant materiam, iisdemque competere, & non materiæ vt magis desiderent formam, ad quam magis præparant. Nam materia secundùm se indifferens est, & indeterminata ad quamnis formam. Quòd si eam, ad quam est vltimò disposita, & quam actu habet, non desiderat determinatè, vel inefficaciter, etsi maiorem determinationem, & connexionem cum ipsa videatur sortiri, desiderabit multò minus illam, ad quam non est vltimò disposita, quamque actu non habet. Insurges secundò, perfectior forma est maius bonum materiæ, quàm imperfectior. Ergo materia inter formas sibi naturaliter possibiles, ad quas disposita non est, dum actu finitur forma lignea v.g. desiderabit vnã, & magis eam, quæ sit perfectior. Verùm ex antecedenti æquè inferre posses contra te, materiam magis desiderare perfectiorem formam, cui actu non est vnita, quàm imperfectiorem, cui actu est vnita; & prætereà magis desiderare perfectiorem formam, ad quam nullatenus est disposita, quàm imperfectiorem, ad quam aliquatenus est disposita. Quare neganda est consequentia, eo quòd materiæ vt informatæ per formam ligneam sit naturaliter impossibilis quæuis alia forma perfectior inter possibiles absolutè. Dices; si materia desideret inefficaciter perfectiorem formam inter absolutè possibiles, & absentes, enervem esse nostram rationem. Contra, tum quia absurdi speciem præ se fert, materiam respectu eiusdemmet formæ perfectioris habere desiderium efficax, & inefficax, licet efficax competeret materiæ secundùm se, & inefficax conueniret ipsi vt informatæ per formam ligneam. Tum quia desiderium innatum nequit importare conditionem, sub qua impossibile sit obiectum, & bonum desideratum. Ast sub conditione materiæ informatæ per formam ligneam impossibilis est naturaliter adeptio formæ perfectioris. Ergo huius desiderium innatum in materia importans per se talem conditionem est implicatorium. Scripsi *Importans per se*, ne mihi aliquis obiiciat desiderium innatum, quod datur in dispositionibus insufficientibus ad formæ introductionem, quodque inefficaciter fertur in formam. Etenim istud desiderium non importat per se conditionem, sub qua impossibilis sit naturaliter formæ introductio. Insurges tertiò, forma quæuis est bonum materiæ. Ergo hæc non solùm desiderabit formam magis perfectam, dum est informata per minus perfectam; sed etiam desiderabit minus perfectam, dum est informata per magis perfectam. Confirmabis exinde, quòd possessio formæ perfectioris non possit tollere à materia desiderium imperfectioris, siquidem hoc desiderium sit identificatum cum materia. Respondeo, formam imperfectiorē esse bonum naturaliter impossibile materiæ, vt habenti perfectiorem, ideoque à materia in tali statu non desiderari, vti per te non desideratur forma corrupta, quia esto sit bonum materiæ, tamen est bonum naturaliter impossibile. Ad confirmationem dico, desiderium ingenitum materiæ semper perseuerare, & manere simul cum ipsa; quæ nunquam habuit vel conditionatum subiectiuè desiderium formæ imperfectioris casu quo ornaretur perfectiori. Sunt, qui amandent à materia informata per formam perfectiorem desiderium imperfectioris, quia hæc comparatione illius est mala; & quia alioqui animus rationalis in separationis statu appeteret innatè statum coniunctionis ad corpus; quia alioqui etiam humanitas Christi Domini subsistens per increatam verbi diuini subsistentiam, desideraret innatè creatam, & humanam subsistentiam; nam coniunctionis status est bonum naturale animi, etsi minus bonum, quàm status separationis; & subsistentia creata, ac humana est item bonum naturale Humanitatis, etsi multò minus bonum, quàm subsistentia increata diuini verbi, quæ est bonum supernaturale, & infinitum eiusdem non habentis *quò attolleretur altiùs*, vt fatur S. Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum cap. 15. Sed priori rationi occurrit Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 22. sect. 2. n. 9. & tam hic Author, quàm grauissimi alij non verentur admittere vtramque illam sequelam. Insurges quartò, ex amore boni nascitur desiderium illius, quando est absens. Sed materia pro priori ad omnem formam amat strictè quamcumque. Ergo pro posteriori, in quo obtinet formam ligneam, & caret ignea, desiderabit hanc. Respondeo oriri ex amore desiderium boni, quando bonum est absens, & aliunde non interuenit aliud, quo satietur amans. Etsi autem materia, dum ornatur forma lignea, careat ignea; at per illã sufficienter expletur.

In

Insurges quinto, materia sublunaris afficitur amissibiliter à forma, sicque hanc recipit, & appetit. Ergo quando est sub vna forma appetit aliam quamcumque. Concedo consequentiam de materia sublunari secundùm se, & specificatiuè; nego autem de ea reduplicatiuè, & vt affecta per vnam formam. Solet in secundo sensu materia dici adultera, sed ex falso testimonio. Forsan sic dicitur ex inde præcisè, quod vnita cum vna forma admittit dispositiones ad aliam.

96 Super aduersus maius desiderium materiæ secundùm se erga formas perfectiores obiicitur primò, materia non discernit inter formas perfectiores, & imperfectiores, nec inter maius, & minus bonum suum, vt potè quæ cognoscitiua non sit. Ergo non potest desiderare magis eam formam, quæ nobilior sit, & melior sibi. Secundo, materia non desiderat efficaciter perfectiorem formam. Ergo neque inefficaciter eam desiderat magis, quam imperfectiorem. Tertiò Appetitus, qui sit innatus, debet ferri efficaciter in suum obiectum; alioqui deesset ratio inficiandi in materia appetitum innatum inefficacem erga formas corruptas, adhuc supposita impossibili naturaliter reproductione ipsarum, deficeret etiam ratio ad negandum in natura Angelica & humana inefficacem appetitum innatum erga dona supernaturalia: ideo enim neuter communiter admittitur, quia supponitur appetitum, si sit innatus, non esse efficacem; & efficax nequit tendere in obiectum impossibile naturaliter, vti est reproducenda forma, & donum supernaturale. Quam conditionem non haberet appetitus innatus vt inefficax, siquidem elicitus vt inefficax terminari queat ad obiectum naturaliter impossibile. Quarto, materia non desiderat vel inefficaciter perfectissimam formam. Ergo ex duabus inæqualiter perfectis non desiderabit inefficaciter perfectiorem. Quintò, materia solummodò desiderat suum complementum substantiale, sed hoc obtinetur per quamcumque formam. Ergo ex æquo quamcumque desiderat. Prima obiectio aut nihil probat, aut probat, materiam non desiderare formas vt bonum suum, cum non discernat inter bonum & malum. Reuera nihil probat, nam sicut desiderium formarum in materia est huius ad illas ingenita à Deo Authore naturæ inclinatio, & ordinatio passiua tamquam ad bonum suum, quin ex parte materiæ præluceat discretio inter bonum, & malum; etsi ex parte Dei destinantis detur cognitio, & volitio boni, ad quod tanquam ad finem destinat materiam, de quo pulchrè Didacus Ruiz disp. 1. de voluntate Dei sect. 2. num. 22. ita maius desiderium erga formam perfectiorem erit maior inclinatio, & ordinatio passiua ad eam vt sibi magis consentaneam, quin obstet defectus præuiæ discretionis ex parte materiæ. Ad secundam obiectionem respondeo, desiderium efficax determinatum erga formam perfectiorem non stare cum indifferentia materiæ ad existendum simpliciter habita quacumque forma; stare verò desiderium inefficax, quod maius sit. Et in nobis passim contingit, vt per appetitum elicitum non desideremus efficaciter determinatè bonum maius, licet illud minori præferamus, proindeque inefficaciter appetamus magis. Ad tertiam dico, non omnem appetitum innatum debere esse efficacem, licet omnis debeat ferri in obiectum naturaliter possibile appetenti: quam ob causam negatur communiter in materia, & in natura tam Angelica, quàm Humana appetitus innatus, non tantùm efficax, sed etiam inefficax ad formarum reproductionem, si sit naturaliter impossibilis, & ad dona supernaturalia. Neque ad appetitum innatum est transferendum quicquid in elicito inuenitur. Recole num. 94. & expecta 97. sequentem; scitoque, nonnullos non vereri concedere appetitum innatum inefficacem erga bonum impossibile ex natura rei. Ad quartam dico, repugnare formam perfectissimam, seu vltra quam non sit possibilis alia, & alia perfectior: minimeque propterea non esse, si erga illam non conueniat materiæ appetitus innatus, qui solum potest ferri in bonum possibile, & possibile connaturaliter. Ast non repugnat, sed possibilis est etiam naturaliter vna forma perfectior, quàm alia, ideoque materia poterit, & debebit inefficaciter appetere magis eam, quæ perfectior est. Ad quintam respondeo, materiam desiderare suum complementum substantiale per formam; sed desiderare magis illud complementum, quod obtinebitur per formam perfectiorem, quia si materia duceretur cognitione, & proponeretur eligenda vel sola forma imperfectior, vel sola perfectior, deberet ex regulis prudentiæ eligere, & præhabere hanc appretiatiue. Replicabis, maior perfectio formæ amissibilis est per accidens ad materiam sublunarem, ad eiusque proinde appetitum. Sed contra, quia materia recipit per se à parte rei maiorem illam perfectionem, & non præcisè rationem formæ amissibilis.

97 Postremò, contra appetitum materiæ per modum gaudij restant superandæ difficultates nonnullæ. Prima, materia non desiderauit determinatè formam Empyream v.g. Ergo neque de ea determinatè gaudebit. Nego consequentiam à paritate gaudij eliciti de bono determinato, quod tamen non debet semper esse desideratum determinatè. Secunda, materia pro priori ad formam Empyream desiderauit eam indeterminatè. Ergo nequit pro posteriori gaudere: nam desiderium, & gaudium eiusdem obiecti non valent in eodem instanti simultaneè existere. Hanc etiam consequentiam nego à paritate præfati appetitus eliciti; possunt enim in eodem instanti componi desiderium, & gaudium elicitum eiusdem boni, si pro aliquo signo cognoscatur illud bonum vt absens præcisiuè, & pro alio vt præsens. Tertia, gaudium est de bono, quod supponitur existens in se realiter ante ipsum gaudium. Sed forma non sic supponitur existens ante appetitum materiæ. Ergo, &c. Respondeo, falsam esse maiorem, vt de actu creato, qui supra se reflectens gaudeat de seipso sentiunt multi; sed omissa ancipiti opinione, falsitas maioris patet in gaudio Dei de sua existentia. Solùm ergo opus est ad gaudium, vt bonum in quod tendit, supponatur præcognitum secundùm se aut vt existens pro aliquo naturæ signo formali, aut virtuali siue antecedenti, siue subsequenti cognitionem. Vnde cum possessio formæ non distinguatur adæquatè ab innato materiæ gaudio, non debet supponi adhoc: quemadmodùm non debet supponi possessio ad gaudium elicitum quando hoc est indistinctum ab illa determinante ad ipsum, quasi in genere causæ formalis. Quarta, appetitus materiæ est necessarius: habere autem formam Empyream est contingens, ac

ac proinde & gaudere de illa, si habeat appetitum per modum gaudij, cum illam possidet. Respondeo appetitum per modum gaudij constitui tum ex entitate materiæ in recto, tum ex possessione formæ in obliquo. Quare appetitus erit necessarius ex parte recti, & contingens ex parte obliqui. Nec obstabit, appetitum gaudij esse in ordine ad formam, ne constituatur ex possessione formæ non enim est nisi ex parte recti in ordine ad illam. Neque constitui ex formæ possessione impedict, vt dicatur potiùs gaudium materiæ, quàm possessionis. Siquidem principaliùs, & in recto constituitur ex materia; ideoque potiùs erit gaudium huius, quàm illius. Aduerte, gaudium innatum non ex forma, sed ex ipsius possessione, quæ est quid distinctum à forma, constitui, proindeque non constitui etiam partialiter ex suo obiecto: nam obiectum gaudij non est possessio, sed forma, sicut obiectum desiderij innati non est absentia formæ, sed forma ipsa, quæ quidem desideratur, & non absentia, quin potiùs hæc vitari cupitur. Dices, gaudium elicitum non constituitur ex possessione etiam boni. Ergo neque innatum. Si de gaudio omni elicito loquaris, verum non est antecedens; enim gaudium, quo Deus complacet in suo gaudio, constituatur essentialiter ex obiecto, quod respicit. Si de creato, aio, illud per suam entitatem supponere possessionem obiecti saltem in esse cognito; quia entitas talis actus pendet à cognitione possessionis obiecti. Vnde per seipsum solum poterit participare rationem gaudij. At entitas materiæ non pendet à possessione formæ, quare per se ipsam solam nequit esse gaudium; sed debet constitui in ratione gaudentis per possessionem formæ, quin sufficiat possessionem esse connotatum extrinsecum, aut conditionem sine qua non. Hoc idem discrimen, seruata proportione, applicandum est desiderio materiæ, quod constituetur ex absentia præcisiuè, vel reali formæ, cum tamen desiderium elicitum non constituetur ex absentia desideratæ rei. Tu ipse tenetis cognoscere aliquod discrimen inter appetitum innatum, & inter elicitum creatum quoad vtriusque constitutiua, quando quidem elicitum distinguas, non verò innatum a potentia appetente, & quandoquidem fatearis, appetitum elicitum posse esse directè appetitum sui, si actus creatæ voluntatis reflectere supra se queant; neges autem appetitum innatum posse directè esse appetitum sui. Dixi, *directè*, nam indirectè materiam se amare, dum amat formam vt bonum sui, & dum conseruationem sui affectat, videtur manifestum. Est & aliud discrimen non prætereundum videlicet, quòd elicitus tendere queat in bonum verum, vel apparens; ast innatus ferri debet in bonum verum. Vlteriùs appetitus ille, dum est inefficax, potest ferri iuxta plures in bonum, quod cognoscitur vt impossibile absolutè; sed sub conditione, quod possibile esset: porrò autem hic appetitus debet tendere, siue dum est efficax, siue dum est inefficax, in bonum naturaliter possibile, absolutè independenterque à conditione impossibili.

98 Vehementer timeo, ne hinc aliquis arma in me arripiat. Nam si inter appetitum innatum, & inter elicitum tam multiplex est, & varium discrimen, vt quid tanto verborum apparatu transtuli ad appetitum innatum modos tendendi, instar amoris stricti, desiderij, & gaudij proprios appetitus eliciti? Quod si id mihi licet, fas etiam erit attribuere materiæ strictum odium carentiæ formarum abstrahentis ab absentia, & præsentia, fugam ab ipsarum absentia, & tristitiam de eadem absentia. Respondeo, non alio iure traductos à me ad appetitum innatum modos tendendi instar amoris stricti, desiderij, & gaudij, quàm eo, quo nomen appetitus transfertur communiter ad inclinationem, & propensionem materiæ erga formas, vt bonum sibi proportionatum, & conueniens naturaliter. Quare sicut metaphoricè tantùm conuenit inclinationi materiæ nomen appetitus, ita eiusdem appetitui innato competent metaphoricè tantum modi illi tendendi; & in isto sensu à me vsurpantur, vt & à S. Augustino lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 28. vbi agens de propensione rerum inanimatarum in suum bonum scribit quæ sequuntur, *Si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus; verumtamen id quasi appetere videremur, quò feracius essemus, vberiusque fructuosæ. Si essemus lapides, aut ventus, aut flamma, vel quid eiusmodi, sine vllo quidem sensu, atque vita, non tamen nobis deesset nostrorum locorum, atque ordinis appetitus; nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, siue deorsum grauitate, siue sursum leuitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur.* Idem S. Doctor lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 17. ait, *Habet iste natura vsitatissimus cursus naturales leges suas, secundùm quas & spiritus vitæ, qui creatus est, habet quosdam appetitus suos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere.* Diuinus ille Hispanus, & Antistes Segobiensis S. Hierotheus apud S. Dionysium cap. 4. de diuinis nominibus §. 15. extendit *amoris* nomen ad inclinationem naturalem, qua res inanimis fertur in aliud tanquam sibi conueniens. Sic ibi obseruat S. Thomas lect. 12. Hinc neque in nomine appetitus, neque in modis illis tendendi, dum de materia est sermo obstare debet quod S. Iustinus Martyr obseruat contra Aristotelem, & contra ipsius sententiam de appetitu materiæ. *Appetere* (inquit S. Iustinus) *& concupiscere eius est, quod est animo præditum* Non, inquam, obstare debet, nam appetere metaphoricè vno ex illis modis, vel omnibus simul tribuitur satis congruenter materiæ, aliisque rebus inanimatis. Quod optimè explicatur à S. Thoma 1 p. q. 19. art. 1 in corpore verbis iam supra datis, & q. 22. de voluntate art. 1. item sect. 15. ad lib. 1. Physicorum; & in hoc vltimo loco respondet Auicennæ calumnianti lib. 2. sufficientiæ nomen appetitus translatum ad inclinationem naturalem. Imitatus est Auicennam Scaliger Exercit. 61. contra Cardanum n. 1. tam in improbanda voce, quàm in neganda propensione materiæ ad formas per eam vocem significata. Vterque tamen in vtroque audiendus non est. Ad id, quod additur de materiæ odio &c. dico, non adeò esse in vsu accommodare eos actus materiæ per tropum, & metaphoram ex actibus elicitis auersionis desumptam; sed nihilominus non videri reprehensione dignum, qui aptaret; non secus ac creaturis inanimatis tribuitur nolitio, & gemitus à S. Paulo in Epistola ad Rom. cap. 8. v. 20. & 22. ob defectum, & interitum, cui subiectæ sunt, *Vanitati creatura subiecta est non volens, &c. Omnis creatura ingemiscit, &c.* ait Apostolus. *Quod quidem,* (subiungit S. Thomas in commentario) *si intelligatur de creatura sensibili habet difficultatem.*

Primum

Primum quidem quantùm ad hoc, quòd dicit, Ingemiscit, hoc enim conuenire videtur non nisi creaturæ rationali. Sed potest exponi vt id, quod dicit, Ingemiscit, idem sit quod dixit, Non volens, in illis enim ingemiscimus, quæ nostræ voluntati repugnant. Sic ergo inquantum defectus creaturæ sensibili sunt contra naturalem appetitum particularis naturæ, dicitur ipsa creatura sensibilis igemiscere. Hactenus S. Thom.

Appendix de appetitu innato materiæ ad formas corruptas.

99 NE desideret quis in tam plena de appetitu tractatione celebrem hanc difficultatem, decreui eam non præterire intactam, & quæ de ipsa ad notabo deseruient ad maiorem lucem præcedentium, in quibus appetitus materiæ erga formas corruptas occurrit non semel. Itaque dico primò, si materia ex se non habeat virtutem naturalem ad iterùm recipiendas formas corruptas, non appetet eas reproduci; quia appetitus innatus nequit tendere in bonum naturaliter impossibile. Si opponas, appetitum innatum esse indistinctum à materia. Ergo cum hæc perseueret post formas corruptas, debet & ille perseuerare. Respondeo, manente materia, manere appetitum ad formas corruptas consideratas simpliciter, & secundùm se, quia appetitus ille ad omnes formas terminatur, non verò manere ad formas vt corruptas, seu ad recipiendas eas, vt iteratò productas; quia ad eas, vt sic nunquam materia habuit appetitum, sed ad eas specificatiuè. Præter quam quòd appetitus materiæ posset in obliquo constitui ex carentia formæ vt corruptæ, seu ex forma vt non corrupta. Deinde oppones, formam reproductam fore secundùm se entitatiuè naturalem, bonumque naturale materiæ. Fateor; sed tamen reproductio, & passio repetita foret naturaliter impossibilis. Vnde sicut intellectus Angelicus, & Humanus non fertur appetitu innato in visionem Beatam, quia hæc est ipsi naturaliter impossibilis; ita neque materia in formam vt reproducendam. Sed quia dicetur, visionem beatam esse entitatiuè supernaturalem, appello ad resurrectionem, quæ nos manet; ea enim non erit quoad entitatem, sed tantùm quo ad modum supernaturalis hoc tamen sufficit, ne innatè appetatur à corpore nostro. Rursus obiicies, appetitus elicitus inefficax tendere valet ad bonum naturaliter impossibile. Ergo materia appetitu innato saltem inefficaci ferri poterit in formas vt reproducendas, quamuis reproductio sit naturaliter impossibilis. Concedunt aliqui Consequentiam: imò & similem aliam de appetitu innato inefficaci naturæ Angelicæ, atque Humanæ erga dona supernaturalia; dumque vrgentur ex inde, quòd appetitus innatus importet indigentiam boni appetiti, & cum eius existentia connexionem naturalem, debeatque esse proportionatus rei appetitæ. Aiunt, id verum esse solum modò de appetitu innato efficaci per modum desiderij. Meliùs negatur consequentia, quia etsi aliquis appetitus innatus possit esse inefficax vt in n. 86. scripsi, nullus tamen ferri quit in bonum naturale impossibile ne detur inclinatio ingenita, cui Deus vt naturæ Author satisfacere nequeat. Et quo ad paritatem appetitus eliciti iam supra bis, & ter.

100 Dico Secundò, si materia habeat ex se virtutem naturalem ad iterùm recipiendas formas corruptas, reproduci illas appetet; quamuis enim ex ordinatione, & lege diuina illarum reproductio sit de facto impossibilis; nihilominus id non obest appetitui; vti Deum decreuisse non produci actu plures formas, quæ naturaliter sunt possibiles, & nunquam extiterunt, non officit appetitui erga ipsas. Argues aduersus me primò, non potest quis efficaciter velle reproduci formam præcognita diuina lege non reproductionis. Ergo neque materia poterit innatè appetere efficaciter reproductionem supposita eadem lege. Si respondeatur, appetitum elicitum regi cognitione, & proinde eius efficaciam impediri per cognitionem repræsentantem iteratæ productionis impossibilitatem accidentalem, quæ non impeditur efficacia innati, vt qui cognitione non dirigatur. Insurges contra, quia si impossibilitas accidentalis vt præcognita impedit appetitum efficacem elicitum, cur vt in se non impediet innatum? Sicut enim ille fertur ad obiectum vt in cognitione, sic hic ad obiectum vt in se. Quapropter eodem modo discurrendum est de vtroque. Sit ita. Vnde concesso Antecedenti, distinguo consequens, Ergo neque materia poterit innatè appetere efficaciter reproductionem eadem lege supposita, specificatiuè, nego, reduplicatiuè, concedo, idest, materia vt supponens diuinam legem non poterit innatè efficaciter appetere reproductionem, secus materia secundum se coexistens ei legi. Sic cum appetitu nostro elicito efficaci circa reproductionem componi potest cognitio de ipsius impossibilitate proueniente per accidens ex decreto diuino, dummodò talis cognitio non præcedat, neque dirigat. Argues secundò, etiam si rationali animæ non sit per se naturaliter impossibilis reunio ad corpus, tamen in statu separationis non appetit eam innatè. Ergo similiter materia non appetet innatè formarum reproductionem, quę per se non sit naturaliter impossibilis. Omitto Antecedens, & inficior Consequentiam, quia qui illud admittunt, mouentur ex eo, quòd status separationis sit longè conuenientior animæ rationali quàm status coniunctionis ad corpus mortale; quin imò posterior is status non est conueniens si comparetur cum priori. Quæ ratio non militat in reproductione formarum; cum inter formas corruptas sint plures conuenientiores materiæ, quàm multæ, quibus de facto informatur, & cum materiæ congruentius esset redire ad possessionem deperditæ formæ, quàm omni forma carere.

101 Argues tertiò, ex subtili Neotherico, materia nequit appetere formæ, qua fruitur, corruptionem, licet hæc sit possibilis naturaliter, alioqui materia appeteret sibi malum, & odio haberet formam. Ergo nec potest appetere reproductionem formæ semel à se possessæ, quantumuis supponatur possibilis per se naturaliter ea reproductio. Probatur consequentia, nam reproductio vnius formæ in se inferret connaturaliter corruptionem alterius formæ, quam possideret. Ergo appeteret huius corruptionem, si illius appeteret reproductionem dum enim appetitur aliquid, appetitur & id, cum quo habet necessariam, aut connaturalem conexionem. Argues quartò ex eodem, etsi possibilis sit per se naturaliter reproductio formæ, ast non in materia distincta ab ea, in qua primum extitit forma; vt enim nequeunt ex natura rei accidẽtia transire de vno subiecto adæquato ad aliud adæquatum, sic neque formæ substantiales corruptibiles. Si dicatur, transmigrationem formarum, siue accidentalium, siue substantialium, quæ negatur communiter possibilis ex natura rei, non esse eam, qua formæ corruptæ in vno subiecto producatur rursus

in alio, sed qua incorruptæ persistentes destituant vnum subiectum, & adquirant aliud. Contra, quia eadem est difficultas in vna & altera transmigratione, imò maior apparet in priori, difficilius namque est corruptam formam reproducere, & ex vno subiecto in aliud adducere, quàm conseruare incorruptam, & transportare de vno in aliud subiectum. Tunc sic; sed eo ipso quod in materia *B.* exempli gratia, nequeat naturaliter reproduci forma, quæ in materia *A* existit, & corrupta est, non potest materia *B.* appetere innatè eam formam, siquidem appetitus innatus materiæ, eo quòd sit potentiæ naturaliter receptiuæ, debeat proportionari cum naturali formæ aptitudine ad informandum. Ergo formam, quæ corrupta est in vna materia, non potest alia innatè appetere vt reproducendam in se. Quòd si obiiciatur, forma reproducenda, est bonum materiæ, & bonum naturaliter possibile. Ergo materia desiderabit eam non minus vt reproducendam, quàm vt primò producendam, gaudebitque de ea non minus vt reproducta, quàm vt primò producta. Respondebis, formam vt reproducendam in materia, in qua antea fuit, bonum quidem esse, & possibile naturaliter materiæ, sed connexum cum subsequuto malo corruptionis formæ alterius existentis in materia, ideoque non posse desiderari ab ipsa materia; quæ de reproducta forma gaudebit, quo ad substantiam complementi, & non quo ad modum; vel gaudebit absolute postquam intelligatur corruptio formæ alterius. Sic gaudet Deus de pænitentia hominis post præuisum peccatum. Si iterùm obiiciatur, materia pateretur violentiam recipiendo formam iam antea corruptam, nisi ipsam appeteret, quia reciperet contra propriam exigentiam habendi formas non anteà corruptas. Respondebis, materiam passuram violentiam aliquam quo ad modum, quæ violentia rectè stat cum perfectione, & completione ipsius materiæ quo ad substantiam per formam reproductam. Vel respondebis, materiam non passuram vllam violentiam, quia etsi appeteret formas non anteà corruptas, tamen reproducta forma, qua donaretur, æquiualeret ipsis. Sic licet rationalis animus appetat innatè statum separationis, non idcircò violentus est in statu coniunctionis. Si prætereà opponatur, forma corrupta potest naturaliter reproduci. Ergo in materia aliqua. Ergo terminabit appetitum innatum, & exigentiam alicuius materiæ, ne Deus vt naturæ Author operetur reproducens formam citra exigentiam naturæ. Dices inter naturalia posse dari bona quæ sint aliquibus gratuita, & indebita. Vel dices, exigentiam reproducendæ naturaliter formæ posse tenere se tantùm ex parte agentium naturalium, vt aliquando ostendant sui perfectionem in virtute reproductiua. Cum autem neque primò, neque secundò recipere formam, denotet perfectionem in materia, sed potiùs imperfectionem, non vrget eadem ratio in materia, vt ipsi tribuatur exigentia recuperandi aliquando eandem formam. Si item opponatur materia disposita ad formam igneam, appetit hanc non obstante formæ ligneæ corruptione inde sequenda. Ergo & appetet reproductionem formæ, ex qua nihilominus sequatur corruptio alterius formæ. Dices, ex reproductione formæ sequi per se corruptionem formæ alterius, non verò ex productione formæ igneæ desitionem formæ ligneæ, sequitur namque tantùm per accidens hæc desitio, cum potuerit absolutè eademmet numero forma ignea recipi in materia ante omnem aliam formam. Quare materia appetet innatè productionem formæ igneæ; quia malum sequutum per accidens ex bono non impedit appetitum erga bonum vt patet in Deo volente præcepta, ex quibus peccata sequuntur per accidens. Sed tamen materia non appetet innatè reproductionem formæ, quandoquidem reproductio per se inferat malum corruptionis formæ alterius. Si replicetur, formæ saltem cadauericæ productio per se infert malum corruptionis, vel separationis animæ; nec ideo materia disposita ad formam cadauericam non appetet innatè productionem istius formæ. Occurres inquiens, formam cadauericam non inferre per se malum præfatum, nam non debet præsupponere existentem animam in materia, quemadmodùm nec anima debet præsupponere existentem formam embryonis, vt patet ex Adami rationali anima, quam non præcessit forma embryonis. Si denique obiiciatur, appetitus materiæ ad formas, est efficacissimus, vt pote qui nequit naturaliter frustrari. Sed non esset efficacissimus, si non appeteret reproductionem formæ possibilem ex natura rei, quia quando naturaliter haberet formam reproductam, & careret reliquis, tunc existeret naturaliter absque formis, quas appetit, proindeque appetitus non esset efficacissimus, quandoquidem frustraretur naturaliter. Concedes libenter non fore efficacissimum appetitum materiæ, casu quo reproductio formæ esset possibilis naturaliter. Hactenus ferè ex moderno illo, in cuius ad obiectiones responsis refutandis non immorabor; duriuscula quidem, & coacta pleraque videbuntur, ni fallor; sed quia ingenium sapiunt, nolui præterire.

Tertium argumentum facillimè dissoluitur dicendo, materiam secundùm se, & non vt ornatam alia forma, affectare reproductionem destructæ consideretur materia existens diuinitus sine omni forma, vel consideretur existens naturaliter pro priori naturæ ad quamcumque formam, tunc secundùm se appetet producendas, tam primò, quam secundò. Etsi verò reapse nulla reproduceretur, quin corrumperetur alia, id per accidens esset ad appetitum materiæ secundum se, sicut per accidens est, quòd nulla iam nunc primò producatur absq; subsequuta corruptione alterius. Quartum argumentum probat vt summùm, non esse naturaliter possibilem reproductionem formæ in alia materia; quàm in ea, cui antea fuit vnita. Nos autem in præsentiarum tantummodò defendimus materiæ appetitum ad formam, cuius reproductio in eademmet materia sit naturaliter possibilis. Quapropter si argumento illo ostendatur, non posse naturaliter formam migrare de vna materia ad aliam quando post sui desitionem reproducatur concedemus, appetendam ab ea solum materia, in qua antea fuit. Quòd si neque ad hanc queat naturaliter redire, à nulla appeteretur. Sed iam negatur suppositio, sub qua quæstio ventilatur. Sufficiant hæc de appetitu innato; quæ vtinam lectoris appetitui fastidium, nauseamque non moueant.

102

EXERCIT

EXERCITATIO SEXTA.

De Empyrei forma substantiali.

EA componi, visum est in superioribus; quæ âd ipsam specialiter pertinent, iam examino.

SECTIO I.

An Empyrei forma substantialis differat specie à reliquis cælestibus, & sublunaribus?

1 REspondendum est affirmatiuè. Primò, quia Empyreum nobilius est substantialiter aliis cælis, & elementis, sed non ratione materiæ, vt potè eiusdem speciei, & perfectionis, vt tradidimus in Exercitat. præterita. Ergo ratione formæ. Ergo hæc differt in specie à formis cæterorum corporum, si intra eandem speciem nequeat stare excessus in perfectione substantiali, prout philosophantur non pauci. Secundò, omnes formæ elementares sunt corruptibiles ab intrinseco ex natura rei; quòd de formis cælestibus affirmant complures. Ergo Empyrei forma, quæ incorruptibilis est naturaliter, vt nullus negat, distinguitur speciè ab illis. Ratio hæc probat etiam distinctionem specificam formæ Empyreæ à viuentibus materialibus. Prima itidem, siue forma Empyrea eas superet in perfecti one, siue superetur ab eis. Et prætereà cum inanimis sit, consurgit ex hinc alia ratio. Tertiò, nulla forma cælestis, aut sublunaris assignari valet, cum qua in specie conueniat Empyrea.

2 Si assignetur ignea, tum quia Empyreum ab igne dicitur; tum quia innuere videntur S. Hilarius, & Venerabilis Beda, ille in Psal. 135. hic lib. de natura rerum cap. 7. Contra primò, quia forma ignea fuit producta à Deo secundâ orbis die, Incredibile autem est, Deum iterasse productionem ignis. Hæc tamen ratio non est admodùm efficax; cum multi sentiant, ignem productum fuisse primâ die, & qui eius creationem differunt vsque ad secundam, non videntur negare posse, productum saltem ex parte in Inferno prima die simul cum terra propter Dæmones iam ab initio ferè damnatos, vt notat Arriaga tomo 2. in 1. p. d. 30. sect. 3. n. 21. Ideò meliùs contra secundò, quia Empyrei ignea forma calefaceret cælestes orbes; si quidem ab ea naturaliter dimaneret calor; imò & ipsum Empyreum calore æstuaret: nam nulla in illo esset qualitas contraria calori. Quæ ex se apparent absurda. Contra tertiò forma ignis posset naturaliter corrumpi ab aquis super cælestibus sibi contiguis. Contra quartò, Empyreum est lucidissimum; ignis verò non habet lucem valde vehementem ob sui raritatem; ideoque in sua sphæra non licet. Quæ ratio proposita est ad gustum communis sententiæ.

3 Nec obstat, Empyreum igneum dici; non enim sic noncupatur à calore, aut, ardore sed ab splendore & claritate, vt admonui num. 9. Exercit. 1. S. Hilarij, & Venerabilis Bedæ mens explorabitur in sect. 1. Exercit. 15. Et quidem cogitatio, subobscurè indicant de natura Empyrei aquis super cælestibus temperata, colluderet Heracliti, Pytagoræ, Platonis, multorumque Ecclesiæ Patrum opinioni de natura ignea astrorum. Obsoleuerat iamdiu hæc opinio inter Philosophos, & Theologos, qui cum Peripateticorum schola cælum sydereum distinctæ naturæ ab elementis statuebant vnanimiter, vsque dum paulò ante nostram ætatem cæpit efferre caput. Sed licet astra igne compacta concedantur ob reuerentiam in tot tantosque Patres, quot quantosque longo ordine profert Ascanius Martinengus tomo 2. glossæ magnæ à pag. 875. idem de Empyreo fateri ea non cogit. cum de illo solùm S. Hilarius, & V. Beda inuolutè loquantur.

SECTIO II.

An Empyrei forma sit supernaturalis?

4 NOn disputo, an spiritualis sit? Etenim nulla prudens dubitandi ratio se se mihi offert. Et cum Empyrei forma sit ex natura rei inseparabilis à materia, & quantitate, fit planum, materialem esse. Subiungam in num. 19. grauissimam quandam ab authoritate, probationem, & ex sect. 1. Exercit. 4. alias petere licebit. Illud itaque disputo, an supernaturalis sit? Motus duplici hac ratione. Prima, Empyreum ordinatum est ad gloriam supernaturalem corporum beatorum. Ergo par est, vt constet forma supernaturali. Secunda, S. Thomas 1. p. q. 66. art. 3. ad 4. relinquit sub iudice, an claritas Empyrei sit claritas gloriæ discors à claritate naturali? Vbi indicare videtur, claritatem, seu lucem gloriæ, ac Empyre i esse supernaturalem. Et de claritate quidem glorificatorum corporũ conceptis verbis affirmare creditur in 3. dist. 16 q. art. 1. ad 4. Tunc sic: lux Empyrei est proprietas formæ substantialis Empyreæ. Ergo, si illa est supernaturalis, debebit etiam hæc esse supernaturalis; nihil enim naturale potest habere connexionem cum alio vt proprietate, quod superuaturale sit.

5 Nec putes inuolui contradictionem terminorum in forma substantiali materiali, quæ supernaturalis sit. Nam si rationibus agatur, probabile satis est non repugnare substantiam supernaturalem: & alia ex parte conceptus materialitatis, & supernaturalitatis non repugnant inter se: vt euincit Ripalda disp. 44. de ente supernaturali sect. 9. & sequentibus duabus, propugnans sensiones internas, & externas supernaturales intrinsecè; cum tamen materiales sint.

vnio etiam Hypostatica verbi ad corpus Christi Domini est simul supernaturalis, & materialis, nec non vbicatio definitiua corporis Christi in Eucharistia, productio accidenrium materialium extra subiectum, modusque perseitatis ipsis communicatus, quæ sunt satis frequentia Theologorum iudicia.

6 Fortè quis dicet, fore, vt non resultaret vnum per se substantiale ex materia naturali, & forma supernaturali vnitis, vti non resultaret ex materia cælesti (si hæc distinguatur specie à sublunari) & ex forma aliqua elementari, quæ ei diuinitus vniretur. Sic in hoc casu discurrunt Fonseca 5. Metaphysicæ cap. & q.4. sect.5.v. *sed querat.* Suarez tomo.1. in 3.p.q.2. art.1. in commentario v. *Respondetur* tomo etiam 2.in.3.p. disp.48. sect.3.v. *Refert.* Connimbricenses lib.1.de cælo c.2.q.6.art.5.ad 4.lib.1.Physicorum c.9.q.11.art.4. Murcia lib.1. Physicorum disp.4.q.9. Nicolaus Ylambertus 3.p.ad 3.q. disp.1.art.4. Tellez parte 2.Philosophiæ disp.22.sect.4.num.16. rursus p.3. q.53.sect.2.num.15. Bartholomæus Amicus tract. 11.Physicorum q.7. dub.3. art.2. Didacus Ortiz lib.1. Physicorum cap.11. num.69. Ægidius de Præsentatione tomo 3. de Beatitudine lib.5.q.3. vt & art.& §.3.num.29. Auersa q.10. Philosophiæ sect.5. Si enim materia cælestis non constitueret vnum per se cum forma ignea v.g. quia illa est inepta naturaliter ad hanc recipiendam, aut quia pertinent ad diuersos ordines, aut quia carent proportione particulari quam inter se debent habere extrema vnibilia, & conuentura in compositionem vnius, & vnius per se. Ob quamlibet ex his causis non constituit materia naturalis & forma supernaturalis.

7 Eneruatur hic discursus in humanitate Christi Domini, & subsistentia diuini verbi, ex quibus vnitis resultat vnum per se, etsi humanitas sit naturaliter inepta vniri subsistentiæ increatæ, sit quæ in diuerso ordine, & magnam cum ipsa improportionem videatur habere. Quod si ex humanitate, & subsistentia, quarum neutra ordinatur ex se ad aliam in particulari, consurgit vnum per se, multò potiùs ex materia naturali, & forma supernaturali. Huius ea est ratio à priori. Vt ex duobus substantialibus vnitis fiat vnum per se, necesse solummodò est, vnum ex illis dicere ordinem ad existentiam alterius, illamque exigere saltem secundum rationem aliquam communem. Id addo propter humanitatem Christi, quæ quia dicit ordinem, estque in potentia ad hoc, vt compleatur per aliquam subsistentiam, ideo eleuata, vt vniatur increatæ verbi, componit vnum per se cum illa, licet non exigat, neque ordinetur ad existentiam illius in particulari. Præsens doctrina conformis est Patribus, dum enim contra Euthychetem probarent, in Christo esse duas naturas, cum tamen in homine puro non sit nisi vnica, hanc reddebant disparitatem, scilicet in Christo vnam naturam non ordinari ad aliam, secus in homine. Inspiciantur attentè ista S. Athanasij verba apud Euthymium in Panoplia dogmatica orthodoxæ fidei parte 2. tit.15.§. *Ecce enim: Quòd autem exemplum hoc rei ab eis proposita nihil probet, statim ostendetur. Homo enim ex anima mente prædita, & corpore sensibus affecto animal iure censetur, quoniam horum neutrum sine altero prius consistit, neque naturæ terminum conseruat; cum existendi principium sumant ex vtero, atque ita in vitam exeant, & vnius animalis constitutionem efficiant. Ad Dominus Iesus non imperfectè à rebus existendi principium accipit, sed naturarum perfectarum in se principium ostendit.* Inspiciantur prætereà ista Gelasij Cyziceni lib. de duabus in Christo naturis. *Non considerantes* (improbat idem exemplum adductum ab Hæreticis) *quia cum vna natura dicatur humana, quæ tamen ex duabus constet, id est, ex anima, & corpore, principaliter illa causa est, quia nec initialiter anima alibi possit existere, quàm in corpore; neque corpus valeat constare sine anima, & meritò, quæ alterutro sibi sit causa existendi pariter vnam abusiuè dici posse naturam, quæ sibi inuicem causam præbeat, vt ex alterutro natura subsistat humana, salua proprietate dumtaxat duarum.* En fatetur Gelasius, posse dici corpus, & animam facere vnam naturam, quia illud nequit vnquam existere sine hac, aliaue forma: hæc autem nequit saltem in primo instanti suæ productionis existere sine illo. Idem discrimen facundissimè, & subtilissimè pertractatur à Facundo Hermianensi lib. 1. pro defensione trium capitulorum Concilij Chalcedonensis cap.6. & à Rustico S. R. E. Diacono Cardinali in disputatione contra Acephalos.

8 Ex præiacto fundamento inferebam ego aduersus Mayronem in 2.dist.12. q.1.art.7. Marcilium, Gabrielem, & alios, quos citant, & sequuntur Alfonsus disp.2. Physicorum sect.8. Ouiedus controu 2. puncto 7. §. 3. Materiam primam de se, & ex natura sua non posse existere sine forma substantiali. De libo corollarium, materia existens in homine eiusdem est speciei cum existente in reliquis compositis sublunaribus, sed materia existens in homine, talis est naturæ, vt deficeret naturaliter, si separaretur forma rationalis ab illa & alia nõ succederet. Ergo &c. Probatur Minor, ex materia, & forma rationali fit vnum per se, sed nequit resultare ex duobus vnum per se, quin saltem aliquod ex illis ita pendeat ab alio vt eo deficiente desinat esse nisi aliud succedat in locum ipsius; seu quin vnum ex illis dicat ordinem ad aliùs existentiam, eamque exigat vt minùs secundum aliquam rationem communem. Tunc sic: in homine non sic dependet forma rationalis à materia, neque huius exigit existentiam ad persistendum post primum instans. Ergo sic dependet materia à forma rationali, exigetque existentiam illius, aut alterius formæ substantialis.

9 Concludo ex dictis, non negandam possibilitatem formæ substantialis supernaturalis, siue spiritualis, siue materialis; quia cum materia naturali non constitueret vnum per se. Et fas est, eam possibilitatem sic positiuè comprobare primò, Nam si animæ rationali competit potentia informatiua respectu materiæ, qua non indiget ad sui conseruationem, cur repugnabit, materiam habere potentiam receptiuam respectu formæ, quam non exigat vtpotè supernaturalem? Et ea quidem potẽtia receptiua similis erit potentiæ receptiuæ, qua gaudet anima rationalis in ordine ad gratiam habitualem, aut qua natura humana in ordine ad vnionis Hypostaticæ entitatem modalem. Vnde sicut gratia habitualis exigit animam rationalem, vt subiectum sui, qui peratur ab ipsa anima, ita substãtialis forma materialis supernaturalis postularet vt sui subiectum materiam naturalem absque reciproca huius exigẽtia. Et hinc eluditur ratio P. Bartholomæi Amici supra in conclus.6. si fortè contra

informatio

informationem materiæ naturalis à substantiali forma supernaturali inflecteretur; nam ad talem informationem, non opus esset eleuari formam à Deo in genere causæ formalis neque præteream ingenere causæ materialis. Sed sufficeret, quòd Deus ingenere causæ efficientis, seu efficiendo eleuaret naturalem materiam ad genus causæ materialis, seu ad recipiendam. & sustentandam supernaturalem formam materialem; quo pacto sentiunt multi eleuari animam ad receptionem, & sustentationẽ donorum supernaturalium. Alij verò agnoscentes in anima potentiam neutram passiuam ad ea dona dicunt, animam vt subiectum non eleuari. Ita ex nostris Petrus Vvadingus disp. 7. de Incarnatione dub. 5. post Ægidium Conink, quorũ opinio attingetur, & explicabitur à nobis in sect. 1. Exercit. 24. conuenienterque adeam potest in præsentiarũ expediri difficultas de sustentatione substantialis formæ supernaturalis. Inquies, nullam in hac fore proportionem erga illam, vti necesse esset ad componendum vnum per se, si vniantur; neque potest Deus mera sua volũtate supplere defectum proportionis in componentibus intrinsecè vnum per se. Sed contra, quia materia naturalis haberet ex se proportionem, vt sustentet, aut recipiat formam supernaturalem, componatque cum ipsa vnum per se, si forma à Deo producatur actiuitate superante vires effectiuas, quę in tota sint natura. Replicabis, cur natura cerui non erit sic proportionata, vt cum natura hirci constituat vnum per se, & cur equi anima non potietur coaptatione essentiali, vt si eleuetur à Deo, componat hominem vnita corpori? Occurro, tum exinde quòd non constet de improportione essentiali materiæ naturalis ad formã materialem supernaturalem, vti constat de geminæ naturæ completæ improportione ad constituendũ in ratione naturæ vnum per se, & de ineptitudine essentiali animæ equinæ ad componendum hominem: tum etiam, quia adest non vnum vestigiũ positiuũ proportionis in materia naturali: si enim in intellectu nostro datur proportio ad visionem supernaturalem Dei accedente, eo quòd visio petat ex se connaturaliter recipi in illo, vel eo quòd cõcludat formalitatem vitalitatis respondentem suapte naturâ intellectui nostro tanquam principio immanenti, vel eo quòd Dei visio est intellectio, ad quam in genere recipiendam noster intellectus inclinatur, Et hinc euehi potest ad receptionem visionis beatæ, etiam si aqua v.g. non posset; ita in materia naturali proportio ad supernaturalem formam recipiendam, & ad componendum vnum per se cum ea producta à Deo supra exigentiam, & actiuitatem totius naturæ colligitur sat probaliter ex ordinatione formæ tanquam actus substantialis incompleti ad perficiendum subiectum, & componendum cum ipso vnum per se; colligitur etiam ex inclinatione materiæ ad formam substantialem in genere.

11 Comprobatur secundò positiuè eadem formæ illius possibilitas ex diuini verbi ad Christi corpus vnione Hypostatica, quæ substantialis est, materialis, & supernaturalis. Quid ni ergo possibilis erit forma substantialis materialis, quæ supernaturalis sit? Tertiò, quia non est vnde repugnet accidens aliquod supernaturale materiale, calor scilicet, aut lux exigens connaturaliter effici ab igne, aut sole eleuatis, postulansque inhærere ipsis. Ergo neque repugnabit forma materialis respiciens materiam naturalem vt subiectum sibi debitum. Consequentia obtinet suam probitatis speciem. Antecedens admittitur à pluribus quantùm ad non repugnantiam lucis supernaturalis materialis, Eademque est ratiò de calore: quantùm verò ad exigentiam solis, & ignis, vt principij effectiui, & vt subiecti receptiui, non subit animum ratio vlla contradictionis præsertim cum existant accidentia supernaturalia, quæ postulent principium partiale effectiuum, & subiectum adæquatum, quod naturale, sit, & spirituale.

12 Ripalda disp. 23. de ente supernaturali sect. 3. num. 12. & Arriaga disp. 16. Physicorum sect. 1. numer. 10. indicant, possibilem esse formam, quam exploramus; licet secundus tomo 1. in 1. p. disp. 3. num. 12. moueat litem contra eam potiùs de nomine, quàm de re; quòd videlicet talis forma, cum esset compars naturæ, seu partialis natura, non posset esse supra omnem naturam; quia non posset esse supra se ipsam. Sed hic parui momenti scrupulus euincitur à patronis possibilis substantiæ supernaturalis spiritualis. Herice in 1. p. disp. 48. cap. 5. num. 66. Marcus Antonius Alos, & Orraca 1. p. selectarum disp. 3. c. 3. §. 5. à num. 109. Franciscus Felix in tract. de visione Dei c. 2. difficultate 1. num. 10. Ataujus 1. p. q. 12. art. 5. dubio 1. num. 45. tradunt, impossibilem esse formam substantialem supernaturalem corpoream; nihil tamen afferunt, quod æquè non faciat contra spiritualem, aut contra substantiam completam supernaturalem incorpoream; quodque meo iudicio valdè premat P. Tellez p. 3. Philosophiæ disp. 54. sect. 1. n. 21. vniuersim ait, repugnare formam supernaturalem substantialem; quia si non repugnaret, esset essentialiter pars entis completi supernaturalis, cum verò nullum detur ens completum supernaturale, nisi Deus; foret pars Dei: quod implicat, quia Deus non habet partes. Cæterùm restat probandũm, soli Deo competere posse, quòd sit ens completum supernaturale: imò non est constans inter Theologos, Deum esse substantiam supernaturalem, in sensu, quo disquiritur, an sit possibilis substantia supernaturalis creata? P. Recupitus lib. 6. de Deo vno q. 3. cap. 9. num 70. refert admissam fuisse à nonnullis possibilitatem formæ substantialis supernaturalis. Ipse verò n. 71. eam inficiatur, additque. *Dabilem autem esse formam, quæ non sit modus substantialis, sed sit substantia corporea; & tamen sit in ordine supernaturali, non reperio apud Authores: & videtur ex terminis ipsis continere aliquod inconueniens.* Fugit me hoc inconueniens: & ratio, quam aduersus formam substantialem supernaturalem siue spiritualem, siue corpoream subiicit in fine numeri, iam est enodata in num. 7. & 9. Quapropter nisi ex ratione communis substãtiæ supernaturalis absolutæ creatæ ostendatur repugnantia formæ absolutæ substantialis supernaturalis corporeæ, nunquam asseram, hanc esse impossibilem. Hactenus autem nec legi, nec audiui argumentum, quo demostretur implicantia contradictionis in substantia creata absoluta, quæ supernaturalis esset; quia ipsi connaturalia forent aliqua accidentia superantia exigentiam omnium substantiarum creatarum, de facto existentium, similiumque aliarum, & habentia conditionem diuersam à donis gratiæ, & gloriæ modo cognitis, ex fide aut Theologia; nam hæc nulli substantiæ creatæ absolutæ connaturalia esse per se, contendi late in tract. de visione Dei; & nunc eò magis de lector media hac opinandi via quò

quò nobiliorem eius patronum aduocare possum præceptorem quendam meum sapientissimum in commentariis ad 1.p S.Thomæ prope diem euulgandis magno rei Theologicæ incremento.

12 Nihilominus haud quaquam affirmabo, formam Empyream esse supernaturalem, quia de funtrationes, quæ insignem adeò nouitatem suadeant, scriptis initio sectionis respondeo. Primæ, destinationem Empyrei in gloriam supernaturalem nullatenus arguere supernaturalitatem formæ Empireæ. Quid enim illi gloriæ conducat, locum, inquo continentur Beatorum corpora, constare forma, aut materia supernaturali? Secundæ, si claritas Empyrei sit supernaturalis, non numerandam inter proprietates formæ Empyreæ, Probabilius est, naturalem esse. Sed de hoc in sect. 5. Exercit. 10. & de Angelici Præceptoris mente in Exercit. 32.

SECTIO III.

An forma Empyrei sit vitalis.

13 Empyreum non habere animam rationalem colligitur à paritate ex Anathemate, quo feritur à quinta synodo Generali error Origenis tribuentis eam cælo sydereo lib. 1. Periarchon cap. 7. lib. 5. & 8. contra Celsum. lib. 1. in Ioannem, Homilia extrema in Numeros, licet ab illo retulisse pedem videatur, tum Dialogo de recta in Deum fide, tum lib. 1. in Iob (si hoc opus sit Origenis) verba synodi hæc sunt, teste Nicephoro lib. 17. historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. *Si quis dicit, Cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quasdam esse, & materiales* (fortè *rationales*, vt ipse Nicephorus cap. 27. refert ex Origene) *virtutes, anathema sit.* Legitur idem anathematismus in epistola Iustiniani Imperatoris ad Mennam, cuius epistolæ meminit Georgius Cedrenus in compendio Historiarum anno 25. Iustiniani, & Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in Breuiatio de causa Nestorij, & Eutychetis cap. 23. inquiens fuisse postea approbatam à Viglio Pontifice Romano, verba epistolæ hæc sunt apud Cardinalem Baronium tomo 7. anno Christi 538. n. 65. *Præterea hoc quoque Origenis demonstrat amentiam, quod affirmat, cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ super cælos sunt, animatas esse, & quasdam virtutes ratione vtentes.*

14 Eundem errorem damnat in Origene S. Hieronymus scribens ad Auitum, & in cap. 1. Isaiæ v. 2. nec non in cap. 45. v. 12. in cap. 8. Matthæi. v. 26. atque in cap. 1. Genesis v. 1. quo loci allegatur ab Scoto in Reportatis Parisiensibus super 2. dist. 14. q. 1. n. 10. Nec consensit Origeni in cap. 2. ad Ephesios v. 14. & in cap. 1. Ecclesiastis. v. 6. Nam inpriori loco, solùm ait, Christi Crucem profuisse terræ & cælo, idest, hominibus, & Angelis, vt proximè subiungit. Quare sine causa Vazquez tomo 2. in 1. p. d. 183. cap. & n. 1. dubitat de priori loco. S. Thomas 1. p. q. 70. art. 3. inquit, S. Hieronymum videri in posteriori accedere ad Origenem, & idem de S. Isidoro Hispalensi cap. 27. naturæ rerum, vbi S. Hieronymum transcribit, liceret dicere. Sed Pereyra lib. 2. in Genesim n. 28. & Lorinus in cap. 1. Ecclesiastis v. 6. interpretantur S. Hieronymum recto sensu, licet eius Discipulus Philippus Præsbyter lib. 2. in Iob, cap. 25. scribat, *Multi globos syderum corporatos spiritus arbitrantur*, ob locum videlicet Ecclesiastis. Rufinus inuectiua 1. in S. Hieronymum causatur ipsum, quòd in cap. 1. ad Ephesios v. 22. tradiderit, astra esse animantia rationalia. Sed S. Doctor Maximus loquutus est ibi non ex propria sententia, vt ad similes obiectiones Ruffini respondet in Apologia. 1. Consule Franciscum à Messana in difficilibus Hieronymi, verbo *Sol*, & verbo *Angelus* pericope tertia, ne offendas in Angelorum per Christi Crucem purgatione, quam in cap. 1. ad Ephesios v. 22. & in cap. 2. v. 14. proponit explacito etiam alieno. Eusebius Cæsariensis lib. 7. de Preparatione Euangelica cap. 2. deserit Origenem; etsi in Apologia pro ipso sub nomine S. Pamphyli Martyris dixerit, *De sole autem, & luna, & stellis vtrum animantia sint, an exanima? manifestè non traditur*, in sacris scilicet litteris, ideoque velit vtrumlibet posse sentiri.

15 S. Damascenus lib. 1. de Fide Orthodoxa cap. 6. & in Historia Barlahami, ac Iosaphati, Procopius Gazeus in cap. 1. Genesis. v. 6. in cap. 13. Isaiæ v. 13. S. Maximus in cap. 2. S. Dionysij de Hierarchia cælesti §. 4. aliique Patres recensi à Connimbricensibus lib. 2. de cælo cap. & q. 1. art. 2. Claudio Espenræo in tract. de cælorum animatione, Auersa q. 33. Philosophiæ sect. 7. Bubalo in Commentationibus Angelicis q. 51. quæsito 2. difficultate 1. à §. 3. vsquead 6. execrantur in cælo sydereo rationalem animam. Author lib. de cognitione veræ vitæ inter opera S. Augustini cap. 6. inquit. *Qui syderea rationabilia, vel saltem sensibilia corpora arbitrantur iure sensu carentes inter irrationabilia computantur.* Cassiodorus in Psal. 148. v. 4. *cæli substantia, quamuis pura, liuida atque egregia, esse putanda sit, dignaque talibus, ac tantis habitatoribus suis, tamen animal esse non comperi, & temerarium est ex opinione hominum dicere, quòd cælestium litterarũ non tradit authoritas.*

16 Articulus Parisiensis damnat erroris animationem cælorum. Eam esse falsam, & erroneam pronunciant S. Bonauentura in 2. dist. 14. art. 3. q. 2. n. 30. Capreolus in 2. dist. 9. q. & art. 1. Petrus Aquila in 2. dist. 14. art. 3. q. 1. Gabriel ibidem q. vnica art. 3. dub. 2. Tarantasia apud Carthusianum ibidem q. 4. Ioannes Stephanus Durandus lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. n. 26. Catharinus, & Pereyra apud Tannetum tomo 1. disp. 6. q. 2. dub. 5. n. 11. Delrius lib. 1. disquisitionum, Magicarum cap. 3. q. 1. Eusebius Nierembergius lib. 2. historiæ naturæ cap. 9. Tellez p. 2. Philosophiæ disp. 43. sect. 1. n. 3. Pineda in cap. 1. Ecclesiastis v. 6 Petauices tomo 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de opificio sex dierum cap. 12. n. 3. Bisciola tomo 2. hor. subsec. lib. 17. cap. 1. vt alios tam antiquos, quàm recentes prætereant; Sed Non silebo Gersonem, qui in Trilogio Astrologiæ Theologizatæ propositione 13. parte 5. fol. 115. asseuerat, esse de fide, Angelos non animare cælum. Neque item omittam à S. Thoma in 2. distinct. 18. q. 2. art. 3. ad 3. dici: *Supposito secundùm fidem nostram, quòd cælum sit corpus inanimatum, nihilominus &c.* S. Thomam in hoc loco imitati sunt Petrus Martinez lib. 3. de Anima. cap. 9. ad textum 61. Dominicus Sotus lib. 8. Physicorum q 3. ad 4. Ioannes Gonsalius Martinius lib. 2. Physicorum pag. 160.

17 Vnde mirandum est, Caietanum in Psalmum 135. v. 5. ad notasse, multos Philosophos rationabiliter opinari, quòd cæli sint animati; & in hanc partem propendisse ipsum 1. p. q. 3. art. 1. iterùmque tract. de Indulgentiis. Mirandum etiam est, Aureolum

Aureolum in 2.disp.14. Villalpandum lib. & c.2. de cælo, quosdamque alios apud Auersam suprà, eandem tenuisse partem non multis abhinc annis, & Florianum Nannium in Catena argentea ad c.1.Genesis v.16. in solutione ad 5. relinquere inter problemata vitam rationalem cælorum.

18 S.Thomas lib.2.contra Gentes.c.70.quodlibeto 12.q.5.art.8.& alibi obseruat, ad fidei doctrinam nihil pertinere, siue dicatur cælum animatum vita intellectiua,siue non. Excusandus tamen est exinde, quòd in corpore Synodi quintæ vniuersalis non extet decretum relatum à Nicephoro, & epistola Iustiniani Imperatoris approbata à Pontifice Maximo Vigilio, sit recenter addita. Hieronymus de la Rua tomo 2. controu.9. positiua pag. 835. sequutus Magistrum Ioannem Gallo Dominicanum, ait, nulla egere Angelicum Doctorem excusatione; quia ab eo Concilio exploditur tantùm vita cælorum per animas rationales immersas ipsis ob flagitia perpetrata olim in statu separationis. Violentissima est, & nimis certa ista Synodi interpretatio: satisque foret,nostrum erga Angelicum Doctorem humile obsequium gratanter acceptare, quàm Concilij verba, & mentem adeò violenter distorquere, adeóque curtè limitare, vt cælestibus corporibus concreatas rationales animas non percellat. Sed antequam S.Thomæ scriptis subducamus manum, oportet obseruare cum in præcitatis locis censuerit, non esse sententiam fidei, quòd cælestia corpora haud animentur,consequens esse vt tunc simul putarit non esse sententiam fidei, quòd moueantur ab Angelis, & non à se;quo pacto mouerentur, si essent animata. Præuidit illationem hanc Valentia tom.1.disp.4.q. & puncto 1. v. *deinde* vt indicant ista verba, *Ad motum cæli videtur sufficiens virtus aliqua cælorum;maximè si cæli essent animâ præditi; quod vtrum ita sit nequaquam euidenter definiri poteſt; tametsi verius sit, animatos non esse cælos.*; quod esse creditum, & non ratione conclusum ait Scotus in 2.dist.14.q.1.in fine.

19 Quicquid de hoc sit anima intellectiua cælorum videtur exclusa à Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio,in c. *Firma* de summa Trinitate & fide Catholoca;nō enim ibi agnoscitur alia creatura spiritualis præter Angelicam,& humanam:si autem cæli præditi essent anima intellectiuâ, componerentur, vt creatura humana, & corpore, & spiritu. Hæc authoritas deseruit etiam ad probandum quod supposuimus in limine sectionis 2. nimirùm Empyreum non constare forma substantiali spirituali.

20 Iam ergo,si in cælo sydereo detestatur Synodus præfata, Viglius Pontifex Romanus, Patres Ecclesiæ, & Theologi rationalem animam; æquè illam in Empyreo damnarent. Sed & vegetatiuam, ac sensitiuam respuunt in sydereo non pauci Patres, & frequenter Philosophi; ac Theologi; rationesque, quibus mouentur, pariter refutandam in Empyreo conuincunt. Nuper stellis vitam loco motiuam concessit eruditissimus Eusebius Nierembergius lib.6.curiosæ Philosophiæ cap.25. insinuante iamdiu eandem in cælo Sydereo vitam Raymundo Lullo cap.37. Artis breuis. Sed cum Empyreum permaneat immotum; nullus aperitur disceptationi campus, & anima, quæ sit merè loco motiua, exosa est Philosophis contra Ægidium Romanum, & Caietanum lib.2. de Anima cap.3.

21 Postremò rationibus agendum contra animam siue intellectiuā siue sensitiuam, siue vegetatiuam Empyrei. Prætermissis compluribus, tres tantùm produco. Prima, Empyrei fini haud quaquā conducit vlla opperatio vitalis nec apparet bonum, cuius gratia animetur hoc cælum. Secunda, In Empyreo nec ratione, nec experientia hactenus est comperta operatio aliqua animastica. Ergo incunctanter neganda est ei anima, vti negatur mari, aeri, terræ, igni eo quòd nullum iudicium vitæ in illis dignoscatur. Aureolus suprà, art. & q. 2. ad 8. ob duas has rationes remouet animam ab Empyreo, quicquid sit de aliis cælis. Tertia, si Empyreum viuenti forma constaret, eaque spirituali, & habente solummodò gradum rationalis, sequeretur, talem fomam posse, quantùm ex se est, existere naturaliter conseruatam extra materiam, quam informaret, proindeque sequeretur, Empyreum compositum posse, quantùm ex se est, corruptionem naturaliter subire: sequeretur præterea, talem formam non magis naturaliter vniendam corpori Empyreo, quam ipsi, aut humano Angelum; nam eius formæ operationes omnes essent spirituales, neque adiuuarêtur ex ministerio sen uum,quibus supponitur carere corpus Empyreum. Si verò id constaret forma viuenti spirituali, & habente gradum non solùm rationalis, sed vegetatiuæ etiam, & sensitiuæ, non vitaretur naturalis corruptibilitas compositi Empyrei, & toties alteraretur Empyreum, quoties operationes vegetatiuas ac sensitiuas exerceret; imò in continuo esset incremento, & decremento partium materiæ ratione vegetationis. Prætereà quædam organa in Empyreo ad functiones materiales, quinam sensus externi, & interni? Quodnam alimentum, vt se nutriat? Ex hinc pariter probatur, Empyreum non constare forma viuenti, quæ solum sit vegetatiua, aut vegetatiua simul, & sensitiua. Et hæc satis. Vide alia apud Auersam præallegatum, Dandinum lib.2.de Anima, digressione 11. Abulensem in cap.23. Exodi q.47. duabusque sequentibus.

SECTIO IV.

Vtrum forma Empyrea superet in perfectione alias cælestes & sublunares?

22 PRima conclusio: Forma Empyrea superat in perfectione alias cælestes. Probatur primo, nobilior proprietas formarum cælestium est lux; sed hæc aut perfectior est in Empyreo, aut saltem cumulatior ex formæ Empyreæ exigentia: Ergo talis forma excedit in perfectione reliquas cælestes. Nam, quò aliqua qualitas præstantior est, aut intensior, eò in forma, cuius est proprietas, arguit maiorem perfectionem præ aliis formis, quæ cum in simili qualitate communicent non tamen penes perfectam adeò speciem, aut cumulatam intensionem. Secundò, Empyrei forma communiter censetur indestructibilis ex natura sua non sic tam communiter formæ aliorum cælorum, quas corruptibiles vi causarum naturalium existimarunt Philosophi plerique Aristotele antiquiores, permultique ex Patribus Ecclesiæ, quibus consensere Authores recitandi n.7. Exercit.12. Neque desunt, qui de facto in cælos inuehant generationes nouas, & corruptiones. Tunc sic formæ aliorum

aliorum cælorum, si destructibiles sint viribus agentium naturalium, non habent alia prædicata, quibus compensetur excessus incorruptibilitatis, qua gaudet forma Empyrea. Ergo hæc eas superat absolutè, & simpliciter in perfectione. Tertiò, Empyreum vendicat sibi locum sublimiorem inter corpora alia cælestia. Hæc autem eò perfectioribus ornantur formis, quò sunt constituta sublimiori in situ, vt doctè firmant Conimbricenses lib.2. de cælo cap.5. q.2. Rubius ibidem q.4. si excipiatur sphæra solem deferens, aut ipsum solare corpus ob rationes speciales, quas præfati Authores adducunt.

24 Secunda conclusio: Forma Empyrea perfectior est formis sublunaribus inanimis. Probatur primò formæ elementorum eo sunt perfectiores, quò ipsa elementa superiorem occupant locum. Ergo cum Empyreum adeò sit in situ superius elementis ipsis, eius forma erit perfectior, quàm singulorum elementorum formæ. Quoad Antecedens consulantur Connimbricenses lib.4. Physicorum cap.5. q.3. Probatur secundò, ex incorruptibilitate formæ Empyreæ. Tertiò, ex influxu in corpora elementaria, quem ei non pauci tribuunt. Quartò ex communi existimatione de formarum cælestium præ elementaribus, & inanimatis mixtorum præstantia.

25 Tertia conclusio: Forma Empyrea est absolutè, & simpliciter imperfectior formis viuentibus. Fauet Durandus in 2. dist. 2. q. 1. num. 6. Probatur primò ex eo, quòd inanimis sit. *Cuilibet autem non viuenti substantia natura lege præponitur qualibet viua substantia.* Vt inquit S. Augustinus in lib. de vera Religione cap. 29. Idque manifestum pronuntiant S. Thomas 1. p. q. 3. art. 1. in corpore S. Anselmus in Monologio cap. 29. S. Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animæ cap. 5. lib. 3. cap. 6. Guitmundus Archiepiscopus Auersanus lib. 2. de sanguinis, & corporis Christi veritate in Eucharistia. Et quidem persuasio frequens peritorum præponit gradui naturæ non viuentis gradum viuentis, & maioris perfectionis putat esse functionem vitalem, quàm non vitalem. Vnde S. Augustinus lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 4. ex operationibus vitalibus muscæ præfert ipsam soli. Videantur Rupertus lib. 2. in Genesim cap. 11. Procopius Gazæus in cap. 4. Genesis v 2. Fonseca 7. Metaphysicæ c. 7. q. 2. Hemelman in disputatis ad 1. p. titulo 3. disp. 1. cap. 14. num. 19. tit. 4 disp. 1. cap. 50. num. cap. 16. num. 4. Vellosillus in aduertentiis ad 5. tomum S. Hieronymi quæsito 1. Conimbricenses lib. 2. de cælo cap. 1. q. 2. art. 2. Tellez parte 2, Philosophiæ disp. 43. sect. 1. num 4. Probatur secundò. Si inter formam Empyream, & rationalem fiat comparatio. Etenim forma rationalis est substantia spiritualis, independensque in conseruari à materia; & præterea est intellectiua, & volitiua. Forma autem Empyrea est substantia materialis, dependens in conseruari à materia, incapaxque intelligendi, & volendi.

Hinc Prudentius lib. Apotheosis carmine contra Ebionem canit.

Crede, animam non esse Deum, sed crede creatis.

Maiorem cunctis———————

S. Chrysostomus Paræneſi 2. ad Theodorum lapsum scribit, *Animâ pretiosius nihil est. Idque ne illis quidem, quiad extremam dementiam deuenerunt ignotum est, Cum anima nihil est æquiparandum,* dixit *Poeticè quidem ex prophanis.* Prudentius, & S. Chrysostomus in his encomiis hyperbolicum quid sonant, vt inferiùs constabit. Philippus Abbas lib. 2. in Cantica cap. 21. ait: *Animæ tali non Angelus, non qualibet maior est creatura: solus ille maior est, cui creatori par nulla potest effici creatura.* Loquitur de Anima Christi; deque & de nostris ibidem inquit, *esse eiusdem cum Angelo, vel similis natura: sunt enim vnius quasi generis rationis merito huiusmodi creaturæ.* Quæ postrema verba temperant nonnihil duritiem priorum. Plura ex aliis pro præcellentia, & dignitate rationalis animæ colligit Bernardus de Busto 2. parte Rosarij serm. 10. parte 2. vbi concludit: *Anima dignior est cælo Empyreo, in quo est collocanda; nam plerumque contentum dignius est continente: sicut lapis pretiosus suam capsellam valore transcendit* S. etiam Bernardinus Senensis tom. 1. serm. 50. pag. 302. inquit, *si quasi infiniti Empyrei cæli, & illius nobilitatis crearentur à Deo, adhuc anima celsior, ac nobilior remaneret.* Et quod caput est, S. Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 34. eandem præstantiam animæ humanæ commendat aureis his verbis, *Anima natura, nec terra, nec maria nec sydera, nec luna, nec sol, nec quidquam omnino, quod tangi, aut his oculis videri potest; non denique ipsum, quod videri à nobis non potest, cælum, me ius esse credendum est. Imò hæc omnia longè deteriora esse, quàm est qualibet anima, ratio certa conuincit, si modò eam veri amatores ducentem per insolita quadam, & ob hoc ardua, constantissimè, atque obseruantissimè sequi audeant. Si quid verò aliud est in rerum natura præter ista, quæ sensibus nota sunt, & prorsus, quæ aliquod spatium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem ruinam humanam esse diximus. Si quid ergo aliud est eorum, quæ Deus creauit, quiddam est deterius, quiddam par; deterius, vt anima peccans; par, vt Angelus: melius autem nihil. Etsi quando est aliquid horum melius, hoc peccato eius fit, non naturâ. Quo tamen non vsque adeò fit deterior, vt ei pecoris anima præferenda, aut conferenda sit.* Hactenus S. Augustinus; in quo intentè pende illa. *Non denique ipsum, quod videri à nobis non potest, cælum.* Adumbrat enim ibi Empyreum, ni me mea fallit opinio. Augustinianus liber 83. quæstionum in 54. pro animæ laudatione legantur, vt & liber 3. contra Maximum in cap. 25. liber 33. q. 3. de libero arbitrio in cap. 11. S. Bernardus lib. 5. de Consideratione ad Eugenium, simulque aduertentia 7. Vellosilli ad S. Augustini quartum tomum. Item ipse S. Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 15. lib. 1. Retractationum cap. 26. vbi rationalis animæ, cum Angelo quam tradiderat æqualitatem, recantat; & meritò quidem, nam Angeli in perfectione excessus videtur esse de fide ob verba Psalmi 8. v. 6. *Minuisti eum Paulò minus ab Angelis* vt contra Origenem lib. 1. Periarchon cap. 5. & 8. lib. 2. c. 8. tractant S. Athanasius q. 27. ad Antiochum S. Thomas 1. c. q. 75. art. 7. Schola Parisiensis anno 1526. titulo 28. contra Erasmum. Valentia tomo 1. d. 6. q. 1. puncto 2. Nicolaus Ysambertus 1. p. ad q. 50. disp. 1. art. 2. cum Arboreo aduersus Georgium venetum, Connimbricenses disp. 1. de Anima separata art. 7. Sfortia in selectas summorum Pontificum constitutiones, theoremate 146. Suarez lib. 1. de Angelis c. 1. Arriaga tom. 2. in 1. p. disp. 1. sect. 2. licet Philippus Abbas vbi supra velit, ex parte coporis, non verò animæ hominem antecelli ab Angelo. Nec possunt aptari Philippo interpre

interpretationes, quas pro S. Augustino, & S. Bernardo adornant Suarez, atque Arriaga.

26 Leuia sunt, quæ contra præcedentes conclusiones mihi sese offerunt extricanda. Primum, forma Empyrea est incorruptibilis naturâ sua, ratione inseparabilitatis á materia. Ergo superat in perfectione materiales omnes animas, cum hæ sint ex naturâ sua corruptibiles. Secundum, Materia Empyrea est perfectior omni materia sublunari. Ergo vt seruetur proportio inter materiam, & formam Empyream, debet hæc nobilior esse omni sublunari forma. Respondetur ad primum, formam Empyream titulo incorruptibilitatis esse secundùm quid perfectiorem materialibus animabus; vt ob eundem titulum perfectior est eis materia prima; quam tamen inter substantias absolutas tenere simpliciter, & absolutè locum infimum, nullus negat. Dices cum Auersa q.33. Philosophiæ sect. 7. formam Empyream præcellere saltem in perfectione simpliciter, & absolutè vegetatiuas planetarum animas, & sensitiuas animalium, quæ fiunt ex putri materia; quia harum animarum non sunt insignes adeò naturæ, & operationes, vt debeant simpliciter, & absolutè præferri substantiæ, & operationibus formæ Empyrei. Sed contra, quia nisi omne viuens sit perfectius simpliciter, & absolutè omni non viuente, non apparet specialis ratio, cur etiam animabus materialibus perfectiorum animalium non debeat præponi forma Empyrea, & quæuis alia cælestis, vt benè notat Ioannes Pontius in 2. Scoti dist. 14. q. 13. in commentario n. 19. Dices rursus, formas cælestes producere principaliter aliquorum animalium imperfectorum formas: nulla enim est alia causa secunda, cui attribui possit pincipaliter productio eorum animalium. Ergo formæ cælestes non sunt simpliciter, & absolutè ignobiliores formis talium animalium, si quidem causa principalis debeat excedere, aut æquare effectum in perfectione. Contra, quia Deus solus est causa principalis animalium, quæ absque propagatione gignuntur, & multis in casibus recurrendum est ad Deum, vt ad solam causam principalem creatorum effectuum. Ad secundum respondetur negando Antecedens; & eo permisso, consequentiam. Nam non est, vnde suadeatur, formam debere esse in eodem excessu perfectionis, quo fuerit materia, quam afficit, & informat; quandoquidem non ex eodem fonte, quo deriuatur, & crescit perfectio in materia, deriuetur, & crescat in formis. Vt autem seruent proportionem inter se materia, & forma Empyrea, satis est aptitudo recipiendi, quam illa habet, & aptitudo informandi, quam hæc, vt patet in materia recipiente animum rationalem, à quo longè distat in perfectione.

SECTIO V.

An Empyrea forma educta sit ex potentia materiæ?

27 NEgant Fonseca 5. Metaphysicæ cap. 2. q. 4. sect. 2. v. *Excluditur*. Suarez disp. 15. Metaphysicæ sect. 2. num. 17. & de opere sex dierum lib. & cap. 1. num. 11. Connimbricenses lib. 1. Physicorum cap 9. q. 12. art 5. v. *Proposita*. Granadus 1. p. controu. 6. Generali disp. 2. & communiter Thomistæ tractantes de forma cæli syderei cuius eadem est ratio, ac de forma Empyrei, si illius materia non habuerit prius formam æquæ, Affirmant verò Author opusculi 42. inter alia S. Thomæ cap. 15. (sed iudice Caietano in tomo 3. suorum opusculorum tract. 4. intrusum est) Molina 1. p. q. 45. art. 1. v. *corpora simplicia* Vazquez ibidem art. 4. Præpositus de opere sex dierum dub. 3. & in q. illa 45. dub. 1. num. 5. vbi specialiter agit de forma Empyrea, Auersa ad eandem q. 45. sect. 1. & q 20. Philosophiæ sect. 7. nec non q. 33. sect. 2. Gabriel Aluarez in cap. 43 Isaiæ v. 1. Rubins lib. 1. Physicorum, tract. & q. 2. num. 17. Petrus Hurtadus disp. 4. Physicorum sect. 2. §. 17. disp. 3. de opere sex dierum sect. 2. §. 22. Arriaga disp. 3. Physicorum sect. 4. num. 33. tomo 2. in 1. p. disp. 28. sect. 1. ac 2. Franciscus Alfonsus disp. & sect. 3. Physicorum num. 28. Bartholomeus Amicus tract. 6. Physicorum q. 4. dub. 1. art. 3. num. 20. q. 5. latiùs in dub. 1. & sequentibus, Hieronymus Fassolus 1. p. q. 44. art. 4 dub. 1. num. 8. & 10. Petrus Vincentius de Marçilla, annotatione 1. in cap. 1. Genesis, Chrysostomus Caberus tract. 1. Physicorum disp. 4. dub. 2. à num. 11. sermonem habens de Empyrea forma. Tellez p. 2. Philosophiæ disp. 13. sect. 1. num. 10. Murcia de la Vana lib. 1. Physicorum disp. 6. q. 1. Ego his adstipulor. Vt monstrem, qua ductus ratione, opus est longa, sed non vulgari digressione.

DIGRESSIO.

Quid sit materialem formam educi ex potentia materiæ.

28 VOlunt aliqui, nihil aliud esse quàm dependere secundùm se à priori à materia. Non acquiesco, Tum quia potest dari dependentia ab alio à priori, vt præcisè à conditione; quæ dependentia non esset eductio ex illo alio habente se præcisè vt conditione. Tum quia animus rationalis primò non producitur naturaliter nisi in in materia præcedente pro priori, vt subiecto; nec tamen educitur ex potentia materiæ, sed creatur, & infunditur corpori, vt in Conciliis Viennensi, & Lateranensi sub Clemente V & Leone X. definitum est. Inquies, educi esse dependere in fieri, & conseruari ab alio vt subiecto; animum autem rationalem, licet dependeat in fieri à materia vt subiecto puræ informationis, & receptionis, non tamen in conseruari. Contra primò, saltem animus rationalis educetur ex potentia materiæ in primo fieri, Et cognitio si eius essentia consistat in qualitate, potest diuinitus terminare creationem cum dependentia perpetua, & connaturali ipsius cognitionis secundùm se ab anima & subiecto receptionis. Secundò, materia dependet in fieri, & conseruari à forma substantiali, & nihilominus non educitur ex potentia formæ. Haud effugies vim argumenti, si respondeas, materiam non dependere à forma vt subiecto receptionis; quòd vlteriùs requiritur, vt educeretur ex potentia illius. Asseram enim ego, formam materialem dependere quidem in fieri, & conseruari à materia, non verò vt à subiecto receptionis. Vel explica quid addat subiectum illud dependentiæ in fieri, & conseruari, vt id, quod ab alio dependet vt subiecto receptionis in fieri, & conseruari, educatur ex potentia illius. Præterea vnio materiæ ad formā

potest creari iuxta plures? cum tamen nequeat non dependere in fieri, & conseruari ab vtraque. Item creatio materiæ, si consistat in modo, dependet essentialiter ab ipsa materia. Nec valet dicere, vnionem, & creationem dependere à materia non vt subiecto receptionis, sed adhæsionis. Inde namque sumam ego ocasionem, vt affirmem, sic dependere formas materiales à materia.

29 Volunt alij, in dependentia speciali formæ materialis à materia imbibi eductionem ex huius potentia. Etenim forma dependet à materia. At non à posteriori, cum materia non sit effectus formæ. Rursus non dependet tanquam modus à re, cum saltem diuinitus possit existere forma accidentalis, & substantialis sine materia. Tandem non dependet tanquam à conditione, cum materia non sit conditio disponens ad existentiam formæ; neque sit approximatio ad passum. Tunc sic: nullus alius modus dependentiæ restat, nisi dependentiæ ab ea vt subiecto, ex cuius potentia educatur. Ergo &c. Inductio hæc proba non est, nam potest forma materialis dependere à materia vt à conditione pro priori requisita tam ad fieri, quàm ad conseruari sui, quin educatur ex potentia materiæ; vti potest intelligi dependentia à posteriori in fieri, & conseruari, quin intelligatur eductio ab eo, à quo datur dependentia pro posteriori. Dices, dependentiam ab alio vt subiecto in fieri, & conseruari esse formaliter eductionem. Contra, non repugnat forma, quæ materialis sit ex tali dependentia; cum tamen educi non valeat ex potentia materiæ. Quare si conciperemus, formam dependentem in fieri, & conseruari à materia, eam præcisè ex hinc putaremus materialem, sufficienterque distinctam à forma spirituali. Ego talis formæ repugnantiam non video.

30 Hinc repudiantur alij, qui in materialitate formæ fundant eductionem ex potentia materiæ. Et enim vt sit aliqua entitas materialis, satis est dependentia physica à materia siue educatur, siue non ex huius potentia. Adde, committi ab illis vitiosum circulum, dum ex materialitate formæ probant eductionem, & ex eductione materialitatem. Adde etiam, non declarare ab illis, quid sit formam spiritualem accidentalem educi ex potentia subiecti spiritualis.

31 Alij probant, formas materiales educi ex potentia materiæ, quia producuntur ab agentibus creatis per virtutem naturalem; ea autem agentia carent virtute naturali ad creandum. Promouent suam mentem sic; quia ad præsentiam vnius ignis videmus alium ignem de nouo existere, colligimus, vnum ignem esse causam efficientem alterius, & vnum in sua potentia continere alium. Ergo cum videamus materiales formas dependere à materia, colligere debemus hanc esse causam illarum, continerique illas in eius potentia, & educi ex ea. Hi, prætterquàm non explicant vniuersim, quid sit formam materialem educi ex potentia materiæ si quidem & ab agente increato potente per virtutem naturalem creare, eductæ fuere penes ipsos formæ cælestes, non admodùm firmo innituntur fundamanto. Dici namque potest, materiales formas produci ab agentibus creatis per virtutem naturalem, ab eisque generari; quippe adhoc satis esse videtur causari cum dependentia in fieri, & conseruari à materia vt subiecto præsupposito pro priori, quin opus sit ipsam materiam causare vel formas, vel vniones. Vt autem vel formas, vel vniones educerentur ex potentia materiæ, vlteriùs requiritur causari ab illa. Ad confirmationem responderi valet, ex dependentia præcisè ignis *B* ab igne *A*, non colligi hunc esse causam illius, alioqui ex dependentia vnius hominis ab alio, colligeretur, animam etiam rationalem causari ab homine. Si addant, rectè vt minus colligi causari vnionem. Respondebitur, neque præcisè ex dependentia deduci hanc causari; sed ex eo, quòd vnio debet habere causam sui efficientem, quæ commodissimè censetur esse alius homo. Hinc etiam vnus ignis censetur satis philosophicè esse causa effectiua alterius; cum hic debeat habere causam efficicientem, & non superet in perfectione alium ignem; aliundeque nulla specialis ratio vrgeat in oppositum. Ast fortassè aliquis assignabit rationem, qua reddatur difficilis causalitas materiæ in formas materiales, eductioque harum ex illius potentia; saltemque videbitur sufficiens causalitas effectiua agentium naturalium, & dependentia ipsarum formarum in fieri, & conseruari à materia vt subiecto præsupposito pro priori.

32 Mihi videtur dicendum primò, si materia influat physicè in formas materiales, has educi ex potentia illius, nihil aliud erit, quàm fieri dependenter ab influxu præstito ab illa vt à causa, *ex qua fit aliquid, cum insit.* Anceps tamen sum in præfato influxu admittendo. Eum Arriaga disp. 8. Physicorum sect. 1. vertit in dubium, inficiatus est absolutè Lessius lib. 3. de summo Bono à num. 49. eiusque discipulus insignis Ægidius Conink. citandus infra, & ante ipsos subobscurè negarunt Ægidius Romanus quodlibeto 2. q. 12. Iacobus Almainus in 3. dist. 23. quæst. 1. circa finem. Dominicus de Soto super 2. Physicorum quæst. 3. ad 3. principale, super 1. quæst. 6. paulò post initum, nec non dubio 5. quæst. etiam 7. ferè per totam. Iacobus Zabarella lib. de Generatione, & interitu in fine capitis 11. fortèque alij relati à Bartholomæo Amico in tra. 10. Physicorum q. 3. num. 1. & quæst. 5. num. 1. à Balthasare Tellez parte 2. Philosophiæ disp. 25. sect. 1. num. 4. dum erga formam materialem in fieri non agnoscunt causalitatem aliquam orram à materia.

33 Meæ ambiguitatis ex promo causas. Prima, non apparet necessitas illius influxus, cum sine illo detur optimum discrimen inter generationem, seu eductionem & creationem, vt inferius expendam. Secunda, adstructo influxu physico causæ materialis, non est, in quo differat causa purè materialis, qualis est materia respectu materialium formarum substantialium, à causa materiali simul, & efficienti, qualis est eadem materia respectu suarum proprietatum, quas in communi sententia, & materialiter, & efficienter causat. Nam materia quatenus etiam efficiens immanenter quantitatem v. g. exigit vnionem cum illa. Tertia, si materiæ conceditur influxus physicus materialis in formas materiales substantiales, non est, cur negetur vni formæ substantiali materiali physicus influxus effectiuus immediatus in aliam, negatur autem à pluribus: quos aliter vrgeo sic: Si forma substantialis materialis potest effectiuè influere in aliam per potentiam effectiuam immediatam distinctam ab ipsa; cur materia non poterit physicè influere materialiter in formas substantiales materiales per potentiam materialem immediatam; quæ distincta sit à materia? Et saltem cur hæc non influet immediatè effectiuè informas substantiales

ſubſtantiales materiales, vt ſingulariter cogitauit Ægidius Calumnenſis quodlibeto 2.q.2. Quòd ſi amandes influxum effectiuum, quia abſque eo ſufficienter effectiuè cauſantur formæ ab agentibus extrinſecis, ablegare etiam debes materialem, quia abſque iſto rectè omnia conciliantur. Si recurras ad imperfectionem materiæ, ne ſit effectiua tot formarum ſubſtantialium, & accidentalium; ad eandem ego recurro, ne ſit phyſicè influxiua materialiter. Quid enim prodeſt, influxum materialem exigere vnionem termini, in quem tendit, ne illi obſtet imperfectio materiæ? Addo, poſſe terminum cauſatum materialiter, ſeu eductum non vniri cauſæ materiali, vt ſentiunt Gerardus Sennenſis in 1.diſt.8. quæſt.3. art.2.v. *Secundò patet*, Petrus Hurtadus diſp.5. Phyſicorum §.53.& Arriaga diſp. 4. num.117. Ioannes Gonſalius Martinus lib.1. Phyſicorum pag.89. Bartholomæus Amicus tract.6. Phyſicorum q.4. dub. 2.num.7. tract.10. quæſt.& art.3. num.7. Non enim eſt fundamentum ad ponendam eſſentialem connexionem inter eductionem, & vnionem, cum ſufficiat connexio naturalis, vt diſtinguatur actio eductiua à merè effectiua, quæ nec naturaliter exigit vnionem. Et ſanè materia, ac forma materialis, non poſtulant eſſentialiter vnionem; & eductioni ſatis erit, ſi eſſentialiter reſpiciat agens, & terminum promanantem ex influxu phyſico paſſi. Addo rurſus, cauſam effectiuam partialem, qualis eſſet materia non debere æquare in perfectione effectum. Si confugias ad improportionem materiæ, ad eandem ego confugio, ne vlla ratione influat phyſicè. Plures ex aduerſariis iudicant, non repugnare materiam, quæ ſit perfectior ſubſtantiali aliqua forma; quam ergo habebit improportionem, vt partialiter hanc efficiat? Et in materia recipiuntur complura accidentia diſtincta à proprietatibus ipſius, quæ vulgò putantur ſuperari in perfectione à materia. Si ad materiæ indifferentiam tranſuoles, illa poterit determinari ad influxum effectiuum ex conſortio agentium extrinſecorum, quæ ſe habent vt cauſæ principales, ſine quibus nihil valeat efficere materia, vtpotè quæ ſit cauſa effectiua inſtrumentalis, ſicut determinatur ad influxum materialem. Si denique recurras ad æqualitatem in perfectione, quam cum igne *B*. v.g. habet ignis *A*. proindeque dicas, non eſſe, cur productio effectiua illius tribuenda ſit alteri cauſæ creatæ, quàm huic. Ratio hæc inefficax eſt in principiis P.Suarez diſp.18. Metaphyſicæ ſect. 2. Balthaſaris Tellez p.2. Philoſophiæ diſp.27. ſect.3. Bartholomæi Amici tract.12. Phyſicorum q.10. dub.3. art.3. & 7. Murciæ 2. Phyſicorum diſp.5. quæſt.10.Rubij in Phyſica longiori tract. de cauſa efficienti. quæſt.5. licet reuocarit in breuiori q.6. Connimbricenſium lib.2.Phyſicorum cap.7.q.18. art.2. & 3. Caberi tract.2. Phyſicorum diſp.5. dub.4. iuxta quos calor debet gaudere vi effectrice inſtrumentali formæ igneæ: eſto ignis *A*, ſit æquè perfectus, ac ignis *B*. producendus. Et ſaltem obeſſe non debet, ne diuinitus à materia paſſi poſſit effectiuè produci forma ignea. Deinde ex hac ratione ego reiicio influxum materialem ortum à materia, vtpotè ſuperuacaneum, & nullo Philoſophico introductum fundamento. Vt enim ſtatuis, agens naturale non poſſe naturaliter operari, niſi in ſubiecto præſuppoſito, licet hoc non præſtet influxum effectiuum in formam, & licet hæc non ſuperet illud in perfectione: ita ego ſtatuo ſimiliter, quin inueniam rationem, ob quam neceſſe ſit ſubiectum præſuppoſitum præſtare influxum materialem.

34 Quarta, incredibile eſt, aquæ formam influere phyſicè in calorem, quo ipſa deſtruitur. Si ob id dicatur calorem non recipi in aquæ forma, ſed in materia; contra, tum quia æquè incredibile eſt, materiam influere in qualitates contrarias formis, quas poſſidet; tum quia, cum in forma aquæ recipiantur gradus frigiditatis, debent etiam recipi gradus caloris, à quibus illi expelluntur; contraria enim ab eodem ſubiecto ſe ſe deturbant. Si dicatur rurſus, non magis incredibile eſſe, formam aquæ influere phyſicè in calorem, quàm intellectum efficere actum erroneum ipſi diſconuenientem. Nec ſequitur, intellectum, & aquam pati violentiam à ſe ipſis, dum concurrunt in effectus, quorum priuationem appetunt vel ob imperfectionem debitam, quam impediunt; non enim ad eos ſe ſe determinant. Fateor, nonnihil vim rationis retardari. Semper tamen ingerit difficultatem, quòd entitas aliqua influat phyſicé in aliud non ſolùm diſconueniens, ſed etiam deſtructiuum ipſius. Si tandem dicatur, calorem non recipi niſi in ſola quantitate quicquid ſit de hoc ſententia, pauci ex Aduerſariis eam defenſant. Quinta, Theologis, ac Philoſophis familiare eſt, concedere aquæ v.g. potentiam obedientialem paſſiuam gratiæ, non verò effectiuam. Si autem cum potentia obedientiali paſſiua gratiæ eſſet coniunctus influxus aliquis phyſicus materialis in gratiam, eſto imperfectior, quàm effectiuus, non diſpicio, qua conſequentia poſſet hîc negari. Neque item video, cur plures Theologi (citati à Ripalda diſp.42.de ente ſupernaturali num.2. quibus adiicio Metarium tract.de ſacramentis diſp.4. ſect.8. Vuadingum diſp.7. de Incarnatione dub.4. num.36. Franciſcum Amicum diſp.5.de ſacramentis ſect.3.à n.64. & præclarum Metaphyſicorum Fonſecam lib.9. Metaphyſicæ cap.1. quæſt.4. ſect.3.v. *Dicendum*) negarent potentiam obedientialem actiuam entitatibus non effectiuis phyſicè naturaliter, ſi omnis entitas creata ſit actiua per influxum materialem. Quòd enim hic ſit imperfectior effectiuo, nihil prodeſt, nec repugnare videtur entitas effectiua naturaliter, quæ in hoc genere operetur æquè imperfectè, ac materia prima in genere actiuæ per influxum materialem. Ais actus ſupernaturales ſunt ſupra virtutem etiam paſſiuam naturæ, vt conatur Ripalda diſp.8.num.19. Ergo virtus paſſiua præſtat aliquem influxum; aliàs non eſſet, cur exhaurietur virtus paſſiua naturalis; neque cur limitaretur aer v.g. ad patiendum tot gradus caloris, & non plures. Reſpondeo, ſæpe limitari virtutem paſſiuam, non quia hæc præſtet aliquem influxum, ſed quia vel natura præſcripſit terminum in intenſione qualitatum, vel quia deficit influxus effectiuus agentis intrinſeci. Legatur Petrus Vuadingus d.7. de Incarnatione dub.5. n.51. vbi docet, cauſam materialem, quantùm ex ſe eſt poſſe naturaliter ſuſtentare infinitos effectus. Dona autem ſupernaturalia ideo ſunt ſupra virtutem paſſiuam naturæ, quia ſunt ſupra exigentiam cuiuſlibet ſubiecti naturalis. Nec vllus antiquorum Theologorum meminit influxus materialis ſupernaturalis præſtandi à natura in dona ſupernaturalia; & ex Modernis vnus, aut alter meminit. Ripalda ipſe diſp.26.ſect.4. explicat potentiam obedientialem paſſiuam independenter ab

ab influxu materiali supernaturali. Confirmatur proxima ratio; ad causandum adæquatè aliud in genere causæ materialis, non requiritur perfectio æqualis cum causato, neque item debet crescere virtus, quò fuerit perfectius id, quod causandum est. En exempla: si materia sublunaris distinguatur specie à cælesti, illa non debet esse perfectior hac ex eo præcisè, quòd ordinetur ad causandum perfectiores formas, quales sunt viuentes. Sed quia id negant aliqui memorati in n.45. exercitationis præcedentis. En aliud Aer, quin accrescat noua virtus sustentatiua, causat materialiter lucem, & sonum. Theologi, etsi controuertant, an ex perfectiori potentia obedientiali effectiua cũ æquali auxilio supernaturali euadat perfectior effectus? Et alij affirment, alij negent; nullus tamen, quẽ sciam controuertit id de potentia obedientiali passiua; neque asseruit, ex perfectiori cum æquali eleuatione proditurum nobiliorem effectum. Tunc sic: si causa materialis exhibeat influxum physicum, difficulter adinuenietur discrimen inter ipsam, & effectiuam.

35 Sexta, si in anima rationali respectu actuum conducentium ad salutem æternam, quorum est subiectum sustentatiuum, concedas influxum prædictum, non cogeris ad effectiuum ex sanctione Concilij Tridentini sessione 6. cap.5. & can.4. Etsi enim anima non efficiat eos actus, sed tantùm patiatur, non sequetur, *nihil omnino agere*. Quid? Quod ex Tridentino coincidunt, *nihil omnino agere, & merè passiuè se habere*. Ergo quia penes ipsum causa merè passiua nihil agit sed agitur, & mouetur, quin moueat, vt etiam traditur à S. Damasceno cap.5. Physicæ; consonatque S. Cyrillus Alexandrinus l.1. in Ioannem cap.6. inquiens, *Aliud est viuificare, aliud viuificari, sicut agere atque pati*. Premo ampliùs hanc rationem voluntatis creatæ libertas ad actus conducentes in salutem æternam, nequit solummodò consistere in eo, quòd eos patiatur. Ita decernitur in Concilio Tridentino supra. Atqui si voluntas creata, vt causa passiua eorum actuum præstaret aliquem influxum physicum, posset consistere ipsius libertas in patiendo præcisè tales actus. Etenim influxus physicus materialis ortus à voluntate creata seorsim ab effectiuò eiusdem voluntatis, posset esse liber, non minus, quàm dum est coniunctus, aut identificatus effectiuo secundùm Aduersarios: ita quidem vt orietur à voluntate indifferenti in actu primo proximo ad vtrumlibet, & determinanti se in actu secundo per ipsum præcisè influxum physicum materialem ad vnum extremum, potiùs, quàm ad aliud, videlicet ad amorem v.g. Dei potiùs, quàm ad odium. Nec dicas voluntate non posse præcisè per influxum physicum materialem determinare reliqua comprincipia, vt efficiant amorem, eo quòd sit causa minus nobilis, vtporè materialis. Non inquam, id dicas, nam voluntas influens efficienter in amorem, determinat Deum, gratiamque ad effectionem amoris, qui principalius efficitur à Deo, & à gratia, quàm ab ipsa nostra voluntate. Vt ergo vitetur inconueniens propositum, adstruendus non est in causa passiua influxus physicus.

36 P. Arriaga disp.8. de anima sect.1. & tomo.1. in 1.2. disp.7. sect.1. admittit quidem de facto influere effectiuè voluntatem nostram in actus salutares. Sed ait, neque ex Concilio Tridentino, neque ex ratione libertatis conuinci existentiam influxus effectiui, si in voluntate admittatur influxus sustentatiuus instar eius, quem habet materia erga formas materiales. Non ex ratione libertatis ob argumentum à nobis factum. Non ex Tridentino Concilio; quia dummodò voluntas influat substentatiuè, non aget nihil omnino, neque se geret merè passiuè, sicuti se gerit materia respectu animæ rationalis. Concludit itaque, satis esse ad mentem Concilij, si voluntas exhiberet liberè influxum sustentatiuum. Nihilominus mens, & verba synodi exposcere videntur influxum effectiuum. Legantur Suarez tomo & prolog.1. de gratia cap.2. Ripalda de ente supernaturali d.29. Et notetur, synodum contra ponere nostram voluntatem in animatis principiis, quibus competit sustentatiuus influxus. Ergo alius, qui sit effectiuus conuenire debet voluntati. Rursus notetur. Lutherum damnatum in eo Concilio comparare voluntatem luto, aut rotæ, quando figulus ipsis impulsum imprimit, aut formam effingit. At rota sustentat impulsum, & lutum formam effictam. Ergo voluntas aliquid ampliùs præstare debet in actus salutares. Et de effectiua actiuitate requisita ad liberum principium creatum, censuit antiquus Theologus Bassolis tam altè, vt scripserit, *positionem*, quæ in libero arbitrio creato potentiam purè passiuam agn. s.it, *esse falsam, & iudicio suo perniciosam, & periculosam, & contra rationes, & authoritat. s sanctorum, & sententias Doctorum in articulis Parisiensibus contentas, & contra authoritates Philosophorum*. Sic in 2. disp.25 q.1. art.2. eandem ferè censurã iterat in 3. dist.33. q.2. & a 2. in priori loco velis, remisque contendit, effectiuam entiuitatem requisitam esse in causis creatis liberis: nec minori conatu Durandus in 2. dist.24. q.2. Olkot q.3. determinationum. Scotus in 2. dist.25. q.1. aliique recensi, & imitati à Bellarmino lib.3. de gratia, & libero arbitrio cap.10. atque 11. Petro Fonseca lib.9. Metaphysicæ c.1. q.5. sect.3. Theophylo Raynaudo in disciplina morali disp.2. q.1. art.2. num.92. & sequentibus. Suario tomo 1. Metaphysicæ disp.19. sect.2. à num.19. Petro Hurtado disp.15. de Anima sect. 1. à §.3. Ouiedo contro.12. de Anima puncto 3. vbi mordet interpretationem, quam Tridentino Concilio excogitat Arriaga.

37 Septima, si causa materialis influat physicè, poterit eius influxus suppleri naturaliter ab alio agente creato perfectiori. Vnde sequeretur, posse ex natura rei agens creatum producere terminum sine causa materiali, ac proinde creare. Octaua, poterit Deus concurrere in genere causæ materialis, non quatenus recipiat in se formam materialem, sed quatenus in eam præstet influxum physicum, qui distinctus sit à receptione. Et sic concessit Fonseca 5. Metaphysic. c.2. q.12. sect.2. ac 3. iterumque lib. & cap.7. quæst.3. sect.4. Bartholomæus Amicus tract. Physicorum q. & art.3. num.7. referens Durandum, & Capreolum, adhæsit Fonsecæ, cuius opinio cum communiter displiceat, debet etiam displicere influxus physicus causæ materialis creatæ, in quo, vt in cardine, veritur Fonsecæ opinio, difficilis euerti, nisi cardo remoueatur. Nona, poterit causa materialis exercere illum influxum physicum in formam non solùm non penetratam, sed & distantem. Et ita etiam concessit Fonseca in priori loco sect.2. v. *Quod si eos* inquiens, non repugnare de potentia Dei absoluta, quod materia exerceat causalitatem sustinentiæ erga formam distantem, licet repugnet, quòd exerceat causalitatem

receptionis

receptionis; causalitas autem, quam sustinentiæ quoad esse formæ materialis vocat ipse, est influxus physicus, de quo litigamus. At per se notum apparet Aversæ quæst. 14. Philosophiæ sect. 7. aliisque Authoribus, repugnare omnino, quòd causa materialis assumatur a Deo ad causandum indistans; non enim concipiunt, quo alio modo, quàm per intrinsecam sui communicationem queat causare materialis causa. Imò vix concipiunt, posse causare nisi per intimam penetrationem. Aduerterim tamen, opus reuera non esse, quòd causa materialis sit intimè penetrata, & præsens formaliter effectui, si non repugnet conseruari causam materialem, & eius effectum ipsi vnitum, quin vllam habeant vbicationem. Et siue causa materialis præstet influxum physicum in formam indistantem positiuè localiter, siue non præstet; nihilominus forma neque per se ipsam, neque per vbicationem causæ materialis erit indistans positiuè localiter ab hac. Non per se ipsam, quia potest simul cum causa materiali variare præsentias ad spatia. Non per vbicationem causæ materialis, tum quia forma, præsertim si non sit modus, potest in eodem spatio conseruari per creationem, destructa causa materiali; imò & non destructa; dummodò diuinitus impediatur eius influxus physicus, aut esset actio producens formam dependenter à materia vt subiecto præsupposito pro priori; tum quia causa materialis vbicata præcedit pro priori naturæ formam, vbicatio autem formæ nequit esse prior, quàm ipsa forma; & præterea vbicatio, quæ in vno signo naturæ non exercetur circa aliquod extremum, nequit in alio exerceri: tum quia potest causa materialis diuinitus vbicari in duplici spatio adæquato, quin vtrobique vbicetur forma causata materialiter. Quapropter formæ respondebit vbicatio distincta ab vbicatione causæ materialis. Quod obseruaui obiter contra nonnullos confundentes vtramque vbicationem ratione indistantiæ positiuæ localis, seu potiùs intimæ penetrationis interuenientis necessariò iuxta ipsos inter causam materialem, & formam terminantem influxum physicum. Si dicerent, hunc influxum esse vbicationem formæ, melius quid esset in speciem; sed refutandum eisdem ferè argumẽtis,& quia alioqui toties variaretur influxus physicus,quoties materialis causa simul cum forma transiret ex vno spatio ad aliud.

38 Decima, poterit materialis causa, quin mutaretur causare, exercendo influxum physicum absque receptione formæ causatæ materialiter. Est autem in confesso apud Philosophos, & Theologos, nullam entitatem posse exercere munus causæ materialis respectu alterius, quin per alteram mutetur. Hinc Theologi constanter negant, Verbũ diuinum esse causam materialẽ vnionis hypostaticæ ad humanitatem Christi, ne alioqui sequatur, Verbum diuinum subiisse mutationem. Inquies, causam materialem mutandã saltem per influxũ physicum in se receptum, licèt non mutaretur per receptionẽ formæ, quia abesset ea receptio. Sed contra, nam Arriaga disp. 9. Physic. sect. 1. n. 3. disp. 10. sect. 1. num. 5. & 6. sect. etiam 2. num. 12. repetit, causam materialem non immutari per præcisam rationem influxus, & causalitatis materialis distinctæ ab vnione & receptione formæ in ipsa causa materiali. Et quamuis in præcitatis locis loquatur de causalitate materiali, vt est actio eductiua, seu actio, & passio independenter ab eo, quòd oriatur physicè à causa materiali, tamen cum penes Arriagam actio eductiua recipiatur in causa materiali, & hæc per illam formaliter non immutetur; cur alicui non licebit dicere, causam materialem immunem fore à formali immutatione, etiamsi in se reciperet influxum physicum à se ortum, dummodò non daretur simul receptio formæ terminantis influxum illum. Contra rursus, nam influxus ille physicus non reciperetur in causa materiali, sed adhæreret tantùm formæ, vt de modo creationis satis celebre est. Hoc pacto causa materialis esset longè à periculo mutationis, neque aliter vitari potest, & si paulò anteà in omnem partem me vertens proposuerim ex Arriaga effugium aliud mutationis.

39 Vndecima, formalis causa nullum exhibet influxum physicum in causam materialem. Ergo neque hæc in illam influet physicè. Antecedens negatur à paucis, & neque hi volunt, omnem formam influere physicè in suum subiectum, sed vt summùm formam substantialem in materiam, quos quoad hanc partem impugnare promptum cuique erit post Suarium disp. 15. Metaphysicæ sect. 8. Petrum Hurtadum, disp. 2. Physicorum sect. 8. Franciscum Alphonsum disput. etiam 2. Physicorum sect. 8. Aversam quæst. 10. Philosophiæ sect. 10. Consequentiam suadet paritas rationis. Duodecima, entitatem aliquam esse causam materialem alterius, intelligitur sufficientissimè, si accedente vnione sustentet suo quasi in sinu alteram acceptam ab alia causa, & non valentem per se stare naturaliter. Ergo frustra additur ex parte materialis causæ quidpiam, quo ipsa det, & communicet esse, atque existentiam entitati sustentatæ.

40 Sed en quidam recentiores decimæ huius rationis, & præcedentium aliquarum vim agnoscentes, dicunt, materialem causam prodire quidem in actionem sed non influere in formam, illi enim tribuit esse, sed non huic, quæ à sola causa efficiente accipit suum esse & media actione prodeunte ex materiali determinatur vt existat ab efficiente, vniaturque intrinsecè cum materiali. Hinc assignant rationem, ob quam materia non sit pura conditio sine qua non ad formam eductam, quia scilicet pura conditio neque in effectum, neque in actionem influit. Cur etiam materia non sit materialis causa animæ rationalis, nempe quia neque in hanc, neque in actionem ipsius causatiuam influit. Hinc præterea inferunt differentiam causæ materialis ab efficienti, nam ista tam in actionem, quàm in effectum influit, cum tamen altera in solam actionem, quæ est determinatio vt effectus sit ab efficiente, & vniatur intrinsecè cum materiali. Quòd sit materia exerceat simul munus vtriusque causæ, influet & in actionem, & in formam; ita quidem vt actio sit indiuiduè determinatio ad id, vt forma habeat esse intrinsecè ex materia, & in materia, habeatque esse ab illa. Insuper quia causa tantùm materialis non influit nisi in actionem, quæ est modus exiguæ valdè perfectionis, mirum non esse, aiunt, quòd materia etsi sit tam ignobilis entitas, extendat suam actiuitatem ad tot in se formas sustentandas. Si obiiciatur, causam materialem non fore causam immediatam, & proximam; sed mediatam, & remotam formæ. Respondent, actionem non mediare vt principium: quod solũ obesse posset, ne materialis causa

causa esset immmediata, ac proxima respectu formæ. Si rursus opponatur, incònceptibile esse, quòd actio oriatur actiuè à causa materiali,& non ipsa forma, ad quam actio terminatur. Accurrunt ad varia exempla, quorum vnum referam, nimirùm præmissarum, quæ sunt determinatio,vt conclusio, quæ sit essentialiter talis, existat dependenter ab habitu scientiæ, & non ab habitu principiorum, à quo ortum trahunt præmissæ. Vnde similiter poterit actio aliqua esse determinatio, vt forma existat actiuè à causa efficiente, & non à materiali, à qua existit actiuè ipsa actio. Si tandem vrgeat quis sic, igitur principium efficiens solius actionis dari etiam poterit. Aiunt, nullam eius principij necessitatem inueniri, aut vtilitatem, quia principium, cui respondeat effectus,erit effectiuum actionis, vtpote quæ minoris perfectionis sit. Hactenus ex recentioribus,quorum ingenium hæc ipsa commendant, me etiam tacente.

41 Nihilominus non acquiesco; nam in in primis si causæ materiali tribuunt influxum, vt conueniat ei definitio causæ, videlicet est principium per se influens esse in aliud, certè in hac definitione τὸ *aliud* denotat effectū in quem causa debet influere: & τὸ *influens* significat principium prodiens, vel aptum prodire in influxum, ergo causæ materiali non competet definitio causæ, si prodeat tantùm in influxum, & non attingat effectum. Deinde influxus, & causalitas est id, quo formaliter causa communicat in actu secundo esse effectui. Ita ad hoc vsque tempus intellexerunt, & loquuti sunt Philosophi. Ergo si causæ materiali concedatur influxus, & causalitas, negari ei nequit, quòd per influxum, & causalitatem communicet formaliter in actu secundo esse effectui. Rursus entitas causæ denominatur prior suo effectu per influxum, atque causalitatem; & per hanc effectus constituitur dependens ab illa. Non igitur potest concipi influxus, & causalitas, quin concipiatur effectus posterior entitate causæ,& ab ipsa dependens. Ad hæc, si semel admittitur, materiam non agere formas materiales, non continere perfectionem ipsarum, & quo ad id habere se æqualiter circa formas materiales, ac circa animam rationalem, frustra excogitatur specialis ea actio materiæ sustentantis materiales formas; imò non sine magna nouitate, & parum conformiter ad Concilium Tridentinum causalitas causæ materialis vocatur actio; nam actio,& effectio sunt synonyma, licet *influxus*, & causalitas sint quid superius ad agere, & efficere, vt notat Sotus quæst.3. super.2. Physicorum ad 3. principale. Vel ipsum nomen *influxus* vellicatur à nonnullis alia in causa, quam in efficiente. Et Chrysostomus Caberus Primarius complutēsis in Scoti Cathedra tract.2.Physicorum disp.2.dub.3. num.4. inquit, *Influere solùm conuenire propriè causæ efficienti, aliis verò causis minus propriè, formam enim se ipsam dare, influere propriè non est.* Ex quo subinfert in num. 5. materiam, & formam esse impropriè causas, & si propriè sint causæ intrinsecæ, sicut secunda intentio est propriè ens rationis, & non est propriè ens. Dissimulo alia contra Modernos illos, fateórque ingenuè, inductas rationes aduersus actionem, aut influxum, aut causalitatem physicam ortam à causa materiali inclinasse iamdiu meum animum, & assensum propè extorsisse.

42 Dicendum videtur secundò, etsi materia non influat physicè in formas materiales, has educi ex potentia illius,nihil aliud erit, quàm fieri actione effectiua dependente essentialiter ab illa vt præsupposita pro priori tanquam subiecto; ita vt quæ conseruabiles sunt, nequeant vlla ratione conseruari; quatenus productæ per eam actionem nisi existat materia,esto ipsi non sint formaliter vnitæ. Pronunciatum istud multa inuoluens, clarescet ex enodatione obiectionum sequentium.

Diluuntur nonnulla argumenta.

43 ET primò quidem deterrebit quem à negando influxu physico causæ materiali Religio in hanc causam, quam videmur cum iunioribus sui temporis memoratis, ac reprehensis à Dominico de Soto, & cum antiquioribus aliis allegatis à Bartholomæo Amico tract.10.Physicorum.q.10. relegare ex scholis,non admisso illo influxu.Nam sine illo nequit intelligi causa physica, cum causa in communi sit principium per se influens esse in aliud.Sed is sciat,teneri omnes hîc occurrere difficultati, quia omnes debent exponere in genere causam formalem sine influxu physico in subiectum. Neque absque temeritate negabitur causa formalis siue propria,siue impropria in ratione causæ vt sic, & propria in ratione causæ intrinsecæ, pro vt dicebat Caberus suprà. Nam Concilium Tridentinum.sess.6.cap.7. iustitiam in nobis receptam expertem influxus physici in animam declarat esse formalem causam nostræ iustificationis his verbis, *vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ,& non modò renouamur,sed & verè iusti nominamur,& sumus, iustitiam in nobis recipientes. &c.* Ibidem nostræ iustificationis finalem causam præscribit gloriam Dei, & Christi,ac vitam æternam: & de fine esse propriam & realem causam,& si non influat per causalitatem physicam ortam à propria entitate, tradunt vnanimi consensu Philosophi,ac Theologi apud Bartholemæum Amicum tract.13.Physicorum q.3. Ægidium Lusitanum lib. 1.de Beatitudine q. 6. art. 1. Balthasarem Tellez parte 2.Philosophiæ disp.2. q. 6.sect & n.1.contra Petrum Hurtadum disp. 13. Aminastica sect. 5. Franciscum Alfonsum.disp. 16. Physicorum sect. 5.n. 47. Insuper, si creatio consistat in volitione diuina, erit Deus efficiens causa Angeli,in quem non influet per causalitatem à se productam; idemque eueniret in entitate creata, quæ quia connecteretur essentialiter cum productione alterius (vt possibile iudicant permulti) esset se ipsa causalitas.Ob hæc ad argumentum.

44 Respondet quidam τὸ *influens* indefinitione causæ,significare idem, ac communicans, seu tribuens esse. Et verò quamuis à materia non oriatur influxus physicus,potest rectè dici communicare, & tribuere esse formis, quatenus hæc,vel eductio ipsarum nequit fieri nisi dependenter à materia præsupposita pro priori, vt subiecto. Sed non placet,quia si materia communicat, & tribuit esse formis eductis, non erit iam pura conditio ad has, siquidem pura conditio in tantùm differat à causa, in quantùm causato non communicat, nec tribuit esse.Qui autem sic respondet, totus inco est, vt materia ad formas eductas habeat se tanquam pura conditio necessaria antecedens. Quapropter dicendum est, etsi materia hoc modo

do se habeat ad formas, non tamen ad compositum, cui per sui vt subiecti intimam exhibitionem, dat esse distinctum inadæquatè ab ipsa. Influet itaque non in formas; sed in compositum; & huius sed non illarum erit causa rigorosè, geretque se vnio vt influxus, atque causalitas erga compositum, seu vt formalis ratio influendi, atque causandi. Si replices, compositum non inest materiæ. Ergo hæc non est materialis causa illius. Contra, quia compositum ratione formæ inest, vel recipitur in materia; vt omittam materiam, inesse, inexistere, seu permanere intrinsecè in cōposito; sicque intelligi à multis Aristotelicam definitionem causæ materialis, videlicet, *Ex qua aliquid fit, cum insit*, referunt namque *τὸ cum insit*, non ad causatum, sed ad causam. Si rursus replices, ergo vnico, quam concessimus, esse causalitatem, & influxum causæ materialis, producetur saltem à materia. Contra, quasi crearetur vnico (quod per te non repugnat) tunc materia erit materialis causa compositi (cui tam necessaria est materialis causa, quàm formalis) & vnico exercebit munus causalitatis, quin oriretur à materia: per te etiam vnio est causalitas formæ in compositum, nec ideò vnio producitur à forma, quæ eius est solùm terminus intrinsecus, aut subiectum adhæsionis in tua opinione. Satis itaque erit, si causalitas sit communicatio causæ ad causatum. Ex quibus aperitur via ad defensandum etiam, quòd materia sit causa materialis respectu formarum, quæ generantur, dependentque ab ipsa in fieri, & conseruari, non quia causet per influxum physicum à se ortum, sed quia vt subiectum præsuppositum communicet se intrinsecùs formis ita dependentibus; quæ communicatio erit latè influxus, & per ordinem ad eam conueniet materiæ esse principium per se influēs in tales formas, eo quidem pacto, vt hæc causæ definitio magis congruat efficienti, quàm materiali causæ formarum; seu eo pacto, conceptus causæ non sit vniuocus in vtraque causa; nam vna exhibet proprium influxum, secus alia: & forsan ob defectum eius influxus inquit S. Damascenus in Physica c. 2. causam materiam non esse propriè causam, etsi in ratione adiuuantis sit propriè causa.

45 Secundò arguitur, de conceptu eductionis est, formam eductam extrahi è potentia subiecti, in qua contineatur. Ast hoc ipso, quòd aliqua forma contineatur in potentia materiæ, actúque producatur dependenter ab illa, causatur à materia. Vti eo ipso quòd aliquis effectus contineatur in potentia alicuius agentis, actúque producatur in præsentia illius, efficitur ab eo. Ergo velimus, nolimus, materiali causæ influxum physicum in eductas formas elargimur. Respondetur, continentiam alicuius entis in potentia alterius, vel esse in potentia effectiua, vel in merè receptiua, vel in sustentatiua: cum autem materialibus formis satis sit contineri in potentia sustentatiua materiæ, & in effectiua agentis, additur sine necessitate continentia alia in potentia materiæ, vt causæ actiuæ.

46 Tertiò arguitur, ni materia causet formam materialem per influxum physicum, non erit, cur potiùs forma educatur ex potentia materiæ, quàm è contra: nihilque habebit materia præ dispositionibus requisitis ad productionem formæ, præ calore v.g. præ requisito in materia ad eductionē formæ igneæ vt ait Petrus Vuadingus d. q. de Incarnatione dub. 3. §. 2. n. 53. neque intercedet discrimen inter creationem Angelicæ substantiæ, & eductionem potentiarum illius, si Angelica substantia non influat physicè materialiter in potentias; vt enim illa nequit conseruari sine his, ita è conuerso. Respondetur ad primum inconueniens, ideo potiùs educi formam materialem ex potentia materiæ, quia hæc præsupponitur vt subiectum pro priori ad illam agentem pro sui conseruatione, vnione ad materiam. Quare sicut etsi materia non causet rationalem animum, datur titulus, cur materia sit potiùs rationalis animi subiectum, quàm rationalis animus materiæ; ita similiter. Ad secundum inconueniens dicitur, esto materia sit pura conditio ad eductionem formæ, quia neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ datur titulus, ob quem illa debeat physicè prodire in eductionem tribuens siue materialiter, siue eductiuè essentiam formæ, tamen cum hoc stat, materiam esse subiectum complebile per formam, proindeque non se habere, vt aliæ puræ conditiones, scilicet vt calor respectu formæ igneæ. Omitto, eductionem huius dependere essentialiter à materia, non sic à calore. Replicabis, materia vt existens realiter præsupponitur necessariò ad eductionem formæ, alioqui non interueniret discrimen inter eductionem, & creationem formæ, & alioqui agens naturale produceret formam ex nihilo. Sed nisi materia sit causa influxiua, non præsupponeretur necessariò, quòd enim est pura conditio ad actionem, vel non debet præsupponi realiter existens, vel non debet tale esse, vt ab eo essentialiter, & immediatè dependeat actio. Obuiam itur dicendo non esse contra conceptum puræ conditionis præsupponi realiter existentem, vt id, à quo pro priori dependeat essentialiter, & immediatè actio. Si ab essentia distinguatur existentia, hæc erit præcisè conditio, vt quæuis causa creata operetur, & actio quæuis creaturæ dependebit essentialiter, atque immediatè ab ipsa. Rursus à volitione diuina præparatiua concursus generalis habet dependentiam essentialem, & immediatam quilibet effectus creatus, quin in illum influat physicè vt principium, & causa volitio, sed omnipotentia. Premes eductiua actio non dependet essentialiter nisi à sui termino, & causis, sicut creatiua non aliam habet essentialem dependentiam; ideoque materiam sine forma substantiali conseruandam eadem actione creatiua, docetur communiter, quia scilicet forma neque est terminus, neque causa creatiuæ actionis. Sed contra, quia plures distinguentes actionem eductiuam formæ ab huius vnione ad materiam, sentiunt, eam actionem dependere essentialiter ab vnione, etsi vnio neque terminus, neque causa sit actionis; sed tantùm conditio subsequens. Ergo similiter à pura conditione antecedenti poterit essentialiter dependere actio eductiua. Quod additur de actione creatiua materiæ, si verum sit, vlteriorem aliam exposcit rationem, de qua alibi. Ad tertium inconueniens respondetur, productionem substantiæ Angelicæ non dependere à potentiis, vt à subiecto præsupposito pro priori per modum puræ conditionis; quo pacto productio potentiarum dependet à substantia Angelica. Vnde elucet manifesta differentia inter productionem Angelicæ substantiæ, & potentiarum illius. Itaque ea actio erit creatio, quæ non dependeat in conseruari ab alio vt subiecto; ea verò erit eductio; quæ dependeat in conseruari à subiecto vt à conditione pura præsupposita pro priori, quæ dependentia saluatur optimè sine influxu subiecti, vt liquet in creatione animæ rationalis

nalis pro primo instanti, pro quo dependet à materia præsupposita pro priori, quin hæc in illam influat physicè. Imò negato influxu physico meliùs videtur declarari discrimen inter eductionem, & creationem. Nam si creatura possit diuinitus creare vt causa instrumentalis, poterit anima producere per creationem actum intellectionis; non enim est contra naturam creationis, quòd vniatur agenti. Eo in casu implexè exponent aduersarij, qui differat productio illa creatiua à causalitate materiali, quam ex natura rei præstat anima in actum intellectionis, quamque ipsi identificant cum causalitate effectiua orta ab eadem anima.

47 Quartò obiicitur, fieri diuinitus potest, vt accidens materiale, vel forma materialis substantialis recipiantur in materia, quin educantur ex huius potentia, sed creentur, & per se existant: Ita defensant Gerardus Senensis in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 2. v. *secundò*. Ripalda disp. 7. de ente supernaturali sect. 2. à num. 19. Auersa q. 12. Philosophiæ sect. 3. Tellez parte, 2. Philosophiæ dispnt. 25. sect. 1. num. 15. Bartholomæus Amicus tract. 11. Physicorum quæst. 7. dub. 4. art. & conclus. 2. Additque Ripalda, posse etiam fieri, vt accidens supernaturale producatur quoad entitatem creatione, & quoad vnionem eductione. Et quod plus est, non repugnat, modos vnionis, subsistentiæ aliósque similes, qui se ipsis vniuntur subiectis, terminare creationem, vt tuentur Petrus Hurtadus disp. 22. de Incarnatione sect. 3. & disput. 12. Physicorum sect. 5. Arriaga disput. 4. Physicorum num. 122. Franciscus Alfonsus disput. 15. Physicorum n. 27. Ouiedus controu. 13. Physicorum punct. 2. n. 2. Ioannes Gonzalius Martinius lib. 1. Physicorum pag. 88. Hemelman in disputatis ad 1. p. titul. 11. disp. 12. c. 2. At hæc omnia repugnabũt cum nostro modo declarandi conceptum eductionis. Ergo &c. Respondetur, negãdo Minorem quoad formas non modales, etsi enim accidentales & substantiales recipiantur in materia, sine qua nequeãt naturaliter conseruari, tamen fieri possunt tali actione, quæ quantùm est ex se, queat illa conseruare independenter à materia. Talis autem actio erit creatiua, sufficienterque distinguetur ab eductione, siquidem hæc debeat essentialiter dependere in conseruari ab alio vt subiecto siue influente, siue præsupposito pro priori, vt pura tantùm conditione. Ideo dixi num. 41. formas materiales educi ex potentia materiæ nihil aliud esse, quàm fieri per actionem effectiuam non valentem vlla ratione eas conseruare sine materia præsupposita proprios vt subiecto.

48 Hinc deduces à fortiori contra Lessium lib. 12. de perfectionibus diuinis cap. 16. libr. 3. de summo bono cap. 4. Auersam quæst. 71. Philosophiæ sect. 4. Cardinalem de Lugo disput. 12. de Incarnatione sect. 2. num. 17. præfatas formas, si creentur, terminaturas diuersam causalitatem effectiuam, ac dum generarentur per actionem distinctam à causalitate materiali, quia effectio creatiua esset incompossibilis essentialiter cum causalitate materiali, quam essentialiter postularet effectio generatiua, vt sileam creatiuam effectionem fore entitatiuè supernaturalem, & è contra entitatiuè naturalem effectionem generatiuam, quia illa foret supra exigentiam totius naturæ; hæc autem conformis exigentiæ naturalium formarum. Vt item omittam, Deum supplentem influxu effectiuo materialem quem formæ petant ex natura rei, debere operari diuersa actione, ac validioris. Legesis Coninkum 3. part. quæst. 77. artic. & dub. 1. Deinde inferes, etsi productio formæ in subiecto, sine quo nequit naturaliter conseruari, sit ex natura rei indicium eductionis, non tamen simpliciter, & absolutè, quandoquidem productio formæ in subiecto non valentis ex natura rei conseruari sine ipso, possit esse creatiua. Deduces etiam è conuerso, & si productio formæ in subiecto, sine quo queat naturaliter conseruari, sit ex natura rei indicium creationis, non tamen simpliciter & absolutè, cum possit diuinitùs forma aliqua educi ex subiecto, sine quo queat naturaliter conseruari. Annuant, necesse est, illi, qui animum rationalem generari posse non renuunt, attenta potentia Dei absoluta, quos inter recenseo Theophylum Raynaudum in Theologia naturali dist. 3. quæst. 1. artic. 8. num. 78. Petrum Vuadingum disp. 7. de Incarnatione dub. 5. Franciscum Alfonsum disp. 15. Physicorum sect. 4. à num. 31. Eis si assentiaris, dicito, tunc producendum animum in materia per actionem, quæ in conseruari dependeat essentialiter ab illa, ita vt animus quatenus productus per talem actionem nequeat vlla ratione conseruari sine materia, licet tali actione deficiente conseruaretur per creatiuam naturaliter exactam, quæ vel coextitisset cum eductiua, vel de nouo adueniret. Gabriel, qui sect. 44. in Canonem Missæ putat, Angelum diuinitus generari posse; & qui id ipsum affirmant de materia, habent munitam viam, vt discurrant, nisi aliunde impediantur ratione indicata à S. Thoma opusculo 32. cap. 1. quòd scilicet *materia non habeat subiectum aliquod, de quo per actionem educi possit, quia materia non est materia, vnde materia non est generabilis, quia omne, quod generatur ex materia generatur*, seu debet afficere vt forma, vel saltem vt sic debet posse afficere aliud vt subiectum, id enim opus est ad generationem alicuius entitatis: neque materia neque Angelus possunt eo modo se habere, siquidem materia nequeat fieri forma, & Angelus nequeat fieri entitas incompleta instar formæ.

49 De formarum modalium creatione non sine distinctione loquendum est. Si enim producantur in subiecto, ex quo aliàs educuntur ex natura rei, iudico, productionem non posse non esse eductiuam, cum non possit non esse effectiua terminorum non valentium vlla ratione conseruari nisi vniti sint subiecto, in quo fiunt. Hic autem est ipsissimus eductionis conceptus. At verò si modi producantur aut sine subiecto (vt de modo vnionis continuatiuæ inter partes materiæ opinantur Bernad. dict. 12. de Incarnatione sect. 1. numer. 38. & Franciscus Alphonsus disputat. 2. Physicorum sect. 10. numer. 144. ac de modo vnionis integralis inter partes quantitatis in Eucharistia vt Ouiedus controuers. 13. Physicorum puncto 5. numer. 2.) aut producantur in subiecto, ex quo aliàs non educuntur ex natura rei (vt si modus subsistentiæ vniatur alteri naturæ à propria) censeo, terminare posse creationem, cum valeant fieri per actionem, quæ quantùm est ex se, queat illos conseruare, aut sine subiecto absolutè, aut sine subiecto in quo producuntur. Inquies, contra priorem partem, eductionem importare producti termini dependentiam ab alio vt subiecto præsupposito pro priori; posse verò modum sic produci in subiecto sibi connaturali, vt dependeat solùm à posteriori, vel à concomit

concomitante. Contra, quia negato influxu physico causæ materialis in formas eductas, nequit intelligi, in quo alio consistat, formam modalem dependere à priori ab alio vt subiecto præsupposito, quàm in eo, quòd producatur vnita subiecto sine quo nequit vllatenus conseruari. Sermo est de vnione ad subiectum receptionis; quia vnio ad subiectum adhæsionis stat cum creatione in sententia docente, creationem esse modum adhærentem termino creato; is enim modus non educitur, sed creatur, nec dependet à priori ab alio, vt subiecto præsupposito, etsi producatur vnitus subiecto adhæsionis, nequeatque conseruari absque illo. P. Arriaga disp. 8. Physicorum sect. 1. n. 3. ait, illam entitatem generari, quæ à subiecto dependet saltem à posteriori, etiam si ab ipso non causetur. In quibus verbis alludit ad creationis modum, de quo anteà fuerat loquutus. Et in disp. 9. sect. & subs. 4. n. 64. non recusat admittere, eum modum generari, si negetur ad generationem requiri influxum physicum subiecti. Quod enim terminum creet, non obstat generationi sui, vti inhæsioni subsistentiæ non obstat, quòd reddat substantiam independētem à subiecto inhæsionis. Sed certè absurdum videtur, actionem cratiuam esse generationem sui ipsius, & vix euitari posset, Angelum non esse simul creatum, & genitum vi eiusdē actionis; siquidem creari, vel generari terminum non aliud sit, quàm esse creatam, vel genitam actionem terminatam ad ipsum. Hoc tamen omisso, si generetur ex Angelica substantia modus creatiuus eiusdem substantiæ, ineuitabilis est mutua prioritas inter vtrūque; nam modus vt potè actio productiua substantiæ tanquam termini distincti, præcedet natura substantiam, & ipsa substantia præcedet saltem vt conditio modum, id namque, ex quo aliquid generatur non potest non præcedere hoc saltē pacto entitatem generatam. Præterea vnio Hypostatica etsi educatur ex humanitate, non tamen ex verbo diuino præsupposito ad ipsam vnionem vt termino purè intrinseco. Ergo multò minus terminus creatiuus educetur ex effectu creato, qui minus præsupponitur ad modum, quàm verbum diuinū ad vnionem. P. Franciscus Amicus tomo de Angelis disp. 2. sect. 8. conatur, dependentiam vnius ab alio à priori, vt à forma intrinseca, qualem dependentiam in sententia plurium Thomistarum habet materia à forma substantiali non officere creationi rei sic dependentis: quæ doctrina, si vera esset, ministraret à fortiori arma contra generationem modi creatiui.

50 Quinto arguitur, duratio, si sit distincta à re durante, & tempore, educitur è subiecto in vno instanti, sine respectu ad sui in aliis conseruationem, quæ est prorsus impossibilis; siquidem duratio sit essentialiter transiens. Dico totum id verum esse in illa hypothesi, & durationis eductionem saluari præcisè in actione dependente essentialiter à subiecto pro priori non nisi per vnum instans. Vnde patet sensus illorum verborum in n. 42. *Ita vt qua conseruabiles sint*, &c.

51 Sexto, & vltimò opponitur (omissis aliis non magni momenti propositis à Ioanne Martinez de Prado p. 2. Metaphysicæ contro. 4. art. 2. § 4.) forma potest esse educta ex materia quin ei vniatur formaliter, eamue compleat, & perficiat, vt nos teximus ex probatis Authoribus n. 33. Ergo eductio è subiecto non est productio termini in ipso; materia enim non erit subiectum formæ, quæ ei vnita non sit. Respondetur, materiam respectu formæ eductæ, & non vnitæ formaliter ipsi, fore quidem subiectum sustentatiuum, licet non foret receptiuum. Quare non se gereret vt prior natura præcisè, sed vt prior per modum subiecti. Ideo scripsi num. 42. opus non esse ad eductionem formæ ex materia, vt huic illa sit formaliter vnita. Sed de hoc in num. 33. & pleniori manu in sect. 4. Exercitationis aduenientis. Interim sciendum est, actionem eductiuam formæ, cuius vnio ad materiam diuinitùs suspenderetur, distinguendam ab actione creatiua, quatenus illa dependeret semper, & essentialiter à materia, vt priori per modum subiecti ipsam recipientis in se; hæc verò non sic dependeret, quoad primam existentiam, neque quo ad sui permanentiam. Et quamuis creatiua actio animæ rationalis connectatur in prima sui existentia cum materia vt priori; at non connectitur cum ea vt sui subiecto receptiuo; neque item vllo in instanti præsupponit eam essentialiter vt aliqua ratione antecedentem; quin potiùs etiam ex natura rei in reliquis instantibus præter primum, potest conseruare rationalem animam se iunctam à materia. Vnde obiter manet solutum quoddam argumentum subtilis Doctoris in 4. dist. 1. quæst. 1. conclus. 2. vbi enititur probare inseparabiles omnino esse generationem formæ & eius cum materia vnionem. Finio digressionem notans, materiam, etsi non influat physicè in formam materialem posse dici naturam respectu huius: nam erit principium, quod vt tale præcisè nōn requirit influxum physicum; & simul erit causa modo declarato in numer. 44. etsi sæpè vocata sit à nobis pura conditio ob defectum illius influxus.

REGRESSIO.

Empyrei forma educta fuit ex potentia materiæ.

52 Etenim producta fuit à Deo in materia, quæ sine vt subiecto nequit naturaliter conseruari. Ergo producta fuit à Deo ex potentia materiæ. Consequentiam esse legitimam constat ex digressione proxima; cum Deus in productione formæ Empyreæ se gesserit vt author naturæ, effectio autem formæ in subiecto, sine quo nequit naturaliter conseruari est ex natura rei indicium eductionis, vt obseruabam supra: colligitúrque ex S. Thoma 1. part. quæst. 90. art. 3. ad 2. dicente, *Actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia. Sed quia animus rationalis non habet esse suum dependens à materia corporali, sed habet esse subsistens, & excedit capacitatem materiæ corporalis, vt supra dictum est propterea non educitur de potentia materiæ.*

53 Antecedens probatur primò, Empyrea forma est materialis; res verò materialis exigit dependentiam in conseruari à materia, vt & spiritualis independentiam. Secundò, accidentia materialia Empyrei dependent in conseruari à materia vel ab alia re materiali. Ergo & forma substantialis, cum conceptus substantiæ non excludat hanc dependentiam. Tertiò, si forma Empyrea esset independens à materia, non deficeret ex separatione ab hac, ac proinde esset immortalis, & corruptibilis secundùm se, non minus quàm rationalis animus; & præterea Empyreum esset naturâ sua corruptibile ratione separabilitatis naturalis à materia repertæ

repertæ in forma Empyrea. Quartò si forma hæc non dependeret naturaliter à materia, esset sic operatiua extra ipsam; non enim est, cur dependeat in operari si non dependeat in suo esse. Hinc (vt subiiceam notum exemplum rationalis formæ intelligentis naturaliter extra corpus) accidentia Eucharistica separata à materia operantur sine nouo miraculo quia præter quantitatem reliqua non dependebant immediatè in suo esse à materia, vel quia tota virtus operandi competens accidentibus perseuerat,sicut anteà, qua posterior causalis liberior est à veritate opinionum,& ab impugnationibus;sufficitque, vt exemplo accidentalium formarum operantium naturaliter, dum existunt extra materiam, ostendatur potiori iure operaturam sic substantialem formam existentem naturaliter seiunctam à materia,retineret namque totam virtutem agendi, & aliunde in suo esse non dependeret à materia etiam mediatè. Tunc sic:sed forma Empyrea non est naturaliter operatiua extra materiam, quod suadetur à paritate aliarum formarum materialium substantialium.Quis expertus est,ignem fugientem à materia ob introductionem alterius formæ calefacere & exurere? Quin omnes experimur,formas materiales sublunares produci ab agētibus creatis. Hæc autem nihil independens à materia,vel à re materiali,valent naturaliter producere;alioqui vim creatiuam etiam vnionum haberēt, si vniones possent creari. Quintò,si forma Empyrea non penderet naturaliter à priori à materia,tanquam à subiecto,sed posset naturaliter conseruari sine ea,non apparet ratio,ob quam materia Empyrea depēderet naturaliter à posteriori ab ipsa forma Empyrea,vel ab alia substantiali, & ob quam non posset existere naturaliter,ac conseruari sine omni forma. Ex quo sequeretur, materiam neque cum forma Empyrea,neque cum quauis alia substantiali posse componere vnum per se substantiale. Huius absurdi sequela manet deducta in n.8. Argumentū præsentis regressionis ostendit,quàm è diametro, & quàm non immeritò opponamur Ioanni Thomasio q.4. Physicorum artic.2. §. *& aduerte*, Lermæ lib.1. Physicorum q.14. Ioanni Martínez de Prado 2.p.Metaphysicæ contr.4. art.4.§.5. opinantibus, formas cælestes fuisse quidem creatas naturaliter,sed diuinitus potuisse educi.

Obiiciuntur,& dissoluuntur aduersantium rationes.

54 MVltis in nos insurgunt aduersarij,tum ab authoritate;tum à ratione. Ab authoritate quidem arguunt primò,quia Geneseos primò dicitur, *In principio creauit Deus Cælum.* Ergo cæli Empyrei,(de quo ibi) forma non fuit generata, seu educta;sed creata. Similiter in symbolo vocatur Deus *creator Cæli.* Debile argumentum:nam in Genesi simul dicitur Deus creasse terram; & in symbolo simul vocatur Deus creator terræ, *& omnium visibilium*: quin omnia visibilia fuerint presse creata;& formam terræ generatam,ac eductā fuisse,Suarius, vnus ex aduersariis,fatetur disp.15.Metaph.sect.3. n 7. Et hunc Authorem possumus aliunde vrgere exemplo gratiæ habitualis, quam educi concedit lib. 8. de gratia c. 2. etsi in sacris oraculis nomine creationis exprimatur eius infusio à Deo notetur cum Gabriele Aluarez in Isaiam c.43 v.1. verbum creo rarò in scriptura Sacra significare productionem rei ex nihilo seu ex nullo præsupposito subiecto;sed communiter significare idem, ac *Produco*, & id exornatur concinnè à Petauio tomo 2. Theologicorum dogmatum, lib.2. cap.1. vbi agit de verbi diuini productione, quæ à Patribus non semel vocatur Creatio. Non hic silebo quod aduertit Guilielmus Episcopus Parisiensis in 2. partis de vniuerso part.1. cap.31. *Verbum creandi, & nomen creationis, cum transfertur ad vulgare Hispanicum, penè eiusdem intentionis, & significationis esse cum verbo generationis, vel natiuitatis. Vnde apud Hispanos creatus de domo aliqua,hoc est stirpe, vel familia, dicitur qui de ea vel natus, vel genitus est.* Sic doctus admodum, & pius Guilielmus; qui ibidem addit,nostram apud gentem dici *creari Reges, & sacerdotes.* Accepimus Hispani à Romanis vnam, & alteram phrasim, vt & plerasque alias. Notetur rursus cum Oleastro, Honcala, Pereira, Mariana, Bonfrerio, & Celada, in adducto loco Genesis, neque Hæbraicam, neque Græcam,neque Latinam vocis *creauit* significationem cogere ad strictam creationem scholasticam interpretandam, vti non cogit, cum in eodem capite vers.21. inquit de Deo Moyses, *Creauitque cete grandia.* Et licet Patres aliqui videndi apud Suarium lib.1. de opere sex dierum cap.1.n.10. ac 11. & apud Montesinos 1. 2. q.112. disp.32. n.34. intelligant verba illa *Creauit Deus cælum, & terram* de productione rei ex nihilo, præsertim ob adiunctam vocē *In principio*,idest, ante omnia,loquuntur non de productione formarum Cæli, & terræ, sed de productione materiæ; aut loquuntur de integris compositis Cæli,& terræ,quæ totaliter facta sunt de nouo ex nihilo alterius cōpositi,seu vnius partis tempore antecedentis aliam.Hinc permisso, Empyrei Cæli compositum strictè creatum fuisse, & id probari ex testimoniis adductis, similibusque aliis,vt ex Machabæor.2.lib. c.7.v.28. vbi dicitur, *Peto te,nate, vt aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia,quæ in eis sunt,& intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Tamen de forma Empyrei nihil inde conuincitur. Quapropter Theologi, qui tradunt, Cælum initio fuisse productum propria creatione, non ideo censendi sunt nobis contrarij.Quod obseruatum velimus pro Molina disp.2.de opere sex dierum, Tannero tom.1. disp.6.dub.1. Bonfrerio, Gordono in c.& v.1. Genesis docentibus,creationem cæli rigorosam fuisse;& Molina fatur singulariter de Empyreo;nam aliorum cælorum productio contigit pœnes ipsum secunda die ex materia realiter præexistente. P Franciscus Amicus tom.de Angelis disp.2.sect.9.n.165.certū esse inquit,non fuisse creationem eam actionem, qua forma cælestis initio producta est; neque eam, qua eius vnio ad materiam,licet postea addat compositum cæleste vt tale factum esse ex nihilo, & propter materiæ creationem denominari creatum.

55 Argumentantur secundò ab authoritate Præceptoris Angelici scribentis 1.p.quæst.65. artic.4.in corpore. *In prima corporalis creatura productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia ad actum, & ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediatè à Deo productæ, cui soli ad nutum obedit materia tanquam propriæ causæ.* Hucusque ille, cuius verbis Ioannes Thomasius q.& art. 4. Philosophiæ adiungit hanc Caietani interpretationem, *Aduerte hic diligenter, quod formam fieri per transmutationem, & ipsam educi de potentia ad actum; non differant.* Sed potuit falli Caietan. in ista interpretatione, vti ad Anaxagoram propè accedēs falsus est in imaginatione paulò post proposita, *Imaginandū est*, inquit, *formas*

formas omnes educibiles præesse in materia in potentia, quasi latitantes sub potestate ipsius. Respondeo itaque, S. Thomam velle solummodò in prima corporalis creaturæ productione non factam ab agentibus creatis in materia transmutationem de potentia ad actum; cum enim dixisset, formas corporales reduci de potentia ad actum ab agentibus creatis compositis, excipit acturum formas productas in exordio mundi, quia tunc deerant agentia creata composita, quorum virtute reducerentur de potentia ad actum. Quòd autem per Dei virtutem reductæ tunc non fuerint, non lego in S. Thoma, nec legerunt Caietanus, & Ioannes Thomasius. Si per transmutationem materiæ de potentia ad actum significet S. Thomas non quamcumque reductionem de potentia ad actum, sed reductionem quæ fit transitus de priuatione ad habitum, & talem reductionem velit nec à Deo factam in prima corporalis creaturæ productione, restat probandum Caietano S. Thomam ei soli reductioni attribuisse eductionis conceptum. Alia testimonia S. Thomæ congesta à Ioanne Martinez de Prado 2. p. Metaphysicæ Controu. 4. art. 4. §. 3. interpretanda sunt eodem in sensu, quo Patres numero præcedenti; & nusquam legetur in Theologiæ Principe, cælicas formas fuisse creatas, aut non eductas. Vnde Ortiz vnus ex rigidioribus Thomistis nostram sententiam defensari posse in via Præceptoris Angelici asserit tract. 3. Physicorum, conferentia, & § 4. sequutus è vestigio Magistrum Tamariz Dominicanum. Et Ioannes de Portugal fatetur lib. 4. de Spiritu sancto cap. 30. p. 1. n. 7. formas cælestes fuisse productas de ipsa potentia materiæ, & non de nihilo, quia nempè materia præcesserit pro priori naturæ tanquam principium reale earum. Qui hæc admittit, non potest in reliquis discors à nobis esse, nisi quoad solam eductionis vocem. Et neque quo ad hanc dissentiri à nobis potest Araujus, qui 1. p. q. 55. art. & dub. 2. n. 8. defendit, inditas Angelis à Deo species naturales intelligibiles eductas fuisse propriè ex intellectu Angelico in primo instanti, non obstante defectu transitus ex priuatione ad habitum.

56. Tertiò, arguunt ex vsitato modo loquendi; nam de formis cælestibus communiter dicitur, fuisse concreatas. Respondeo, ideo dici concreatas, quia productæ sunt simul cum materia tunc primò creata. Replicabis, formæ sublunares producuntur modò in materia conseruata per creationem, nec tamen dicuntur concreari. Respondeo, ex Granado 1 p. controu. 6. disp. 2. n. 3. vt forma aliqua dicatur concreari, opus esse, quòd totum ex ipsa resultans incipiat de nouo quoad omnes partes, & quòd fiat omnino ab agente potente omnes partes producere; materia autem, quæ est vna pars totius, non incipit modò existere de nouo; nec agens creatum potest ipsam producere; imò nec Deus, quatenus causa vniuersalis concurrens simul cum causa secunda. Hinc inferes, non nobis aduersari Authores, qui productionem formarum cælestium vocant concreationem. Et quidem productio potentiarum tam naturalium, quàm supernaturalium in substantiis Angelicis pro primo instanti appellatur concreatio non minus communiter; actio tamen terminata ad intellectum Angelicum v. g. non reputatur in se creatiua, sed eductiua: idem est de actione terminata ad gratiam habitualem collatam Angelis in primo instanti; nam iam pauci sunt Thomistæ, qui dicant, ipsam in se non fuisse eductiuam, & qui id dicunt, sentiunt vniuersim, pro nullo instanti educi formas supernaturales, etiamsi subiectum realiter præexistat.

57. A ratione insurgunt primò. Partes per se compositi nec fiunt, neque producuntur, sed ad productionem totius comproducuntur. Ast cælum est creatum. Ergo forma illius non est educta, sed concreata. Respondeo primò, partes compositi fieri, & produci vti è contra destruuntur, & desinunt, si vocum inuolucra demantur; dici tamen comproduci ad productionem totius, quia productio partium tendit ad productionem totius resultantis ex ipsis. Hinc compositum dicitur generatum, aut creatum, non ex generatione formæ, aut creatione siue materiæ, siue formæ; sed ex generatione, aut creatione vnionis, quia à productione vnionis dicitur productum compositum; quare per id genus actionis dicetur productum, per quod producitur vnio; & quia compositum resultat non ex positione materiæ, aut formæ, sed vnionis, quæ se habet vt ratio formalis, vltimò constitutiua illius in esse simpliciter totius. Vnde respondeo secundò, cælum non fuisse creatum strictè, neque absolutè, quà est compositum, quia non est creata vnio inter materiam, & formam cæli. Sed de hac ratione inferiùs. Respondeo tertiò, cælum dici creatum, non quia creata est vnio, sed quia compositum ex materia, ac forma cælesti productum fuit ex nihilo iuxta modum declaratum in n. 54. vbi ob creationem materiæ dici etiam posse creatum cælum, addidimus, & nunc opportunè confirmamus verbis S. Augustini lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 6. *Ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est.* Item lib. de fide, & symbolo cap. 2. *Rectissimè credimus, omnia Deum fecisse de nihilo; quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, vt ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quæcumque formata sunt. Hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse diuinarum scripturarum sententias, quoniam & Deum fecisse omnia de nihilo, scriptum est, & mundum factum esse de informi materia.* Rupertus lib. 1. in Genesim cap. 3. consequenter aduertit, vel cete dici *creata.* Genesis 1. v. 21. *quia iam ipsa, de qua producta, vel sumpta sunt species, creata fuerat materia.* Respondeo quartò, licet admittatur, concreatam fuisse formam cælestem, non sequi eductam non fuisse, si in seipsa spectetur, vt prænotatum est in n. proximo.

58. Opponunt secundò, ad eductionem formæ de potentia materiæ, requiritur, vt forma fiat cum transmutatione, & ex vi transmutationis materiæ: sed sic non est facta forma cælestis; cum in eius effectione mutatio nulla intercesserit. Etenim ad mutationem opus est transitu à priuatione ad habitum. Materia autem cælestis non præcessit cum priuatione formæ cælestis. Dico primò, si cæli syderei materia priùs extiterit sub forma aquæ, & posteà cælesti fuerit informata, cadere causâ argumentum, nisi limitetur ad formam Empyream. Secundò, in productione formæ Empyreæ intercessisse priuationem modo exponendo in sect. 8. Dico tertiò ex communi sensu opus non esse ad formæ eductionem, vt fiat cum transmutatione materiæ; satis est, si fiat dependenter à materia tanquam à subiecto. Et id etiam satis est ad genera

generationem sumptam præcisè, seu secundùm se licet Tellez p.2. Philosophiæ disp. 23. sect.1. num.9. cum Rubio, supponens ad generationem requiri transmutationem materiæ, ac transitum ab vna forma in aliam, cuius priuatio præcesserit, affirmet, formam cælestem non fuisse generatam, quin neget, fuisse eductam. Nolim in quæstionibus de nomine oleum, operamque perdere; ideoque concedam, formam Empyream non fuisse productam per generationem conuersiuam ex alia forma substantiali in ipsam, neque item per mutatiuam ex priuatione formæ in possessionem eiusdem.

59 Insurgunt tertiò, illa forma educitur, quæ fit ex aliquo subiecto tempore, aut natura præsupposito; sed forma Empyrea producta non fuit ex materia, quæ tempore, aut natura præcederet ipsam, vt scribit Cornelius in cap. 11. sapientiæ. v. 18. Ergo &c. Negatur minor, nam materia Empyrea præcessit (vt cum S. Augustino docet S. Thomas, fidissimus eius assecla, & interpres. 1. p. q. 66. a. 1.) pro priori naturæ formam, vel tanquam causa in eam physicè materialiter influens, vel tanquam conditio requisita per modum subiecti ad ipsius existentiam. Quòd si quantitas Empyrea conceditur à contrariis educta ex potentia materiæ, esto hæc sit determinata ad illam, & esto duratione reali illam non antecesserit, non video, quo iure inficientur, eductam formam substantialem. Adde, si materia disposita per virtutem diuinam accidentibus caloris applicetur ignis in eodem instanti, quo primitùs fit creata, ignem educturum ex ea formam substantialem; non enim illam creabit, aut concreabit. Et de facto quidem cum corrumpuntur species Eucharisticæ, producitur simul nouum compositum substantiale quo ad materiam, & formam Equis neget, hanc tunc educi ex potentia illius præsuppositæ pro priori naturæ? Inquit Fonseca; vt materia Empyrea ordine naturæ præcederet formam deberet ipsa sola creari à Deo perfectè disposita ad formam, ita vt ex vi dispositionum resultaret naturaliter forma, & ex vtrisque compositum substantiale Empyrei. A Deo autem non sic est creata materia, quia huiusmodi creatio est imperfecta, Deoque non digna, & quia est extra Theologorum sententiam de mundi inceptione. Contra primò, quia vt materia ordine naturæ præcesserit formam, satis est, quòd fuerit creata vt subiectum, à quo in fieri, & conseruari dependeat forma; quemadmodùm satis est, vt nunc præcedat, & vt conseruetur forma dependenter ab ipsa præsupposita per modum subiecti, etsi simul in eodem instanti reali conseruet Deus vtramque. Contrà secundò, quia animi rationalis productio pro primo instanti dependet à materia, vt à subiecto purè recipiente animum, quin animus resultet naturaliter ex vi dispositionum, quibus materia afficitur. Ergo similiter potest forma Empyrea dependere à materia in fieri, & conseruari, ac proinde educi ex illa vt priori secundùm naturæ ordinem, quin resultet ex præuiis dispositionibus. Contra tertiò, quia nec formæ materiales, quæ naturali generationis ordine educuntur, resultant effectiuè ex dispositionibus passi, vt fert communis sententia negans accidentibus virtutem effectiuam formarum substantialium, aut non concedens nisi accidentibus agentis. Contra tandem, quia licet vt agentia creata educant naturaliter formas, debeant præcedere dispositiones motu successiuo temporis productæ in passo; non sic debent præcedere, vt Deus illimitata præditus virtute illas educat. Quare in vnico instanti produxit tum materiam, tum dispositiones, & ab his determinatus ex natura rei eduxit pro posteriori naturæ Empyream formam. Neque id est contra, aut præter Theologorum sententiam de inceptione mundi; nam Theologi non aliud intendunt, quam in materia ordine temporis non præcessisse dispositiones ad introductionem formarum substantialium, quas Deus primò produxit initio mundi: Imo potius perplures Theologi docent, materiam prioritate naturæ antecessisse formam, colliguntque ex verbis sapientiæ 11. v. 18. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, quatenus præpositio *Ex* significet ordinem naturæ, & *Materia*, eam, quæ est prima. Vnde si materiam, quâ antecedentem natura, comitari debet ornatus dispositionum, obuiis brachiis hunc amplectentur. Nihilominus si quis diceret, pro priori naturæ nullam extitisse dispositionem in materia determinantem Deum ex natura rei ad producendam pro posteriori naturæ formam Empyream, non ideo huius eductionem in discrimen adduceret; satis namque esset, quòd forma Empyrea dependeret à materia in fieri, & conseruari tanquam à subiecto, vt saluaretur educi ex ea. Sed tamen præcedentia naturæ in dispositionibus conformis est ordini reperto in productione connaturali aliarum formarum, præsertim materialium; & supposito materiam Empyream non esse determinatam exse ad formam Empyream, sed indifferentem ad quamcumque formam substantialem, congruentius est, cogitare, Deum in tali materia produxisse potiùs hanc specie formam, quàm aliam; quia pro libito suo constituit in tali materia dispositiones, ex quarum præmissione pro priori tantùm naturæ determinatus est ex natura rei ad efficiendam pro posteriori naturæ, formam Empyream potiùs, quam sydeream, aut elementarem. Verùm est, nobis non constare, quænam sint accidentia, quæ in Empyreo habeant se vt dispositiones, vti constat accidentia caloris esse dispositiones ad formam igneam. Possumus nihilominus ex corporibus sublunaribus aliquam coniecturam desumere, & suspicari, non omnia accidentia, quibus ornatur forma Empyrea, esse meras proprietates ipsius.

60 Obiectant quartò, si Empyrei forma educatur & generetur, generabile erit Empyreum, proindeque corruptibile. Respondetur fatendo, Empyreum esse generabile per virtutem superiorem Dei, dici autem ingenerabile per ordinem ad agentia, causasque creatas naturales, quæ eius formam, nec educere, neque generare valent. Et hinc denuò declaratur, cur Empyreum dicatur creatum; omnis quippe Dei actio, quam non sufficit attingere vlla causa creata, nuncupari solet creatio, vt perbellè obseruat Auersa q. 33. Philosophiæ sect. 2. v. *Nihilominus*. & ante ipsum Suarius lib. 8. de gratia cap. 2. n. 16. Imò cuiusque entis secundi emanationem à primo appellari vulgariter creationem, animaduertunt Ripalda disp. 7. de ente supernaturali sect. 1. n. 7. Malonius in 2. dist. c. d. & s. 1. Vnde quoduis ens dependens à Deo dicitur creatura sacris in litteris creberrimè, & productio terminata ad ipsum nuncupatur creatio Sic 1. ad Thimotheum cap 4. v. 3. ait Paulus *Cibis, quos Deus creauit &c.* Iam autem in sensu, in quo concessi Empyreum esse generabile, non omnino concedo, esse corruptibile. Est enim à Deo naturaliter primò generabile;

generabile nec tamen est naturaliter corruptibile, licet casu quo miraculosè destrueretur, destructio, quam subiret, esset corruptio. Sic Angelus est naturaliter creabilis à Deo, non verò naturaliter annihilabilis ab ipso; Sed si miraculosè suspenderet Deus conseruationem creatiuam Angeli, destructio huius esset annihilatio. Finge, Deum remouere à materia formam Empyream; & posteà illam reunire, tunc quidem euocaretur è potestate materiæ, vt admittunt Connimbricenses lib. 1. Physicorum cap. 9. q. 12. art. 5. v. *Proposita*, in fine; nec ideo Empyreum euaderet naturaliter corruptibile à Deo. Legatur n. 60. Exercitationis 12. in cuius sect. 3. ostendo, Empyreum esse incorruptibile substantialiter à causis secundis, & in sect. 6. esse etiam sic incorruptibile à causa prima agente per potentiam ordinariam, & attemperante se rerum creatarum exigentijs naturalibus.

Argumenti confecti à P. Suario explicatio, & dilutio

61 SVperiora argumenta efformantur plerumque à Thomistis. Accedo ad operosius aliud ex Doctore eximio. Illud sic se habet: vt forma aliqua educatur ex potentia subiecti, opus est fieri per distinctam actionem ab ea, qua fit subiectum. Sed forma Empyrea non fuit producta per distinctam actionem ab ea, quæ fuit creata materia. Ergo non fuit educta ex eius potentia. Maior probatur à Suario disp. 15. Metaphysicæ sect. 2. n. 15. tum inductione omnium formarum; quæ educuntur, fiunt enim eadem actione, qua compositum ex subiecto præiacente non facto per illam actionem: tum quia per actionem eductiuam vtpotè essentialiter pendentem à subiecto, fit forma, & vnitur subiecto, ita vt per eam fiat per se primò compositum, & comproducatur forma. Ergo fit extra potentiam subiecti, quod per se primò productum supponatur per aliam actionem. Minor probatur primo ab eodem in n. 17. citatæ sectionis, quia compositum Empyreum non est generatum, sed creatum. Ergo productio formæ constituentis illud compositum non est actio, quæ eductiua sit, distinctaque à creatione materiæ: vbi enim non datur generatio totius, non potest dari eductio alicuius ex partibus. Secundò in n. 3. sectionis. 3. quando materia, & forma sunt inseparabiles, postulant fieri per vnam actionem inseparabilem, seu indiuisibilem ex natura rei. Sed materia, & forma Empyrei, vtpotè incorruptibilis, sunt inseparabiles. Ergo &c. Et ex hinc patet discrimen inter formam Empyream, & alias elementares initio orbis productas, quæ quia non sunt inseparabiles à materia, ideò non fuere productæ per eandem actionem, ac ipsa, proindeque terminarunt eductionem.

62 Vt mens tanti Theologi intimè penetretur, aduertatur ex ipso in disput. & sect. 13. n. 5. actionem creatiuam Empyrei constare partibus, quæ tamen saltem ex natura rei, non possint seiungi, ideoque vocari vnam, & indiuisibilem. Itaque in illa actione datur vna pars, quæ est creatio materiæ, alia, quæ est informatio, seu vnitio formæ, quæque dependet à materia, vt à subiecto, & causa materiali; dicitur autem concreatio, quia natura sua est pars vnius totalis actionis, quæ est vera creatio. Ita loquitur hic Doctor in n. 6. nec minus perspicuè lib. 1. de opere sex dierum cap. 1. n. 11.

Proxima animaduersio monstrabit, Hurtadum Mendozanum, & Arriagam fingere hostem, quem feriant, dum impugnant Suarezium. Arguit Hurtadus primò; actio est modus, qui non potest identificari cum rebus specie distinctis iuxta ipsummet Suarezium. Ergo materia, & forma Empyrei non possunt fieri nisi per actiones specie distinctas. Secundò, actio creatiua materiæ non potest non esse diuersa à productiua formæ materialis; cum illa tendat in rem per se subsistentem, hæc in rem dependentem in esse à materia; & cum materia prioritate naturæ antecedat formam: nam ex S. Augustino lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 15. *Illud vnde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud, vnde fit.* Tertulliano lib. contra Praxeam. cap. 8. *Omne, quod prodit ex aliquo, secundum sit, necesse est eius, de quo prodit.* Tertiò, esto materia, & forma concedantur produci per vnicam actionem, hæc vt terminata ad materiam, erit creatio, vt terminata ad formam erit eductio. Arriaga verò arguit quartò, etsi diuinitùs materia, & forma Empyrei possint creari per indiuisibilem actionem, quæ simplex modus sit; tamen de facto sic non contigit, quia non est fundamentum tum ad creationem formæ Empyreæ, tum ad simplicem modum creatiuum terminatum ad materiam, & formam. Sed ad primum concederet Suarius Antecedens; imò in illa d. & sect. 13. n. 4. illud manifestè adstruit, inquiens. *Actio identificatur cum termino producto. Ergo sicut terminus coalescit ex partibus, ita necesse est, integram actionem productiuam ipsius termini consurgere ex partialibus actionibus productiuis, seu comproductiuis partium ipsius termini.* Ad secundum responderet, diuersas quidem esse actiones, connexas tamen inter se, nempe concreatiuam formæ cum creatiua materiæ. In tertio argumento Hurtadum peccati incusat Arriaga, quia illa actio, quæ fit creatiua materiæ, non potest simul esse eductiua formæ ex ipsa materia, alioqui causaret efficienter materiam, à qua causaretur materialiter; quæ mutua causalitas repugnat. Ast Suarius fatetur, actionem illam, qua parte est productio formæ, pendere à materia, vt à subiecto, & causa materiali; tamen non dici eductionem, quia per se, ac separatim, & per modum totalis actionis fieri non potest ex natura rei. Additque, si diuinitus forma Empyrea conseruaretur in materia per actionem, quæ supponeret materiam factam, fore reipsa eductionem. Quapropter nec Hurtadus benè refellit Suarium, neque hunc benè defensat Arriaga. Deficit vterque putando, poni à Suario vnicam actionem, quæ partibus non constaret. Ad quartum diceret hic Doctor, se neque ponere formam Empyream strictè creatam, seu factam ex nihilo: sed concreatam; neque ponere simplicem modum productiuum terminatum ad materiam, & formam. Verùm posteà tela contra Arriagam, cuius est quartum hoc argumentum.

63 Nunc quid mihi displiceat in opinatione P. Suarij, edissero. Inprimis vt forma aliqua educatur, opus non est, fieri per actionem separabilem naturaliter ab ea, qua fit subiectum. Etenim quantitas Empyrea educitur ex potentia materiæ, & tamen neque actio creatiua materiæ est separabilis ex natura rei, à productiua quantitatis, neque hæc ab illa. Ipse Suarez disp. 16. Metaphysicæ sect. 2. n. 15. ait, proprietates intrinsecas formarum substantialium non fieri sine aliquali eductione è potentiis formarum, in quibus recipiuntur. Et disp. 15. Metaphysicæ sect. 3. n. 9. dixerat, facultates animæ fieri per actionem, quæ in re sit eiusdem rationis

cum eductione anima autẽ rationalis non potest separari naturaliter à suis vitalibus facultatibus, neque hæc ab illa. Si ergo formæ accidentales educuntur ex potentia subiecti, non obstante connexione inter actiones productiuas, cur similis connexio obstabit, ne educantur formæ substantiales? Tellez vtitur aduersus Suarium exemplo subsistentiæ naturalis, quæ vt forma afficit materiam vt subiectum, ex quo educitur, etsi creatio materiæ, & productio subsistentiæ habeant inseparabilitatem ex natura rei. Sed circa hoc exemplum videatur idem Doctor in n. 10. sectionis illius. 3. Meliùs vrgetur ex iis, quæ concedit n. 3. videlicet, si materiæ Empyreæ forma denudatæ diuinitus, & sine illa conseruatæ per eandem actionem creatiuam, quam antea terminauit, reuniret Deus formam antiquam, tunc actionem conseruatiuam materiæ fore creationem, & conseruatiuam formæ fore eductionem, etsi tales actiones essent inseparabiles ex natura rei. Ergo de conceptu eductionis terminatæ ad formam substantialem non est separabilitas ab actione creatiua materiæ, quando quidem nona illa eductio formæ Empyreæ esset inseparabilis naturaliter ab antiqua creatiua, est conseruatiua materiæ. Nec casus miraculosus, & extraordinarius variare potest rerum essentiales conceptus. Infero vlterius: Ergo naturali, & ordinario modo vniri formam materiæ, quas inter nequit ex natura rei dari separatio, non est contra conceptum essentialem eductionis. Imò erit ipsissimus, & adæquatus conceptus. Vt enim sæpe dixi, vniri formam subiecto, sine quo nequit naturaliter conseruari, est ex natura rei indicium eductionis. Forma autem Empyrea non valet naturaliter fieri, nec esse nisi in materia, cui primò fuit vnita. Neque est fundamentum ad cogitandum, factam per actionem, quæ quantùm ex se est illam conseruaret à materia abiunctam.

65 Deinde non est, cur actio productiua materiæ Empyreæ sit inseparabilis secundùm se à productiua formæ, quam possidet; maxime cum probatum à me iam sit in exercitatione superiori, Empyreum gaudere materia specificè vniformi cum materia reliquorum corporum sublunarium, & cælestium. Quare liberum fuit Deo inducere formam aquæ in eam materiam, in quam actu induxit Empyream. Quòd si induxisset, non deduceretur diuersa actione creatam ab ea, quæ de facto. Incorruptibilitas Empyrei rectè stat cum materiæ vniformitate, vt videbitur in Exercitat. 12. sect. 3. Dici creatum, componitur rectè cum eductione formæ ipsius, vt visum est in n. 51. & 60 Et licet materia Empyrei esset specificè difformis à materia formarum corruptibiliũ receptrici, satis ei esset, si actio, qua produceretur, haberet inseparabilitatem naturalem à formæ Empyreæ productione subsequuta pro posteriori naturæ. Eo autem ipso quòd productio illius formæ dependentis in fieri, & conseruari à materia, vt à subiecto, & causa materiali subsequatur pro posteriori hanc, non potest non esse eductio; præcipuè si talis sit, vt non valeat conseruare formam in absentia materiæ. Sanè de facto subsequuta est actio productiua formæ creatiuam materiæ: tum quia orta est cum dependentia à materia, vi à causa materiali tum quia materia præ forma est subiectum in composito Empyrei? subiectum verò requirit prioritatem aliquam respectu formæ, & actionis, qua producitur: tum demum, quia esto ordine executionis fuerint productæ simul materia, & forma, non tamen ordine intentionis. Quod si in materia Empyrea existat aliqua vltima dispositio exigens formam iuxta dicta in n. 59. negari haud posse videtur posterioritas, quam intendo. Patet ni fallor ex his, falsam esse Maiorem, & Minorem argumenti elaborati à Suario, eisque ex abundanti admissis, non tenere consequentiam. Iam occasione arrepta ex argumento obiecto ab Arriaga in n. 63. voco ad examen.

An simplici modo creatiuo potuerint produci materia, & forma Empyrea?

66 Affirmat præfatus Author, quia non videt repugnantiam in eo, quòd vnus modus afficiat duos terminos. Ego negandum puto, permittens creationem consistere in modo. Moueor, in quocumque priori est actio debet etiam esse & terminus illius, quia actio non potest esse, nec intelligi in aliquo priori signo naturæ nisi actu producens, & consequenter nisi sit, & intelligatur actu eius terminus. Ita disco ex Arriaga disp. 1. de Generatione sect. 5. n. 49. & 51. Sed si forma Empyrea creetur in materia per eandem actionem, qua ipsa materia, erit in aliquo priori actio, pro quo non sit eius inadæquatus aliquis terminus. Ergo &c. Hoc argumento persuadet sibi memoratus Author, actionem productiuam accidentium dispo-nentium vltimò ad formas substantiales non esse de facto productiuam ipsarum; quia de facto productio accidentium non est in eodem signo, in quo sunt formæ substantiales. Si itaque probetur à me Minor, nihil desiderandum restabit. En probationem. Pro signo priori productionis materiæ non erit forma. Quia cum hæc non creetur vtcumque, sed creetur recepta in materia, non potest non præsupponi producta materia pro alio signo priori: subiectum namque informationis, receptionisue debet esse prius in aliquo signo naturæ, quàm forma, à qua actu informatur, & quæ actu recipitur in ipso. Sic etiam disco ex Arriaga disp. 2. Physicorum n. 23. nec non disp. 4. n. 104. vbi in hunc modum definit subiectum in communi: *Est quod incompletum, & prauium ad eam rem, cuius vnionem petit, vt ab ea perficiatur.* Notes, si forma Empyrea produceretur non vnita materiæ vt subiecto informationis, nec posteriùs, sed simul natura, non apparere repugnantiam in eo, quod crearetur per eandem actionem, per quam materia. Totam hanc doctrinam amplexus est Arriaga disp. 9. Physicorum sect. 5. n. 75. sic scribens *Si duo termini vnus prius alio producatur, non possunt produci vnica actione, quia non potest esse actio in aliquo priori etiam naturæ, nisi in eo sint omnes eius termini: poterunt verò si simul natura producantur.* Notes rursus, si actio debeat esse prior naturâ, quàm terminus distinctus productus; eo quod independens sit ab influxu termini, cum tamen hic sit dependens ab illius influxu, proponendum esse paulò aliter argumentum superius, sed non minori vi, in hunc modum. In quouis immediato posteriori signo naturæ ad actionem debet esse eius terminus, non secus ac in quouis immediato priori signo non potest non præexistere causa actionis, quippe hæc sit determinatio actualis, & vltima, vt terminus agatur, & causa agat. At qui si forma Empyrea creetur in materia per eandem actionem, qua ipsa materia, non erit in immediato posteriori signo naturæ ad actionem aliquis eius terminus inadæquatus. Ergo, &c.

67 Discussioni superiori addi poterat alia, nimirum, an

an per eandem actionem, per quam materia, aut forma Empyrea, potuerit creari vnio inter ipsas. Quid ego respondere debeam promptum cuiuis erit ex num.49. De facto creatam esse, nulli venit in mentem. Et hinc denuò impeto aduersarios. Nam vt Empyreum in Philosophico rigore diceretur creatum, produci debuisset per creationem eius vnio ob indicatas rationes num. 57. confirmandas à simili compositi humani quod creatum non dicitur, nec ingenerabile, etsi eius materia, & forma terminent creationem, quia vnio non creatur, sed generatur, seu educitur: confirmandas etiam ex inde, quòd si vnio compositi sit accidentalis, compositum denominatur accidentale, quamuis partes sint substantiales. Cum ego in sacris litteris asseritur cælum creatum, omnibus incumbit eas interpretari. Nam licet concedatur creata cælestis forma, id non sufficit iuxta Philosophicum rigorem ad denominationem creati, & ingenerabilis, dum non adstruitur creata vnio; vti non sufficit partes esse substantiales, vt totum resultans ex illis denominetur substantiale, si vnio sit accidentalis; & vti non sufficit compositi substantialis humani creari materiā, & formam, vt homo dicatur creatus rigorosè, quia vnio non creatur. Quæ etsi in nutritione generetur, & in diminutione corrumpatur, sat non est, vt homo tunc dicatur absolutè generari, aut corrumpi, sed tantùm partialiter, & secundùm quid; quippè non generetur, aut corrumpatur integra, & adæquata vnio, sed partialis, & inadæquata. Nec in nutritione dicitur anima generare hominem, sed vnionem; ab hac enim, & non ab illo distinguitur adæquatè; causa autem, cui competat denominatio efficientis per generationem aliud, debet adæquatè distingui ab eo. Vbi obiter aduertendum est hominem dici creatum Genes. 1. v.27. *Et creauit Deus hominem*, &c. quæ verba sicut interpretanda sunt ab aduersariis, quatenus homo dicatur creatus ratione animæ rationalis, vel ratione materiæ, vel ratione vtriusque, vtraque enim est creata; ita ratione materiæ licebit nobis interpretari ea alia, in quibus asseritur cælum creatum, licet nec forma cæli, nec vnio ad materiam sint creatæ, sed generatæ. Quid? Quod Genesis 2. v.4. legimus, *Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus cælum, & terram.* In quibus verbis productio cæli vocatur generatio; & dum creata dicitur innuitur non debere sumi creationē in sensu rigido Philosophico. Redeo ad generationem vnionis nectentis materiam, & formam Empyreā, instauroq; pulchram argumētationem contra Suarium: materiam Empyream habere intrinsecā connexionem, & determinationem ad vnionem substantialem cum forma, & produci tali actione, ex vi cuius non posset esse cum priuatione talis vnionis, non impedit, ne actio eam producens sit eductiua, & generatiua. Ergo connexio, & determinatio ad formam Empyream, productioque, ex vi cuius non posset esse cum priuatione talis formæ, in causa non erunt, ne actio eam producens sit eductiua, & generatiua. Attento lectori relinquo similem efformandam instantiam in Thomistica argumenta. Finem impono præsenti sectioni monens eundem lectorem, dum mihi concedatur, formā Empyream productam esse à Deo in materia vt in subiecto, sine quo nequit naturaliter fieri, & conseruari, non valdè me altercaturum de eductionis nomine, & termino, qui visus est Gabrieli in 4. dist. & q.1. dub. contra 7. conclusionem *obscurus & non multùm apud Originales Authores vsitatus:* vnde addit ipse Gabriel; *fateor me virtutem huius vocabuli ignorare secundùm acceptionem diuersorum.* Inter quos legatur Tostatus in cap. 23. Exodi q.59. & 66.

SECTIO VI.

An eductio formæ Empyreæ fuerit simul eius vnitio seu productiua actio vnionis, quæ materiæ copulatur?

68 Affirmatiua pars nititur his fundamentis. Primum Aristoteles lib. 1. Physicorum c.7. textu 62. & 64. lib. 7. Metaphysicæ textu 27. S. Thomas 1.p. quæst.45. art 4. & 8. in corpore docent, *Omne, quod fit* nimirum à causis secundis, *semper compositum esse* formas autem materiales siue substantiales, siue accidentales non fieri, neque produci, sed confieri, & comproduci, quia per se solitariè actionem non terminant. Vnde S.Thomas 1.p.quæst.90. art.2. in corpore inquit, *Nulli formæ non subsistenti* (quales sunt omnes materiales) *propriè conuenit fieri, sed dicuntur fieri per hoc, quod composita subsistentia fiunt.* Secundum, non debemus de facto multiplicare actiones sine necessitate. At nulla est necessitas ponendi duas actiones, quarum vna terminetur ad formam Empyream, altera ad eius vnionem cum materia. Sufficit vnica actio; nam cum forma, & vnio non sint naturaliter separabiles, sed productâ formâ producatur vnio, & destructâ forma, destruatur vnio, atque è conuerso, vtraque sufficienter respondebit vni, & eidem actioni. Confirmatur, vnio animæ rationalis ad corpus producitur per actionem diuersam ab ea, quâ fit ipsa anima, quia hæc est separabilis naturaliter ab illa, & quia hæc creatur, illa generatur. Ergo cum è contra forma Empyrea sit inseparabilis naturaliter ab vnione, & generentur ambæ, producentur per actionem eandem ex opposito.

69 Tertium, forma materialis non fit quoad entitatem suam nisi per eam actionem, per quam materia tanquam causa materialis influat in ipsam. Sed materia non influit tanquā causa materialis in formam nisi vt vnitam. Ergo eadem actione, qua forma fit, & educitur ex materia, fit etiam, atq; educitur vnio ipsius formæ cum materia. Quartum eductio, & creatio vtpotè actiones specie distinctæ, debent habere terminos specie diuersos. Atqui secus contingeret, si eductio formæ non sit etiam eductio vnionis. Nam casu quo forma diuinitus crearetur (vt potest) tunc creatio haberet eundem omnino terminum, quem habuisset formæ eductio, nisi hæc vltra formam fuisset terminata ad vnionem.

70 Quintum, forma materialis, non subsistit, sed inhæret materiæ. Ergo per eandem actionē, per quam educitur è materia, fit inhærens materiæ; vt patet exemplo accidentium, quæ quia non subsistunt, sed inhærent subiecto, & quia non sunt per se, sed insunt, ideo ab actione eductiua habent vt inhæreāt, & insint. Tunc vltra: sed forma materialis per vnionem inhæret materiæ, & per inhæsionē vnitur. Ergo eius vnio, & inhæsio fit per eandē met actionem per quam è materia educitur. Sextum non repugnat, quod forma, & vnio generetur indiuisibili actione si in eodem instanti producantur, licet in

diuersis possint diuersas actiones terminare, quemadmodum non repugnat ignem *C.* prouenire ab ignibus *A.* & *B.* simul applicatis in eodem instanti, & concurrentibus per indiuisibilem actionem, tametsi posset ignis *C* à quolibet ex illis aliis ignibus, dum non applicarentur simul in eodem instanti, oriri per distinctā actionem. Igitur de facto forma, & vnio actione indiuisibili generabuntur.

Septimum actione, per quam in materia generatur forma, fit compositum; nam hoc indistinctū est à partibus simul sumptis. Ergo illamet actione fit vnio, siquidem ex hac resultet compositum. Octauum, nisi eadem sit actio productiua formæ materialis, & vnitiua, sequetur, vel omnes formas creari, vel animum rationalem in primo instanti suæ existentiæ educi è potentia materiæ. Etenim animus rationalis præsupponit materiā dispositam, & naturaliter in primo instanti postulat vnionem cum ipsa. Quare ideo præcisè non educitur, quia actio, per quā producitur, non terminatur ad eum, & ad vnionem simul; quoad cætera namq; conuenit in primo saltem instanti cum aliis formis pro toto tempore existentiæ ipsarum; & eductio perfici posset, ac saluari in vnico tantùm instanti, vt monstratur exemplo durationis, cuius eductio non protenditur vltra vnum instans, siquidem sit essentialiter transiens.

71

Nonum, si actio ab igne erga alium ignem, aut calorem orta terminaretur solitariè ad formā ignis, aut caloris, posset ea actio reddi creatiua. Sed implicat contradictionem, vt actio, quæ naturâ suâ est eductiua (qualis abs dubio est illa orta ab igne naturaliter) transeat ad creatiuam. Ergo vt vitetur hæc contradictionis implicantia, dicendum est actionem ortam ab igne non terminari solitariè ad formā ignis, aut caloris, sed producere simul vnionē cum subiecto. Minor probatur, tum quia ignis nequit creare; tum etiam quia alioqui actio creatiua posset è conuerso transire ad eductiuam; proindeque actio creatiua animæ rationalis posset reddi eductiua; tum deniq; quia sicut in actione inuariabilis est respectus ad agens, & ad terminum, ita similiter inuariabilis est modus respiciendi eductiuè, vel creatiuè. Præterea vbicatio, & vnio immutabiles sunt in modis definitiuæ, vel circumscriptiuæ, & in modis essentialis, & intensiuæ, vel extensiuæ, &c. Superest probanda maior, sic, existente actione orta ab igne, & solitariè terminata ad formam ignis, aut caloris, posset diuinitus impediri à Deo actio altera productiua vnionis; nam prior actio non magis dependeret à posteriori, quàm materia à forma substantiali, essentia à suis proprietatibus, & animus rationalis in primo instanti à corpore; quæ omnia possunt diuinitus existere eodem influxu, atque actione, absque extremis, cum quibus connectuntur. At impedita diuinitus actione productiua vnionis, redderetur creatiua actio prior; nam causaret formam, quæ nec à subiecto tunc dependeret, nec sustentaretur; imo quæ neq; vniretur vel eo modo, quo animus rationalis, dum informat corpus. Habetur hoc fundamentū apud subtilem Doctorem in 4. dist. & q. 1. concl. 2. Sed perdoctus quidam Neothericus digessit, & maiori luce donauit. Hactenus de argumentis pro affirmatiua parte.

72

Quam defendendam suscipit P. Suar. in locis citandis n. 82. exerc. 7. nam licet in eis locis allegandus sit à nobis, quatenus doceat, vnionem Empyream esse distinctā ab actione eductiua formæ Empyreç, tamen verisimile satis est, cum esse præcipiuū scopū eximij Doctoris, vt forma Empyrea, vnioque ipsius fiant per vnam actionē distinctam. Exprimit aliquando, eam actionē esse vnam non vnitate simplicitatis, sed compositionis, quatenus actio eductiua formæ cōnectatur essentialiter concomitāter cum actione eductiua vnionis. Ita 1. tom. ad 3. p. disp. 8. sect. 1. v. *sed nihilominus*. Rubius lib. 1. de generatione tract. 1. q. 3. n. 39. conceptis verbis tradit, per vnicam actionem indiuisibilem educi formā, & vniri materiæ. Ouied. contr. 2. de generat. punct. 3. n. 2. ait, resipuisse Rub. lib. 2. de anima, tract. de potentiis animæ in generali. q. 4. n. 64. Sed in isto numero nec vestigiū retractationis apparet. Fortè designatus est num. 64. pro 71. vbi Rubius concedit formā accidentalem, & actualem eius inhærentiam fieri per actiones diuersas, non secus ac substantia, & subsistentia. Ast id valdè obiter concessum est à Rubio. De formis accidētalibus tradit Conink 3. p. q. 77. art. & dub. 1. in fine, intelligi simul naturâ productas, & inhærentes, quia alioqui producerentur independēter à subiecto non minus, quàm anima rationalis. Vnde cum hæc ratio æquè procedat in formis substantialibus materialibus, videtur dicturus Conink, eas etiā simul natura educi, & vniri. Cardin. de Lugo disp. 7. de Eucharist. sect. 7. à n. 108. propendet magis in eam partem, vt forma, materialis, & vnio ipsius cum subiecto fiant eadem actione eductiua quam supponit distinctā ab vnione. Possunt recenseri alij, de quibus in exerc. 7. n. 82.

73

Verumtamen negatiuam sententiam tuentur Ouied. suprà n. 4. Alphons. disp. 13. Physicor. sect. 8. à n. 61. disp. 6. de Generat. sect. 2. n 67. Petr. Hurtad. disp. & sect. 1. de Generat. §. 4. aliique referendi in n. 68. exerc. 7. Eandem nos amplectimur opinionem, & probamus primò, quia forma Empyrea est subiectum, in quo recipitur, & sustentatur vnio, vt dicemus in sect. 3. Exerc. 7. Ergo forma Empyrea debet præcedere pro priori naturæ ad vnionem, vt iam educta, & existens. Ergo huius eductiua actio, non potest non esse distincta ab vnitione, seu ab actione productiua vnionis. Prior consequentia patet; declaratur posterior; nam vna actio nequit producere vnum terminum pro vno posteriori naturæ, & alium terminū pro posteriori alio, vt ostēdi in n. 66. nequit etiam vna actio habere prioritatem naturæ respectu sui ipsius, seu esse prior, & posterior se ipsa, neq; item potest esse prior, & posterior eodem indiuiduo termino, vt compertum est. Sed si actio eductiua formæ præcedentis naturâ vnionem in se receptam, atq; sustentatam, esset simul actio eductiua vnionis, sequeretur manifestè triplex illud absurdum. Secundò, generatio formæ distinguitur ab vnione eiusdē formæ cum materia, vt copiosè tractabo in sect. 4. Exercit. 7. Ergo similiter distinguetur à generatione vnionis; nam omnia ferè argumēta, quibus distinctio ab vnione statuitur, militant æquè pro distinctione generationis formæ à generatione vnionis. Tertiò, diuersis terminis, & separabilibus de potentia saltē absoluta Dei actiones diuersæ respondent connaturaliter. Sed forma, & eius vnio distinguuntur; potestque forma existere educta absq; vnione, vel saltem potest absq; ea existere creata. Ergo formæ, & vnioni respondent connaturaliter diuersæ actiones. Consequentia rectè procedit; Minor quoad primā partem est dubia, sed quo ad secundam certissima. Maiorem dicit Ouiedus suprà n. 5. esse necessariò ab omnibus admittendam, si nulla ratio adsit, quæ suadeat dari productionem communem terminis diuersis; aliàs nullum caput assignari poterit ad distinguendas actiones

actiones, si ex terminorum diuersitate non desumatur illarum diuersitas. Sed aduersarij suam habent, & non depretiandam rationem, vt formæ & vnioni generatis respondeat eadem actio generatiua; & terminorum diuersitas non est sufficiens caput ad diuersificandas actiones, sicut neque principiorum diuersitas, siquidem à distinctis principiis sæpe oriatur eadem actio. Quare aliter maiorem obfirmo, scilicet exemplo essentiæ, & proprietatum, vt formæ Empyreæ, & eius substantiæ, aut lucis quæ generantur per diuersas actiones, quia sunt termini distincti, & separabiles saltem diuinitus. Vbi in transcursu à paritate formæ Empyreæ, & subsistentiæ stabilio meã sententiam. Nam sicut forma cõpletur per vnionem, sic etiam per subsistentiam; & sicut forma, ac vnio sunt mutuò inseparabiles naturaliter sic etiam forma, & subsistentia. Ergo quemadmodum hoc nonobstante, forma, & subsistẽtia terminant connaturaliter diuersas actiones generatiuas, ita pariter forma, ac vnio. Si respondeas, ideo subsistentiam fieri per distinctam actionem, quia producitur efficienter à forma. Contra, quia etiam vnio causatur materialiter ab ipsa forma. Sed & quamuis non sic causaretur, sufficeret, quòd reciperetur in forma vt hoc procederet pro priori naturæ. Vnionem autem recipi debere in forma suadebo in n.64. Exercit.7.

75 Quartò, fatentur aliqui ex aduersariis, formas materiales posse diuinitus per creationem productas vniri materiæ, eadem vnione, eaque generatã, qua nunc, dum naturaliter educuntur. Ergo actio generatiua vnionum non debet terminari indiuisibiliter ad ipsas, & ad formas materiales. Ergo nec è contra debet actio harum generatiua terminari ad illas indiuisibiliter. Confirmatur, vt vnio generetur, non est necesse, actionem eius generatiuam terminari ad formam, vt patet ex actione vnionis humanæ generatiua, quæ non terminatur ad animam rationalem; & vt etiam liquet ex casu proximè proposito admisso à nonnullis aduersariis. Igitur neq; opus erit, vt educatur materialis forma, actionem ipsius eductiuam rendere indiuiduè ad vnionem. Dices, discrimen esse, quia vnio per se ipsam essentialiter, ac formaliter depẽdet à materia ex qua educitur, forma autẽ non sic dependet. Sed contra, quia ex dependẽtia essentiali, ac formali vnionis à materia vel infertur, vnionem non educi per actionem distinctã, vel nihil ad rem infertur; nam respectu actionis eductiuæ distinctæ habebunt se æqualiter forma, ac vnio, quando generantur; & solùm erit discrimen in eo, quòd vnio in nullo casu possit produci separata à materia; secus forma; id verò ad præsentem difficultatem nihil interest. Insuper casu quò diuinitus creetur vnio, vt fieri posse in confesso est apud quosdam ex contrariis; tunc inseparabilitas vnionis ab extremis, adeóq; à materia, detrimentum non sentiet, & ad actionem solam reduceretur diuersitas, quatenus causatiuè per actionem creatiuam non constituetur dependens à materia eo modo, quo per eductiuam. Ergo similiter vt forma materialis potiùs creetur diuinitus, quàm naturaliter generetur, & è conuerso, spectandus præcisè est modus actionis, qua causatiuè producitur independenter, vel dependenter à materia tanquam causa materiali, & vt impertinens quid reputandũ est, quòd actio productiua formæ non terminetur, vel terminetur indiuisibiliter ad vnionẽ. Et quidem actiones formarum productiuæ, quarum vna sit creatiua, & altera generatiua, distinguuntur sufficienter, circumscripto quouis alio, inter se, si posterior sit alligata essentialiter subiecto formæ genitæ, tanquam passio formaliter, vel tanquam inferens in impedibiliter passionem in sententia diuersificante actionem eductiuam à passione; prior autem non sit alligata eo pacto. Distinguerentur etiam sufficienter, si ad posteriorem deberet essentialiter vel saltem naturaliter subsequi pro omnibus instantibus alia actio terminata ad vnionem formæ cum subiecto: prior verò neque essentialiter, neque naturaliter pro omnibus instantibus connectatur cum actione subsequa terminata ad vnionem, licet hanc naturaliter actionem ipsius productiuã exigat pro primo instãti existentiæ formæ, vt cõtingit in actione creatiua animæ rationalis.

76 Quintò, produci formam per actionem, quæ simul sit vnitio, seu actio causans vnionem, non est potiùs formã generari quàm creari. Nam si eadem indiuisa actio generatiua producere potest naturaliter formam, & vnionem; quid ni poterit saltem diuinitus vnica actio creatiua efficere vtramque? Quæ ratio, ni fallor premet valdè illos, quibus creabilitas vnionis adblanditur. Perdocti quidã Neoterici, qui quæstionem hanc exquisitiùs exagitarunt, suppetias nobis veniunt sexto hoc argumento armati: Non sufficit ad eductionem formæ, quòd eadem actio formam, atq; vnionem producat. Ergo in cassum essẽtiæ vnitas tribuitur actioni, qua forma, & qua vnio generatur. Probatur Antecedens, vt forma sit educta, non satis est, quòd simul à parte rei existat producta, & vnita, id enim habet anima rationalis in corpore, quin tamen sit educta. Ergo neque satis erit ad rationem eductionis in actione producente formam, quòd simul à parte rei istam, & vnionem causet; siquidem id, quod ex parte termini insufficiens reputatur, vt sit eductus, debeat consideratum ex parte actionis insufficiẽs haberi, vt sit eductio. Addunt & suam cõfirmationem: Etenim quòd forma fiat per eandem, vel diuersam actionẽ, ac vnio, non potest inducere in formã, vt sit generata, vel educta; seu non potest esse ratio, vt sit potiùs generata quàm educta, & viceuersa: quemadmodũ, quòd forma ignea producatur per actionem adæquatam prouenientem vel ab vno igne, vel à duobus attemperantibus concursum, qui vel sit in diuisè ab vtroq; vel partialiter ab vno, & partialiter ab alio, ita vt actio adæquata coalescat ex duabus distinctis inadæquatis, satis neutiquam est ad aliquam diuersitatem in forma ignea secundùm se, eiusque existentia, ad quam non aliud attenditur, quàm actio adæquata, siue hæc ab vno, siue à duobus agentibus oriatur, siue sit simplex, siue composita. Argumentum, ac confirmatio vt venustatem, & valentiam habent suam.

77 Aduersantium fundamenta demoliẽda iam sunt, sed breuissimè; nam ex doctrina longæ huius exercitationis, & alterius, quæ proximè instituetur, euertuntur facillimè. Ad primum respondeo per instantiam compositi humani, in quo verum est etiam illud axioma; & tamen forma eius cõpositi fit actione diuersa ab actione, qua prodicitur vnio. Deinde explicatio illius paremiæ indicata est in n.57. Nunc adiicio, ideo dici, *omne quod fit, compositũ esse semper; quia cum in omni ortu tum subiectum aliquod sit, tum id, quod ad subiectum accedat, constat profectò quicquid fit, tum ex eo, quod fit, hoc est formã, tum ex eo, quod iam factum est, compositum, & concretum esse.* Ita S.Damascenus in Physica c.3. genuinum Aristotelis sensum aperiens. Rursus addo, formas insubsistentes ideo non fieri, nec produci, sed confieri, & comproduci,

quia actio, quæ existentiam, & conseruationem accipiunt connectitur naturaliter cum actione distincta producente vnionem, ex cuius productione, aut generatione denominatur cōpositum productum, aut generatum; & quandoquidem compositum sit primatius finis respectu agentis, ideo asseritur fieri, atque produci. Ad secundum, constat responsio ex nostris rationibus ex quibus, & amplius ex sect. 5. dissoluitur confirmatio, & octauum argumentum. Ad tertium, respondeo, formam vt vnitam formaliter non esse terminum influxus materiæ tanquam causæ materialis, alioqui rationalis forma, cui competit esse vnitam materiæ, esset terminus influxus materiæ tanquam causæ materialis. Quare forma materialis vt formaliter, & præcisè sustentata, atque educta erit terminus præfati influxus consistentis in actione, qua solitariè producitur forma dependenter necessariò à materia vt à subiecto sustentante præsupposito pro priori; siue hæc actio debeat essentialiter, siue tantùm naturaliter importare concomitanter, aut pro posteriori aliam actionem ad vnionem non tantùm pro primo instanti existentiæ formæ, sed etiam pro reliquis, sic quidem, vt causatiuè vi actionis forma sit vnita, & formaliter vi vnionis. Recolatur sectio illa 5. & expectetur sect. 4. aduenientis exercitationis 7. Ad quartum dico, actionem eductiuam non debere distingui specificè ab actione creatiua ratione termini etiam partialis; satis est si distinguatur ratione modi, quo terminum producit, vt cognitio intuitiua differt specificè ab abstractiua sufficiēter ratione modi cognoscendi. Ad quintum, formam materialem non per vnionem, sed per actionem eductiuam, & passionem formaliter inhærere materiæ, aut sustentari in ea, licet per vnionem formaliter ipsam informet, de quo in sectione promissa. Vel dicito, formam per actionem eductiuam, & passionem inhærere materiæ, aut sustentari ab ea incompletè; vt autem inhæreat, aut sustentetur completè, opus esse vnione, quæ producatur per aliam actionem. Ad sextum nego antecedens; nam primum nostrum argumentum ostendit repugnātiam in actione, quæ indiuiduè producat formam, & vnionem. Exemplum adductum in antecedentis probationem peccat per excessum, si enim ex eo, quòd duo ignes applicati operentur per eundem indiuisibilem concursum infertur, formam, & vnionem simul productas non repugnare, vt fiant per eandē actionem, æquè inde deduceretur non tantùm non repugnātia, sed etiā quòd de facto forma, & vnio generatæ terminent eandem actionē, cum semper de facto simul producantur, sicut semper duo ignes prodirent in concursum indiuisibilem si semper simul aptè applicarentur passo. Addo, ex natura rei, formā & vnionem debere esse terminos diuersarum actionum, quicquid sit, an dependentia absoluta respondere queant vni eidemque actioni. Ad septimum, actione, per quam vnio producitur, fieri adæquatè compositum, & non actione, qua forma causatur: nam compositum includit materiam, ac formam non solùm simul productas, sed etiam simul vnitas. Ad nonum argumentum iam respondi, vel præparaui in num. 48. & 51. solutionem. Ne dicta repetam, remitto illuc lectorem, qui ex succedenti Exercitatione deponet scrupulos, si qui restant.

SECTIO VII.

An eductio formæ Empyreæ prodierit ex huius priuatione existente in materia pro eodem instanti reali?

78 SI in vno instanti reali pro diuersis signis naturæ conuenire possint priuatio formæ, & ipsa forma, dicendum erit, eductionem formæ Empyreæ prodiisse ex sui priuatione existente in materia pro signo priori instantis realis primi, in quo productum fuit Empyreum. Et quidem concursus priuationis, ac formæ pro vno instanti reali in eodem subiecto placuit Trombete lib. 1. formalitatum art. 4. de prioritate naturæ cap. 19. & Conninbricensibus, seu Emmanueli de Goes lib. 1. Physicorum cap. 9. quæst. 8. artic. 2. ad 3. sed Sebastianus Contus in Dialectica sub nomine cursus Conimbricensis, edita in lucem post commentarios in libros Physicorum descicit ab ea sententia quæst. 4. in Præfationem Porphyrij artic. & sect. 3. vers. *Hoc tamen.* Quin & Emmanuel de Goes lib. 8. Physicorum cap. 8. quæst. 2. vbi probat, non dari in eodem instanti reali esse, ac non esse rei & quod plus est, ipse Goes l. illo 1. cap 9. quæst. 17. art. 5. vers. *Proposita conclusio* scribit, non præfuisse in materia priuationem formarum cælestium, & elementarium initio molitionis rerum à Deo, quia *tam ipsa forma quàm earum materia, & composita eodem instanti à Deo producta fuerunt.* Patet Fonseca libr. 5. Metaphysicæ cap. 18. quæstion. 3. sect. 2. & 3. admittens diuisionis negationem & diuisionem in vno instanti reali pro diuersis statibus non valdè auersaretur coexistentiam priuationis, & formæ.

79 Mihi tamen coexistentiam istam ostendit contradictoriam in terminis principium illud cunctorum notissimum, *Impossibile est, aliquid simul esse, & non esse.* Si enim priuatio in eodem instanti reali coexisteret formæ, hæc simul esset, & non esset. Nec refert dicere, in quolibet instanti dari duo signa, impossibileque esse, vt aliquid simul sit, & non sit in eodem signo, non verò, vt non sit in vno signo, & sit in alio. Contra namque se offert primò, instans reale in continuo successiuo est indiuisibile realiter formaliter, non secus ac punctum in continuo permanenti & in numero vnitas. Vnde sicut si Angelus verbi gratia, existat in puncto, debet toti ipsi præsens esse, ita si priuatio occupat à parte rei aliquid instantis realis, non potest non occupare totum illud. Etenim diuisio instantis realis in signa naturæ est diuisio tantùm extrinseca cum fundamento in re. Hinc oritur, non posse pro vno signo omitti amorem à voluntate, & pro alio eiusdem instantis realis elici: neque posse intellectum in quotidiana sententia pro vno signo assentiri obiecto, & pro alio signo eiusdem instantis realis dissentiri eidem obiecto. Quia cum instans reale sit indiuisibile realiter formaliter, non potest non ei toti coexistere signum prius naturæ & quicquid in tali signo datur. Idem de posteriori signo. Confirmatur; in æternitate quia est indiuisibilis realiter formaliter, etsi diuisibilis virtualiter

tualiter in infinitum, non potest dari carentia rei, & res. Ergo neque poterit dari in instanti reali, quamuis hoc esset diuisibile virtualiter in infinitum, vt cogitant nonnulli Recentiores Philosophi sed ægrè explicaturi discrimen inter æternitatem, & instans reale.

81 Contra secundò, pari ratione dici posset, priuationem lucis, seu tenebras præcedere lucem pro priori signo naturæ, & priuationem gratiæ sanctificantis anteire ipsam gratiam; ac proinde peccatum lethale, quod per receptam satis Theologorũ sententiam consistit, quando est habituale, in priuatione gratiæ componi simul in eodem instanti reali cum gratia. Ex quo sequeretur, Deum in renatis aliquid odio habere, & in eis esse aliquid damnationis; secus ac decernitur in Concilio Tridentino, sessione 5. c. 5. Posset deinde dici in Christi Domini anima priuationem scientiæ, seu ignorantiam præcessisse pro priori signo naturæ in primo instanti reali creationis scientiam beatam, aliasque infusas per se, & per accidens; cum tamen catholicè nequeat admitti, Christi animam vel in vno solo instanti reali habuisse ignorantiam priuatiuam propriè dictam. Contra tertiò, quia magis opponuntur priuatio, & forma v.g. priuatio amoris, & amor, quàm amor, & odium obiecti eiusdem in eadem voluntate, & in eodem instanti reali; nam priuatio amoris, & amor opponuntur contradictoriè; amor verò, & odium contrariè. At communiter repugnans in eadem voluntate circa idem obiectum, amor & odium pro diuersis etiam signis eiusdem instantis realis. Ergo multo magis, aut æquè repugnabit priuatio amoris, & amor.

82 Contra quartò, priuatio est carentia formæ in subiecto capaci; sed pro priori signo naturæ non est in subiecto capacitas formæ, si pro eo signo detur priuatio. Ergo non datur pro priori signo priuatio formæ recipiendæ pro posteriori. Minor probatur exinde, quòd neque iuxta Aduersarios possint coexistere pro eodem signo forma, & priuatio, siue signum sit prius, siue posterius. Confirmatur, repugnat priuationem coexistere pro posteriori cum forma. Ergo & repugnat existere pro priori ad illam. Nihil enim potest existere in priori signo naturæ, quod non existat in instanti reali, & proinde in posteriori signo, per quod constituitur instans reale. Contra quintò, Si pro primo instanti reali, introducitur forma, existit priuatio in priori signo naturæ, id etiam eueniet pro reliquis instantibus. Etenim vt in primo instanti pro priori naturæ non intelligitur forma in materia; sic neque in secundo instanti pro priori naturæ. Et quidem si pro primo instanti censes à te dici sine absurdo, verificari de eadem forma non esse, & esse, censeas idem, necesse est, pro secundo, & sequentibus. Vt si diceres, posse in vno instanti componi assensum & dissensum, amorem, & odium obiecti eiusdem, neutiquam negares consociari posse multis aliis. Instabis, dici à nobis, priuationem principium generatiuæ mutationis pro primo instanti, quin idem de sequentibus asseramus. Respondetur ita esse, quia nimirùm in primo solùm instanti dicitur materiam se habere aliter ac anteà, & licet in sequentibus dicatur esse mutatam, sumitur denominatio à præterita mutatione, vti Caius dicitur filius Petri in omnibus instantibus, denominatione sumpta à præterita generatione. Contra sextò, ea præcedunt pro priori signo naturæ ad formam, quæ sunt eius causæ, vel requiruntur vt conditio ad causandam formam. Sed priuatio non est causa formæ, neque conditio ad eam causandam, cum in formam non influat physicè, neque necessaria sit, vt agens extrinsecum, & materia causent formam. Quamuis autem priuatio sit principium compositi naturalis in fieri per generatiuam mutationem, quando actu non existit, id prouenit exinde, quod non est principium per modum influentis, sed termini, à quo præexistentis. Quare si priuatio eo titulo præcederet pro signo naturæ ad formam, quòd est causa illius, aut conditio, deberet sequi forma, & non sequi pro signo posteriori naturæ; sequi quidem, vt supponitur, non sequi, quia alioqui forma si non eo instanti, saltem sequenti inferret ablationem priuationis, quæ fuit causa, aut conditio ad ipsam formam; imò vt existens pro primo instanti exigeret ablationem pro succedenti. Est verò prorsus incredibile, vt id, quod dependenter ab alio vt causa, aut conditione accipit existentiam, postulet defectum illius. Contra septimo, non magis existit causa in posteriori naturæ signo, cui respondet existentia effectus, quàm hic existat in eo, cui respondet existentia causæ. Sed in signo effectus non datur carentia causæ. Ergo in signo causæ non dabitur carentia effectus. Consequentia liquet. Probatio Minoris petenda est ex rationibus, quibus suaderi solet causam non existentem non posse operari physicè; quod adeo manifestum fuit S. Gregorio Thaumaturgo, vel S. Maximo Martyri in disputatione de Anima ad Tatianum, vt scripserit, *Nisi fortè quis ita insaniat, vt id, quod non est, eius, quod est, causam esse affirmet* &c. Maior non potest negari, nam non est potior ratiò, vt causæ respondeat signum etiam effectus, quàm huic signum causæ. Contra octauo, filij diuini non datur carentia in originis signo, quo Pater æternus est prior in quo. Ergo nec formæ dabitur carentia in materiæ signo, quo materia est prior à quo. Potest etiam desumi argumentum ex formalitate, quæ sit ratione prior respectu alterius, vt ex rationalitate respectu risibilitatis; nam pro signo, quo concipitur rationalitas, abstrahitur tantum à risibilitate, & huius non concipitur carentia.

83 Contra Nonò, si priuatio formæ est in signo priori ad formam, existet pro eodem signo priuatio formæ, & ipsa forma noniter introducta. Quandoquidem pro priori signo intelligitur introductio formæ nouæ, cum sit causa expulsionis formæ antiquæ; omnis autem causa antecedit pro signo priori effectum. Neq; euades vim argumẽti, si dicas in vno instanti reali plura esse signa naturæ, atque adeò in vno signo intelligi priuationem formæ introducendæ, in alio introductionem, in alio denique expulsionem formæ antiquæ. Etenim debet aliud signum superaddi, in quo intelligatur materia indifferens ad habendam priuationem formæ ignis, vel ligni v.g quod signum est idem cũ signo indifferentiæ ad habendam formam ignis vel ligni: cum hoc autem superaddito signo est incompossibile in eodem instanti reali signum subsequuntum priuationis formæ introducendæ adiunctum signo introductionis. Confirmatur, tum quia priuatio formæ ignis introductæ expellitur per huius formę introductionẽ. Ergo illa priuatio non existit pro signo priori ad introductam formam, sed abstrahitur ab illa, & ab illius expulsione. Tum quia quando forma ignis expellit formam ligni, prima forma præcedit pro priori expulsionem, seu priuationem secundæ. Ergo vel pro eo priori signo existit carentia priuationis

formæ ligni (quæ carentia priuationis est ipsa forma ligni) ac propretereà existet pro eodem ligno duplex forma, vel pro eo priori signo existet non carentia priuationis formæ ligni (quæ non carentia est ipsa priuatio formæ ligni) ac proinde existent pro eodem signo priuationes formæ ignis, & ligni. Si ergo ne in has absurditates incidatur, dicendum est, pro eo priori signo, neque expulsionem formæ ligni, neque carentiam expulsionis, sed præcisionem ab vtraque intelligi, & dari absolutè in illo instanti expulsionem, carentiamque formæ ligni; ita pariter dicendum erit non intelligi pro priori priuationem, neque carentiam priuationis formæ introducendæ, sed abstractionem à priuatione, & carentia priuationis; etsi simpliciter detur in tali instanti forma introducta, & carentia priuationis.

83 Sed obiicis, materia pro priori naturæ non habet formam, quia pro illo priori forma non est causa sui, neque conditio, vt causetur. Ergo pro illo priori habet formæ carentiam: quæ carentia, cum sit in subiecto capaci, erit vtique priuatio. Respondeo, materiam pro illo priori neque habere formam, neque carentiam formæ; sed præcisionem, vel fundamentum præcisionis ab existentia formæ, & à carentia formæ: quæ præcisio est quid medium inter vtramque, consistitque in eo, quòd neque forma, neque carentia formæ causent ipsam formam, aut sint ad eam conditio sine qua non: sicut præcisio à materia, cæterisque causis, & conditionibus in posteriori signo consistit in hoc, quòd neque à se ipsis, neque à sui carentia causentur. Vrges, si Materia in instanti reali non possideat formam, enuntiabitur rectè habere carentiam illius pro eo instanti. Ergo si ipsamet in priori signo non ornetur forma, dicetur æquè benè habere pro eo priori carentiam formæ. Respondeo, materiam non habere formam in instanti reali esse formalissimè habere carentiam formæ pro illo instanti: non enim datur medium inter non habere realiter absolutè formam & carere realiter absolutè forma. At in priori signo dari medium, scilicet præcisionem, vel fundamentum præcisionis à carẽtia, & à forma. Quare *non habere pro priori signo* non accipiendum est negatiuè, sed præcisiuè quo pacto accipi non potest pro instanti reali. Sicut de me, qui hæc scribo, negari simpliciter nequit, quod sim Religiosus Societatis hoc in instanti reali; quamuis pro priori signo ad scriptionem detur, vel fundetur præcisio ab statu Religioso, & ab eius carentia, eo quòd neque status hic, neque ipsius carentia sit causa, aut conditio, sine qua non ad scriptionem. Vrges rursus; priuatio, & forma non opponuntur contradictoriè immediatè. Ergo saltem diuinitùs possunt simul coniungi in eodem subiecto. Pessima illatio; nam amor, & odium, assensus, & dissensus eiusdem obiecti in eadem voluntate non opponuntur contradictoriè immediatè; & tamen nequeunt diuinitus esse simul. Ad Antecedens dico, priuationem respectu subiecti capacis, & formam opponi contradictoriè immediatè, quia non datur mediũ inter vtramque v.g. inter cæcitatem, & visum non datur medium respectu hominis; neq; cæcitas auferri potest nisi per visum neq; visus nisi per cæcitatẽ; & de homine verificari debet aut cæcitas, aut visus. Quare sicut carẽtia opponitur immediatè contradictoriè cũ re, cuius est carentia, ita priuatio cum forma, cuius est priuatio. Fateor nihilominus, si priuatio & forma sumãtur respectu subiecti incapacis, non opponi contradictoriè immediatè, quia inter ipsas mediat negatio, v.g. inter cæcitatem, & visum datur medium in Angelo, qui neque est cæcus; seu priuatus visu, neque est videns, seu affectus forma visiua.

84 Obiicies secundò, formæ priuatio competit materiæ in aliquo instanti reali. Sed non in alio, quàm in eo, in quo introducitur forma, & in priori signo eius instantis. Ergo in eodem instanti reali coexistunt priuatio, & forma pro diuersis signis. Probatur Minor quoad primam partem, quia in instanti antecedenti introductionem formæ non est materia subiectum dispositum, & aptum; secus verò in instanti, in quo introduitur forma. Ergo in hoc solo competit materiæ priuatio, quæ est carentia formæ in subiecto apto nato. Probatur quoad secundam parem eadem Minor, quia non in priori, sed in posteriori signo instantis realis introducitur forma. Ergo huius priuatio competi è contrario materiæ non in posteriori signo, sed in priori. Nego Minorem quoad vtramque partem; atque adeò dico, priuationem conuenire materiæ in instanti præuio ad possessionem formæ, & conuenire non posse in signo priori eius instantis, quo possidet formam. Audi S. Damascenum in Physica cap. 2. *Ortus rerum naturalium tria prima principia sunt forma, priuatio, & materia. Verùm forma quidem, & materia principia per se intelliguntur, quia materia formæ subiicitur, neque ei aduersatur, eoque etiam nomine accedentem eam sustinet, imò vt rectiùs loquar, eam appetit. At priuatio, cum formæ aduersetur, atque ita comparata sit, vt cum ea societatem coire nequeat, accedente ea discedit. Ac proinde priuatio ex accidenti dumtaxat principium esse intelligitur, vt quæ tantummodò generationem antecedat. Neque enim sublata priuatione generatio esset, quandoquidem id, quod oritur, ex eo, quod non eiusmodi erat, verùm esse aptum erat, oritur. Quòd si priuatio non ex accidenti, sed per se principium esset subiectum profectò per ipsius abiectionem interiret, si quidem esse ipsi simul cum priuatione esset; materia quippe forma priuata esset.* Hæc S. Damascenus, quibus nihil aptius, aut ad rem, aut ad elucidandum sensum Aristotelis in lib. 1. Physicorum cap. 7. 8. & 9. Neque obstat, in instanti præuio materiam non esse subiectum dispositum & aptum si est in possessione alterius formæ; nam aptitudo subiecti requisita ad priuationem, satis est, si sit remota in sensu composito priuationis, & proxima in sensu diuiso; seu satis est ad priuationem, quòd subiectum, cui competit, sit secundùm se, & absolutè aptum naturaliter habere formam remoto impedimento alterius formæ, accidentibusque dispositionibus eius formæ, qua est priuatum.

85 Obiicis tertiò, pro eodem instanti reali existit forma, & eius expulsio vi alterius formæ contrariæ,, nam forma expellitur in instanti, in quo existit, & non in eo, in quo non existit, neque potest altera contraria pugnare cum ipsa nisi vt existente. Ergo similiter pro eodem instanti existet priuatio formæ, & eius introductio. Sed caue, ne sic arguens contendas latenter, in primo instanti transubstantiationis sacramentalis dari simul substantiam panis, quæ destruitur, & corpus Dominicum, quod introducitur, vt peracutè odoratur Auersa q. 10. Philosophiæ sect. 6. omnino videndus. Caue etiam, ne pariter contendas, dum vnum corpus deturbat

deturbat aliud è loco, ad quem se mouet, existere simul vtrumque in eodem loco, & dum gratia habitualis expellit peccatum lethale, aut è conuerso, consociari simul vtrumque in anima, quod admissum quidem fuit à Lorca tomo 2. in 1.2. disp.40 conclus.3.& 2.2.disp.12.in Appendice ex num.17.sed reiicitur, & exagitatur à posterioribus Theologis Suario, Turriano, Ripalda, Ouiedo, & aliis in tract.de iustificatione. Quapropter respondendum est breuiter negando Antecedens, & dicendo primum esse formæ introductæ esse primum non esse expulsæ: ac proinde in eodem instanti expelli; non quidem in quo existit esse ipsius; formæ neque in quo non existit non esse; sed in quo existit primũ non esse subsequutum pro posteriori naturæ ad primum esse introductæ formæ contrariæ ob incompossibilitatem vtriusque formæ; & non quia inter se pugnarint more militum.

86 Obiicies quartò, voluntas creata in eo instanti realiter; in quo liberè operatur, est indeterminata pro priori signo, & determinata pro posteriori: neque enim est indeterminata in vno instanti reali, & derminata in alio, neque item est in determinata, & determinata in eodem signo eiusdem instantis realis; quare erit determinata in posteriori signo & indeterminata in priori. Ergo si in eodem instanti reali pro diuersis signis componi possunt carentia determinationis, & determinatio respectu volũtatis creatæ, sequitur, componi posse carentiam formæ, & ipsam formam. Respondeo cum Meratio. disp.50 de Angelis sect.1.in fine, indeterminationem voluntatis creatæ in instanti, in quo liberè operatur amorem v.g.non esse carentiam determinationis existentis pro posteriori signo, consistentisque in amore; sed esse carentiam principij determinantis ad amorẽ, quæ carẽtia existit realiter pro signo tã priori quã posteriori licet in hoc nõ intelligatur, sed in priori, in quo intelligũtur ea, quæ sunt causa, aut conditio ad liberè operandum amorem: sicut in posteriori intelligitur libertatis effectus, qui est determinatio consistens in amore, & qui non intelligitur in priori, quin eius carentia existat realiter pro eo signo. Vnde indeterminatio, & determinatio, quæ dantur in voluntate creata pro instanti reali, pro quo liberè operatur amorem, non se habent tanquam carentia, & forma opposita. Ex quo facile est respondere in forma ad argumentũ.

SECTIO VIII.

An eductio formæ Empyreæ prodierit ex huius priuatione præexistentem ante materiæ Empyreæ creationem?

87 Difficultati huic ansam dedit P.Suarez disp. 15.Metaphsicæ sect.3. n.5. vbi præbens discrimen, cur in prima productione forma ignis fuerit educta, non sic cælestis, fatur in hunc modum: *Materia ignis ita est prior, vt ex vi actionis, per quam creatur, posset esse sub priuatione formæ ignis. Et hoc modo non solùm materia, sed materia, vt in potentia dicitur esse prior naturâ, non quia in re priùs habeat priuationem annexam; sed quia ex vi actionis, per quam creatur, non caret priuatione, sed necessaria est alio actio, qua informetur, quæ potest habere veram rationem eductionis. Materia autem cæli eadem actione, qua creatur, informatur; & licet secundùm propriam rationem causandi, dicatur prior naturâ tamen vt existens in potentia, & aliquo modo sub priuatione nullomodo dicitur materiâ prior, & ideo non habet eam prioritatem naturæ, quæ ad eductionem formæ nenessaria existit.* Huc vsque ille, qui longè fuit, vt putaret, quod nonnuli affingunt ipsis nempe primum formarum elementarium eductionem coextitisse earum in materia priuationi. Expendantur illa verba, *Non quia in re priùs habeat priuationem annexam.* Leganturque scripta ab ipso tum disp.19. Metaphysicæ sect.9. n.8.tum tomo 3.de Gratia lib.7.cap.19.n.3.& sequentibus. Nemo tamen oculatus erit, qui neget, asseri à Suario formas elementares præ cælestibus productas fuisse aliquo modo ex priuatione sui. Et de cælestibus iam anteà fuerat inficiatus in illa disp.15.sect.2.n.17.inquiens, *Materia cæli, licet sit potentia ad suam formam, postulat ex natura sua, vt non sit in potentia ad illam, quia hoc esse in potentia includit, priuationem.* Si ergo per hunc Doctorem materia ignis fuit in potentia ad primæuam productionem formæ igneæ, habuit priuationem eius inclusam. Quod de materia elementari indicauit Suarius, expressit clarè de ipsa, & cælesti Raphael Auersa q.10.Philosophiæ sect.3. & ante ipsum Recentior quidam ex nostris in manus scriptis excultissimis, quos anteiuit litteratissimus vir Martinus Aluiz, quondam ex societate, posteà Augustinianus, & Primarius complutensis, tam in S. Thomæ, quam in Scoti cathedra disp.9. Physicorum q.1.dum in Collegio nostro Palentino anno Domini 1595.dictaret Philosophiam.

88 Ex antiquis fauere videntur Aristoteles, S.Cyrillus Alexandrinus, S.Thomas & Scotus, dum primus lib.1. Physicorum sæpe profert absolutè, priuationem esse principium necessarium generationis compositi cuiusuis. Sed de Aristotele infra. Secundus lib.2.contra Iulianum ait, *Quomodò dicis alienum à vicissitudinibus, materialibus, & conuersionibus cælum, quod factũ est; nam si omnino factum est, vtique & motum est. Id conuerti est, ac mutari; & quodãmodò præcessit priuatio, quia aliquando nõ erat. Nam ei, quod ex nihilo factum est, ipsum vocari ad natiuitatem, & produci, mutatio, & conuersio est.* Eadem fermè habet Procopius, Gazeus in c.1. Genesis v.26. Tertius q.3. de potentia art.14.ad 7. pro parte negatiua inquit, *Potest dici, sicut & Auicenna dicit, quòd non esse præcedat esse rei, non duratione, sed natura, quia videlicet, si ipsa sibi relinqueretur, nihil esset.* In quibus verbis sermonem habet de creatura, quæ peraccidens produceretur ab æterno. Vnde inferri potest, ergo si penes S.Thomam negatio præcederet creaturam productam ab æterno quatenus creatura, sibi relicta, nihil esset, præcedet etiam priuatio formæ cælestis ipsam formam cælestem productam simul cum materia, quatenus hæc maneret priuata cælesti forma si Deus in ipsa non produxisset in primo instanti formam, cuius est capax. In eundem sensum potest trahi idem S.Doctor dum in 3.dist.13.q.1.art.1.ad 2.scribit. *Gratia est facere Deo similem, nec oportet, vt de dissimili faciat similem, sed de non simili similem; nec ita quòd semper negatio similitudinis similitudinem tempore præcedat, sed naturâ sicut potentia est ante actum, sicut sola præcedit lucem.* Neque enim putandum est, Angelicum Præceptorem voluisse, negationem similitudinis cum Deo consistentis in gratia habituali, de qua ibi loquitur, coexistere simul pro eodem instanti reali cum gratia. Sic etiam 3.p. q.34.art.1. in corpore docet Christum in primo instanti

instanti suæ conceptionis, *factum esse sanctum ex non sancto secundum hominem, non quidem priuatiuè, vt scilicet aliquando fuerit homo, & non sanctus; sed negatiuè, quia scilicet quando fuit homo non habuit sanctitatem humanam.* Quartus in 2. distinct. 1. q. 2. n. 3. v. *Respondeo* ait, *Alio modo prius naturâ dicitur vnum esse alio, quasi priuatiuè, quòd scilicet non insit ei, cui dicitur primò conuenire; sed inesse ei, nisi per aliud impediretur, Sicut si dicatur in materia prius naturaliter esse priuatio, quàm forma; non quidē quòd ista duo sint simul in materia; ita quòd priuatio prius in sit, quã forma, sed priuatio pro tanto potest dici prior naturâ, & prius naturâ in materia quàm forma, quia priuatio semper inesset materiæ, nisi ab aliquo agente reciperet formam: ita quòd ad habendum priuationem sufficit sola materia cum priuatione, vel negatione causæ extrinsecæ; ad habendum autem formam requiritur causa extrinseca. Neque tamen priuatio est de ratione materiæ, sicut neque forma, neque ambæ sunt simul in materia.* Non absimilia tradit in q. 3. n. 19. vers. *Hic dico* & applaudit Dionysius Cistercienfis in 2. di. 1. q. 4 art. ac conclus. 2.

89 Pro difficultatis intelligentia adnotandum est, priuationem posse cogitari sub ratione tantum carentiæ, & sub ratione priuationis vt talis. Si sub prima ratione, non videtur negari posse eam fuisse principium generationis formæ Empyreæ, cũ hæc prodierit ex non esse sui, quod non esse est ipsa carentia. Si hinc suboriatur dubium, cur generationis secundùm se præcisè sumptæ non dicatur vulgò principium carentia negatiua formæ? Deponet illud, qui animaduerterit, non dari respectu carentiæ negatiuæ subiectum, quod transeat ab illa, vt à termino à quo ad formam vt ad terminum ad quem. Neque ad generationem formæ ab æterno, si possibilis, sit negatiuam carentiam formæ fore necessariam ex communi sensu: neque item processum à negatiua carentia rei ad esse rei competere solis agentibus creatis naturalibus in suis operationibus, aut solis compositis corporis in sui constitutione, vt patet in processu Angeli à negatiua carentia sui: nam Deus, à quo fit Angelus, est agens increatum, & ipse Angelus non est compositum substantiale corporeum. Philosophos autem, dum carentiam priuatiuam præ negatiua assignãt principium generationionis, attendisse tantùm ad id, quod singulariter est proprium generationis ortæ ab agentibus creatis naturalibus, & terminatæ ad compositum substantiale corporeum. Vnde generatio secundùm se sumpta, consistit adæquatè in entitate actionis exigentis essentialiter se ipsa causam producentem materiam vt subiectum, ac formam vt terminum productum, quin petat huius carentiam antecedentem negatiuam. Iam verò, si consideretur priuatio sub ratione talis, & vt distincta à mera carentia, qua sub consideratione consistit difficultatis punctum, asserimus, fuisse etiam principium. Sed antequam probationem nostram adducamus, vocanda est ad lydium lapidem alia, qua vtitur Modernus laudatus in num. 87. Et inter eam examinandam, & nostram proponendam, obfirmandamque dicemus non pauca de principiis entis naturalis tam in fieri, quàm in facto esse, prout de illlis loquitur Aristoteles lib. 1. Physicorum vtraque enim probatio hoc expolcet.

Discutitur, & reprobatur singulare quoddam argumentum pro parte affirmatiua.

90 ERgo Recentior ille discurrit sic: Priuatio ideò censetur principium generationis mutatiuæ, quia eius ratione formam desiderat materia. Vnde *priuatio* vulgò dicitur *causa appetitus* colligiturque ex Aristotele lib. 1. Physicorum cap. 4. textu 81. De quo axiomate longum sermonem habet Bartholomæus Amicus tract. 5. Physicorum q. 7. dub. 6. & concludit, priuationem esse principium appetitus, licet non sit vera causa, sed occasionalis, seu conditio sine qua non. Tunc vltra: sed materia in primo instanti suæ productionis desiderauit formam Empyream, indeterminatè saltem ratione priuationis. Ergo priuatio fuit principium generationis formæ Empyreæ. Suadet Minorem. Materia desiderauit formam Empyream ob carentiam antecedentem illius. Sed ea carentia esset priuatio, si ipsi coexisteret materia. Ergo desiderauit formam Empyream ratione priuationis.

91 Sed in primis licet hoc argumentum conuinceret, materiam desiderasse formam ob carentiam antecedentem, non exinde coget fateri, desiderasse eam ratione carentiæ, quæ esset priuatio. Etenim illam carentiam fore priuationem, si ipsi coexisteret materia, non facit esse priuationem, quando non coexistit. Ita dicent, qui cum Arriaga disp. 2. Physicorum sect. 12. negationem, & priuationem nõ distingunt ex parte recti, seu ex parte carentiæ. Qui verò cum Suario disp. 54. Metaphysicæ sect. 5. n. 7. distingunt, dicent, carentiam, quæ fuit de facto ante productionem materiæ, & formæ, fore diuersam ab ea, quæ coexisteret materiæ. Deinde perscrutari oportet Maiorem, & Minorem propositionem primi syllogismi. Ideo Recentior ille putat, priuationem formæ introducendæ esse præ forma antecedente principium generationis mutatiuæ, quia materia formam introducendam expetit magis, quàm prioré si sit magis disposita ad illã, quàm ad hanc. Ista autem maior exigentia fundatur in priuatione formæ introducendæ, & non in forma præexistente. Verùm vt priuatio sit præ forma antecedente principium, necesse non est ad hos confugere Labyrinthos, cum regiæ aliæ sint ob oculos viæ. Aristoteles non recensuit formam præexistentem inter prima principia, quia cum ex errore putarit, mundum fuisse ab æterno productum, peruenirí non posse ad vllam formam, quæ esset prima, persuasum habuit. Nos nõ recensemus, quia generatio mutatiua vitalis præcisè non requirit formam præexistentem destrui, neque præcessisse formam aliquam. Si dicatur, priuationem esse ex forma tãquam ex termino à quo, & tamen esse primũ principiũ. Respõdetur, hinc vt in summũ haberi priuationẽ non esse primum principium, quãdo in materia reproduceretur forma, ex cuius destructione priuatio resultasset, & non negatio. Rursus in isto etiam casu non esset priuatio ex forma in eodem genere, in quo est generatio formæ ex priuatione, cum hæc non constituatur per formam; generatio autem formæ vt mutatiua constituatur ex priuatione: & cum forma sit ex priuatione vt termino à quo priuatiuo; at ex forma, vt ex positiuo, esset priuatio. Et præterea priuatio siquidem careat esse non propriè dicetur esse ex alio. Improbandus non esset, qui asseret, sub priuatione comprehensam ab Aristotele formam præexistentem, vt pote quæ est fundamentalis priuatio formæ aduenientis; proindeque

indeque tum ipsam priuationem formalem integrare vnum principium.

92 Quicquid de hoc sit, dictis non contrariamur, dum formam præexistentem ex alia parte adstruimus principium generationis conuersiuæ, eo quòd ad denominationem actionis vt conuersiuæ requiratur transitus ex vna forma ad aliam: non ita quidem vt actio conuersiua exigat specificatiuè formam præexistentem, neque ita vt illam connotet extrinsece. Ergo ita vt ex illa per modum termini, à quo constituatur denominatio actionis vt conuersiuæ. Et ob similem rationem generatio mutatiua, vt talis, habet pro principio priuationem. Cum enim denominatio generationis mutatiuæ non consistat in sola entitate generationis, siquidem hæc secundùm se potuisset existere sine ea denominatione, si non præcessisset priuatio; neque item consistat in sola priuatione, vt constat, sequitur, consistere in vtraque apud me, qui denominationes intrinsecas non expedio per connotata extrinseca: proindeque priuationem esse principium intrinsecum generationis mutatiuæ vitalis; quæ est aggregatum non physicum, sed morale, coalescēs ex positiuo & priuatio; sicut aggregatum hominis cæci. Nec solùm generatio vt mutatiua constituitur ex priuatione, sed etiam ipsum in facto esse compositum substantiale vt mutatum, saltem pro primo instanti. Neque obstat, quod obiicit Ouiedus controuers. 1. Physicorum puncto 2. num. 2. & 16. nempe compositum esse destructiuum formaliter priuationis, ideoque non posse hanc esse principium, illius vlla ratione, nihil enim potest esse principium sui non esse. Non, inquam; obstat; nam instatur in generatione vt mutatiua, quæ destruit formaliter priuationem, ex qua constituitur. Sed quia constituitur ex ipsa, non vt existente, sed vt distincta, idcircò priuatio non est principium formaliter sui non esse. Idem dictum putetur de priuatione constituente compositum vt mutatum, quod vt tale non erit ens physicum adæquatè permanens. Nonnulli, qui sibi persuadent, Aristotelem non egisse de principiis entis naturalis in fieri: non enim fecit mentionem nisi entis naturalis, quo nomine sine distinctione prolato significatur absolutè ens naturale in facto esse; possent ex proximè dictis declarare, qua ratione priuatio sit principium omnis entis naturalis in facto esse, videlicet quatenus constituit ens naturale vt productum per mutationem; satiusque id esset, quàm dicere; priuationem non esse principium in vllo composito positiuo adæquato, sed in positiuo inadæquato v. g. in hoc *Petrus non Musicus*; & Aristotelem solummodò voluisse præscribere tria principia, quorum duo, nempe materia, & forma constituant adæquatè aliqua composita naturalia; aliud verò, nempe priuatio constituat partialiter reliqua. Mirabar, expositionem hanc mentis Aristotelicæ prodiisse ab hominibus, qui Philosophum legerunt. Vbinam namque ille in toto libro primo insinuauit talem mentem? Et vbinam non curat manifestare materiā, formam, & priuationem principia esse entis eiusdem? Et hoc quidem est ens constans ex natura, nisi ipsi alios, quàm nos Aristotelicos Physicorum libros nacti sint. At homo vt non musicus non est ens constans ex natura: Quòd si Philosophus solicitus fuit, vt declararet principia hominis vt non musici tanquā entis naturalis, cur tam incutiosus circa principia hominis vt musici, vt fabri, & vt militis, nec non circa principia ignis vt calidi, aquæ vt frigidæ? Iam id, quod dicunt de alto silentio Aristotelis, quantùm ad ens naturale in fieri reprehenditur ab aliis iunioribus; quia cum Arist. c. 7. textu 67. & 70. doceat principia, tum duo, tum tria dici posse: exprimit eo ipso ens naturale in facto esse, duoque eius principia & ens naturale in fieri, triaque eius principia, idest, materiam, formā, ac priuationem. Sed iuniores isti non penetrarunt sensum Aristotelis, qui si materia, & priuatio sumantur, quatenus subiecto vnum sunt, ait efficere cum forma duo tantùm principia, si verò quatenus sunt specie duo, inquit efficere tria cum eadem. Et hæc est explanatio à nostris Conimbricensib. tradita, & à S. Damasc. c. 2. ac 3. phys.

93 Vlterius (vt reuertar ad argumentum superius) quæritur in seipso nodus, dum maior exigentia formæ introducendæ, quàm præexistentis fundatur in priuatione illius. Non enim fundatur nisi in dispositionibus ad formam introducendam; quæ cum plures sint, præualent dispositionibus præexistētis. Et vt integrum iudicium feramus de Maiori propositione, si priuatio esset principium, quia illius ratione formam desiderat materia; id alicubi insinuarū fuisset ab Arist. imò non dixisset lib. 1. Phys. c. 6. textu 66. priuationem esse per accidens ad ens naturale; siquidem materiæ exigentia non se habet nisi per se ad formam magis appetitam. Ideò verò ab Arist. & à S. Damasc. c. 2. ac 3. Physic. dicta est requiri ex accidenti priuatio, quia esto constituat generationē mutatiuam vt talem, atq; adeò respectu illius sit principium per se; non tamen constituit intrinsecè ens naturale, seu compositum in facto esse secundùm se (quod coalescit permanenter ex materia, & forma solùm) quare respectu entis naturalis est principiū per accidens, extrinsecūve priuatio. Fas sit nomine principij insignire id, quod extrinsecum est; nam principium, vt à Philosopho vsurpatur lib. 1. Physic. sumitur tantùm pro intrinseco, ac constitutiuo, alioqui curtè processisset non cōputando inter generationis, & entis naturalis principia causam efficientem, finalē, atq; exemplarem. Dices, ergo dispositiones ad formam introducendā erunt non minus principiū, quàm priuatio. Respondetur, si in maiori exigentia ratione priuationis fundatur hanc esse principiū, inferri consequentiùs contra te, principiis accensendas dispositiones. Nos idcircò non annumeramus principiis intrinsecis entis naturalis, quia non sunt naturæ, qualia debent esse entis naturalis principia, de quibus fatur Aristot. & quia sunt proprietates, vel cōplementa naturarū, & quia saltem diuinitus potest ens naturale existere constitutū sine eis. Neq; rursus cōputamus inter principia intrinseca generationis mutatiuæ, quia ex illis, vt ex termino à quo non cōstituitur. Quo ad axioma: *priuatio est causa appetitus*, dico, sumi latè priuationem pro carentia confestim explicāda; & causā etiam sumi latè pro principio. Vt omittā intelligi debere axioma de appetitu formæ adquirendæ generatione mutatiua facta in tēpore. Vt item omittam, rectā, sartamque seruari veritatē proloquij si priuatio quando datur, sit principium appetitus, licet hic aliàs possit dari sine illa.

94 Transeo ad minorē propositionē, quam negatet Arriaga cum disp. 2. Physic. n. 41. excludat à materia quæ miraculosè non priuetur omni forma, appetitum desiderij. Sed iniquè reiicere appetitū desiderij erga formas indeterminatè, probaui in sect. 2. exercit. proximæ. Ex dictis ibi infertur, materiæ in primo instanti productionis non esse negandum appetitum desiderij erga formā Empyream obtentam

tam pro posteriori suo illius instātis. Nihilominus displicet mihi Minor ea propositio, quatenus statuit, præfatum appetitum desiderij prouenisse ratione priuationis. Non enim prouenit nisi ratione carentiæ præcisiuæ habentis se, vel consideratæ à nobis pro quodam priori signo, vt explicui in sectione præcitata. Permisso tamen, prouenisse ratione carentiæ antecedentis productionem materiæ, adhuc illa carentia non esset priuatio; neque forma Empyrea traheret ortum ex non esse sui priuatiuo, sed negatiuo, vt iam attigi initio n. 91.

95 Inquies, nisi recurratur ad carentiam antecedentem, quæ vel priuatiua sit, vel negatiua, non posse percipi appetitum desiderij erga formam possessam à materia in primo instanti suæ productionis. Respondeo, vt percipiatur appetitus desiderij, satis esse, si pro aliquo signo detur carentia præcisiua formæ declarata in n. 83. Finge productam ab æterno materiam, simulque vestitam substantiali forma; tunc concipies in materia pro priori signo naturæ exigentiam formæ, quæ si negaretur materiæ, fieret ipsi violentia: proindeque concipies appetitum desiderij ob solam carentiam præcisiuam formæ habentem se vel consideratam pro illo signo; non enim tunc recurrere est ad carentiam antecedentem, quæ vel priuatiua sit, vel negatiua. Extituram autem carentiam formæ si materia, & forma productæ non fuissent ab æterno, non facit, antecessisse actu ex nostro etiam modo concipiendi: sed antecessuram in illo casu; nec facit, carentiam fuisse principium formæ generatæ ab æterno in positione fictitia, sed futuram. In quo passus est æquiuocationem Auersa supra. v. *Adhuc tamen*, dum vult, priuationem fore principium respectu etiam generationis, quæ fieret ab æterno.

96 Redarguitur item Auersa, tum quia quòd extitura esset carentia formæ, nisi hæc conseruaretur, non sufficeret, vt illa haberet se tanquam principium ad conseruationem huius. Ergo neque sufficeret in prima productione siue æterna, siue temporali. Tum quia formæ priuatio, quæ daretur, ni produceretur forma, impeditur à priori per ipsam formam. Ergo ea priuatio non est principium formæ, siquidem principium non debeat esse posterius principiato, sed potiùs prius. Tum denique quia agitur de priuatione vt generationis principio per modum termini, à quo, seu ex quo præcedente transeat materia ad formam: non autem agitur de priuatione vt termino impedito, ad quem transiret materia, seu qui sequeretur, si forma de esset, vi cuius impeditur. Hæc namque consideratio aliena valde est à ratione principij. Et declaratur exemplo, non enim dicetur, fieri ex paupere diues ille homo, qui cum antea non esset expertus paupertatem, seu non habuisset carentiam diuitiarum, his acceptis præseruaretur ab inopia. S. Thomas, & Scotus, quibus insistunt Auersa, & Neothericus asseclа, impugnatum discurrendi modum insinuant non leuiter; nisi S. Thomam quis interpretetur ex dicendis in fine sectionis.

Secundum argumentum pro affirmatiua parte.

97 FOrma Empyrea producta fuit in materia ex non esse sui in ipsa materia; cœpit enim esse in hac, cum antea neque in se, neque in ea fuisset. Ergo producta fuit vt ex principio per modum termini à quo ex carentia sui habente se sub ratione & conceptu priuationis, quia non esse formæ in subiecto, quod aliunde sit talis formæ naturaliter capax proximè, vel remotè, distinguitur sufficienter à carentia habente se sub ratione, & conceptu puræ negationis, quæ quidem nullum dicit respectum ad subiectum naturaliter capax. Gratis dicetur, carentiam priuatiuam debere esse non esse formæ in subiecto, quod aliàs existat realiter, & à parte rei; cum satis discriminetur carentia priuatiua, à purè negatiua ex eo quòd hæc neque ad possibile subiectum, capax saltem naturaliter, habeat respectum. Consideretur diuersitas inter carentiam Angeli, & carentiam formæ Empyreæ pro instanti immediatè antecedenti instans primum creationis Angelorum, & Empyrei Cæli. Carentia Angeli non erat carentia rei in subiecto apto nato; secus carentia formæ comparata ad materiam pro illo instanti non existentem. Quando ergo in sequenti instanti fuit producta forma in materia, iam existente realiter, prodiuit ex hac carentia diuerso modo ab eo, quo prodiuit Angelus ab alia: Modi autem diuersitas in nullo alio potuit consistere, quàm in eo, quòd forma prodierit ex sua carentia vt priuatiua, & Angelus ex sua vt negatiua.

98 Si quem incesserit dubitatio, qua ratione in antecedenti instanti ad instans creationis materiæ & formæ carentia huius sit priuatio; cum in eo non detur subiectum ex cuius capacitate constituatur. Priuatio autem debeat constitui in recto ex carentia, & in obliquo ex subiecti capacitate, necnon ex forma, siquidem deficiat deficiente quolibet ex his. Vel saltem priuatio debeat dicere intrinsecum, & essentialem ordinem ad subiecti existentis capacitatem, vti actio, & vnio ad terminum, & extrema existentia. Eximet se hoc scrupulo, si ex materiæ possibilis capacitate constitui posse attenderit, vel ex intrinseco, & essentiali ordine ad materiæ possibilis capacitatem; & vno vel altero modo se habet, si carentia formæ Empyreæ comparetur ad materiam, dum hæc erat tantùm possibilis notabitur in ea aliquid speciale præ carentia eiusdem formæ comparata ad Angelum. Illud autem speciale erit ratio priuationis. Ego etiam meditabar, à capacitate materiæ iam existentis refundi posse denominationem priuatiuæ in carentiam formæ tunc non existentem; quemadmodùm in priuationem, quæ euanescit in instanti generatiuæ mutationis refunditur denominatio principij, & quemadmodùm denominatio constitutiuorum horæ completæ refunditur in instantia non existentia, quando hora completur. Cui hoc arriserit, necesse est, dicere carentiam formæ Empyreæ ante productionem materiæ abstraxisse à conceptu tam negationis, quam priuationis, & adueniente materia accepisse rationem priuationis ac principij generationis formæ Empyreæ; non quidem vt existentem, sed vt destructam per ipsammet generationem. Priuatio itaque non vt existens, sed vt destructa constituit denominationem generationis vt mutatiuæ, non secus ac anni, non vt existentes, sed vt præteriti constituunt denominationem hominis senis: non secus etiam ac dies hesternus vt elapsus, & non vt præsens, constituit denominationem hodierni diei.

99 Erit, qui me contrarium putet S. Thomæ 3. contra Gentes cap. 20. n. 3. vbi sic loquitur: *Quia priuatio est negatio in substātia eius, quod substantia potest*

potest inesse, manifestum est, quod cum hac forma, quæ non implet totam materiæ potentiam, adiungitur priuatio formæ; quæ quidem adiungi non potest substantiæ, cuius forma implet totam potentiam materiæ. Dixerat antea potentiam totam materiæ adimpleri à forma cælesti, & non ab elementari. Consonat Ferrariensis ibi. §. *ad euidentiam.* Sed reuera vterque tantùm vult, materiæ cælesti non fuisse adiunctam priuationem aliarum formarum à propria: quod & ego fateor, si materia hæc specie differat à sublunari. Permitto, sermonem vtrique esse de priuatione propriæ formæ; adhuc fauebit ex parte, quatenus prima elementarium formarum productio prodierit ex priuatione ipsarum. Erit alius, qui opponat, si ob nostram rationem forma Empyrei fuerit ex priuatione sui, materiam etiam eadem de causa fuisse ex priuatione sui in forma. Nego sequelam, quia carentia materiæ, antequam ipsa, & forma produceretur, non fuit carentia formæ in subiecto possibili naturaliter capaci. Si replicet, τὸ formæ in definitione priuationis accipiendum esse laxe pro complemento quouis naturali; nam si forma diuinitus fieret sine materia, diceretur habere huius priuationē. Diceretur, fateor, ab arguente; quòd si deinceps aliis non dissonet, admitte, materiā prodiisse ex priuatione, & non præcisè ex carentia sui in forma. Re tamen vera absonat Bartholomæo Amico tract. 7. Physicorum q. 2. dub. 1. art. 3. n. 7. Nec vllus ait, rationalem animam, quando est separata à materia, habere strictam huius priuationem. Erit alter, qui obiiciat, si destrueretur pars aliqua materiæ, carentia, quæ tunc daretur formæ, non esset priuatio; & non alia de causa, nisi quia non esset carentia formæ in subiecto capaci existente à parte rei. Diffiteor, priuationem non fore eam carentiā; nam subiectū possibile capax, & carētia cum eo comparata sufficeret ad priuationem.

Ex his omnibus infertur, nullam in tempore dari generationem formæ siue substantialis, siue accidentalis in subiecto naturaliter capaci, quæ non sit mutatiua, cum nulla detur, per quam forma non producatur dependenter à subiecto, & à priuatione præexistente ipsius etiam formæ productæ. De formæ generatione, quæ fieret ab æterno, iam dixi non semel, consentitque Amicus supra n. 8. non fore mutatiuam. Et ex ibi dictis habetur non obscura discriminis ratio. Quapropter generatio formæ facta ab æterno esset generatio præcisè, & secundùm se, quatenus solummodò esset productio formæ dependenter à subiecto; neque enim simul esset depēdenter à priuatione siue existente, siue præexistente. Idemque contingeret, si Deus per impossibile intelligeret, aut vellet ab æterno per aliquam intellectionē, aut volitionem distinctā realiter à se, & in se tanquam in causa materiali receptam, proindeq; generatam. Ex quo casu impossibili insurgit non nemo contra Aristotelem requirentem ad mutationem, quòd præcesserit priuatio vt terminus, à quo. Deus enim tunc mutaretur per intellectionem, aut volitionem sine præcedentia priuationis. Sed inefficaciter; nam etsi Deus tunc perficeretur, vel deprauaretur per intellectionem, aut volitionem, non tamen mutaretur, sumpta mutatione, seu motu pro actu entis in potētia prout in potentia passiua cum priuatione antecedente formæ, ad quam est mutatio, seu motus; neq; Deus aliter se haberet, ac antea apparentius argui potest aduersus Aristotelē; nam cum ipse censuerit, mundum productum esse ab æterno, processerit inconsequenter ad istum errorem, dum generationis cōpositi cuiusuis principium necessarium adstruxit priuationem; siquidem formas ab æterno generatas non potuerit præcedere, aut comitari priuatio. Chrysostomus Caberus tract. 1. Physicorum sect. disp. & dub. 1. n. 8. ait, Aristotelem designasse tantùm principia corporis obnoxij generationi, & corruptioni, vel si designauit principia tam prædicti corporis, quàm cælestis ingenerabilis, & incorruptibilis, accipiendum esse verbum illud *Omnia* in definitione principiorum entis naturalis, *quæ nec ex se, nec ex aliis, sed omnia ex ipsis.* accipiendum, inquam, esse distributione accōmoda, ita vt hoc ens naturale ex his principiis, & illud ex illis, & aliud ex aliis fiat. Verumtamen, vt omittam contortam valde esse interpretationem posteriorem; & priorem esse alienam à mente Philosophi, qui cælestia corpora posuit in numero entium naturalium, vt dicam in exercit. 9. ideoque debuit ea complecti, dum entium naturalium principia definiuit, manet adhuc in suaui difficultas ad hominem contra Aristotelem tum quo ad corpora cælestia, tum quo ad sublunaria extantia ab æterno. Forsan Philosophus adstruxit priuationem principium necessarium generationis formæ cuiusuis productæ in tempore: vel ideo asseruit, priuationem esse principium necessarium, quia nulla generatio determinatè assignari potest inter successiuas, quam non præcesserit formæ priuatio. Si velis, Aristotelem inconsequenter se gessisse, vt notat Tellez p. 2. Philosophiæ disp. 32. sect. 2. n. 7. nullius criminis reus apud me eris. Scio enim cum S. Hieronymo in epistola ad Theophylum de erroribus Ioannis Hierosolymitani, *Aliter se habere Apostolos, aliter reliquos tractatores; illos semper vera dicere; istos in quibusdam vt homines aberrare.*

De Angeli productione, quæ etiam ab æterno fieret, dicendum est, non fore ex negatiua Angeli carentia, vt colligitur ex superioribus, nam neque prioritate reali, neque rationis, aut naturæ præcederet absolute carentia negatiua. Licet verò ea productio esset creatiua, proindeque ex nihilo, non ideo deberet præsupponere producti Angeli carentiam negatiuam. Vt enim actio sit productio rei ex nihilo, satis est, quòd *desit subiectum, resque producatur nullo ipsius præexistente quod concauset quoquo modo existentiam.* Ita docemur ab Authore tractatus de oculo Mystico, aut Morali cap. 13. n. 3. iamque à multis est obseruatum, τὸ *Ex nihilo* in definitione creationis non aliud requirere, quam negationem, vel influxus physici subiectiui, vel subiecti præuij eo pacto, quo in sect. 5. declarauimus. Consule Hieronymum Fasolum 1. p. q. 45. art. 1. dubio vnico, vbi quid significetur per particulam *Ex nihilo* in definitione creationis edisserit sat diffusè, nec minus doctè. Nihilominus Angelus conditus ab æterno respiceret carentiam negatiuam sui vt possibilem; is enim ordo ad non fuisse competeret ipsi connaturaliter. Imo etsi Angelus aliquis produceretur ab æterno ex connaturali sua exigentia; de quo in sect. 7. exercit. 12. adhuc respiceret absolutè, & simpliciter carentiam negatiuam sui vt possibilem; attenta saltem potentia Dei absoluta, non secus ac Angeli nunc existentes producti in tempore, & connaturaliter duraturi in æternum respiciunt desitionem suæ existentiæ vt possibilem diuinitus. Nulli namque enti finito, ac limitato repugnare potest

potest essentialiter, quód non fuerit, aut quod postquàm extitit, deperdat existentiam; quippe soli Deo sit essentiale, & semper fuisse, & nunquam deficere. De ordine creaturæ ad non esse agit strictim, & pulchrè Ægidius Romanus quodlibeto 5. quæst. 12.

EXERCITATIO SEPTIMA.

De vnione substantiali inter materiam & formam Empyrei.

AD perfectam compositi Empyrei notitiam opus est, post tractationem de eius partibus, scilicet materia, & forma dicere nonnulla de vnione substantiali, qua inter se copulantur.

SECTIO I.

An vnio materiæ, & formæ Empyreæ distinguatur ab vtraque?

1 AFfirmatiuè respondent nostri omnes scriptores, exceptis Valentia tomo 4.d.1.q.2.puncto 5. Petro Vuadingo d. proœmiali ad tractatum de Incarnatione, Martinono tomo 4.d.5.de Incarnatione sect. 7.& 8. Inter negantes vnionem distinctam referuntur Connimbricenses ab Albertino in primo principio Philosophico d. 4. de vnione, q. 1. n.4.Sed Connimbricenses 5.Physicorum cap.2.q.1.art. 3. (quò loci allegantur ab Albertino) solummodò conantur satisfacere argumentis, quibus Authores frequenter probant, totum non componi per entitatem distinctam à partibus, & vnione; eaque quæstione non obscurè indicant vnionem defferre à partibus totius.Et cap.9. q.11. art 13.v.*vt verò*, adstruunt expresse, vnionem substantialem distinctam à materia,& forma;non quidem per modum causæ internæ mediæ vt ipsi explicant, art. 2. v. *si quis verò sciscitetur* In tract. etiam de Anima separata,d.2.art.1.defensant vnionem distinctam inter corpus, & animam rationalem.

2 Subscribo communi Nostrorum asserto, quia nullum maius signum distinctionis, quam separabilitas vnius ab alio. Licet autem ex natura rei non possint separari materia, & forma Empyrei, queunt tamen de potentia Dei absoluta. Ergo à materia & forma Empyrei distinguitur necessario nexus, per quem vniuntur. Propono aliter idem argumentum: Materia, & forma Empyrei possunt realiter seiungi, manereque simul existentes interrum manera.Ergo actu coniungi, & vniri consistit in aliqua entitate media ab ipsis distinctas. Nam *si alterum interminetur, alterum autem non, profectò non idem sunt*, Iudice Philosopho lib.7.Topicorum cap.1.textu.72.

3 Dices primò, Consistere in applicatione,ac penetratione materiæ,& formæ hoc,quod est vtramque actu coniungi,& vniri.Sed contrà primò, Ergo iam distinguitur vnio ab illis; quandoquidem possunt simul existere materia, & forma,quin sint applicatæ,& penetratæ. Et semel admissa penetrationis, tanquam modi accidentalis distinctione à materia, ac forma, traheris inopinatò ad distinctionem vnionis tanquam modi substantialis cum valeant materia, & forma esse penetratæ, & inunitæ substantialiter.Secundò, penetratio materiæ,& formæ est quid accidentale. Ergo per eam nequit fieri vnum per se substantiale, cum enim per Aristotelem lib. 1. Physicorum cap. 6. textu 52. substantia nequeat ex non substantia esse, seu constare; Et cum tam essentialis sit vni per se vnio, quam partes, & si hæ substantiales sint dum modò vnio, non sit substantialis, vnum ex illa resultans erit accidentale.Tertiò,anima rationalis cælos penetrans, non vnitur eis physicè.Quod si,vt forma vniatur materiæ, requiritis præter penetrationem, quòd detur carentia alterius formæ penetratæ, sequitur, non posse diuinitus duas formas substantiales vniri eidem materiæ; sequitur etiam casu, quod duo corpora diuinitus penetrarentur, neutrum informandum à sua forma substantiali. Vt omittam, ad vnionem formæ accidentalis cum subiecto non requiri carentiam alterius formæ accidentalis penetratæ. Præterea potest Deus formam substantialem materialem creatione productam ponere in eodem loco, in quo est materia; quin huic vniatur. De facto accidentia Eucharistica coexistunt eidem loco, cui corpus Christi est præsen, neque tamen informant Christi corpus, alioqui nullum ex illis existeret sine subiecto, eoque substantiali. Concilium autem Constantiense sessione 8.damnat hanc Vuiclephi propositionem, *Accidentia panis non manent sine subiecto in Eucharistia*. Quartò,verbum diuinum non minus est penetratum meæ, quam Christi humanitati. Ergo huic vniri consistit in aliquo distincto à penetratione. Rursus subsistentia Patris non minus est penetrata humanitati Christi, quàm subsistentia Filii. Ergo hanc vniri præ illa humanitati Christi aliquid aliud est præter penetrationem. Vnde infertur, carentiam subsistentiæ propriæ in humanitate Christi, non satis esse,vt dicatur potius vnita verbo, quàm mea humanitas, cum satis non sit, vt dicatur vnita Patri. Et licet mea humanitas, priuaretur subsistentia,id satis non esset, vt vniretur triplici subsistentiæ diuinæ, cum qua penetratur. Quintò, si informatio non consistit, nisi in intima præsentia formæ ad materiam, non erit, cur vna forma substantialis materialis expellat aliam; nam in eadem parte materiæ, non afferent diuersas quantitates. Sextò, penetratio (estò per exercitationem concedatur ad eam sequi necessariò vnionem) non est conditio per se requisita, vt coexistat præcisè materia, & forma, quia sine penetratione, possunt coexistere. Ergo neque est conditiò, vt existat, vnio identificata cum materia & forma.

Ergo

Ergo est conditio, vt existat vnio tanquam ratio formalis sequuta ex illa ac proinde tamquam quid distinctum ab entitatibus materiæ, & formæ. Confirmatur. duas has entitates existere vnitas, non est præcisè existere, neque est etiam existere penetratas. Ergo est aliquid aliud distinctum ab eis, & à penetratione. Septimò, materia, & forma hominis existunt vnitæ pro priori naturæ ad motum localem, & intimam vtriusque præsentiam adquirendam in eodem loco per motum localem. Ergo vnio non consistit in penetratione, & intima præsentia ad eundem locum. Probatur Antecedens, tum quia motus non dependet à sola anima, neque à sola materia, siquidem id, quod mouetur, est compositum vt compositum, & animal. Ergo dependet à materia, & forma vt vnitis. Tum quia id præcedit pro priori naturæ motum localem, quod est causa illius; materia autem, & forma non nisi vnitæ sunt causa motus. Tum quia pro priori illo datur necessitas, vt si anima moueatur, trahat secum corpus: hæc verò necessitas nequit aliunde quàm ex vnione prouenire: alioqui anima Christi, cum exiuit de sepulchro penetrans se lapidi, traxisset illum secum. Octauò, quando homo localiter mouetur, mutat præsentiam localem materiæ, & formæ. Ergo vnionem proindeque essentiam; cum homo saltem in obliquo includat essentialiter vnionem. Ex quo vlteriùs fieret, principium mouens localiter hominem destruere formaliter hominem, quatenus destruit eius vnionem, & generare formaliter hominem, quatenùs producit nouam vnionem. Quapropter ne in absurdissima hæc deueniatur, dicendum est, vnionem distinctam esse ab intima præsentia locali materiæ, ac formæ ad idem spatium. Nonò, si vnio corporis, & animæ rationalis, atque adeo animatio indistincta prorsus esset à penetratione, sequeretur, oppositum mortem consistere præcisè in desitione penetrationis, quæ cum quid accidentale sit, fieret mortem hominis alienam esse à ratione destructionis, & corruptionis substantialis. Decimò; sine penetratione in eodem loco vniuntur physicè duæ partes materiæ. Ergo vnio vtcumque non redigitur ad penetrationem.

4 Dices secundò, præter penetrationem materiæ, & formæ, requiri illam esse vltimò dispositam ad hanc, vt detur vnio. Sed impugnaberis primò, quia potest diuinitùs fieri, vt forma sit penetrata materiæ vltimò dispositæ, quin forma vniatur materiæ. Atqui existentibus omnibus constitutiùis intrinsecis alicuius constituti, seu compositi nequit non resultare tale constitutum, seu compositum: & existente constitutiuo adæquato alicuius denominationis, & eius connotato extrinsecè requisito, nequit etiam secundùm connotatores non existere talis denominatio. Ergo compositum materiæ, & formæ vnitæ, aut denominatio vnitæ materiæ, & formæ, est quid distinctum à materia forma, penetratione, & vltima dispositione. Vbi diligenter considerandum est, denominationem materiæ vnitæ non posse consistere adæquatè in materia vltimò disposita, vt connotante formam penetrantem, tametsi denominatio fundamenti similis termino consisteret adæquatè in illo vt connotante hunc existentem; quia ad priorem denominationem non sufficiunt materia, vltima dispositio, forma, & penetratio. satis verò sunt ad posteriorem, fundamentum, & terminus existens. Vnde connotatores non procedunt inconsequenter, dum posteriorem denominationem volunt esse adæquatè intrinsecam fundamento, quin componatur ex termino, sed solùm hic connotetur extrinsecè; priorem verò aiunt requirere vnionem distinctam à materia præparata, & forma, ac penetratione secundò, posita penetratione, & vltima dispositione, vel ponitur ratio formalis vniendi materiam, & formam; vel conditio requisita ad rationem formalem vniendi? si primum illis existentibus, non poterunt non esse vnitæ materia, & forma; quod falsum esse, iam constat. Si secundum. ergo vnio consistet in aliquo distincto. Tertiò, præsente vltima dispositione in materia, potest Deus non producere formam; potest etiam, quin sit præsens vltima dispositio, educere formam ex materia, eamque illi vnire, & vnitam conseruare. Ergo vltima dispositio materiæ ad formam, neque est satis ad vnionem, neque requiritur ad eam essentialiter. Quartò, possunt diuinitus duæ formæ substantiales vniri physicè eidem parti materiæ per vniones distinctas. At dispositio vltima materiæ eadem erit respectu vtriusque formæ, & vtraque forma erit penetrata cum eadem materia. Ergo distinctio illarum vnionum aliunde prouenire debet. Quintò, variatis dispositionibus, variaretur homo, & cum dispositiones sint accidentia, homo esset accidentale compositum si vnio pertinens ad constitutionem hominis consisteret vel inadæquatè in dispositionibus. Sextò, in humanitate Christi præter capacitatem obedientialem, vt vniretur Verbo, nulla præcessit dispositio ad vnionem cum ipso; & præterea nulla fuit dispositio ad vnionem potiùs cum verbo, quàm cum Patre, aut Spiritu sancto. Ergo in alio, quàm in dispositione, consistit vnio hypostatica humanitatis ad verbum. Septimò, nisi anima rationalis vniatur physicè, & substantialiter corpori per vnionem distinctam à penetratione, & dispositionibus, tueri quis facilè posset, esse formam intrinsecus assistentem, vti sunt Angeli respectu corporum cælestium quæ mouent; & vti sunt Dæmones respectu corporum humanorum, quæ obsident. Illud autem defendi nequit Catholicè, & conuenienter ad Concilium Viennense sub Clemente V. Lateranense sub Leone X. Quòd autem defendi nullo negotio posset, probatur, quia penetratio cū corpore non impediret, ne esset forma extrinsecùs assistēs; vt patet in Angelis, & Dæmonibus penetratis cum corporibus; dispositiones verò, si non aptant materiam ad vnionē substantialem distinctam cum anima rationali, possent dici deseruire tantùm ad huius ingressum in corpus hominis, cuius operationes vegetatiuæ, ac sensitiuæ. Prouenirent ab alia forma materiali vitali; & operationes intellectiuæ à sola anima rationali extrinsecùs assistente, & requirente ministeriū sensuū externorū ac internorū corporis, vt tali, vel tali modo intelligat, & velit in homine: per species scilicet acceptas à sensibus penetratis secum. Octauò, cum vltima dispositio materiæ non sit potiùs ad hanc animam rationalem, quam ad illam eiusdem speciei, rogo à te, cur in resurrectione corporum vniretur potiùs vna anima huic corpori, quàm alteri, si ab vtroque esset indistans? Et cur anima Christi Domini nascentis penetrata cum materia sanctissimæ Matris fuit potiùs vnita corpori Christi, quàm Matris, vel cur geminum corpus non informauit, si vniri, & informare nihil aliud est, quàm indistare à materia disposita, vel quid adderetur casui, quo vniretur, & informaret diuinitus duo illa corpora? Nonò,

Nonò, vltima dispositio ad formam est vnita materiæ, non per se ipsam solam; est namque accidens absolutum: non per aliam dispositionem, ni velis procedere in infinitum; non per penetrationem, quia posset esse penetrata, & inunita. Ergo per vnionem distinctam. Neque id inficiari possunt Thomistæ, qui qualitatis intensionem tradunt fieri per maiorem radicationem, super vnionem præstantiorem qualitatis ad subiectum. Et S. Thomas sæpe iterat, intensionem esse modum qualitatis. Decimò, dispositio vltima indifferens est ad infinitas formas eiusdem speciei, Ergo materiam determinati ad coniunctionem cum hac numero forma, potius quàm cum alia, importat quidpiam aliud.

5 Dices Tertiò, vnionem esse formam, vt in materia, & materiam vt habentem formam. Sed ludis in terminis: nã coexistentia formæ, & materiæ non est forma vt in materia; & materia vt habens formam. Ergo est aliquid aliud distinctum à coexistentia materiæ, & formæ id, per quod forma est in materia, & per quod materia habet formam.

6 Neque minus impugnaberis, si dicas quartò, vnionem esse materiam, & formam simul sumptas. Etenim possunt materia, & forma simul existere, quin vniantur. Ergo vel simul sumi non est præcisè simul existere, sed aliquid inuoluit distinctum: vel simul sumi, est formaliter vniri per quidpiam distinctum à simultanea existentia vtriusque. Et vno verbo quæro abs te, quid sit materiam, & formam simul sumi? cum non sit entitas solius materiæ, neque solius formæ, neque entitas vtriusque.

7 Si dicas quintò, vnionem esse formam vt tali actione dependentem à materia. Reiicieris, tum quia anima rationalis vnitur materiæ, quin per actionem, qua producitur & conseruatur, dependeat à materia. Quare quando ab hac separatur, terminat eandem actionem conseruatiuam. Tum quia integralis vnio duplicis partis materiæ non consistit in vnius productione dependenter ab alia vt à subiecto. Tum quia si sermo sit de formis materialibus, transeat eas vniri, esse formaliter idem, ac tali actione dependere à materia, dum fatearis, actionem illam esse simul vnionem: & hanc distingui ab actione terminata ad formam rationalem. Præter quam quòd si actionem distinguis ab agente, & termino, negas inconsequenter distinctionem vnionis ab extremis mutuò separabilibus, eadem vtrobique militent argumenta.

8 Si dicas sextò, vnionem consistere in carentia diuisionis, ac separationis. Insurgam aduersus te primò, quia compositum substantiale est quid reale. Ergo eius ratio formalis, quæ est vnio, debet esse quid reale. Secundò, talis carentia diuisionis non resultat præcisè ex coexistentia materiæ, & formæ, potest namque dari ea coexistentia, & diuisio inter materiam & formam. Ergo talis carentia diuisionis resultat ex vnione distincta materiæ, & formæ. Tertiò, si vnio est negatio diuisionis, diuisio debet esse quid positiuum; debent enim opponi mutuò, sicut non esse, & esse? proindeque materia, & forma separatæ adquirerent aliquid positiuum. Quartò, si vnio consistit in carentia diuisionis, eo ipso quòd materia vniatur vni formæ, vnietur omnibus aliis; cum eo ipso habeat diuisionis carentiam, quæ per te est formaliter vnio. Quod si respondeatur, habere respectu formarum, quibus non vnitur, positiuum diuisionis modum. Finguntur hi modi, & dum animus est euitare modum vnionis, mille alij adduntur.

9 Si dicas septimò, materiam vniri huic formæ, esse non vniri alteri. Contra primò, quia cum materia sit ex se indifferens, vt vniatur, & non vniatur huic formæ, & etiam vt vniatur & non vniatur alteri formæ: rogo à te quid sit vniri huic, & non alteri, quid etiam sit alteri non vniri, & huic vniri? secundò, quia materia potest diuinitùs vniri simul vtrique formæ, & tunc vniri vni, non erit formaliter non vniri alteri. Tertiò, quia materiam vniri alteri formæ, aut erit quid positiuum intentum à nobis, aut erit quid negatiuum chymæricum, nempe negatio negationis. Quartò, quia vnionis in materia negatio ad alteram formam resultat naturaliter ex vnione positiua ad hanc tanquam effectus negatiuus ex positiuo, vniri namque materiam huic formæ, quid positiuum est, &, vt conuincunt nostra argumenta, distinctum ab hac materia, & ab hac forma.

10 Si dicas octauò, consistere vnionem in relatione vniti, seu compositi resultante ex communicatiua formæ ad materiam actione, applicante illam huic. Repelleris primò, quia difficile est in opinione Thomistica, ne illa relatio sit prædicamentalis, vel secum eam afferat. Quamobrem dum fugis vnum modum, incidis in duos. Secundò, quia potest forma communicari materiæ vt subiecto, ex quo educatur, quin ei vniatur: vel si non potest, iam ipsa actio communicatiua, quæ est modus distinctus ab agente, & à forma, atque materia, exercebit vnionis munus inter materiam, formamque materialem, de qua habetur sermo in hac impugnatione. Tertiam sic efformo: actio primò productiua formæ siue spiritualis, siue materialis potest diuinitùs non esse communicatiua formæ ad materiam. Rursus, actio conseruatiua formæ spiritualis, nedum diuinitùs, quod competit etiam actioni conseruatiuæ formæ materialis, verùm & naturaliter potest non esse communicatiua. Ergo vt sint communicatiuæ, inferantque relationem vniti, requiritur aliquid aliud; quod quidem erit vnio distincta. Video responderi posse, actionem, quæ fuerit primò productiua, aut conseruatiua, & non communicatiua, fore diuersam in se à communicatiua, idque sufficere, & vnionem distinctam haud necessariam esse. Sed qui ita respondeat, tenetur asserere, rationalem formam non posse per eandem numero actionem conseruari intra, & extra materiam; vixque reddet rationem, cur actio primò productiua, simulque communicatiua formæ illius non sit generatiua, cum dependeat essentialiter à materia. Præterea actioni primò productiuæ, aut conseruatiuæ communicanti materialem formam materiæ nihil deerit, quominus sit formaliter vnio.

11 Si dicas nono, vnionem esse materiam, & formam, volitionemque diuinam decernentem ipsas inter se necti. Impetum in te facio primò, quia obiectum volitionis diuinæ non est materia existens seorsim, neque forma existens seorsim: neque item materia & forma simul existentes. Ergo est aliquid distinctum ab vtriusque existentia, & coexistentia. Illud autem est vnio, quam intendo, quamque Deus ab æterno voluit existere pro instanti *A* v.g. & non pro aliis subsequentibus, in quibus materia, & forma permaneant, sed inunitæ. Neque pro obiecto vlteriori sufficit diuina volitio amans se ipsam. Nam quando materia, & forma sint inunitæ, volitio diuina vult eas, & se ipsam. Ergo velle esse vnitas est velle aliquid aliud vltra materiam, & formam, volitionemque diuinam, ita

ita vt illud aliud sit id, quo formaliter vniantur. Secundò, decretum diuinum existit ab æterno amans se ipsum, & materia, ac forma possunt simul existere, quin vniantur. Ergo vniri materiam, & formam in hoc instanti prouenit ex aliquo intrinseco superaddito constituente denominationem realem materiæ, & formæ vnitæ, volitoque à Deo, vt existat potiùs in hoc instanti, quàm in aliis. Tertiò, Empyreum compositum vt tale distinguitur à decreto diuino. Ergo distinguitur per entitatem aliquam omnino distinctam à decreto diuino. Ast Empyreum compositum vt tale constituitur per simultaneam positionem partium materiæ, & formæ, seu per vnionem ipsarum. Ergo vt compositum constituitur per vnionem omnino distinctam à decreto diuino. Et mirum esset, si hoc gereret se formaliter vt vnio compositi Empyrei. Imò impossibile est, sic se gerere: alioqui compositum Empyreum, constitutum intrinsecè, non esset ens purè creatum, neque finitè perfectum, si vnio consisteret in decreto diuino quod est quid increatum, & infinitè perfectum: alioqui etiam compositum Empyreum vt tale non esset producibile de nouo; neque item vlla potentia destructibile esset; nam decretum diuinum, in quo consisteret ipsius vnio, nec nouæ productioni, neque destructioni subest. Quapropter negari non debet, decretum Dei de materiæ, ac formæ vnione terminari ad aliquid à se, & ab eis extremis distinctum, quo volito, vt potiùs pro hoc instanti, quàm pro aliis existente vniantur formaliter. Quartò, repugnat in creatis dari denominationem aliquam realem nouam absque forma aliqua reali noua, à qua proueniat. Sed denominatio formæ Empyreæ vnitæ cum materia est denominatio realis noua. Ergo vt ea resultet, opus est, poni à parte rei aliquam formam realem nouam, quæ quidem erit vnio; nam materia, forma dispositiones ad hanc, decretum diuinum, & hoc instans potuissent coexistere, quin resultaret talis denominatio. Rursus, vt fert commune axioma apud Okamum in I. sentent., dist. 1. q. 5. art. 2. dist. 17. q. 1. in 3. q. 1. & in 4. q. 13. art. 2. Martinum de Magistris q. 1. de Magnanimitate fol. (mihi) 35. Bachonem quodlibeto 1. q. 8. art. 2. Gabrielem in 1. dist. 30. q. 4. priscosque alios Theologos, in creatis non potest transiri à contradictorio intrinseco ad non contradictorium sine phisica mutatione. Quod principium metaphysicum adeò constans antiquitus fuit, vt anno 1348. Ioannes, vel Nicolaus de Vltricoria, qui illud negat at, coactus fuit fateri Parisiis post damnationem interminatam Romæ. Et meritò, quia alioqui posset intellectus, aut voluntas creata transire à non intelligente, aut non volente ad intelligentem, aut volentem sine mutatione physica. Ergo forma nequit transire à non vnita ad vnitam sine mutatione physica; proindeque sine vnione distincta ab ipsa, & à materia, decretoque diuino; quod cum extrinsecum sit materiæ & formæ, nequit formaliter ipsas immutare intrinsecè. Et hinc obiter manet eneruatum argumentum acceptum ex Gregorio Ariminensi, inficiante axiomatis veritatem in 1. dist. 15. & 16. nec non dist. 18. q. 2. à Patre Petro Vuadingo, cui refitando allaborauit iam strenuè P. Bernal disp. 11 de Incarnatione sect. 3. à n. 27. Vlteriùs increatis, si eadem habeant se realiter eodem omnino modo extrinsecè in duplici instanti, nequeunt sortiri diuersa prædicata extrinseca, si verò habeant se realiter eodem omnino modo intrinsecè, nequeunt gaudere diuersis prædicatis intrinsecis. Nam si Petrus in instanti *A*, erat Senator, & non Consul, aut si erat cognoscens, & non amans, manentibus iisdem eodem omnino modo extrinsecè, & intrinsecè in instanti *B*. non poterit esse Consul, neque poterit esse amans. Ergo multò minus in creatis, si eadem habeant se realiter eodem omnino modo intrinsecè in duplici instanti poterunt participare intrinseca prædicata opposita, qualia sunt materiam, ac formam esse vnitas, & non esse vnitas, P. Martinonus appellat ad diuina; nam Deus, qui ab æterno liberè voluit meam existentiam, potuit eam nolle habens se eodem omnino modo realiter intrinsecè, cum tamen prædicatum volendi liberè meam existentiam sit Deo intrinsecum; essetque intrinsecum prædicatum nolendi eam liberè. Sed hic recursus auget, potiùs quàm minuat difficultatem. Transfert namque ad creaturas ea, quæ de Deo credimus captiuantes intellectum in obsequium fidei. Et certè Mysterium actuum liberorum Dei tam est supra nostrum captum, quàm Triados Mysterium. Hinc Theologi diuisi sunt in tot modos explicandi actus liberos diuinos, nullusque hactenus est assignatus, in quo plenè quiescat humana mens. Si perfugium superius licet ad euadendum difficultatem vnionis distinctæ inter materiam, & formam, licebit etiam, ad eludendas alias passim obuias in Philosophia, & Theologia, asserere eandem realiter entitatem creatam posse produci, & non produci, communicari, & non communicari, vniri & non vniri. Nam in Deo producitur realiter Filatio, & non producitur realiter natura, hæc à Patre communicatur Filio, & Paternitas non communicatur, verbumque vnitur immediatè cum humanitate Christi, & natura non sic vnitur. Fas præterea esset, affirmare intellectiones nostras, & volitiones, etsi contingentes, possintque ad esse, & abesse, identificari cum nostro intellectu; & me, qui in hoc instanti non cognosco Caium, posse in instanti sequenti cognoscere absque noua aliqua intrinseca entitate superaddita meo intellectui; quod solus somniauit Gomezius Pereyra in Antoniana Margarita pag. 199. & sequentibus totius ferè illius libri, vbi vnionis indistinctæ exemplo se protegit; exarmandus difficillimè, si aut intelligere creatum non requirat actionem physicam, aut hæc sit etiam indistincta ab agente. Legatur num. 9. Exercitationis venientis. Et mea quidem sententia diuini actus liberi plusquàm ratione ratiocinata distinguuntur à voluntate Dei, nimirum distinctione virtuali intrinseca non pertingẽte ad gradũ distinctionis realis, nec modalis, nec ex natura rei. Quæ distinctio virtualis intrinseca mitigat aliquatenus difficultatem liberorum actuum diuinorum, sed non penitùs sedat. Cum enim diuina voluntas sit absolutè indefectibilis, & eius actus liberi sint absolutè defectibiles, licet non ex suppositione habitæ existentiæ ab æterno, pungit semper spina, qua ratione hi cum illa habeant realẽ identitatem. Postremò vertit se in gyrum Martinonus, nam dum in tomo 1. d. 14. sect. 4. agit de actibus liberis increatis, reconditum ipsorum arcanum patefacere aggreditur maligna luce vnionis ex parte rei indistinctæ ab extremis separabilibus vnitis.

12 Possem cumulare alia argumenta in fauorem distinctæ vnionis inter materiam, & formam; Achilleum tamen, & commune, quod proposui, & communiui, sufficit. Iam breuiter produco, & de bello aduersantia.

aduersantia. Primum, materia, & forma constituunt vnum compositum per se immediatè, seu absque medio aliquo, vt non semel pronuntiant S. Thomas, & Aristoteles. Ergo sine vnione media. Distingo Antecedens, constituunt per se immediatè, seu absque medio aliquo habente se vt extremo, vel tertio, in quo vniantur, vel parte componente, concedo; habente se vt ratione formali constituendi, aut vniendi, nego Antecedens, & simul consequentiam, quia vnio non se habet vt extremum, vel tertium, vel pars, sed vt formalis ratio constituendi, aut vniendi. Quare materia, & forma vniuntur per se immediatè vt quod, sicque constituunt compositum, & si vnio distincta mediet vt quò, seu formalis ratio constituendi, & vniendi. Non secus ac potentia visiua per se immediatè vt quòd videt albedinem, quamuis mediet visio, vt formalis ratio videndi S. Thomas fauet nostræ sententiæ in locis allegatis ab Auersa q.19. Philosophiæ sect. 5. à Francisco Alfonso d.5. Physicorum sect.1. num 6. estque ea satis frequens inter Thomistas, vt videre licet in Didiaco Ortiz tract.4. Physicorum conferentia, & §.1. Aristoteles etiam patrocinatur nobis, si fidem faciant, quæ ex ipso coniectantur Auersa, atque Alfonsus. Inquies, Philosophum inter principia compositi substantialis in facto esse non meminisse vnionis, idque indicium esse non agnitæ ab ipso vnionis immediatæ distinctæ. Ingenuè fateor non esse valdè litigandum de Philosophi mente circa distinctionem vnionis à materia, & forma saltem materiali, cum huius ab illa separabilitatem, de potentia Dei absoluta non agnouerit. Respondeo deinde, vnionem esse rationem formalem, per quam materia, & forma constituunt compositum, vt principia, & partes illius, ac propterea non esse principium, sed principiationem, seu rationem principiandi; sicuti actio non est causa, sed ratio causandi. Vnde constat, optimo iure Aristotelem non accensuisse vnionem principiis entis naturalis in facto esse. Magni tamen criminis reus non esset, qui vnionem substantialem vocaret principium vt quo, partemque vt qua. Addes S. Dionysium Areopagitam, qui c.2. de cælesti Hierarchia ait, *Mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio.* At si inter nostrum corpus, & animam daretur vnio distincta, foret substantia, & in nobis mors foret consumptio eius substantiæ. Interpretor Areopagitam, quatenus mors in nobis non sit consumptio substantiæ alicuius absolutæ partialis, aut totalis, sed modalis, quæ ferè non est substantia, non secus ac de modis vniuersim dictitari solet, non esse entitates simpliciter, eorumque distinctionem à rebus, quas modificant, non esse realem in sensu explicato à P. Suarez d.7. Metaphysicæ sect.1. vt vt detur aliquis modus valdè perfectus physicè, nimirùm vnio verbi cum humanitate vt Petrus Hurtadus d.21. de Incarnatione sect.7. eruditissimè probat, & prælusetat viriliter viua voce anno 1633. præsente me, & publicè sustinente partes oppositas Præsidis sapientissimi P. Antonij Perez, qui vnionis Hypostaticę perfectionē moralē, & formaliter ratione verbi physicam commendabat summo pro debito, sed formaliter ratione sui physicam extenuabat, vt moralem inde magis magnificaret, quā erat altissimo ingenio vir.

13 Secūdum, si vnio distinguerētur à materia & forma rationali, erit accidens cum debeat dependere à subiecto non tantùm naturaliter, sed etiam essentialiter; proindeque homo constitutus ex illa non erit complete in prædicamento substantiæ; neque vnū per se substantiale; quod vt distinctū ab omni accidētali, non debet vllo accidenti componi. Respondeo dependentiam etiā essentialem à subiecto, quod non sit inhæsionis non esse contra conceptū substantiæ, vti contra eū non est depēdentia naturalis, quam à materia vt subiecto sustentante habēt formæ materiales substantiales. Vnio ergo materiæ, & formæ cuiusuis substantialis obtinebit gradum substantiæ, quia constituet vnum substantiale; atque adeò sine dependētia à subiecto inhæsionis, licet non sine dependentia à subiecto recipiente, & sustentante. Instas, ergo homo erit saltem vnum substantiale modale ratione vnionis, quæ vt substantia modalis, constituit ipsum. Non video inconueniens in concedenda illatione, si nomine vnius substantialis modalis intelligatur substantia composita, cuius formalis vnitas physica sit substantia modalis, & partes componentes sint substantiæ absolutæ ac reales. Porrò, si eo nomine intelligatur vnum substantiale, quod sic modale sit, vt non maneat absolutum ab omni alio subiecto à se distincto, respuenda est illatio.

14 Tertium, si detur vnio distincta inter materiam, & formam, admittenda etiam est inter humanitatem Christi, & verbum diuinum. Atqui incredibile apparet, existere, aut etiam possibilem esse entitatem creatam, quæ supernaturalis sit substantialiter, tantæque perfectionis, vt connaturaliter, imò & essentialiter constituat Deum, & Dei filium naturalem, velut effectum formalem sibi respondentem, ita vt aliter esse nequeat de potentia absoluta. Quod competeret iuxta nos entitati distinctæ vnionis Hypostaticæ. Ita quidem est; sed haud quaquam incredibile, subpposita fide Incarnationis. Illud potiùs imperceptibile, humanitatem, & verbum, quæ potuerunt coexistere, quin constituerent eum effectum formalem, habere de facto, vt constituant, nulla superaddita entitate. Martinonus, cuius est hoc argumentum, affert alia contra distinctam vnionem Hypostaticam; sed quæ in sectionibus sequentibus leui opera expedientur. Instet quis, S. Athanasius in symbolo non agnouit vnionem humanam distinctam, neque vnionem item Hypostaticam distinctam, cum pronuntiauit, *sicut anima rationalis &c.* Respondeo voluisse tantùm ibi explicare constitutiua substantialia absoluta. Aduertendum hîc est, videri nonnullis, non posse humanitatem, & verbum vniri absque vnione distincta, secus verò materiam, & formam, eo quòd hæc extrema, & non illa sint eiusdem ordinis, habeantque ex sua natura, respectum intrinsecum ad se mutuò. Nihilominus dum extrema talia non sint, vt inuicem nequeant etiam diuinitùs existere inunita, vel saltem vnum ex illis nullatenus possit existere absque altero, ineuitabilis est vnionis distinctæ necessitas ob nostram rationem.

15 Quartum, modus vnionis à nobis adstructus vnitur intrinsecè se ipso materiæ, & formæ absque medio alio modo, ne cogamur admittere, vnionem esse quid extrinsecum materiæ, & formæ, & ne admittere cogamur processum infinitum modorum. Ergo si modus vnionis est sui ipsius intrinseca vnio ad materiam & formam, æquius sine additione illius diceretur eas se ipsis vniri inter se. Respondetur cum Archiepiscopo Hispalensi in 1. dist.30.q.1 art.4.ad 8. Gregorij contra conclus.1. vnionem nec de potentia absoluta posse existere absque

absque materia, & forma; quare cùm non habeat indifferentiam, si existat, vt vniatur, vel non vniatur illis, erit se ipsa nexus actualis ad illas. Quæ, quia simul existentes, gaudent indifferentia,vt vniantur, vel non vniantur, ideo, quòd vniantur, debet prouenire ex distincto aliquo nexu ab vtraque etiam coexistente. Hinc si daretur substantialis aliqua forma, quæ neque de potentia absoluta posset existere seiuncta à materia determinatâ,esset sui ipsius vnio ad hanc. At formæ substantiales, de facto notæ, alienæ sunt ab essentiali ista inseparabilitate: nam forma rationalis conseruatur naturaliter extra materiam; irrationales verò, queunt saltem diuinitus existere separatæ à materia; vt à fortiori colligimus ex accidentali forma quantitatis, quæ in Eucharistia manet miraculosè independens à materia. Neque audiendi sunt nonnulli, qui apud Meratium disp. 13. de Incarnatione sect. 1. vt excludant vnionem Hypostaticam distinctam inter verbum, & Christi humanitatem, cogitant, istam ex numerica sua,& indiuiduali differentia determinatam ad vnionem cum illo. Id namque falsissimum est, optimeque refutatur à Meratio ibi, Yssamberto 3. p. ad q. 2. d. 6. art. 2. priusque à Vasquio di p. 30. tom. 1. in 3. p. cap. 1. & Suario disp. 14. sect. 2. ex S. Augustino lib. 13. de Trinitate c. 18. ex Thoma Vualdensi in doctrinali fidei l. 1. art. 3. cap. 44. agente contra Vuiclephum, qui illud ipsum effutiebat. Et verò si transferretur ad materiam, aut formam, impugnandum esset ex modò dictis. Replicabis, si inter materiam & formam interponitur vnio distincta, debent materia, & forma, vt vniantur inter se, vniri ei vnioni distinctæ, ne maneant disiunctæ à se inuicem. Vel ergo vniuntur ei vnioni per se immediatè, vel mediante alio modo distincto vnionis? Si hoc secundum, itur in infinitum. Si primum, ergo vniri formaliter non est recipere modum distinctum vnionis, ita vt sine illo mediante non possit fieri vnio. Distingo vltimum istud consequens. Ergo vniri formaliter materiam, & formam non est recipere modum distinctum vnionis nego, si sermo sit de vnione ipsarum inter se,& concedo, si sermo sit de vnione ipsarum cum eademmet vnione. Hæc namque est essentialiter vnio materiæ, ac formæ, & vnio sui cum vtraque; ideoque materia, ac forma non indigent receptione vnionis distinctæ, vt vniantur cum vnione, per quam vniuntur inter se. Replicabis iterum. Ergo si vnio vnitur se ipsa materiæ, ac formæ, erit aliquid, quod vniatur, & nō tantū aliquid, quo alia vniātur, & prætereà vnietur vt quòd & non tantùm vt quo. Respondeo, vnionem esse aliquid quod vniatur, sed non vt extremum, neque vt tertium, neque vt pars componens. Ex quo fit vniri tantùm, vt quò, licet non ita sit vnio materiæ, ac formæ, vt simul non sit vnio sui ipsius ad vtramque. Si adhuc contendas, vniri vt quòd, quatenus est vnio sui ipsius, quemadmodum visiò, quæ videret albedinem, & se ipsam reflexè, esset visio sui ipsius, vt quod; reuocabitur ad meras voces contentio, in qua nolim tempus, & operam ludere.

* * *

SECTIO II.

An ex parte materiæ Empyreæ detur vnus modus vnionis, & alter ex parte formæ?

16 PRo simplici modo decerno contra Paulum Atesium lib. 1. de Generatione d. 5. q. 16. & Petrum Hurtadum d. 5. Physicorum sect. 3. Valentinum quæ de Herice in M. SS. Philosophicis, necnon Fuente lib. 1. Physicorum q. 5. difficultate 2. art. 3. Cabreram, & Montesinum relatos à Ioanne Martinez de Prado 2. part. Metaphysicæ contru. 5. art. 1. num. 7. partimque contra Bartholomæum Amicum, qui in Physica tract. 11. q. 10. dub. 4. art. 2. tradidit, dari de facto duplicem modum, etsi simplex sufficeret vtcumque. Decertoque primò, quia frustra per plura fiunt, quæ possunt fieri per pauciora. Sed per simplicem vnionem sufficienter nectuntur Empyrea materia, & forma. Ergo sine necessitate, & frustraneè asseritur composita. Secundò, implicat, materiam esse ex parte sua vnitam adæquatè cum forma, quin hæc ex parte sua sit etiam adæquatè vnita cum illa. Sed materia ex parte sua est adæquatè vnita per simplicem vnionem. Ergo per eandem simplicem vnionem est adæquatè vnita forma. Suadetur maior, tum quia adæquata vnio est essentialiter adæquatus nexus extremorum, vti actio adæquata est coniunctio adæquata termini cum agente, & vti congnitio adæquata est cognitio intentionalis adæquata potentiæ cognoscentis cum obiecto cognito. Tum quia eo ipso quòd materia sit adæquatè vnita cum forma constituuntur inseparabiles ratione illius nexus; quæ inseparabilitas aut est primarius conceptus, aut saltem cōnaturalis proprietas vnionis. Vnde si adinuicem, ratione sui inseparabiles essentialiter possibiles sint materia, & forma, quælibet erit sui ipsius ad aliam vnio, quin opus sit superaddita copulâ. Excogita, destrui diuinitus vnionem tenentem se ex parte formæ, manere tamen vnionem, quæ se tenet ex parte materiæ, adhuc hæc perseuerabit inseparabilis à forma ratione conseruatæ vnionis, & è conuerso forma. Ergo adhuc perseuerabunt mutuò vnitæ adæquatè. Tum quia materia per vnionem redditur realiter cōponens cum forma vnū totum. Ergo forma etiam per candē vnionē non potest non reddi realiter cōponens cum materia vnum totum. Etenim mariam reddi componētem cum forma vnū totum, non est aliud, ex parte obiecti, quàm per vnionē effici vnū cōpositum ex materia, & forma: rursus formā reddi componentē cum materia vnum totū, non est aliud ex parte obiecti, quàm per vnionē efficit vnum cōpositum ex forma, & materia; ita quidem, vt inter primam denominationem, & secundam sit solummodò discrimē in eo, quòd prima importet materiā in recto, & formam in obliquo, secunda è conuerso.

17 Si respondeatur primò, per vnionem tenentem se ex parte materiæ vniri formam tanquam terminum, non verò tanquam subiectum. Id autem requiri, vt forma sit perfectè vnita materiæ. Contra primò, Verbum diuinum est perfectè vnitum humanitati Christi, quin vniatur vt subiectum vnionis, sed solùm vt purè terminus intrinsecus. Secundò, per Petrum Hurtadum d. 12. Physicorum sect. 5. potest vnio materiæ

& formæ creati. Ast tum materia esset perfectè vnita cum forma, quin vniretur vt subiectum substantiuum, imò neque receptiuum vnionis, vt plures volunt. Si respondeatur secundò, tam materiam, quam formam vniri intrinsecè; proindeque opus esse duplici vnione: nam per vnicam subiectatá in materia vnirerur intrinsecè hæc, forma verò extrinsecè, quemadmodum voluntas amat intrinsecè per amorem, & obiectum amatur extrinsecè. Contra, quia verbum diuinum intrinsecè vnitur humanitati, cum tamē vnio sit vnica, subiectataque in sola humanitate, vt paulò post dicam; & quia liquescet ex sectione sequenti, vnio non potest non esse intrinseca extremis, quæ vnit, nec intelligi datur, materiam esse intrinsecè, & perfectè vnitam formæ & hanc illi non esse sic vnitam.

18 Si respondeatur tertiò, ad vniendum intrinsecè duplex extremum, sufficere vnicam vnionem; secus ad immutandum, & perficiendum. Cum verò materia, & forma immutentur, & perficiantur per vnionem, inde est, duplicem requiri. Contra primò, quia dummodò vnio simplex sustenteтur in materia, & forma, immutabit, & perficiet vtramque. Secundò, si vnio materiæ ad animam rationalem diuinitus crearetur, neutra immutabitur per modum subiecti sustentantis, aut recipientis vnionem, prout proximè notabam. Adde non deesse, qui putent, formam de facto nullatenus immutari per vnionem, imò neque perfici, licet posterius hoc imperceptibile mihi sit, quandoquidem eo præcisè, quòd forma perficiat materiam complendo ipsam, & actuando perficitur vicissim à materia complente, ac sustentate, aut recipiente. Sed de posteriori, & & de priori in numeris 56. & 57. Subtiliùs respondebitur quartò, verum esse, non posse vniri intrinsecè vnum extremum, quin alterum vniatur etiam intrinsecè; non tamen per eandem vnionē, sed per diuersam: haud secus, ac in sententia Thomistica ingeniosè defensa nequit albedo *A*. esse similis albedini *B*. quin hæc sit similis illi non per eundem modum, sed per diuersum exactum essentialiter à modo residente in albedine *A*. Contra quia relatio albedinis *A*. ita exigit relationem albedinis *B*. vt neque diuinitus possit sine illa existere. At vnio extremi vnius potest diuinitus existere sine vnione residente in alio; quin de facto existit, vt videre licet in vnione humanitatis cum verbo, in quo non datur vnio indistincta ab ipsomet verbo; & contrarium dicere esset penitus improbabile, iudicio Suarij tom. 1. in 3. p. d. 8. sect. 3. v. ***addunt aliqui***, Petri Hurtadi d. 21. de Incarnatione sect. & subsect. 2. n. 46.

19 Et hinc decerto tertiò aduersus duplicatam vnionem, ea enim, quæ inter humanitatem Christi & subsistentiam verbi intercedit, simplex est, cum tamen vtrumque extremum vniat perfectè mutuò, Ergo vnio simplex sufficit ad vniendas perfectè mutuò materiam, & formam, proindeque superfluit composita, vt forma vniatur saltem per modum termini intrinseci. Quod si termini intrinseci dignitatem soli diuinæ subsistentiæ reserues, dicam non esse, cur non sufficiat simplex vnio subiectata in materia & forma. Inquiet quis, subsistentiam diuinam exercere vices subsistentiæ humanæ respectu humanitatis, subsistentiam autem humanam, si datetur, humanitati vniendam per simplicem vnionem à se distinctam. Sed reiicietur, quia licet subsistentia increata subrogetur loco creatæ ad munus personalitatis exercendum, non tamen ad munus vnionis; alioquin non posset esse intimè præsens humanitati orbatæ creata subsistentia, quin ei vniretur. Præterea, si subsistentia increata esset formaliter vnio sui ad humanitatem, & determinatio actualis, exercitiumque vniendi, non potuisset non permansisse ab æterno vnita humanitati, vel connaturaliter saltem exigeret ad sui complementum aliam vnionem ex parte humanitatis. Quare à forriori quæuis forma substantialis nequiret existere etiam diuinitus nisi vnita materiæ, vel ex natura rei connecteretur cum vnione alia ipsius, quin posset naturaliter durare forma rationalis separata à materia. Quæ omnia abhorrentia sunt. Omitto, subsistentiam humanam non esse entitatem modalem, sed absolutam ex doctrina tradenda in sect. 4. Exercitat. 8. & propterea vnionem, qua vniretur humanitati, non fore indistinctam ab ipsa.

20 Aduersariorum tela isthæc sunt in vnam quasi pharetram congesta. Primum, partes duæ materiæ vniuntur inter se per duplicem vnionem. Ergo & materia ac forma substantialis. Secundum, vnio, qua subiectum, & eius modus vnitur, est duplex. Ergo à forriori vnio, qua materia, & forma copulantur. Tertium, homo constat duplici vnione. Ergo & reliqua composita. Quartum, in sententia distinguente relationem prædicamentalem à fundamento, & termino referuntur ea mutuo per duplicem modum relationis. Ergo in sententia distinguente vnionem à materia, & forma debet poni duplex modus vnionis. Quintum, idem modus nequit esse in duobus subiectis disparatis inter se; talia sunt materia, & forma. Ergo eadem vnio non valet esse in illis. Sextum, de conceptu vnionis est respicere vnam partem vt subiectum, & aliam vt terminum. Atsi daretur vnica vnio vel respiceret vtramque partem vt subiectum, vel vtramque vt terminum. Ergo debet in materia dari vna vnio, quæ respiciat ipsam, vt subiectum, & formam vt terminum, & alia in forma, &c. Septimum, vnio est simul materializatio, & informatio, sed materializatio debet distingui realiter ab informatione. Ergo & vnio, quæ sit materializatio ab vnione, quæ sit informatio.

21 Singula hæc repercutio tela. Primum, vnio duarum partium materiæ; ideo est duplex, quia cum quælibet pars sit in loco adæquatè distinctu à loco alterius, si necterentur vnica vnione, hæc existeret in duplici loco adæquato: quod repugnat ex natura rei. At materia, & forma existunt in eodem loco penetratæ. Rursus forsan est simplex, existitque in vtraque parte, ita vt neutra tantùm seorsim sit locus adæquatus respectu illius, vel existit in vna tantum parte ex determinatione prouenientе à voluntate diuina, vel existit denique in spatio immediato vtrique parti materiæ, aut vtrique eius puncto. Neque inconueniens est, res continuas, maiorem, quàm contiguas, debere habere extensionem; & quantitatem palmi verbi gratia sublatis vnionibus debere redigi in semi palmum. Neque item est absurdum, dari aliquem modum, qui partes, aut puncta, quorum est modus vnitiuus, respiciat non vt subiecta sustentationis, aut receptionis; sed vt terminos, quibus physicè, & essentialiter affigatur existens non in eodem spatio, sed in diuerso, immediato tamen; & qui ob dependentiam physicam

physicam à partibus aut punctis materialibus, vt à terminis intrinsecis sit materialis; producaturque per generationem, si ad hanc sufficiat physica dependentia essentialis ab alio præsupposito pro priori vt termino purè intrinseco: quòd si non sufficiat, producatur per creationem. Ex his debilitantur, quæ opponit P. Martinonus, tom. 4. d. 5. sect. 7. n. 90. contra vnionem continuatiuam distinctam à partibus molis continuæ, & extensæ. P. Franciscus Amicus tomo de Incarnatione d. 8. sect. 2. n. 81. insinuat partes continui propter homogeneitatem posse vniri seipsis posita debita dispositione earum, quod valdè probabile est libertro Fromondo in labyrintho, seu libro de compositione continui cap. 49. Verum, quia stante hac dispositione (nisi sit ipsissima vnio) possunt saltem diuinitùs esse inunitæ, ideo dicendæ non sunt habere sibi identificatam vnionem. Et ego, quid speciale habeat brachium cum manu mea præ manu ipsa cum hac papyro, cui est applicata, & contigua, vt brachium motum trahat manum, & manus mota non trahat papyrum? Certè non videtur aliud speciale reperiri in brachio respectu manus, quàm vnio continuatiua distincta.

22 Secundum, vnica est vnio subiecti, & modi, eaque adæquatè identificatur cum modo; nam si subsistentia v. g. sit modus, & vniretur naturæ tum per se; tum per vnionem tenentem se ex parte naturæ, opus esset ad hanc vnionem alia vnione tenente etiam se ex parte naturæ. Vrgebis; materia vt vnita subsistentiæ refertur ad subsistentiam, non per ipsam subsistentiam. Ergo per vnionem distinctam, quæ sit ratio referendi. Veruntamen etsi hæc ratio neruosa esset, non licebit ex ea arguere duplicem vnionem inter materiam, & formam, cum materia vt vnita referri queat ad formam per vnionem adæquatè distinctam ab vtraque, & pari modo forma ad materiam. Deinde si natura vt vnita refertur ad subsistentiam per vnionem distinctam à natura, & subsistentia. Ergo ad ipsam vnionem deberet referri per aliam; & sic adigeris in progressionem infinitam. Fateare itaque, naturam vt vnitam referri ad subsistentiam per ipsammet subsistentiam: quæ etsi non distinguatur à ratione referendi, distinguitur tamen à fundamento; huiusque distinctio à termino, satis est ad relationem transcendentalem.

23 Tertium, rationes, quæ pro compositione vnionis inter materiam, & animam rationalem adducuntur, nullatenus probant idem de vnione inter materiam, & formas alias; quare admisso compositam esse vnionem humanam, negari potest consequentia ad cæteras vniones. Et neque contrarij ipsi æquè discurrunt in omnibus vnionibus: nam hypostaticam Verbi cum humanitate simplicem, reliquas autumant compositas. Absolutè censeo, vnionem humanam esse simplicem & materialem, subiectatam, vel in sola materia, vel in hac, & anima rationali. De quo in sectione venienti. Nunc tantùm noto, vnionem inadæquatam materialem tenentem se ex parte materiæ terminari ad rationalem animam vnirique cum ipsa in sententia aduersariorum: & proinde mirum non esse, si nostra vnio adæquata materialis terminetur ad eandem animam merè, aut etiam in ipsa subiectetur inadæquatè.

24 Quartum, vt summùm habet vim contra Thomistas constituentes relationem prædicamentalem in duplici modo, ab eis verò, qui nec in vno, exigitur importunè, vt illorum modorum multiplicitatem concilient cum simplicitate vnionis. Dicent namque, quid ad nos? Viderint Thomistæ, sibique consulant. Verùm & his supersunt conciliationes nonnullæ. Prima desumpta exinde, quòd relatio prædicamentalis referri debet ad terminum non secundùm esse absolutum, sed relatiuum consistens in modo. Ast vnio materiæ non refertur ad formam vt vnitam, sed secundùm se: quare vnio materiæ non exiget vnionem aliam ex parte formæ. Secunda accepta ex alia conditione relationis prædicamentalis, videlicet exeo, quòd terminum, vt purè extrinsecum respiciat. Vnde si vnius modus similitudinis poneretur in albedine *A*. & *B* illa non referretur ad hanc vt purè terminum extrinsecum; quandoquidem referretur ad hanc vt intrinsecè relatam, & vt intrinsecè affectam modo, cuius ipsa albedo *A* est subiectum. Cum autem respectus vnionis sit transcendentalis, consequenter proceditur, dum vnica adstruitur. Tertia, quia relatio prædicamẽtalis vt talis non facit terminum sibi intrinsecum; alioqui non posset dari inter distantia, neque distingueretur ab vnione; quæ quia facit formam intrinsecam materiæ, contenta est simplicitate. Quarta, quia relatio vnionis ad extrema vnita non est prædicamentalis. Certum id est, si sermo sit de relatione ipsius vnionis ad extrema vnita, cum respiciat illa essentialiter, non minus, quàm actio effectum, & cognitio obiectum. Certum item esse debet, si sermo sit de denominatione vniti, qua vnum extremum refertur ad aliud. Etenim denominatio vniti prouenit à quodam respectu, qui adæquatè est intrinsecè, & essentialiter in ipsa vnione, & non completur vllo modo à termino, neque ab aliquo alio, vti complentur denominationes similis, propinqui, distantis. Vnde sicuti per vnicam actionem refertur agens ad effectum, & effectus ad agens, cognoscens ad cognitum, & cognitum ad cognoscens per vnicam cognitionem, ita pariter refertur per vnicam vnionem materia vnita ad formam vnitam, & forma vnita ad materiam vnitam. Hausi doctrinam hanc ex Cardinali de Lugo d. 11. de Incarnatione sect. 2. à n. 10. qui rogatus, an præter relationem transcendentalem vniti resultet alia prædicamentalis, sicuti in Deo ex relatione transcendentali producentis resultat prædicamentalis alia creatoris; & in homine præter relationem transcendentalem genitoris, resultat alia prædicamentalis Patris? Respondet, affirmari posse resultare aliam, quæ non sit præcisè vniti, hæc enim non potest non prouenire à sola vnione; sed quæ sit vniti coexistentis, vel alia similis; postulansque, iuxta Thomistas, modos duos, non vnionis, sed relationis; vti denominatio similitudinis exigit duos alios, ex quibus modus existens in albedine *A*, v. g. respicit existentem in alia vt purè terminum; & albedo *A*, ratione sui modi, est similis albedini *B*, quin ratione illiusmodi sit etiam hæc similis formaliter alteri. Ego id non capio: solum refero Thomisticam sententiam. Hinc exurgit noua disparitas inter relationem vniti & relationem similis. Etenim nec mente separari possunt hi conceptus: *Materia est vnita formæ, forma est vnita materiæ*, vti neque hi: *Ego vnior affectiuè obiecto per amorem: obiectum vnitur mihi affectiuè per amorem:* Quapropter sufficit concipere vnicam vnionem. Ast aliqui Thomistæ dicunt, non solùm mente, sed etiam realiter separari posse hos conceptus: *Albedo* A *est similis albedini* B, *Albedo* B, *est similis albedini* A.

Si

Si inter fundamentum,& terminum prædicamentalis relationis detur penetratio, persuasum est Arriagæ,d.4.Physicorum sect.& subsect.3. n. 59. ac 60. sufficere debuisse vnicum tantùm modum in opinione Thomistica. Quæ persuasio, si recta esset,superuacaneus fuit noster labor in conciliationibus superioribus. Hæ tamen ipsæ ministrant arma contra Arriagam, & prætereà neque penetratio, neque expenetratio variant conceptum relationis similitudinis v.g. inter fundamentum, & terminum. Hactenus pro aliquibus Thomistis; nam alij inficiantur vnionem distinctam à materia & forma; cum tamen tam largi sint in multiplicandis modis relationis prædicamentalis. Quòd quidem mihi mirum est; nam si duæ albedines, quæ nequeunt à parte rei coexistere, quin sint similes, habent similitudinem accessu duorum modorum; quid causæ est, ne sit necessarius vnus saltem modus vnionis, vt sint vnitæ materia, & forma, quæ possunt coexistere à parte rei absque vnione.

25 Quintum, materia, & forma, quamuis in vtraque subiectari vnionem concedatur, non sunt subiecta disparata, cum vnum ordinetur essentialiter vt incompletum ad aliud etiam vt incompletum, constituantque compositum substantiale per se.

26 Sextum, si vnio subiectetur in materia, & forma, respectus materiæ vt vnitæ erit tanquam subiecti vnionis ad formam vt subiectum etiam vnionis. Idem de respectu formæ vt vnitæ. Si verò vnio subiectetur in sola materia, respectus huius vt vnitæ erit ad formam vt ad terminum intrinsecum vnionis, & respectus formæ vt vnitæ erit vt termini intrinseci vnionis ad subiectum illius.

27 Septimum, materializatio non debet distingui ab informatione, quia illa nihil aliud est, quàm vnio materiæ ad formam; materiæ, inquam, vt exercentis munus materialis partis respectu compositi: hæc verò nihil aliud est, quam eademmet vnio formæ ad materiam; formæ, inquam, vt exercentis munus partis formalis respectu compositi. Vnde sicut actio, & passio non distinguuntur realiter in sententia Petri Hurtadi, sic neque debent distingui materializatio, & informatio. Petes à me, an saltem ratione ratiocinata sint distinctæ? Respondeo negatiuè; quia cum fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ consistat in eo, quòd vna formalitas entitatis realiter indiuisibilis nequeat esse alia per formalem prædicationem, deficit tale fundamentum in entitate realiter indiuisibili vnionis, quatenùs materializatio, & informatio est; potest enim prædicari formaliter materializatio de informatione, & vice versa. Insuper repugnat materializatio non habens sibi identificatam realiter informationem, & è conuerso. Ergo nullum est fundamentum, vt intellectus distinguat in vnione materiæ, & formæ formalitates materializationis, ac informationis. Iisdem propè rationibus excludebam distinctionem rationis ratiocinatæ inter actionem eductiuam, & passionem. Replicabis, materializatio connotat in recto materiam, & in obliquo formam, & è regione informatio connotat in recto formam, & in obliquo materiam.Ergo distinguuntur ratione ratiocinata.Dico, satis esse diuersitatem illam connotandi ad distinctionem rationis ratiocinantis, non verò ratiocinatæ. Sic licet potentia cognoscens obiectum importet in recto potentiam,& in obliquo obiectum; & obiectum cognitum à potentia importet in recto obiectum, & in obliquo potentiam, non arguitur inter vtramque denominationem nisi distinctio rationis ratiocinantis. Ex quo patet, diuersitatem connotatorum requisitam ad distinctionem rationis ratiocinatæ consistere in eo, quòd vnum respiciatur ab vna formalitate, quin neque in obliquo respiciatur ab alia. Patet etiam, diuersitatem connotandi, quam habent materializatio, & informatio, sufficere absque alia distinctione, ne idem omnino sit materializare, & informare; ne materia se ipsam materializet, & forma seipsam informet. Sed insistes, si eadem entitas sit materializatio, & informatio, reddet informantem materiam non minus, quàm materializatam, seu recipientem. Contra, quia eadem entitas est materializatio,& essentia,atque existentia, eademque est subiecti, & termini intrinseci vnio, nec ideo materiæ communicat esse; atque existere, neque reddit vnitam vt terminum intrinsecum. Ergo similiter etsi sit informatio, non ideo debebit præstare materiæ, quòd informet. Contra rursus,quia cognitio,& actio,à quibus intellectus, & causa accipiunt denominationem cognoscentis, & agentis, non eandem, sed diuersam cogniti,& producti transfundunt in obiectum, & in terminum. Ergo pariter ab indiuisibili vnione poterit materia sortiri denominationem recipientis, & formæ informantis; proindeque simplex vnio poterit simul esse materializatio & informatio.

28 Pro complemento huius sectionis inquirendum restat, an saltem de potentia Dei absoluta queat dari duplex vnio inter materiam,& formam? Quòd enim alterutra superflua esset, non obest in ordine ad potentiam Dei absolutam, vt præmeditatus est Arriaga d.4. Physicorum sect.2.n.73.concedens, posse dari. Certè si sermo sit de duplici vnione adæquata, non est,cur magis repugnent, quam duæ formæ substantiales respectu eiusdē materiæ, & duæ actiones totales, respectu eiusdem effectus. Si verò intercedat sermo de duplici vnione, quarum quælibet sit inadæquata, vniatque inadæquatè materiam cum forma, & formam cum materia, est, qui tueatur non repugnare. Probat primo; possibilis est actio, quæ non valeat producere effectum nisi in consortio alterius partialis. Vt si Deus concurreret ad ignem per vnam actionem ortam à sola sua omnipotentia, & per aliam simultaneam prouenientem tum ab omnipotentia; tum ab altero igne: aut duo ignes producerent tertium per geminam actionem, quarum vna sine alia existere nequiret; aut ignis, vt primò productus prodiret in nouam sui actionem, quæ ab intrinseco orta, necessariò præsuponeret, atque exigeret priorem ortam ab extrinseco agente. Imo de facto ex sententia Suarij tomo 3. in 3. p. disp. 50. sect.4. aliorumque complurium, quos post se traxit, Corpus Christi vt conseruatum per actionem vnā à Deo producit se, vt in Eucharistia per aliam actionem præsupponentem essentialiter illam aliam Dei; quare posterior hæc erit inadæquata; nam si adæquata esset, non præsupponeret essentialiter priorem; possetque sufficienter communicare existentiam corpori Christi: & quod consequens est,sed absurdissimum,posset ipsum corpus causare se, quo ad primum esse. De facto etiam causalitas materialis, si sit distincta ab efficiente, nequibit sine huius consortio producere terminum. Ergo similiter possibilis erit vnio ex parte materiæ; quę nisi in consortio alterius tenentis se

se etiam ex parte materiæ, non valeat materiam perfectè, & adæquatè vnire cum forma. De facto autem non est cur vnio tenens se ex parte materiæ non sit totalis, cum desit vnde retardetur, ne totalis fluat. Secundò, si dentur duo extrema, quorum quodlibet possit existere sine alio, si tamen simul existant, non possint non esse vnita; tunc duo illa extrema se ipsis vnientur, ita vt vnio inter ipsa confletur ex vtriusque entitate; haud secus ac similitudo inter albedinem A, & B. conflatur in veriori opinione ex vtraque albedine. Ergo tunc vnio erit composita. Confirmat in vnionibus partium continui, si in qualibet parte detur distincta vnio; nam vnio stans in parte A, vnietur seipsa cum vnione residente in parte B, & è conuerso; aliter ineuitabilis est cumulus infinitus vnionum. Accedit auxiliaria ratio: non repugnant respectu eiusdem materiæ substantiales duæ formæ inadæquatæ, ex natura rei saltem inseparabiles, quarum vna aliam non præcedat; sed concomitanter se habeant, producantque indiuisim omnes operationes compositi. Ergo neque repugnabit in materia duplex inadæquata vnio, seu vna adæquata coalescens ex duabus partialibus.

29 Mihi videtur, repugnare vnionem, quæ ex parte vnius extremi comparati ad aliud sit inadæquata. Probo primò, repugnat actio, quæ ex parte agentis, à quo oritur sit inadæquata, ita vt exigat aliam ex parte eiusdem agentis, vt communicet esse effectui, & vt coniungat hunc cum agente: quicquid sit de exigentia actionis prouenientis ab alio agente, ne indiscutiendis, & euentilandis exemplis primæ probationis aduersæ immoremur. Ergo similiter repugnat vnio, quæ ex parte extremi, quod vnit, sit inadæquata, ita vt poscat aliam ex parte eiusdem extremi ad vniendum ipsum cum alio extremo. Confirmatur. Repugnat causalitas materialis orta à materia eo pacto inadæquata, vt ex materiæ parte exigat aliam causalitatem materialem ad causandum materialiter terminum. Secundò, repugnant duo extrema intrinsecè vnita eo ipso quòd coexistant, quorum quodlibet, vt vniatur se ipso alteri, exigat aliam vnionem, præter extremum coexistens. Præterea fictitiis est modus similitudinis, residens in albedine *A* postulansque alium modum similitudinis, vt illam reddat similem albedini *B*. affectæ suo modo similitudinis. Insuper implicantiam terminorum inuoluit vnio tenens se ex parte *A*, exigensque aliam vnionem, vt vniatur ei, quæ se tenet ex parte B. En imperitum Neothericum propriis armis. Mitare hominum diuersa ingenia. Auxiliariæ rationis Antecedens pugnax est, & contentiosum. Sed etsi pacatè admittatur, tamen quælibet partialis forma cõmunicabit materiæ effectũ formalem specificum incompletum, diuersum à communicato per aliam. At vna vnio præstaret id ipsum, quod altera extremis vnitis. Et hinc emegit argumentum à priori contra geminam illam vnionem. Etenim ad id, quod vna vnio sufficienter præstat per se ipsam, nequit exigere aliam. Rursus, quæuis vnio debet esse vltima actualis determinatio ad vniendum suum extremum. Igitur, & quæuis debet esse adæquata determinatio, ne sequatur cumulus infinitus partialium vnionum vel sequeretur interminatus processus adæquatarum, si quælibet non esset vltima actualis determinatio.

SECTIO III.

Quodnam sit subiectum vnionis, materia ne, an forma Empyrea, vtraqueue simul.

30 CReditur Suarius d. 13. Metaphysicæ sect. 9. n. 13. docere, vnionem materiæ ad formam materialem subiectari in hac. Disp. verò 15. sect. 3. n. 11. vnionem materiæ ad formam spiritualem, licet spiritualis sit, subiectari in vtraque. Mens tanti Doctoris est satis implexa; nam cum ipse identificare videatur vnionem materialis formæ cum eductione, qua consequentia potest dici vnionem non subiectari in materia? Et qua ratione poterit vnio causari materialiter à forma, si eius sit causalitas materialiter productiua? Non credam talem in eximio Doctore oscitantiam, & incohærentiam. Quapropter mihi persuadeo, eum, aut distinxisse vnionem à formæ eductione, quam tamen cum vnitione, seu productione vnionis identificarit, aut solummodò voluisse vnionem formæ materialis esse in forma, vt in formali termino actionis, eo quòd ab agente naturali intendatur vnio propter formam; esse verò in materia, vt in subiecto. In vindicias Suarij affero ipsius verba, cum enim dixisset: *Tota efficientia agentis naturalis terminatur formaliter, & proximè ad formam, educendo illam, vel vniendo materia.* Infert, *Ergo quicquid de nouo facit, est in forma, tanquam in formali termino actionis in materia autem solùm, vt in subiecto.* P. etiam Vasquez tom. 1. in 3. p. d. 19. videtur asserere vnionem cuiusuis compositi subiectari in sola forma. Vt autem de eius mente dubitetur faciunt hæc verba, *Quæ* (idest vnio) *Licet afficiat ipsam formam, vt modus ipsius, simul cum ipsa forma in subiecto recipitur; imò ratione illius forma inest subiecto.* sic n. 24. In sola materia subiectari vnionem defensant Rubius lib. 1. Physicorum tract. 2. q. 6. n. 64. Albertinus in primo principio Philosophico d. 4. q. 5. Oniedus controu. 4. Physicorum puncto, & n. 3. Franciscus Alfonsus d. 5. Physicorum sect. 4. n. 54. Auersa q. 19. Philosophiæ sect. 6. Murcia lib. 1. Physicorum d. 3. q. 5. Nicolaus Yssambertus 3. p. ad q. 6. disput. 1. art. 13. Sfortia Pallauicimus lib. 2. de vniuersa Philosophia cap. 5. n. 398. Bernal d. 12. de Incarnatione sect. 1. n. 41. aliique citandi in sectione sequenti non distinguentes vnionem ab actione eductiua formæ materialis. Demum in materia & forma subiectari vnionem, sentiunt Bartholomæus Amicus tract. 11. Physicorum q. 10. dub. 3. art. 5. conclusione 2. Rodericus Arriaga disp. sect. & subsectione 4. Physicorum; quod & placuit Georgio Hemelman in disputatis Theologicis ad 1. p. titulo 11. disp. 3. cap. 2. d. etiam 11. cap. 2. singulorum afferam, & dissoluam rationes, & posteà alias proponam, quibus moueor, vt subscribam tribus postremis Authoribus.

Authorum, quibus refragamur, & eorum etiam, quibus subscribimus, eneruantur rationes.

31 QVicquid sit de interpretatione adhibita Suario in n. præcedenti, illatio est inefficax. Stat enim optimè, quòd tota efficientia agentis tendat in formam, & quòd eam educat, vel vniat efficiendo

do vnionem, non in ipsa, sed in materia (etiam hac efficit actionem eductiuam) vel in vtraque. Ideo autem tota efficientia agentis naturalis versatur circa formam, quia supponit materiam productã.

34 Ratio P. Vazquij hæc est, forma determinatur ad materiam per vnionem, cum ex se sit indifferens vt sit, vel non sit in materia. Ergo determinatur per vnionem in se receptam. Sed eamdem rationem efformare posset in materia, ac proinde, vel in hac sola ponere vnionem vel in vtraque. Cum enim tam indifferens sit materia, vt vniatur, vel non vniatur, quàm forma; non est potior ratio ponendi vnionem in vna præ alia. Præterea determinari valet, vt sit in materia per vnionem subiectatam in hac, & respicientem ipsam formam vt terminum intrinsecum. Sic verbum diuinum determinatur vt sit in humanitate Christi per vnionem in hac receptam & terminatam ad ipsum. Sic forma determinatur, vt terminet generationem per actionem receptam in materia, & terminatam ad ipsam P. Tellez p. 2. Philosophiæ d. 25. sect. 2. n. 2 tradere videtur, vnionem compositi omnino materialis recipi in sola forma, quia cum hæc sit effectus dependens, & vnio sit causalitas, seu dependentia, debet identificari vnio cum effectu dependente, minimùm cũ forma, seu debet vnio recipi in sola forma, & nullatenus in materia, quæ est causa formæ materialis, quin forma materialis sit causa materiæ. Non assequor vim istius rationis. Nam in primis vnio formæ materialis cum materia distinguitur ab huius in illam causalitate; in illam, in quam, consideratam saltem in fieri, vt docet ipse Tellez, sect. & conclus. Prima; licet autem iuxta ipsum in conclusione 2. non distinguatur à causalitate materiæ erga formam in facto esse, tamen si causalitas erga formam in fieri non recipitur in sola forma, sed vel in sola materia, vel in vtraque simul, cur eodem modo non discurret de causalitate erga formam in facto esse? Deinde ex eo, quòd vnio sit causalitas materiæ erga formam in facto esse, potiùs infertur, non recipi in forma, si quidem hæc debeat præcedere pro priori naturæ, quatenus causalitas est. Vnde idem Tellez p. 3. d. 43. sect. 2. n. 10. statuit, actionem ita essentialiter respicere terminum, vt non habeat illum tanquam subiectum inhæsionis. Dicet quis, saltem vnio est causalitas formæ erga compositum, quod est effectus illius, vt causæ formalis. Ergo forma habet prioritatem naturæ respectu vnionis; si quidem omnis causa gaudeat tali prioritate respectu suæ causalitatis. Iam verò si forma est prior naturâ, quàm vnio, nihil deest, ne sit subiectum eiusdem. Sed hæc ratio exilis est: nam licet causa extrinseca debeat antecedere ordine naturæ suam causalitatem non sic causa intrinseca, qualis est formalis, cum hæc non debeat esse formalis etiam causa suæ causalitatis, seu vnionis, neque debeat aliter causare, quàm per intrinsecam communicationem sui vt constituentis compositum, informantisque subiectum: vt patet si posset creari vnio inter materiam, ac formam, tunc enim forma exerceret munus causæ formalis, & vnio esset eius causalitas, quin ordine naturæ præiret formæ vnionem, causaretue hanc aliquatenus. Et quamuis in causis extrinsecis opus sit, vt causalitas pendeat à sua causa, in eo genere, in quo est eius causalitas, secus se habet in intrinsecis. Ad hæc, estò concederetur prioritas formæ ad vnionem, esset per modum termini intrinseci, & non per modum subiecti sustentatiui, aut receptiui.

33 Rubius sic argumentatur, per eandem actionem qua forma materialis educitur ex potẽtia materiæ, producitur vnio; & per eandem actionem, qua forma spiritualis vnitur materiæ, generatur compositum dependenter à materia. Ergo vnio dependet à materia in esse, ac fieri, ac proinde vt à subiecto eductionis. Ratio hæc, nisi aliunde fulciatur, non euincit vnionem, non subiectari in forma, vt in subiecto eductionis. Et prætereà negatur, per eandem actionem produci formam materialem, & eius vnionem; productio enim vnionis sequitur pro posteriori signo ad existentiam formæ materialis. Si velit quis eandem actionem pro vno signo producere posse vnum terminum, & pro alio sequenti alium.

34 Albertus in hunc modum arguit, subiectum immediatum, & vnicum generationis est materia. Ergo & vnionis, quæ est terminus generationis, cum actio, & eius terminus debeant habere idem subiectum. Addit, si vnio humana subiectaretur in forma fore spiritualem; atque ideo non posset attingi ab agenti naturali, quod est absurdum, alioqui vnus homo nõ generaret substantialiter alium. Respondetur, priorem rationem, qua etiam vtitur Yslambertus, debilem esse in composito, & forma materiali, in quò vnio sola nõ est terminus generationis. Et probandum superest, non aliud esse posse subiectum vnionis, quã quod est generationis, neq; aliud esse posse subiectũ termini, quàm quod est actionis. Ad posteriorem respondetur, non fore spiritualem vnionem humanam, si simul subiectetur in materia, vel si subiectata in sola forma, dependeat in fieri, & conseruari à materia, vt potest etsi materia non sit eius subiectum sustentatiuum.

35 Ouiedus ait, proprius esse materiæ recipere, quàm formæ. Negatur id, si de receptione vnionis contendat. Adiicit, forma materialis educitur ex potentia materiæ ab agente naturali. Ergo & vnio. Respondetur, specialem esse rationem in vnione, vt educatur ex potentia etiam formæ. Insistit, dispositiones ad formam deseruiunt vnioni. Ergo sicut dispositionum est vnicum, & commune subiectum materia, ita & vnionis. Sed non benè; nam dispositionum ad formam non potest in primo instanti esse subiectum ipsa forma propter peculiarem rationem, quæ non extenditur ad probandum, non posse formam esse subiectum vnionis sui ad materiam.

36 Franciscus Alfonsus exinde mouetur, quòd in eodem subiecto, in quo recipitur productio vnionis, recipi debet ipsa vnio. Sed productio vnionis recipitur in materia, cum sit generatio totius. Ergo &c. Confirmat, quia nisi à materia sustentetur adæquatè vnio, explicari non potest, quare materia in composito sit subiectum præ forma, præcipuè spirituali. Respondetur, tum admittendo recipiendam vnionem in eodem subiecto, in quo recipitur eius productio; ast subiectum adæquatum respectu eductionis non debere esse adæquatum etiam respectu vnionis: tum eductionem vnionis recipi posse in materia, & forma, si hæc non producatur ab educente vnionem, aut si eductio vnionis sit posterior eductione formæ, vt sentit ipse Alfonsus d. 13. Physicorum sect. 8. n. 61. In confirmatione committit circulum vitiosum; modò namque inquit, vnionem recipi adæquatè debere in materia, quia materia est subiectum in composito: cum anteà d. 2. sect. 5. dixisset, ideo esse subiectum, quia recipit adæquatè vnionem. Et ne acquiescã huic subiecti conceptui

in

in causa sunt sequentes scrupuli. Primus, si materia vniretur formæ rationali per vnionem creatione productam, materia esset subiectum formæ rationalis, quin sustentaret vnionem, nec posset eam, quæ talis foret, vt non valeret educi. Quod autem materia posset sustentare alias vniones, non efficeret, vt esset subiectum etiam potentiale huius determinatæ. Constat in humanitate Christi, quæ etsi aliarum subsistentiarum possit esse subiectum, non ideo valet dici subiectum potentiale subsistentiæ increatæ. Secundus, si diuinitus vna pars continui sustentet adæquatè vnionem ad alteram partem secum penetratam (in quo ægrè ostendetur repugnantia) adhuc non erit subiectum alterius partis, vt manifestum est. Et saltem accidens spirituale penetratum cum animo rationali, vnitumque ei vnione subiectata vi vtraque, esset forma animi non minus, quàm vnio. Quòd enim animus sit naturaliter subiectum adæquatum vnionis compositi accidentalis, obiici non est, nequando diminutus est subiectum inadæquatum, si illud animi forma. Sic accidentia supernaturalia sunt formæ animi, quin hic exigat vel inadæquatè vnionem ipsorum. Addo, vnionem duorum graduum intensionis, neutrum respicere, vt subiectum adæquatum, cum tamen sit forma cuiuslibet. Ergo vt aliquid sit forma alterius, opus non est recipi sui vnionem adæquatè in altero. Præterea rogo, quid sit, partem integrantem in continuo esse subiectum vnionis inadæquatè præ ipsa vnione? Cogetis nouam subiecti rationem indagare. Tertius, si non repugnet materiam educi ex potentia animi rationalis, vt aliqui excogitant, illa, quin recipiat vnionem, neque animum, erit potiùs subiectum, quàm hic, & hic erit potiùs forma, quam illa. Quartus, non inuoluunt contradictionem materia, & forma inseparabiles essentialiter, vt fert multorum opinio, & tunc materia erit præ forma subiectum; cum tamen quælibet erit æquè vnio sui ad alteram. Quintus, non assignatur subiecti conceptus aliquis communis quatuor speciebus subiectorum, scilicet sustentationis, inhæsionis, receptionis, & denominationis qui cum assignabilis sit, non dubium, quin procedatur diminutè. Proceditur etiam obscurè, dum res comperta, qualis est materiam esse subiectum præ forma, explicatur per receptionem adæquatam vnionis adeo incertam, & litigiosam.

37 Auersa probat, tum quia vnio est causalitas inter materiam, & formam, Ast forma non se debet gerere vt materia respectu illius causalitatis. Ergo non se debet gerere vt subiectum. Tum quia vnio est receptio ex parte materiæ, & informatio ex parte formæ. Receptio autem debet esse in subiecto recipiente, non verò in extremo informante informatio. Tum quia naturaliter est impossibile, vt vna res habeat plures pro subiecto adæquato. Tum denique, quia materia, & forma distinguntur realiter. Ergo non possunt esse idem in vno tertio indistincto ab eis. Respondetur ad primum negando, vnionem esse causalitatẽ materiæ in formam. Et licet id concedatur, nec non vnionem esse causalitatem formæ in materiam, adhuc forma recipiens vnionem non se geret vt materia, quia non se geret vt primum subiectum omnium; gerere autem se vt subiectum alicuius entitatis, non est transire ad sphæram materiæ simpliciter, & absolutè dictæ. Ast inquies, erit saltem transire ad sphæram causæ materialis tam respectu vnionis sustentatę, quàm respectu cõpositi, cuius ea est materialis causa, quæ vnionem sustentat. Vnde omnis causa formalis esset simul materialis; quod non minus absurdum videtur, quàm si omnis causa materialis esset simul formalis. Sic argues ex peracuto. Recentiore. Sed contra, quia multi sentiunt, effectum causæ materialis non esse cõpositum, vt potè quod non distinguatur adæquatè ab illa sicut opus esset, vt causa materialis differret à formali, & assimilaretur efficienti: vnde solam formam causatam materialiter volunt, esse effectum materialis causæ, quia ex ista fit eo pacto, vt insit. In horum sententia, etiam si forma sustentaret vnionem, non esset materialis causa compositi, quia non vnio, sed passio, quas distinctas volunt, esset causalitas causæ materialis erga formam. Et ipsi quidem, quamuis materia sustentet vnionem, non ideo vnioni tribuunt munus causalitatis erga compositum, neque dicunt materiam esse causam materialem respectu compositi, sed causam intrinsecè constituentem ratione vnionis. Concedamus tamen, compositum esse effectum materialis causæ, & vnionem esse eiusdem causalitatem, non inde sequeretur, formam esse materialem causam compositi, licet sustentaret vnionem; nam illius sustentatio, nec sufficit, neque requiritur ad conceptum causæ materialis, nam si non repugnet, creari vnionem compositi, tunc istud constabit causis materiali, & formali, quin vnio sustentetur in materia, aut forma. Ergo non requiritur ad causam materialem compositi, quòd ea sustentet vnionem, si autem non requiritur, non sufficiet; quod enim non requiritur ad essentiam rei, non sufficit, si detur, ad illam, esto verum sit non sufficere quodcumque ex requisitis, si detur, quando essentia constituitur ex pluribus distinctis realiter, aut ratione, vt homo spectatus physicè ex anima, & corpore; ex animalitate verò, & rationalitate consideratis metaphysicè. Sed quicquid sit de hoc principio, quod vniuersim forsan non est certum, vt colligetur ex n. 72. at in præsenti pũcto nequeat locus exceptionis ob peculiarem aliquam rationem, neque arguens habet, vnde probet sustentationem vnionis sufficere ad id, vt subiectum sustentatiuum sit causa materialis respectu compositi. Et verò licet materia, quæ est materialis causa compositi, sustentet vnionem, per accidens hoc est ad conceptum causæ materialis erga ipsum cõpositum; nam quod requiritur, & præcisè sufficit, & nihil aliud est quã gerere se tanquam subiectum formæ, ex qua constituitur compositum, siue sustentet, siue non sustentet vnionem.

38 Ad secundũ auersæ argumentum dicitur, informationis rationẽ posse se tenere ex parte extremi informantis non minus, quàm rationem recipiendi ex parte subiecti recipientis. Ad tertium negatur eiusdem rei non posse dari duo subiecta, quorum quodlibet sit inadæquatum. In sententia Thomistica recipiuntur omnia accidentia in toto composito, & actus vitales in anima, ac potentiis ab ea distinctis. Ad quartum, vnionem, etsi sit modus, distingui realiter secundum quid à materia & forma; quare ex eo, quòd sit communis materiæ, & formæ vt subiectis partialibus, non sequi eas esse idem inter se. Nam identitas in vno tertio illatiua identitais inter se, est identitas realis tam simpliciter, quàm secundùm quid. Vbi aduertendum est, entitatem modalem inseparabilem quidem esse à re cuius est modus, sed non habere omnimodam cũ eo entitatem; alioqui materia v.g. non posset existere sine vnione ad formam. Quare in eo solùm sensu

sensu dicitur modus habere identitatem cum re, quatenus à re est inseparabilis essentialiter, & quatenus totum esse modis, est in ordine ad rem, à qua nō potest nō pendere actualiter tanquā à subiecto.

39 Murcia affert duo argumenta. Primum, vnio debet immediatè attingere materiam, & formam, sed nisi recipiatur in sola materia, non attinget immediatè vtramque, quia quicquid recipitur in forma, mediatè tantùm vnitur materiæ, idest, mediante forma. Secundum, vnio materiæ ad formam rationalem recipitur in sola materia. Ergo & vnio materiæ ad formam irrationalem. Probatur Antecedens vnio materiæ & formæ rationalis est materialis; tū quia fit per generationem, quæ materialis, est; tum quia eius principale efficiens est materiale, quod non potest producere entitatem spiritualem; tum quia forma rationalis pendet à materia, quoad informationem. Ergo vnio, in quia cōsistit informatio educitur de potentia materiæ, & in ea recipitur proindeque non in forma, cum idē modus nequeat naturaliter recipi in duobus subiectis. Tūc sic: nihil materiale potest recipi in subiecto spirituali, alioqui deficeret ratio ad probandū, accidentia educta ex potentia animæ rationali esse spiritualia. Ergo vnio recipitur in sola materia. Ad primum respondetur, quicquid recipitur in sola forma, vniri mediatè tantùm materiæ; non verò quicquid recipitur tum in forma, tum in materia. Insuper etsi formæ tantùm detur munus subiecti receptionis respectu vnionis, si hæc respiciat materiam, vt terminum intrinsecum, ei vnietur immediatè vt patet exemplo vnionis Hypostaticæ, quæ recepta in sola humanitate, attingit immediatè verbum.

40 Ad secundam Murciæ rationē conceditur, vnionem humanam esse materialem. Neq; hinc sequitur eius subiectum sustentatiuum fore materiam. Modus enim creatiuus materæ est materialis; cum tamen materia non sit subiectum sustentatiuum illius, sed adhæsiuum. Cuius ea est ratio, quòd ad materialitatem sufficit dependentia à priori in fieri, & conseruari à materia vt subiecto adhæsionis. Verū tamen si sequeretur, materiam fore subiectum sustētatiuum vnionis; cur non poterit vnā esse subiectū forma rationalis? Probabilior opinio tenet, actus vitales materiales, & potentias corporeas recipi in forma rationali. Omnia autem accidentia educta ex potentia illius ideo materialia non asseruntur, quia omnia non educuntur simul ex potentia materiæ, neque ab ea dependent in fieri, & conseruari. Dices, informationem spiritualis formæ debere esse spiritualem, ac proinde vnionem, à qua est indistincta. Respondetur, non esse, vnde probetur assumptum. Quod si vnione creata vnitur humanitati Christianæ subsistentia increata, quid ni corpori vnietur vnioni materiali spiritualis forma? Dices rursus, receptum sapit naturam recipientis, & modus sequitur naturam, quam modificat. Ergo si vnio recipitur in forma spirituali, erit & ipsa spiritualis. Sanè ex Antecedenti æquè infertur, formā spiritualem non posse recipi in materia; nec accidens in substantia, nec supernaturale in naturali. Non ergo quod recipitur siue vt res, siue vt modus debet omnino sapere sequiue naturā recipientis, seu esse eiusdem rationis cum eo, in quo recipitur sed debet se attemperare naturæ recipientis. Vrges forma supernaturalis vnitur subiecto per vnionem supernaturalem. Ergo & spiritualis per spiritualem. Negatur consequentia. Etenim res supernaturalis est supra naturalem, id eoque & eius vnio debet esse supra naturam. At res spiritualis non est supra naturam, & exigentiam subiecti materialis; ac proinde nec eius vnio debet esse spiritualis. Insistis, res spiritualis, non potest ex natura rei sustentari à materia. Ergo neque è conuerso res materialis à forma spirituali. Respondetur, cum ex celebri axiomate nobilitato à S. Dionysio Areopagita c. 4. de Diuinis nominibus §. 30. *Bonum ex vna integraque causa existat; malum autem ex multis, partialibusque defectibus*, bonum spiritualitatis prouenire debere ex integra independentia à materia; cum tamen malo materialitatis sufficiat inadæquata dependētia. Imò si res spiritualis debet esse independens omnino à materia, eo ipso res materialis non debet esse omnino independens ab spiritu, ne vitioso circulo explicentur cōceptus rei spiritualis, & materialis. Vt omittam, rem materialem esse ex genere suo imperfectiorem spiritu; ideoque mirum nō esse, si non importet omnimodam ab hoc independentiam physicam in fieri & conseruari; qualē hic ex genere suo perfectior affert à materia. Replicas, bonum supernaturalitatis non debere esse ex integra independentia à principio naturali: actus namque vitales supernaturales fiunt proximè, & immediatè non solùm à principio supernaturali, sed etiam à naturali eleuato. Ergo neque bonum spiritualitatis requirit plenam independentiam physicam à materia. Occurritur replicæ, quoniā, vt sit supernaturalis entitas aliqua, non aliud opus est, quàm eminentia ipsius supra actiuitatem & exigentiā omnis principij naturalis se solo spectati; & hoc est supernaturalitatis bonum, quod debet esse ex integra causa, ita quidem, vt non sufficeret ad supernaturalitatem, si entitas actiuitatem, & exigentiam vnius, aut alterius principij naturalis secundùm se, & non aliorum omnium superaret. Vnde etsi actus vitales supernaturales producantur immediatè, ac proximè à principio naturali eleuato, in demnis manet supernaturalitas. Secus est de spiritualitate, si entitas vel partialiter dependeret suaptè naturā à subiecto materiali, quia spiritualitatis bonum resultat ex opposita independentia adæquata. Sed his relictis.

41 Pro vnionis humanæ materialitate videatur Tellez p. 2. Philosophiæ d. 25. sect. 2. à n. 8. & potissima apud me ratio in fauorem eius materialitatis est dependentia essentialis physica, quam in fieri, & conseruari habet vnio humana à corpore. Vnde gratis admisso, vnionem humanam esse duplicem, quarum vna teneat se ex parte corporis, & alia ex parte rationalis animæ, posteriorem hanc censerem etiam materialem, ob dependentiam physicam essentialem à corpore, vt à termino intrinseco, aut vt à subiecto adhæsionis. Eandem vnionis humanæ materialitatem probant alij, quia entitas spiritualis nequit esse diuisibilis integraliter. Sed vnio humana est diuisibilis integraliter. Ergo non est spiritualis. Suadetur Minor, quia alioqui quoties homo acquirit, aut deperdit partem aliquam materiæ, toties variabitur integra vnio; quod absurdi speciem præsefert, præsertim si nutritio fieri possit successiuè, & continuè, tunc enim singulis momentis producetur noua vnio ad totum corpus, & destruetur præexistens in toto corpore. Suadetur deinde Minor, quia actio nutritiua prouenit ab anima vnita corpori; est namque actio ab animali, vt tali. Ergo actio nutritiua hominis, cum non producat vnionem, quam pro priori naturæ præsupponit, producet aliam ad partes materiæ adquisitas de nouo; quæ posterior vnio consociabitur cum priori, si quidem prior, si semel antecessit

anteceſſit naturâ, non poteſt in illo inſtanti reali deſinere ex aduentu poſterioris; & ex vtraque adintegrabitur vna totalis. Suadetur vlteriùs Minor, quia vnio humana ad viginti partes materiæ, quando duæ partes accedunt poſteà per nutritionem, nequit eſſe vnio harum partium; tum quia rationali animæ, quæ anteà eas non informabat, ſed viginti alias, debet ſuperaddi aliquid intrinſecum, ratione cuius informet; aut certè ſine ſuperaddito aliquo intrinſeco potuit ſimiliter informare partes illas viginti: tum quia vnio non eſt indifferens, vt modo vniatur vni extremo, modo alteri, ſicut neque actio eſt indifferens, vt modò vnum, modò alium terminum cauſet. Et ratio à priori eſt, quia vnio eſt eſſentialis determinatio ad extremum hoc, ſicut actio ad hũc terminum; nec poſſent determinari ad alterum extremum, aut terminum, niſi ſuperueniret vnionis vnio, aut actionis actio. Concluditur itaque; accedentibus duabus partibus materiæ, vnionem, quæ fuerat ad viginti, non ſufficere, ſed nouo incremento, & extenſione debere augeſcere. Erit ergo diuiſibilis integraliter vnio humana. Et confirmatur exemplo diuiſibilis integraliter vbicationis animæ rationalis, & Angeli ad ſpatium diuiſibile: exemplo etiam ſubſiſtentiæ animæ rationalis in corpore, quæ ſi animam & corpus ſimul afficiat, erit diuiſa in partes, aut per diuerſas vniones terminabit partes corporis diuerſas; quòd additur propter diuini verbi ſubſiſtentiam, impartibilem quidẽ, ſed afficientem ſimul animam, & corpus Chriſti Domini diuerſa vnione in manu, ac in pede v.g. De quo ſecundo exemplo adueniet ſermo in n.68. exercitationis ſequentis; ex cuius n.70. facile erit colligere, partes integrales vnionis humanæ vniri inter ſe per ſuperadditas vniones, vniri, inquam, tanquam, extrema modo explicando ibi in n.65. Notetur id obiter contra Martinonum tomo 4.d.5. ſect.7. n.89. Non enim eſt abſurda vnio vnionis habentis ſe vt extremi. Primum exemplum non promouet, ſed potiùs retardat cauſam materialitatis, vnionis humanæ. Nam ſi vbicatio animæ rationalis, & Angeli in ſpatio diuiſibilis eſt diuiſibilis extenſiuè, cum tamen ſit ſpiritualis, poterit pariter vnio humana eſſe diuiſibilis extenſiuè, etſi ſpiritualis ſit. Vnde negabitur Maior ſuperioris argumenti. Nec nobis videtur eſſe contra conceptum ſpiritualis rei diuiſibilitas extenſiua, vt neque contra conceptum materialis rei oppoſita indiuiſibilitas: licet de facto nulli rei ſpirituali adſcribenda ſit ea diuiſibilitas, nullique rei materialis indiuiſibilitas oppoſita, niſi cogat vis rationum.

42 Sfortiæ Pallauicini omitto argumentum, quia ſolummodò probat, vnionem ſubiectari in materia, eo quòd ex huius potentia educatur, ſicut cætera omnia quæ fiunt ab agente naturali, neque adducit rationem, ob quam non educatur ex potentia etiam formæ; imò neque probat, non ſubiectari in hac ſola: ſufficeret namque ad generationem vnionis ab agente naturali, quòd vnio educetur ex potentia formæ.

43 Arriaga, hoc pacto diſcurrit, in primis non eſt vlla ratio, cur vnio recipiatur potiùs in materia, quàm in forma, & econtra. Ergo in vtraque recipitur. Maximè cum ex eo quòd vtraque ipſam recipiat, meliùs intelligatur, quo pacto ſe mutuò perficiant, & euitetur difficultas reſpiciendi aliud vt terminum purè intrinſecum. Deinde formæ omnes, excepta rationali, & fortè modò actionis creatiuæ, ſuſtentantur materialiter in ſubiectis, in quibus recipiuntur. Ergo cum in vnione non valeant rationes, quæ in rationali animo, & modo creationis, ſi recipitur in materia, & forma ſuſtẽtabitur etiam ab eis. Quid virium ſit in hoc argumento, poſteà apparebit. Modò infirmari videtur, ſi dicatur, in forma non eſſe capacitatem ad recipiendam vnionem. Addo, obſtare forſan ſpecialem aliquam rationem, ne vnio ſuſtentetur materialiter ab omni ſubiecto, in quo recipitur. Amicus ita ratiocinatur, materia, & forma cum ſint eſſentialiter imperfectæ, vnianturque, vt perficiantur in compoſito, debent conuenire ad conſtitutionem compoſiti per vnionem, quæ ſit perfectiua, & mutatiua vtriuſque. Igitur per vnionem, quæ in vtraque recipiatur, ac ſuſtentetur. Iſtius ratiocinationis aciem præſtringent ad notationes, quæ ex numer.48. vſque ad 63. proponentur.

Infirmantur rationes aliæ excogitatæ à Recentioribus.

44 Scriptoribus, quorum argumenta profligauimus, aduenere ſubſidiariæ. Recentiorum copiæ non leuibus inſtructæ armis. Argumentantur itaque primò: vnio eſt indiſtincta à cauſalitate materiæ in formam materialem. Ergo hæc nequit eam ſuſtentare, alioqui inter vtramque intercederet mutua cauſalitas. Secundò, materia præcedit naturâ vnionem, proindeque poteſt eam materialiter cauſare, At forma non debet præcedere naturâ vnionem, cum abſque tali præcedentia rectè queat vniri. Tertiò, diſpoſitiones in materia eò tendunt, vt aliquid ex ea fiat. Ergo cum diſpoſitiones materiæ eò non tendant, vt ex ea fiat rationalis animus, ſaltem eo tendent, vt fiat vnio. Quartò, ſi vnio ſubiectaretur in materia, & forma, produceretur vel per duas actiones eductiuas, quarum vna ſubiectaretur in materia, & alia in forma, vel per vnicam actionem. Non primum, quia alioqui actio materialis eductiua vnionis ex anima rationali ſubiectaretur adæquatè in re ſpirituali. Non ſecundum, quia actio ſubiectata in materia, & forma eſſet vnio materiæ, & formæ. Hæc pro vnione ſubiectanda in ſola materia.

45 Sed ad primum reſpondetur primò, falſum eſſe Antecedens. Secundò; carere vi in forma ſubſtantiali ſpirituali, cum vnio eius ad materiam non ſit cauſalitas huius in eam. Tertiò, non ſequi mutuam cauſalitatem ſi forma materialis ſit ſubiectum ſolummodò adhæſionis reſpectu vnionis identificatæ cum cauſalitate materiali. Ad ſecundum reſpõdetur primò, formam, etſi pro poſteriori ſubſequutam ad vnionem poſſe eſſe ſubiectũ ſaltem adhæſiuum vnionis. Secundò, formam diſtinctam realiter à ſubiecto debere precedere naturâ vnionem. Ad tertium diſtinguitur conſequens, Diſpoſitiones eò tendunt, vt materia fiat vnio tanquam ex inadæquato ſubiecto, conceditur, tanquam ex adæquato negatur. Deinde reſpondetur, Diſpoſitiones materiæ eò tendere, vt adaptent illam operationibus animæ rationalis, ſiue ex materia vt ex ſubiecto ſuſtentante, ſiue ſolùm vt ex recipiẽte producenda ſit vnio. Replicabis, ſi vnio educitur ex potentia animæ rationalis: ergo homo generatur ex anima rationali. Occurritur dicendo, compoſitum non aſſeri generari niſi ex ſubiecto, in quo diſpoſito per accidentia ſuſtentatur, vel recipitur forma; vnio autem non eſt forma humani cõpoſiti. Replicabis ruſus,

rursus, agens creatum non potest efficere aliquid in anima rationali vt in subiecto. Contra tamen, quia si agens creatum efficit cum dependentia à materia vnionem in anima rationali vt in termino intrinseco, cur non poterit vt in subiecto? Si roget quis, cur cum forma materialis dependeat secundùm se adæquatè à materia vt subiecto sustentante, non sic similiter dependeat forma spiritualis vt vnita? In promptu est discrimen, nimirùm non esse, à quo vt subiecto possit aptè dependere, forma materialis, nisi à materia, secus de vnione, que aptè dependere potest tum ab ipsa materia, tum à forma. Si vlterius efflagitet indicium, ex quo colligatur, vnionem sustentari à forma, non enim gratis sunt multiplicanda subiecta sustentationis. Quòd autem gratis non assignetur materia, indicio sunt dispositiones ad vnionem non valentes existere sine ipsa. Respondetur, ex eodem indicio, quo colligitur; materiam esse subiectum vnionis, deduci vnà esse formam. Ideo verò sola materia disponitur ad vnionem, quia solùm ex parte illius datur improportio.

46 Ad quartum dicitur, debile esse argumentum, si modus vnionis identificetur cum actione eductiua sui. Rursus dicitur, rem materialem posse adæquatè subiectari in re spirituali, dummodò simul habeat à re materiali dependentiā in fieri, & conseruari tanquàm à conditione saltem pro priori requisita. Vlteriùs dicitur, actionem subiectatam in materia, & forma fore inchoatam vnionem materiæ & formæ, vti in sententia distinguente actionem eductiuam formæ materialis ab vnione, actio eductiua est inchoata, & imperfecta vnio; & vti actio productiua vnionis subiectatæ in sola materia erit radicalis vnio cum forma.

47 Tandem alij pro subiectanda vnione tam in materia, quàm in forma sic argumentantur; materia, & forma perficiuntur, completunturque per vnionem; aliunde vtraque est magis indifferens ad vnionem, quàm vnio ad ipsas. Ergo vnio respicit vtramque vt subiectum receptionis, & informationis. Rursus, nec materia, nec forma materialis possunt naturaliter existere, quin vniantur, proindeque æquè exigunt vnionē Ergo æque eam sustentant. Ratio hæc imbellis est, tum quia benè potest perfici, & compleri vnum ab alio, quin illud recipiat. Tum quia etsi materia, & forma sint magis indifferentes ad vnionem, quàm vnio ad ipsas, possunt esse magis indifferentes vt termini, & non vt subiecta. Sic effectus actione generatiua *A*, productus est magis indifferens ad eam, quā ad ipsum actio, cū tamen effectus non sit subiectū actionis generatiuæ. Et vel supinus Aduersarius dicet, à materia, vt à subiecto exigi vnionem, à forma autem vt termino. Tum quia apposita ratio non extenditur ad probandum, rationalem animam esse subiectum sustentatiuum vnionis. Et prætereà supponit conceptum falsum subiecti receptionis, & informationis, scilicet illam entitatem in composito esse alterius subiectum, quæ fuerit magis indifferens, quàm hæc altera. Relege n. 24. exercit. 5.

Praeuiæ adnotationes ad nostræ sententiæ firmiorem probationem.

48 Antequam eam producam, præmitti aliqua debent, & stabiliri. Primum sit, posse vniri duo extrema quorum alterum sit subiectum, vnionis, alterum terminus purè intrinsecus. Tellez. p. 2. Philosophiæ d. 25. sect. & n. 2. vtitur exemplo relationis prædicamentalis realis nō mutuę consistentis in modo, qui est intrinsecè in vno extremo, & terminatiuè, tantùm attingit aliud extremum. Sed hoc exemplum inuoluit multa, quæ falsa apud me sunt; & prætereà extrema non mutuò relata vniri non debent inter se physicè intrinsecè, quo pacto opus est vniri ea, quorum vnum est subiectum vnionis, alterum terminus purè intrinsecus. Securius exemplum est, sed non omnino certum in vnione duarum partium continuatiua, siue adæquata, siue inadæquata, quæ vnitur parti *A*, v.g. vt subiecto, & parti *B*. vt termino purè intrinseco. Sic multi opinantur. Constans, & perpetua præmissi probatio petenda est ex Christo Domino, in quo vnio Hypostatica vnitur humanitati vt subiecto, & subsistentiæ diuinæ, vt termino purè intrinseco.

49 Quis autem sit conceptus termini purè intrinseci, arduum est declarare. Dicerem, in composito per se illum esse terminum purè intrinsecum, qui nullum exercet munus intrinsecum subiecti sustētationis, receptionis, aut adhæsionis, respectu vnionis. Vt enim ille habetur terminus purè extrinsecus, qui nullum exercet munus extrinsecum erga respectum in ipsum tendentem, ita similiter &c. Inquies, verbum Diuinum esse terminum purè intrinsecum vnionis Hypostaticæ in composito per se Christi Domini, & tamen constituere denominationem vniti, proindeque exercere aliquod munus. Respondeo aliud esse constitui à verbo denominationem vniti; aliud exercere munus erga vnionem. Cum itaque circa vnionem nullū exerceat munus intrinsecum subiecti erit terminus purè intrinsecus respectu illius. At respectu denominationis vniti, non erit terminus purè intrinsecus, cum illam intrinsecè constituat vel tanquam subiectum denominationis, vel tanquam denominationis forma. Neque hinc inferas, obiectum respectu cognitionis fore terminum purè intrinsecū. Etenim ex cognitione, & obiecto non constituitur vnum per se, quod requiritur ad rationem termini purè intrinseci, vt distinguitur à termino purè extrinseco, qualis est obiectum respectu cognitionis, actio respectu agentis transeunter, relationis modus existens in termino respectu modi existentis in fundamēto ex Thomistico placito Quòd si obiectum comparetur ad denominationem cogniti, eodem modo philosophandum est, ac de verbo diuino. Quare respectu eius denominationis terminus purè intrinsecus non erit, tum quia ea denominatio non est vnū compositum per se, quia eam constituit vt subiectū. Instabis, vnio respectu denominationis vniti non est terminus purè intrinsecus, vti similitudo albedinis *B*. est terminus purè extrinsecus similitudinis albedinis *A*, in sententia Thomistarum Ergo est terminus purè intrinsecus, cum non detur medium. Respondeo, dari medium, nempe esse formam denominationis vniti.

50 Ex dictis liquet, male additum ab Arriaga d. & sect. 4. Physic. n. 112. in definitione termini purè intrinseci, non debere vniri alteri in genere causæ formalis Cū terminus purè intrinsecus possit vniri alteri vt forma denominans intrinsecè, & vt subiectum denominatum intrinsecè. Et quidem ipse Arriaga d. 1. Metaphysicæ sect. 1. n. 7. fatetur posse vnionem aliquo modo dici formam verbi, non receptam, aut subiectatam, sed denominantem intrinsecè. Si nomine causæ formalis intelligat partem incompletam superuenientem alteri, adigetur fateri, actionem non vniri effectui vt formam termino purè intrinseco, cum illi

illi vt præexistenti non superueniat; aut cogetur fateri, non esse contra conceptum termini purè intrinseci vniri alteri vt formam. Reiicio vlteriùs Arriagam, quia non est contra conceptum formæ esse terminum purè intrinsecum vnionis; neque è conuerso est contra conceptum termini purè intrinseci esse formam. Ni velit ex hac definitione se se adstringere Arriaga ad subiectandam vnionem in forma. Quare in definitione termini purè intrinseci opus non est, apponere verba, per quæ discriminetur à forma; sed illa tantùm, per quæ excludatur subiectum, & abstrahatur à forma. Vrgeo, quia penes Arriagam creari potest vnio materiæ ad formam: quo in casu forma esset terminus purè intrinsecus vnionis creatæ. Ergo non rectè in definitione termini pure intrinseci excludit formam:

51 Ouiedus controu. 4. Physicorum puncto 3. §. 4. n. 15. & 17. impugnat Arriagam dicentem, ex actione, & effectu transeunter producto fieri vnum accidentale per se. proindeque competere effectui transeunter producto definitionem termini purè intrinseci, videlicet, *qui verè & per se vnitur alteri, & non in genere causæ materialis, vel formalis*. Impugnat, inquam, quia non est potior ratio cur actio cum effectu, quam cum agente habere dicatur vnionem, siquidem ab vtroque distinguatur, & dependeat, & in neutro recipiatur. Nec habere intimam præsentiam cum effectu sufficit, vt hic dicatur intrinsecus actioni, nisi vt summùm localiter. Deus enim est intimè præsens actioni creatæ ex conceptu agentis immensi; & tamen neque ex hoc conceptu est intrinsecus actioni creatæ neque actio creata est intrinseca Deo. Rursus cognitio intuitiua Dei est intimè præsens creaturis existentibus, quæ nihilominus non sunt terminus intrinsecus illius. Extat pulchra alia instantia apud Cardinalem Lugum d. 11. de Incarnatione sect. 7. n. 70. Adde, intimam præsentiam non requiri ad conceptum termini purè intrinseci; nam vnio continuatiua partis *A*. est ei tantùm intimè præsens, respicitque vt terminum intrinsecum partem *B*. Imò per Ouiedum supra n. 16. & iuxta indicata à nobis in n. 21. neutri parti est intimè præsens, seu penetrata: est tamen vtrique intrinseca. Impugnationi huic inuenio solutionem in Arriaga; inquit enim n. 108. *illa denominatio producti, quando quidem est intrinseca, debet esse per vnionem, quidem distinctam ab ipsa actione, sed per ipsam, quia est modus intrinsecus termini; ideoque illi vnitur.*

52 Attamen ego sic contra insurgo primò; sicuti denominatio producti est intrinseca termino, ita agenti est intrinseca denominatio producentis; atque vt notat Conink 3. p. q. 77. art. & dub. 1. n. 10. non est mera denominatio extrinseca, sicut quando paries dicitur videri. Ergo si actio respicit intrinsecè terminum, quia ei communicat denominationem intrinseci producti; ita pariter respiciet agens, cum ei communicet denominationem agentis intrinseci, licet non ab intrinseco quando est trasiens. Secūdò, actio generatiua nō est intrinseca termino vt subiecto substentationis, neque vt subiecto receptionis. Quo ergo pacto vnitur ei? Si respondeas vniri vt subiecto adhæsionis, Cōtra, tū quia id est satis difficile in actione creatiua. Et licet id admittatur in creatiua, non tamen in generatiua; cum huius sit sufficiens subiectum ipsum passum. Tum quia sicut ad hoc vt agēs sit intrinsecè producens, non requiritur ei vt subiecto etiam adhæsionis esse vnitam actionem; sed satis est, quando non producit ab intrinseco, si sit subiectum denominationis. ita similiter vt terminus sit intrinsecè productus, satis erit si sit denominationis subiectum. Et confirmatur in verbo diuino denominato intrinsecè vnito humanitati, quin vnio sit vel adhæsiuè in eo. Nihilominus dico cū communē effectum esse terminum intrinsecum actionis; non quia actio sit intrinseca effectui; sed quia hic quo ad suam intrinsecam entitatem dependet ab ea. Cum verò agens non dependeat frequenter ab actione, ideo hæc non dicitur vulgò intrinseca illi. Loquor de agente transeunter. Addere possem ex Tellez p. 3. Philosophiæ d. 63. sect. 4. n. 2. actionem transeuntem constituere vnum per se cum effectu non autem agente.

53 Non silebo Ouiedum, dum n. 17. scribit, se vocaturum intrinseca *quæ pertinent ad constitutionem vnius per se.* non satisfecisse omnium votis in hac difficultate. Non enim in præsentiarum laboratur circa definiendum conceptum rei intrinsecæ, sed termini purè intrinseci Et Ouiedus apposita definitione includit etiam intrinseca per modum subiecti. Quo fundamento reiiciendi sunt nonnulli aientes, terminum intrinsecum esse *illum; qui cum re, quam terminat, init compositionem intrinsecam.* Quòd si per verbum *terminat* excludere volunt intrinsecam rem per modum subiecti, & tantum denotare intrinsecam rem per modum termini, nihil prorsus explicant: Examinamus namque, quid sit, rem purè intrinsecè terminari ab aliquo ineunte compositionem intrinsecam cum ipsa?

54 Præmitto secundo, in composito per se, vt vnum perficiatur ab alio, non debet illud sustentare, seu causare materialiter. Stabilio primò, humanitas Christi non solùm perficitur per vnionem, quam sustentat, sed etiam per subsistentiam diuinam formaliter, cum ab hac reddatur formaliter subsistens, & sancta, Et licet vnio Hypostatica crearetur, adhuc per subsistentiam diuinam perficeretur humanitas; & nihilominus nullo in casu potest hæc illam sustentare. Secundò, non solùm ab vnione, sed & ab anima rationali perficitur intrinsecè materia, cum tamen hæc non sustentet illam. Si dicas, materiam non perfici ab anima rationali, nisi ratione vnionis, quam sustentat vt intrinsecam perfectionem. Contrà, quia si vnio materiæ ad animam rationalem crearetur, tunc materia non sustentabit vnionem: & tamen Petrus Hurtadus (aduersus quem nunc agimus) concedit d. 12. Physicorum sect. 5. §. 57. perficiendam in casu hoc materiam per vnionem, Contra iterùm, quia non minus intrinsecè perficitur materia per animam humanam quàm per equinam. Atqui per equinam vt formaliter distinctam ab vnione perficitur intrinsecè. Ergo & per humanā. Imò multò magis per hāc tum ob maiorem huius nobilitatem, tum etiam defectum sustentationis, & causalitatis materialis erga hanc; quæ causalitas non leuem imperfectionem habet ad mixtam qualicumque suæ perfectioni. Contra denique, quia si vnio sustentata à materia, est huius perfectio, non potest non anima rationalis ratione sui esse perfectio eiusdem: nam vnio erit perfectio vt quo, & ratio perficiendi; proindeque importabit essentialem ordinem ad animam rationalem tanquam ad perfectionem vt quòd, & tanquam ad principium perficiens absolutè materiam indigentem ipsa anima pro sui complemento, ac perfectione.

55 Stabilio tertiò; in sententia ipsius Hurtadi, constituentis vnam vnionem ex parte materiæ, & aliam ex

ex parte formæ, perficitur materia, non solum per vnionem, quam sustentat, sed etiam per vnionem sustentatam à forma. Vt enim vnio accepta in materia exigit formam, ita etiam exigit vnionem receptam in forma. Quòd si verbum perficit humanitatem, quia vnio, sine qua verbum naturaliter esse potuit, sustentatur ab humanitate, perficiet sine dubio formam vnio residens ex parte materiæ cum à forma sustentetur alia vnio sine qua nec diuinitùs existere illa valet. Quartò, non repugnat forma inseparabilis à materia ex suppositione coexistentiæ vtriusque; quæ forma talis sit, vt non sustentetur à materia, eo quòd sit spiritualis. Prædicta forma perficiet materiam, seorsim à qua possit absolutè existere in rerum natura, ita vt etsi destrueretur materia; valeret naturaliter, quantùm ex se est, ea forma permanere. Quintò, calor productus per creationem, vnitusque subiecto capaci, denominabit illud calidum. Nam effectus formalis nihil aliud est quàm forma communicata subiecto capaci. Ergo subiectum illud perficitur per calorem, quem non sustentat, Dices, subiectum illud perficiendum per calorem, quia petunt ex natura rei vniri per causalitatē materialem. Contra, tum quia si vnio caloris ad subiectum creetur ex natura rei, non petet vniri per causalitatem materialem, cum id repugnet eius essentiæ, perficiet tamen subiectum. Tum quia subiectum, & calorem exigere vniri per causalitatem materialem, non est actu sic vniri, nec est actu perfici, si sic non vniantur. Ergo ideo calor productus per creationem perficiet subiectum, quia ad perficiendum, vt sic non requiritur causari materialiter. Tum quia si non repugnet accidens exigens ex natura sua creari, vt putat Ripalda. disp. 5. de ente supernaturali sect. 1, n. 9. illud vnitum subiecto perficeret ipsum, maximè si sit supernaturale, quin exigeret ex natura rei causari materialiter.

56 Ratio à priori omnium horum est, quia perfici vnum ab alio, est compleri intrinsecè per aliud. At materia completur intrinsecè per formam. Ergo perficitur ab alia, siue illam causet materialiter, aut illius vnionem; siue non. Confirmatur, vt aliquid perficiatur, sufficit esse in actuali possessione, & vnione eius perfectionis, ad quā ordinatur, & quam appetit. Ergo materia perficitur ex possessione formæ, siue eam, aut eius vnionem causet materialiter, siue non. Perficietur, inquam, quo ad suam entitatem intrinsecam, & non tantùm in ordine ad totum, vt perperam vult Ouiedus controu. 2. Physicorum puncto 3. à n. 25. & controu. ac puncto 3. à n. 1. nec non controu. 4. puncto 2. §. 3. n. 10, falsò supponens, materiam non perfici intrinsecè per formam, licet enim materia habeat entitatem distinctam à forma, tamen entitas illa distincta perficitur intrinsecè ab entitate distincta formæ? alioqui humani-tas non perficeretur intrinsecè per subsistentiam diuini verbi, nec intellectus creatus per vnionem beatam, siquidem humanitas, & intellectus creatus habeant entitates distinctas à subsistentia diuini verbi, & à visione beata. Vbi aduertas, aliud esse perfici identicè, aliud intrinsecè, Primo modo materia non perficitur à forma, nec humanitas à subsistentia diuini verbi, nec intellectus creatus à visione beata, secus secundo modo.

57 Obiicies, perfici est mutari; sed nisi materia sustentet vnionem, non patietur mutationem; cum non habeat per sustentationem aliquid de nouo. Ergo non perficietur. Respondeo, materiam ex vnione ad formam mutari, quatenus motus est actus in potentia siue receptiua, siue sustentatiua, & quatenus habet aliquid denouo materia in potentia saltem receptiua. Hinc verbo diuino repugnat habere potentiam receptiuam vnionis Hypostaticæ; nam repugnat eius infinitæ perfectioni habere intrinsecè de nouo aliquid, quod anteà non habebat, à quo intrinsecè afficiatur, informatur, & compleatur, Alioqui supponeretur in verbo aliqua vacuitas, quæ repleretur per receptionem vnionis, propereàque non esset infinitè simpliciter perfectum in omni genere. Quare si verbum reciperet vnionem, vel perficeretur per illam, vel deformaretur, quatenus haberet intrinsecè aliquam perfectionem vel imperfectionem. Lege Cardinalem Lugum d. 11. de Incarnatione sect. 6. n. 66. Insurges, Ergo saltem forma non perficietur per materiam, si non recipiat vnionem, cum constet non sustentare, neque recipere materiam. Respondeo, formam perfici per materiam. Rationem à priori præstiti in n. proximo. Replicabis, forma non mutatur, nisi recipiat vnionem. Occurro, dicens, nomen motus vulgò significare actum, seu formam rei motæ. Cum autem materia non sit actus, seu forma formæ, ideò per illam non mutatur secundùm triuialem vsum vocis. Iuxta quem materia in prima productione formarum, non fuit mutata, etsi ab eis fuerit mutuata perfectionem. Iuxta quem etiam effectus non mutatur per actionem productiuam sui; cum tamen perficiatur ab ea, maximè si creatiua sit, consistensq; in modo. Instas, forma denominatur vnita. Ergo mutatur. Respondeo, denominari vnitam non vt subiectum vnionis, sed denominationis, ideoque non mutari, quemadmodùm verbum non mutatur etsi ab vnione denominetur vnitum. Contra perfectionem formæ per materiam obiici potest difficilis locus Sancti Thomæ. 1. p. q. 7. art. 1. in corpore, vbi inquit. *Materia autem perficitur per formam, per quam finitur; & ideo infinitum, secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti: est enim quasi materia non habens formam. Forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur. Vnde infinitum, secundum quod se tenet ex parte formæ, non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti.* Sed pro penetranda mente Angelici Doctoris consulantur inter alios P. Valentia tomo & disp. 1. q. 7. puncto 1. v *ad primum respondeo*. P. Iosephus Augustinus ad eum S. Thomæ articulum.

58 Præmitto tertio, vt vnū perficiatur ab alio, opus non est, vnum se habere vt subiectum receptionis respectu alterius. Stabilio primò, ex humanitate, quæ perficitur à verbo, quin illud recipiat. Secundò, ex gradibus intensionis, qui se mutuò perficiunt, & neuter alium recipit, non enim comparantur, vt potentia, & actus, sed vt incompletæ partes vnibiles in ordine ad qualitatem perfectam constituendam. Tertiò, ex partibus continui, quæ se etiam perficiunt, quin vna aliam recipiat. Sed quia potest dici, vnionem recipi saltem in extremo, quod perficitur. Ideo stabilio quartò, ex modo creationis perficiente intrinsecè rem, quam producit, quin inea recipiatur. Et cum vnio modi illius non distinguatur ab eo, neque quo ad vnionem admittit receptionis subiectum. Quintò, si possibile sit compositum constans duplici parte essentiali, quarum neutra sit materia, nec forma, dequo non nihil in n. 73. Exercit. 4 mutuò se perficerent partes illæ se ipsis. si inseparabiles sint, vel simplici vnione copulatæ. si sint separabiles, quin vna reciperetur in alia,

&

& quin: vnio, si inter veniat distincta, respiceret vtramque vt subiectum, aut vnam vt subiectum, & aliam vt terminum purè intrinsecum, sed vtramque vt terminos purè intrinsecos. Sextò, materia perficit formam intrinsecè; quin hæc illam recipiat: nec eius vnionem iuxta Hurtadum. Pariter si partes continui vniantur per duas, vniones se perfici unt reciprocè, & tamen vna pars non recipitur in alia, neque vnio vnius partis in alia parte. Septimò, vnio Hypostatica perficitur per verbum non receptum in ipsa. Et quidem verbum non recipi in vnione Hypostatica, tam manifestum est, vt probatione non egeat. Vnionem verò Hypostaticam perfici per verbum, probatur, tum quia completur per illud, compleri autem vnum ab alio est idem prorsus ac perfici: tum quia vnio Hypostatica indiget essentialiter verbo, appetitque innatè, ordinaturque ad ipsum, vt ad finem sibi omnino necessarium, & intimum. Quæ omnia clarissimè ostendunt vnionem Hypostaticam perfici intrinsecè per verbum, cuius possessione non fraudatur, sed potiùs intimè fruitur; cum aliunde vnio non sit ratione suæ entitatis perfecta infinitè. Id addidi, ne aliquis recurreret ad essentiam diuinam, quæ per relationes non perficitur extensiuè. Nam permisso hanc sententiã veram esse, apparet latum discrimen inter essentiam diuinam comparatum cum relationibus personalibus, & inter vnionem Hypostaticam comparatam cum verbo; essentia namque diuina vt distincta virtualiter intrinsecè à relationibus personalibus, est infinitè perfecta, non sic vnio, vt distincta realiter à verbo. Quare ab hoc perficietur intrinsecè non solum extensiuè, sed etiam intensiuè, quo saltem pacto essentia diuina vt potè infinitè perfecta (ex suo conceptu, non perficitur à relationibus personalibus.

59 Præmitto quartò, vt vnum perficiatur ab alio, opus non est, se habere vel tanquam subiectum adhæsionis respectu illius. Stabilio primò, quia quicquid sit, an relationes personales perficiant essentiam diuinam extensiue, tamen hæc illas sic perficit, quin ipsis adhæreat, vt est vtrumque in confesso apud omnes Theologos. Secundò, in composito illo constante ex duplici parte essentialiter connexa, quarum neutra sit materia, nec forma, non adhærebit vna pars alteri, etsi ad inuicem perficiantur. Si enim vna adhæreret alteri, vna se haberet vt forma, & alia vt materia, sicuti modus creationis adhærens termino habet se, vt forma illius, vt notat Cardinalis Lugus d. 11. de Incarnatione sect. 7. n. 74. quatenus præbet fundamentum, vt concipiatur aduenniens, & adiacens termino indifferenti ad illum; vel ad alium, licet non supponat terminum pro priori, neq; ab eo dependeat à priori. Tertiò, si vnio inter materiam & formam rationalem creetur, non adhærebit forma rationalis materiæ, cum ab hac non dependeat à posteriori, neque vnio adhærebit materiæ; cum vnio non sit accidens. Et tamen in hoc casu perficietur materia à forma rationali, siquidem ab hac animabitur, animari autem est ingenter perfici.

60 Inquies, in casu creatæ vnionis inter materiam, & formam rationalem non fore, cur potiùs illa sit subiectum, quàm hæc. Nam si confugiamus ad subiectum denominationis, eo quòd perficiatur; rationalis etiam forma perficitur; proindeque æquè erit subiectum denominationis: præter quam quòd non omne subiectum denominationis debet esse perfectibile. At speciali ori modo debet se habere materia, vt subiectum: quem modum si designemus inuehemus in scholas nouum genus subiecti, cum in illo casu materia non sit subiectum sustentationis, inhæsionis, receptionis, nec adhæsionis. Esse autem denominationis, non sufficit. Respondemus, materiam fore subiectum præ forma, si in illa præ hac recipiatur vnio, eo enim ipso erit subiectum receptionis, tum formæ, tum vnionis. Si verò vnio æquè recipiatur in vtraque, sit que impotens educi, difficulter se expedient ab hoc argumento Arriaga, & alij. In nostris principiis materia præ forma erit adhuc subiectum receptionis, quatenus illa per se stat, quin præbeat fundamentum, vt modo adiacentis alteri concipiatur: hæc verò licet per se stet, & æquè, ac materia recipiat vnionem, tamen præbet fundamentum, vt concipiatur modo adiacentis materiæ, seu modo indigentis ea vt recipiente. Premis adhuc, forma recipitur, & adhæret vt quòd per vnionem in materia. Ergo saltem ipsa vnio debet recipi, & adhærere vt quò. Ergo non potest forma vniri materiæ, quin hæc vt minus recipiat vnionem, aut quin vnio ei adhæreat, Quare ipsi etiam, qui tenent, vnionem recipi in forma, tenentur dicere, vnionem adhærere saltem materiæ. Respondemus, negando, formam debere recipi, aut adhærere vt quòd materiæ, sed satis esse, vt retineat conceptũ formæ, præferre fundamentum, vt concipiatur instar receptæ in materia, aut instar adhærentis ei. Quod fundamentum, quia non præbet subsistentia verbi diuini cognoscenti eius infinitam perfectionem, & complementum, ideo non est forma humanitatis, cui vnitur; neque hæc est subiectum receptiuum, aut adhæsiuum illius. Supponimus, subsistentiam verbi Diuini non indigere reapse, & in se receptione, aut adhæsione ad humanitatem prosui perfectione, & complemento.

61 Si petas à nobis rationem, cur Verbum non perficiatur per vnionem intrinsecam ad humanitatem putesque difficulter à nobis præstandam; cum dixerimus posse vnum perfici ab alio sibi vnito intrinsecè, quin vlla ratione sit subiectum sustẽtatiuum, receptiuum, aut adhæsiuum perfectionis. Quapropter videmur præcidisse nobis filum, quo Theologi communiter labyrintho hoc se liberant. Præstò sumus reddendo. Asserimus itaque. ideo verbum non perfici per vnionem, neque è contra deteriorari, quia est simpliciter infinitè perfectum in omni genere, exindeque incapax creatæ omnis perfectionis & ; imperfectionis. Sed rogabis, cur verbum vt distinctum virtualiter, intrinsecè à natura diuina non perficiatur intrinsecè saltem extensiuè per vnionem, quemadmodum sic perficitur per ipsam naturam diuinam & vice versa hæc per illud. Respondemus, ea de causa, sic non perfici verbum per vnionem, quia cum sit infinitè perfectum intensiue, incapax est perfici intrinsecè nisi per aliud infinitum intensiuè, identificatumque realiter secum, proindeque est incapax perfici eo modo per vnionem, quæ quid finitum est, distinctumque realiter ab ipso. Cardinalis Lugus d. 11. de Incarnatione sect. 7. ait, ideo verbum non perfici per vnionem, quia est ens completum. Non acquiesco, tum quia partes continui sunt entia completa; & tamen perficiuntur per vnionem, per quam vna pars non est intrinsecè in alia, vt in subiecto. Ergo ex eo præcisè, quòd verbum est ens completum, non rectè deducitur,

non perfici per vnionem, etsi rectè dicatur, vnionem, & humanitatem non esse intrinsecè in verbo vt in subiecto. Tum quia licet ens completum non posset perfici per vnionẽ ad aliud, cur non poterit deteriorari? Dicat ergo Eminentissimus Cardinalis, cur verbum non deterioratur physicè per vnionem; vti intellectus creatus per actum erroneum, & voluntas per peccaminosum, præsertim si huic sit essentialis malitia, seu cur verbum per vnionem non afficitur malè, & disconuenienter? Nam enti completo non repugnat affici malè, & disconueniẽter. Tum quia duæ naturæ in se completæ possunt vniri physicè, etsi non constituerent vnum per se, & tunc mutuò se perficerent, haud secus ac se perficiunt duæ partes integrantes. Potest etiam natura in se completa substantialiter, vti est Angelica, vniri physicè cum aliquo accidenti, & ab eo perfici: Cur ergo similiter non poterit Deus perfici per aliquod accidens creatum sibi vnitum: maximè in eorum sententia, qui iudicent accidens terminari posse à verbo diuino immediatè? Tum quia si Deus ob rationem præcisè entis completi substantialiter nequit per vnionem cum humanitate perfici, erit æquè imperfectibilis per vnionem cum eadem Angelus completus substantialiter in esse naturæ, & subsistentis. Id autem videtur, siquidem Deo debeat competere posteriori iure, & meritò, ne per vnionem cum humanitate queat perfici. Tum denique, quia alioqui etsi verbum causaret materialiter vnionem, eamque reciperet, non ideo perficeretur, aut deprauaretur per eam. Si respondeat, non posse causare materialiter, neque recipere vnionem. Ita quidem est. Sed huius rationem exigo; quæ non est, quia verbum est ens completum in se. Etenim non repugnat, ens completum causare materialiter, ac recipere. Ideo ergo non perficitur, nec deterioratur verbum per vnionem quia est simpliciter infinitè perfectum in omni genere: & ob hanc eandem rationem non potest absolutè causare materialiter, recipereque vnionem, vt dicebam in n. 57. si causalitas materialiter, & receptio arguat, vt reuera arguit, perfectibilitatem in causante, & recipiente.

62 Modernus quidam Theologus accedens partim ad discursum Cardinalis de Lugo inquit, ideo verbum non perfici per vnionẽ, quia non est de intrinseco eius complemento esse vnitũ, ad naturã realiter distinctã. Rogatus verò, an si Deus per impossibile denominaretur cognoscens aut volens per cognitionẽ, aut volitionẽ creatam, sibi vnitã, perficeretur per eam? Respõdet, perficiendũ vtiq; quia est de intrinseco Dei cõplemento esse cognoscentẽ, & volentem; quapropter haberet in eo casu aliunde complementum, quod esse postulat sibi identificatum. Fateor, & ego tunc perficiendum, vel deturpandum, quia non posset intelligere, aut velle per cognitionem, aut volitionem distinctam realiter à se nisi eam causaret materialiter, aut saltẽ reciperet: cognitio namque, aut volitio, nisi sit ab intrinseco per identitatem, debet esse ab intrinseco per actionem physicam immanentem, aut saltem per receptionem. Hæc ratio efficax est, etiã si fingeretur, Deum ab æterno cognoscere, aut velle per cognitionem, aut volitionem creatam; si vero fingeretur contingere vnum aut alterum in tempore, manifestissimum foret ipsis etiam bardis, crassoque sub aëre natis, Deum mutandum, & meliorandum, vel deteriorandum, siquidem haberet se intrinsecè benè, vel malè aliter, ac anteà. Videatur S. Thomas 1. p. q. 14. art. 15. q. 19. art. 7. quibus in locis probat, Deum non posse incipere cognoscere & velle per intellectionem, & amorem etiam increatum, quia alioqui mutaretur, neque item posse desinere ob idem inconueniens. Disparitas tamen à Moderno allata displicet mihi, quia licet sit de complemento Dei esse cognoscentem; sed non per cognitionem creatam realiter distinctam ab eius intellectu. Sic licet sit de complemento deitatis habere subsistentias relatiuas increatas, non tamen esse vnitam creatis personalitatibus. Ergo ex ea disparitate non euincitur, Deum perficiendum per cognitionem creatam. Addo contra Lugum, & modernum assecIam, esse quidem certissimum, verbum non perfici per vnionem, & existere in se cõpletum per naturam diuinam, sed tamen prout terminat naturam humanam contendi posse, an sit completum terminat namque secundùm subsistentiam, quæ vt sic est incompleta. Ita loquitur Arriaga d. 5. Physicorum sect. 1. n. 6. & Meratius d. 13. de Incarnat. sect. 3. scribit; verbum, quia ex se non est homo, quasi compleri in ratione hominis per humanitatem sibi vnitam. Martinonus etiam tom. 4. d. 1. sect. 4. n. 32. non refugit dicere, verbum non esse completum in aliquo genere entis per se, nimirũ in esse hominis, aut humanitatis, neq; supponi in isto genere completum, & integrum, sed potiùs esse in potentia ad complementum, idest adhoc, vt in esse hominis integretur, & compleatur per aliquid aliud, nempe per humanitatem. Videturq; id dicendum, nam alioqui ex verbo, & humanitate non componeretur vnum ens per se, vt enim hoc nequit componi ex duobus entibus completis, sic neque ex vno completo, & altero incompleto, aliter namque posset resultare ens vnum per se ex Angelo, & animo rationali vnitis, necnon ex materia prima, atque ex eodemmet Angelo; illa quidem vt subiecto, & hoc vt actu informante: quod vtrumque abhorrens est, & secundum redarguitur fortiter à Doctore subtili q. 9. quodlibetica. Præuidit rationẽ hanc dubitandi Franciscus Amicus tomo de Incarnatione d. 1. sect. 4. n. 129. nec plenè soluit. Sed siue verbum dicendum sit in aliquo sensu incompletum, siue non, vrget semper difficultas, cur si potest vniri humanitati, quæ est perfectio, nequeat per eam perfici? Cui difficultati pro præsenti instituto sat laboris impendimus, remissis aliis in tractatum de Incarnatione.

63 Ex quatuor præmissis infertur primò, difficultatem termini purè intrinseci motam, quem non debere, ne in sola materia, aut sola forma subiectet vnionem. Secundò, perfectionem, quam materia, & forma participant mutuò ex vnione, non esse sufficiens fundamentum ad asserendum sustentari ab eis vnionem, imò neque recipi. Tertiò, Petrum Hurtadum immeritò designasse vnius subiectum vnionis materiam, alterius formam; eo quòd hoc non perficeretur per illam, nisi reciperet vnionem, nec è conuerso. Quartò, posse optimè perfici adinuicem materiam, & formam, quin vnio adhæreat vtrique, imò neque vni earum.

Nostra sententia.

64 Sit pro ea primum assertum, vnio recipitur in materia, & forma. Probatur, vnio est forma modalis intrinseca materiæ, & formæ. Ergo recipitur in materia, & forma. Consequentia ostenditur, forma intrinseca modalis, debet recipi in entitatibus absolutis, quarum est informatio actualis; aliàs non esset ratio cur formæ absolutæ, siue

siue substantiales, siue accidentales debeant habere subiecta receptionis. Ergo, si probetur, vnionem esse formam intrinsecam materiæ, & formæ, fiet exinde debere in vtraque recipi. Probatur itaque antecedens, vnio est entitas exigens in intimis esse materiæ, & formæ, aliunde materia, & forma sunt entitates incompletæ respectu vnionis, per quam perficiuntur. Ergo vnio ipsarum forma intrinseca. Prima antecedentis pars est manifesta; Secunda constat ex præmisso secundo. Consequentia claret ex definitione formæ intrinsecæ, videlicet, *quæ ex se apta est, & ordinata ad vnionem intimam cum altero complebili prauio.* Hinc animus rationalis est forma intrinseca corporis, quia ex natura sua ordinatur ad intimam vnionem cum corpore complebili per ipsum. E regione verò verbum diuinum non est intrinseca forma humanitatis, quia non ordinatur ad vnionem cum ea. Neque vnio est forma verbi, quia etsi ordinetur ad illud, non tamẽ vt ad quid cõplebile, & perfectibile per ipsam. Dices, formã intrinsecã esse contentã subiecto adhæsionis, proindeq; vnionem recipiendam fore in materia, adhæsuram formæ. Contra primò, quia subiectum adhæsionis multorum impetus in se habet, nec de antiquitate gloriatur; quippè à nuperis inuentum est, vt accidentalem modum creationis alicui basi superimponant. Vnde qui modum productionum substantiæ censent esse substantialem, non curant de subiecto adhæsionis respectu modi creatiui substantiæ. Et cum vnio materiæ & formæ sit modus substantialis, attribuendũ est ipsi multò minus subiectũ adhæsionis. Secundò, quia liberum tibi posthac erit, & materiæ denegare munus subiecti receptiui vnionis. Tertiò, quia subiectum adhæsionis afficitur etiam intrinsecè à forma adhærente ei, solùmque differt à subiecto receptionis, quatenus hoc procedit pro priori, formam vt causa, vel conditio ad eam. illud autem subsequitur pro posteriori cum dependentia essentiali formæ ab ipso. Ad intentum autem præsens sufficit mihi, obtinuisse, formam affici intrinsecè ab vnione, & respectu huius illam non esse terminum purè intrinsecum.

65 Secundum assertum esto; vnio sustentatur à materia, & forma. Probatur, vnio materiæ, & formæ dependet ab vtralibet, vt à subiecto intrinsecè affecto per illam. Ergo vt à subiecto sustentante. Antecedens liquet ex primo asserto. Consequentia ex sect. 5. exercitationis præcedentis. Etenim formam aliquam sustentari, educique, nihil aliud est ex natura rei, quàm fieri dependenter à subiecto intrinsecè affecto; quo sine nequit naturaliter conseruari. Sed vnio inter materiam, & formam fit dependenter ab vtraque vt subiecto intrinsecè affecto, ita vt neque diuinitus queat sine illis conseruari. Ergo sustentatur à materia, & forma, educiturque ex potentia vtriusque, saltem cum producitur secundùm naturæ leges. Non tibi proderit si dicas, vt forma aliqua educatur ex potentia subiecti, opus esse dependentiã ab illo pro priori; vnionem autem licet dependeat pro priori à materia, non tamen à forma, quin ab hac depẽdere vt à subiecto pro posteriori subsequuto. Non, inquam, proderit primò, quia non est, cur potiùs dependeat vnio à forma, vt pro posteriori subsecuta, quam à materia; proindeque dicas, neque ab hac sustentari. Secundò, cum vnio distinguatur ab actione eductiua formæ materialis, & à creatiua formæ rationalis; non est, cur vtraque hæc forma subsequatur pro posteriori vt subiectum, cui adhæreat vnio. Creationis autem modus accidentalis, ideo secundùm ipsius patronos adhæret rei creatæ vt subiecto subsequuto pro posteriori, quia est actio productiua illius. Et id mihi est difficile: subiectum enim, qua tale est, debet præcedere aliquatenus formam in ipso existentem, estò eam non causet. Vnde si modus creatiuus vniatur intrinsecè cum re creata vt subiecto, vti clarè profitetur Arriaga d. 9. Physicorum n. 58. cum tamen obscurè insinuasset d. 2. n. 25. neque absolutè, neque ex principiis huius authoris percipio: quippe subiectum vt tale debet præcedere formam sibi intrinsecam, statuente eodem Arriaga, tum d. illa 2. n. 23. tum d. 4. n. 104. statuente, inquam, generaliter, quamuis posteà in num. 25. disp. illius 2. exceptionem tentet, quoad subiectum adhæsionis ob solicitudinem, quam sæpe habet de creationis modo accidentali.

66 Hinc gradum facio ad non spernendam asserti confirmationem. Non solùm materia, sed etiam forma præcedit aliquatenus, quin & pro priori vnionem, qua copulantur. Ergo nihil deest formæ, vt sit subiectum sustentatiuum vnionis, sine ipsa vt subiecto non valentis conseruari. Antecedens probatur primò, cum homo nutritur, forma rationalis præcedit pro naturæ signo priori vnionem ad nouas partes materiæ vt causa efficiens illius; sic enim *necesse est, vt causa efficiens ea, quæ fiunt antecedat*, docente Athenagora in legatione pro Christianis. Ergo præcedit etiam simul cum subiecto sustentatiuo. Quod quidem est euidens, si cum communi sententia admittatur causalitas materialis, eaque indistincta ab effectiua; nam formæ rationalis prioritas ad causalitatem effectiuam vnionis, vel ad ipsam vnionem vt effectionem sui, non potest non esse prioritas ad causalitatem materialem vnionis, vel ad ipsam vnionem vt causalitatem materialem sui. Iam verò si rationalis forma simul cum subiecto sustentatiuo prior est naturâ, quam vnio, quidni etiam & ipsa subiectum sit sustentatiuum? Quicquid de hoc sit, forma rationalis præcedit vnionem ad nouas partes materiæ vt entitas perfectibilis per vnionem. Ergo præcedit vt subiectum, & non præcisè vt causa efficiens; quæ etsi admittatur debere esse actionis subiectum (loquor de efficiente creata) tamen vt præcisè efficiens, non debet admitti, esse subiectum vnionis. Deinde forma rationalis præcedit vt subiectum vnionis non valentis conseruari sine ipsa. Ergo præcedit vt subiectum sustentatiuum. Elucidari potest id exenplo omnium aliorum subiectorum, quæ siue modos, siue res absolutas censentur effectiuè producere, & sustentare simul. Idem antecedens probatur secundò, si sola materia præcederet pro priori vnionem, hæc intelligeretur pro aliquo signo, ad quod non præintelligeretur forma. Ast repugnat, vnionem inter extrema distincta, ac mutuò separabilia intelligi pro aliquo signo, ad quod non præintelligantur ipsa extrema vti enim vbicatio distincta à corpore, & loco est nexus ipsorum coexistentium secundùm spatium, ita vnio est nexus extremorum coëxistentium in vno per se. Ergo sicut nequit vbicatio intelligi pro vllo signo, ad quod non præintelligantur corpus, & locus: ita, &c.

67 Præter obiecta supra contra nostram sententiam adiiciet aliquis id, quod nos ipsi non improbauimus in n. 21. Videlicet vnionẽ continuatiuã posse esse talis conditionis, vt existens in spatio medio

inter

inter partes vnitas, respiciat has vt terminos purè intrinsecos: Adiiciet etiam id, quod indicauimus in n. 58. nimirùm compositum substantiale constans duplici parte, quarum neutra sit materia, nec forma, posse habere vnionem, respectu cuius duplex illa pars sit purè terminus intrinsecus. Respondetur, vnionem illam continuatiuam non fore formam intrinsecam partium vnitarum ob impenetrabilitatem cum ipsis seu quia intima ipsis esse non possit. Vnde argumentum pro vnione informatiua confectum integras suas retinet vires, vt de ea specialiter probetur recipi debere in materia, & forma. Quoad vnionem aliam memorati compositi substantialis, dicendum est militare peculiarem rationem, ne in vlla parte cōpositi recipiatur; quia scilicet neutra pars est materia, aut forma: quare sicut vna non præsupponitur ad alteram partem; ita neutra præsupponetur ad vnionem; proindeque neutra erit huius subiectum receptiuum, nec sustentatiuum. Quæ ratio, si non placeat, non recusabo admittere receptionem & sustentationem huius vnionis in vtraque parte; nec ideo inutile euadet argumentum deductum ex præfato composito: satis namque est ad intentum n. 58. quòd duæ partes se mutuò perficiant, quin vna recipiatur in alia.

SECTIO IV.

An vnio Empyrea distincta sit ab actione generatiua, seu eductiua formæ?

68 DIstinctam esse sentio cum Petro Hurtado d. 5. Physicorum sect. 2. & 3. Gaspare Hurtado d. 2. de Incarnatione difficultate 8. & d. 4. difficultate 6. Arriaga d. 4. Physicorum sect. 3. Hemelman in disputatis ad 1. p. tit. & d. 11. c. 2. n. 6. Ouiedo controu. 4. Physicorum puncto 1. §. 3. n. 15. Francisco Alphonso d. 5. Physicorum, sect. 2. à n. 24. & d. 13. sect. 8. Bartholomæo Amico tract. 6. Physicorum, q. 4. dub. 2. tract. 10. q. 4. dub. 2. art. 3. dub. etiam 2. & tract. 11. q. 10. dub. 2. art. 3. Ioanne Gonzalio Martinio lib. 1. Physicorum pag. 91. qui alios citant. Addo Martinonum tom. 4. d. 5. sect. 1. n. 8. & 9. asserentem, actionem eductiuam formę esse diuersam, & naturâ priorem eiusdem vnione cum materia, Durandum in 2. dist. 1. q. 4. n. 39. vbi ait; *omnem formam à quocumque productam prius ordine natura esse aliquid in se, quàm vnitam materia, quamuis simul sint secundum tempus.* Addo etiam Niphum apud Alphonsum.

Exarmantur complurium argumenta pro distinctione.

69 FAmiliaria hæc sunt. Primum, vnio materiæ, & formæ debet esse substantialis. Sed si indistincta sit ab actione generatiua, erit accidentalis, cum omnis actio sit accidens. Responderi potest, actionem pertinentem ad essentiam compositi substantialis esse substantialem, eo quòd constituat intrinsecè compositum substantiale, intendaturque propter illud: talemque esse actionem generatiuam formæ substantialis ex materia, vtpotè constitutiuam intrinsecè substantialis cōpositi, quà est vnio materiæ, & formæ. Vnde etsi aliæ meræ actiones sint accidentia; secus hæc. Neque apud omnes constat, actiones productiuas substantiarum quarumcumque esse accidentia. Imò si vnio formæ substantialis cum materia debet esse substantia, non sine negotio explicabitur, cur eductio ex eadem non debeat etiam esse substantia. Aduerte, enerue esse hoc argumentum pro distinctione vnionis ab actione eductiua formæ accidentalis.

70 Secundum, vnio est complementum materiæ, & formæ, seu est id, quo vna alteram complet reciprocè. Ergo debet vtramque supponere in suo esse productam; haud secus ac subsistentia, quia est complementum substantiæ, supponit ipsam productam. Et complementum quidem videtur debere subsequi rem, quam complet. Dici potest, necesse non esse, vt complementum supponat in aliqua prioritate rem, quam cōplet, sed sufficere, si producendo compleat, & complendo producat. Sic respondet Bernal. d. 12. de Incarnat. sect. 2. §. 3. n. 33. censens, productionem substantialem Angeli esse subsistentiam termini producti. Non sunt abs re exempla materiæ, & modi creatiui: illa vt distincta ab vnione complet formam; quin productam supponat, hic etiam est complementum rei pro posteriori subsequutæ. Sed & de omni actione contendit Tellez p. 2. Philosophiæ d. 63. sect. 4. n. 10. esse complementum termini causati.

71 Tertium, si actio eductiua identificetur vnioni, fore, vt non possit Deus eundem effectum se solo conseruare, quem simul cum causis creatis produxit. Nam cum vnio sit de essentia ignis, diuersus hic esset, si à solo Deo conseruaretur; quippe actio eductiua deberet esse diuersa. Responderi potest primò, satis esse, si Deus valeat conseruare eundem numero effectum, quoad eius principaliora constitutiua, qualia sunt in composito substantiali materia, & forma. Quòd si Deus se solo non potest cōseruare entitates modales pēdentes essentialiter à causis secundis, mirum non est, si nequeat se solo conseruare idem numericè compositum substantiale constitutum essentialiter ex entitate modali vnionis, quæ, vt est actio, pendeat essentialiter à causa secūda, à qua, simulque à Deo est primò producta. Secundò, fore, vt valeret Deus se solo conseruare idem numero compositum ignis ob illicò dicenda.

72 Quartum, ignis *A*, productus ab igne *B*. perseuerat idem numero in absentia ignis *B*. cum tamen non perseueret eadem numero actio, si Deus se solo illum conseruet. Ergo actio eductiua formæ igneæ distinguitur ab vnione ipsius ad materiam: alioqui variata actione, variaretur vnio; proindeque compositum ignis: quin & hoc esset specie diuersum à composito producto ab igne *B*. cum actio eductiua orta à Deo sit specie diuersa. Ex quo fieret, Christum Dominum natum diuersum fuisse specificè à se ipso vt concepto ex Virgine Matre. Responderi potest primò, vnionē hanc numero non pertinere ad essentiam huius numero compositi, neque hanc vnionem in specie ad essentiam huius cōpositi in specie. Sic sentit S. Thom. in 4. dist. 44. art. 1. q. 2. ad 2. & 3. p. q. 79. art 2. ad 2. rursus quæ in compendio Theologiæ seu opusculo 2 cap. 154. quem referunt, & sequuntur Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 14. sect. 12. n. 86. Suarez tom. 2. in 3. p. d. 44. sect. & dub. 2. ac in Metaphysica d. 5. sect. 6. n. 16. vbi tamen ad perfectam vnitatem huius numero compositi exigit hanc numero vnionem; addens, non esse vnionem ita necessariam ac materiam, & formam: in quo suffragatur ei Auersa q. 11. Dialectica sect. 5. §. *Dico secundo.*

Nec

Nec oblitus est sui P. Suarez in ea d.44. vt obiicit Ægidius Lusitanus tomo 3. de beatitudine lib. 2. quæst. 5. art. 2. §. 1. num. 2. quia in anteriori d. 38. sect. 2. v. *Hinc sequitur*, dixerat, vnionem corporis, & animæ esse de essentia humanitatis. Non, inquam, oblitus est sui, quin potiùs memoriæ, ac doctrinæ constantiā seruat & Ægidius Lusitanus non penetrauit altum Suarij sensum. Franciscus Alphonsus, etsi d. 6. Physicorum sect. 3. n. 25. scribat, se credere, hanc numero vnionem requiri determinatè ad hoc indiuiduum compositum, tamen paulò antea scripserat, incertum sibi esse; adducitque similitudinem ex supposito, quod non requirit hanc naturam determinatam, sed hanc, vel illam vagè, cum tamen constituatur ex natura substantiali & subsistentia. Fauet apertissimè & indubitanter Murcia lib. 1. Physicorum d. 7. quæst. 1. vtens similitudine ex continuo, cui tam essentialis est continuatiua vnio, ac composito: si verò Deus ab vlna demat punctum, quo duæ medietates vniuntur, & aliud substituat, eadem numero vna maneret. Nisse in resolutione Thologorum tract. 7. p. 1. portione 4. quæst. 1. ad 4. fatetur, redire posse idem compositum, non redeunte eadem vnione partiū; licet postea dicat, verius esse, quod in resurrectione generali hominum redeat eadem vnio cum sit necessariò requisita ad entitatem totalem. Ergo, quamuis sentiam, hanc numero materiam, & formam pertinere ad essentiam huius indiuidui compositi, quia de facto *Petrus*, seu *hic homo* ex communi Philosophorum acceptione significat explicitè hanc numero materiam, & formam: aliter iudicio de vnione, eo quòd *Petrus*, seu *hic homo* non significet explicitè hanc numero vnionem; si attendatur Philosophorum consensui. Discordiæ occasio fuit, materiam, & formam constituere compositum vt partes illius, non sic vnionem. Quam etiam ob causam, materia, & forma recensetur communiter inter naturas, non sic vnio substantialis, vt nec subsistentia. Si tamen res metaphysicè tantum consideretur, puto, dummodò forma hæc determinatè requiratur, posse adhoc numero compositum exigi vagè hanc, vel illam materiam, & è conuerso. Deliberatæ opinionis fusior declaratio exorbitat à præsenti instituto. Sed non omittam, ad hoc numero corpus requiri vagè formam cadauericam, vel vitalem penes grauissimos Theologos, præcipuè Vasquium tom. 3. in 3. p. d. 186. cap. 3. & iuxta non paucos Philosophos, ad indiuiduam cathedram opus esse hac, vel illa vbicatione, ad hunc numero locum realem extrinsecum hac, vel illa superficie, tandem ad hoc numero tempus reale extrinsecum, seu ad hunc numero diem hoc, vel illo motu. In diuinis *hic numero* Deus cōstituitur vagè vna ex tribus personalitatibus. Non ergo mirum sit, si *Petrum*, seu *hunc numero hominem* dicamus constitui ex hac, vel illa vnione; & hoc numero compositum igneum ex vna, vel alia vnione; adhucque idem numericè perseuerare, etsi vni vnioni succedat alia quæ distincta etiam esset specificè. Et quidem si subsistentia specificè diuersa non reddit hominem diuersum specificè, vt patet in Cristo Domino, cuius subsistentia est specificè diuersa à nostra, quin tamen sit homo diuersus specificè à nobis, ita neque vnio specificè diuersa faciet, vt compositum sit diuersum specificè; non enim magis videtur requiri ad vnitatem naturæ compositæ vnitas vnionis, quàm ad vnitatem naturæ subsistentis vnitas subsistentiæ. Potest etiam ex subsistentiæ diuinæ ad naturam humanam vnione distincta specificè ab vnione meæ subsistētiæ desumi simile argumentum. Hinc multi, etsi concedant, distingui specificè vnionem meæ animæ rationalis ad corpus ab vnione animæ Petri; quia magis distinguitur illa vnio ab hac, quàm ab alia possibili inter meam animam, & corpus; quæ maior distinctio videtur esse specifica, & non merè numerica: nihilominus non inde se in eas angustias abripi dolent, vt nolentes cogantur admittere distinctionem specificam mei à Petro.

73 Responderi potest secundò deglutiendo variationes illas. Sic Bernal. dict. 12. de Incarnatione sect. 1. §. 2. n. 19. vbi conatur, duplo maiorem variationem sequi in aduersariorum sententia, cum debeant, quando conseruetur ignis *A* solùm à Deo, aduenire duæ nouæ eductiones, alia vnionis, alia formæ. Cæterùm aduersarij non impugnant mutationem vtcumque subiecti, sed compositi. Quare non benè Bernal. retorquet argumentum in illos. Quod additur de diuersitate specifica Christi vt nati à se ipso vt concepto ex Virgine Matre, soluitur facilè, si Virgo Mater non concurrerit actiuè in generationem humanam Christi, tunc enim eductio vnionis animæ Christi cum corpore perseueraret eadem in conceptione, ac in natiuitate; siquidem eius vnica, & adæquata causa efficiens fuisset solus Deus. Nemo autem non scit, quàm probabile sit, matres non cōcurrere actiuè in generationē prolis. Deinde non videtur absurdum, si Crhistus vt natus fuerit specie, non quidem morali, sed physica, vel saltem logica diuersus à se ipso vt concepto, non secus ac vt iuuenis fuit sic diuersus ob variationem materiæ, & vnionis à se ipso vt puero. Dixi *specie non quidem morali*; nam specie hac idem conceptus, & natus, puer, & iuuenis habendus est, licet realiter varietur vnio, imò & materia, ex qua principalius constituitur natura humana. Addidi, *sed physica, vel saltem logica*, quoniam variatio vnionis si ostendit diuersitatem in vna ex his speciebus, fortè non nisi in loca, quatenus vna vnio ab altera distinguatur plus quàm numero penes considerationem logicam, non autem penes philosophicam.

74 Quintum, generatio hominis distinguitur ab vnione. Ergo & generatio aliorum compositorum purè materialium. Antecedens probatur, generatio hominis non respicit animum rationalem vt terminum. Ergo vnionem, cum non possit carere termino, & alius nequeat assignari. Ergo generatio hominis distinguitur ab vnione: alioqui ipsa generatio esset terminus sui ipsius. Quòd si in homine generatio distinguitur ab vnione, quid ni in aliis compositis, in quibus generatio non teminatur ad formam tantùm, sed ad formam vt vnitam? Dici valet, verum quidem esse generationem compositi humani distingui ab vnione; non verò aliorum compositorum, cum in illis forma materialis sit aptus terminus generationis, secus in homine forma spiritualis rationalis. Iuxta hanc solutionem Christus Dominus vt natus non erit diuersus specificè à se ipso, vt concepto ex Virgine Matre, vt opponebatur in quarto argumento; nam perseuerare poterit eadem vnio in Christo nato etiamsi specificè varietur actio generatiua vnionis. Secundò dici valet, in hominem vnionem materiæ ad formam producere se vt quòd, quin egeat alio termino, cum sit determinata per se ipsam vt oriatur ab hoc agente. Quare vel non erit, quatenus actio,

actio, relatio transcendentalis ad terminum productum, vel erit ad terminum indistinctum à se, & distinctum à fundamento; quod ad relationem transcendentalem satis esse aiunt plures, & nos insinuauimus in n.22.

75 Sextum, vnio debet vniri extremo vtrique vnito. Ast eductiua actio formæ materialis vnitur huic soli. Ergo distinguitur ab vnione. Respondetur, tum negando maiorem, tum minorem, adhuc concessa maiori. Etenim actio eductiua vnitur passo vt subiecto, siue prætereà vniatur formæ eductæ vt termino, siue non. Septimum, in nutritione formæ viuentium materialium producunt vnionem sui cum materia de nouo acquisita; sed non producunt se ipsas. Ergo vnio, quam producunt, non est eductio ipsarum: quare vnio talium formarum distinguetur ab earum eductione. Negabitur Minor, si formæ materialium viuentium sint diuisibiles, in qua sententia apud me verissima partes vnitæ ad materiam comparatam per nutritionem producentur ab aliis partibus præexistentibus. Si verò sint indiuisibiles illæ formæ, discurri potest, vt in mutatione hominis, quatenus ob specialem rationem admirratur actionem nutritiuam animalis tam rationalis, quàm irrationalis distinctam esse ab vnione formarum ad nouas partes materiæ, vel quatenus dicatur, eam actionem indistinctam esse ab vnione, & carere termino distincto, quem producat.

76 Octauum productio eductiua vnionis distinguitur ab vnione. Ergo à fortiori productio eductiua formæ materialis. Antecedens suadetur, primò, quia eductio singulis instantibus variatur, cum per Cardinalem de Lugo d.19. de Incarnatione sect.1. n.20. recentioresque alios omnis actio sit indistincta à duratione; vnio autem non variatur singulis instantibus; quod de Hypostatica videtur certum. Secundò, quia productio eductiua vbicationis distinguitur ab ipsa, tum quia vbicatio non est essentialis determinatio, & formalis ratio vt subiectū producatur, sed vt sit in loco; nihil ergo obstat, ne ipsa indigeat actione distincta eductiua, per quam fiat: tum quia emanat efficienter ab impulsu, quando corpus proiicitur; quare cum perseueret vbicatio deficiente impulsu, fit exinde, illam non esse eductionem sui. Ergo neque vnio erit eductio sui. Tertiò, quia non est, cur actio transcendat omnes modos: si verò transcenderet modum vnionis, eodem pacto transcenderet reliquos. Quartò, quia non est potior ratio, vt vnio sit actio sui eductiua, quàm vt sit sui vbicatio, aut sui duratio; neque item est potior ratio, vt vnio varietur pro varietate suæ eductionis, quam pro vietate suæ vbicationis, aut durationis. Responderi potest negando primæ probationi, actionem identificari durationi. Quòd si cum Aureolo in 4. dist45. art.4. ad 2. & Rubio lib.2. de generatione tract. de reproductione rerū quæst.1. num.24. quæst.3. num.40. non censetur absurda variatio actionis in singulis instantibus, cur sic abhorretur variatio vnionis? De incorruptibilitate Hypostaticæ videndi sunt Theologi maximè Bernal d. 20. de Incarnatione sect.1. à num.3. Et quidem vnio Hypostatica ad vnionem animæ, & corporis, & ad materiam, vnionemque continuatiuam partium materiæ est existimanda corruptibilis. De vnione ad animam non auderem id dicere; tametsi Concilia & Patres, dum aiunt, verbum vnitum fuisse immutabiliter, interpretatione non careant, scilicet verbum vnitum fuisse per vnionem, qua non immutaretur, vel cum decreto nunquam dimittendi illam numero animam & specificam materiam, &, præter quàm in triduo mortis, specificam vtriusque vnionem. Sed quamuis vnio cuiusuis compositi transiens, ac successiua esset, non idcirco compositum foret diuersum numero, si doctrinæ, quæ in num. 27. est indicata, applaudatur. Secundæ probationi responderi potest, vbicationem non esse quidem productionem subiecti, sed sui, & deficiente impulsu, produci à corpore quiescente nouam vbicationem, si hæc sit forma modalis, vti est vnio. Ad tertiam probationem dicetur, omnē modum educibilem esse eductionem sui, & vnionem, quia nullus potest existere, quin sit eductus, & vnitus subiecto, cuius est modus. Ad quartam probationem dicetur, ideo vnionem non esse sui vbicationem, aut durationem; quia alioqui toties variaretur vnio, quoties extrema vnita transirent ex vno spatio, aut instanti ad aliud. Si replices, inconueniens etiam esse variari toties, quoties variatur actio eductiua. Respondebitur, variationem actionis eductiuæ non esse tam frequentem; & prætereà argumenta, quibus probatur identitas vnionis cum eductione, sui conuincere diuersitatem vnionis pro diuersitate eductionis, cum tamen nulla sint argumenta, ex quibus suspicari liceat identitatem vnionis, & vbicationis, aut durationis.

77 Nonum, eductio vnionis ex materia non est vnio; alioqui vnionis daretur vnio; quæ non est minus absurda, quàm actionis actio, & vbicationis vbicatio. Ergo à fortiori eductio formæ materialis ex materia non erit vnio. Dicetur, eductionē vnionis ex materia esse ipsammet vnionem & inconueniens fore, si vnionis daretur vnio distincta, vt & actionis distincta actio, & vbicationis distincta vbicatio; non autem si vnio materiæ & formæ sit vnio sui ipsius ad vtramque, quæ est eductio sui ex materia. Sic actio est productio sui vt quo, & termini distincti vt quòd: sic vbicatio est sui vt quo præsentia in spatio, & corporis, aut spiritus vt quòd. Vrgebis, si vnio sit eductio sui, non poterit creari, nec produci per vnam causam, & conseruari per aliam; neque item poterit conseruari à solo Deo, siue per generationem, siue per creationem illud compositum, cuius vnio à Deo, & causa secunda fuisset educta, seu generata. Concedet hæc omnia, qui vnionis identitatem cum sui eductione defenset. Vrgebis iterùm, si vnio formæ materialis esset productio eductiua sui respiceret, quā est vnio, causam productiuam sui; sed vnio vt talis debet solummodo respicere extrema, quorum est nexus. Friuolum argumentum, nam nec tu ipse negabis, vnionem per modum termini respicere causam aliquam, à qua producatur per actionem distinctam. Si respicit, vt vnio est, patere, vt idem dicat Aduersarius: si verò respicit tantùm realiter, & non sub conceptu præciso, & imperfecto vnionis, dicet similiter Aduersarius, vnionem, quæ est actio eductiua sui, respicere causam productiuam, non quidem sub conceptu vnionis, sed actionis, eductiuæ; sicut è contra sub conceptu vnionis, sed non actionis eductiuæ est de essentia compositi generati. Premes rursus, vnio compositi permanentis non est essentialiter successiua. At huius esset conditionis, si identificaretur actioni eductiuæ sui, quia actio eductiua terminatur non solum ad essentiam vnionis; sed etiam ad existentiam, quæ

quæ est duratio essentialiter successiua: quare fluente duratione vnionis, flueret essentialiter actio eductiua terminata ad ipsam durationem; & proinde vnio identificata cum actione eductiua. Ita ex Neotherico quodam, qui perperam tradit, existentiam vnionis esse eius durationem seorsim ab instanti coexistenti, vel ab aliqua alia entitate superaddita. Præterea successio vnionum in composito non faceret ipsum fluens, vt colligitur ex prima responsione ad quartum argumentum in n. 72. Neque apparet, vnde specialiter probetur isto argumento, actionem eductiuam vnionis distingui ab vnione; nam si præterlabente existentia permanet vnio secundùm essentiam actualem, permanebit etiam actio eductiua indistincta ab vnione. Sed & admisso, actionem eductiuam nullatenus permansuram, recidit Neothericus in idem inconueniens; vt enim actio eductiua erit fluens obdurationis, ad quam terminatur, fluxum, sic vnio etsi distincta ab actione eductiua, erit essentialiter successiua; quia terminabitur ad existentias vnitorum extremorum præterlabentes. Ad hæc: qui compositum humanum labile & transiens adstruit ratione existentiarum corporis, & animæ, immeritò timet, ne titulo vnionis indistinctæ ab actione eductiua, parem subeat conditionem.

78 Decimum, non repugnat eductio, quæ recipiatur, vel in solo agente, vel in solo patiente, vel in vtroque, & non in termino educto; sed talis eductio non esset vnio termini educti, quandoquidem non esset vnio intrinseca sui cum termino educto, sed modus illi extrinsecus? & vnio debeat intrinsecè coniungi, ac vniri extremis vnitis. Ergo nõ repugnat eductio distincta ab vnone. Confirmatur, non inuoluit contradictionem entitas modalis indifferens ad varias causas efficientes; proindeque distincta à sui eductione; quæ non esset vnio eius entitatis modalis: quippe entitas modalis debeat vniri se ipsa, & vnionis vnio sit impossibilis; nam vnionis distinctæ necessitas cognita à Philosophis ex indifferentia extremorum ad vnionem, & carentiam vnionis inter se; quæ indifferentia, cum non detur in entitate modali, neque in vnione respectu rei, cuius est modus, & ad quam est vnio, sequitur, entitatem modalem debere se ipsa vniri rei, cuius est modus; impossibilemq; esse vnionem vnionis. Quapropter cócluditur, non repugnare, distinctionem inter entitatem modalem, & sui eductionem. Confirmatur deinde; possibilis est extremorum mutuò separabilium vnio, quæ vniat tantùm ea extrema, & distinguatur à sui eductione, imò de facto existit talis vnio, vt supra concessum est de vnione inter corpus, & animam rationalem, in prima solutione ad quintum argumentum n. 74. eademque est ratio de vnione humanitatis Christi Domini ad verbum diuinum. Et hinc, quicquid sit de distinctione, vel indistinctione vnionis, tam humanæ, quàm hypostaticæ à suis eductionibus, conficitur vndecimum argumentum, vnio humana, & Hypostatica non sunt productiones extremorum, quæ vniunt. Ergo similiter vniones compositorum coalescentium ex materia, & forma materiali non erunt productiones formæ materialis: nihil enim causæ est, vt hæ ab illis quo ad id discriminentur. Confirmatur, rationalis anima non respicit informationem, quæ sit productio ipsius animæ. Ergo nec aliæ formæ irrationales: æquum namque est, vt in omnibus formis similis sit potentia informatiua. Ad decimum respondebitur, tum negando Maiorem, quia repugnat eductio non recepta in passo; tum negando Minorem, quia eductio, respectu cuius terminus eductus haberet se vel tanquam subiectum adhæsionis, vel tanquam terminus purè intrinsecus, posset optimè esse vnio ipsius termini educti, vt liquet ex sectione superiori; etsi autem eductio reciperetur vel in solo agente, vel in solo patiente, vel in vtroque, haberet se terminus eductus vt subiectum adhæsionis, vel seu terminus purè intrinsecus respectu illius. Ad primam confirmationem, repugnare entitatem modalem producibilem iam ab vna, iam ab alia causa efficiente, vti repugnat vnio iam vni, iam alteri extremo vnibilis; & vti repugnat actio productiua iam huius, iam illius termini. Ad secundam probabiliter quidem dictum in n. 74. vnionem humanam distingui à sui eductione, ne hominis generatio careat termino distincto, quem producat. Quia verò generationes compositorum adæquatè materialium habent terminum distinctum, quem producant, ideo opus non est, vt distinguantur ab vnionibus nectentibus cum materia formas materiales generatas; imò impossibile erit distingui, iuxta mentem Authorum, quorum partes nunc agimus. Non absimiliter exhiberi potest discrimen quoad eductionem distinctam vnionis Hypostaticæ, Neque ideo dabitur vnionis vnio, sed vnionis actio eductiua. Præter quam quòd haudquaquam inconuenire videtur, si vnio duplici titulo vniatur, subiecto, videlicet & quà est forma educta, & quà est entitas modalis; ita vt ex primo titulo vniatur per eductionem, & ex secundo vniatur per se ipsam. Quòd si vnio creari queat, necessarium essentialiter non erit, vniri subiecto per eductionem; & ratione sui, seu quà est entitas modalis, non vnietur essentialiter subiecto vt sustentanti, sed præcise vt recipienti, aut vt termino purè intrinseco. Dicta contra geminam vnionem in sect. 1. non videntur aduersari iis, quæ nunc tentantur circa vnionem per se, & per eductionem vnitam extremo. Ad vndecimum respondebitur, vnionem corporis, & animæ rationalis (idem de vnione humanitatis Christianæ, & verbi diuini) non respicere formam eductam, vti respiciunt vniones aliorum compositorum; & idcirco mirum non esse si illa vnio non sit productio eductiua animæ rationalis, cum tamen vniones aliorum compositorum sint productiones eductiuæ formarum, ex quibus constant composita. Et hinc obuiam itur confirmationi. Etsi enim omnes formæ conueniant genericè in potentia informatiua, poterunt quæ per creationem producuntur, differre specificè ab iis, quæ per generationem, quatenus illæ dicant ordinem ad informationem, quæ non sit productio ipsarum, secus verò hæ.

79 Duodecimum, actio eductiua, seu generatiua distinguuntur à passione: sed vnio est indistincta à passione. Ergo vnio distinguitur ab actione eductiua, seu generatiua. Dicetur, falsam esse maiorem; quę si permittatur, restat adhuc controuersiæ locus, an videlicet vnio formæ eductæ sit indistincta, vel distincta à passione? Nam distinctam fore ab actione eductiua certo certius est, si actio eductiua distinguatur à passione. Decimum tertium, generatio formæ consistit formaliter in duplici actione, ex quibus vna terminetur ad solam entitatem formæ, altera ad eius vnionem cum materia, ita vt prior illa actio ratione huius posterioris, quæ est vnitio formæ, & generatio totius compositi, habeat esse generatiua, seu eductiua, licet ex se non sit magis eductiua, quàm creatiua, eo quòd non magis

magis dependētiam,quā independentiam formæ à materia requirat. At duplex ea actio distinguitur ab vnione. Ergo ab vnione distinguitur generatio formæ. Respondebitur, generationem formæ non consistere nisi in vnica actione, quæ producendo vniat,& vniendo producat formam. Et quamuis generatió formæ distingueretur ab eius vnione, dareturque actio terminata ad solam entitatem formæ, & quæ non esset vnio formæ cum materia, tamen ista actio deberet habere aliquid speciale intrinsecum,ratione cuius diuersificaretur à Creatiua;alioqui sicut dicitur euadere generatiua, seu eductiua ex adiuncta alia actioue terminata ad vnionem formæ materialis cum materia; ita actio producens animam rationalem euaderet generatiua,seu eductiua ex consortio actionis producentis vnionem animæ rationalis cum corpore. Si dicas,actionem terminatam solitariè, & præcisè ad formam materialem exigere naturaliter secundam aliam terminatam ad vnionem; ideoque ex eius consortio euadere generatiuam. Contra tum quia iam admittis,eam actionem habere aliquid speciale intrinsecum, ratione cuius diuersificetur à creatiua, nimirùm exigentiam naturalem coniunctionis ac actionem, quæ producat vnionem formæ materialis cum materia: tum quia actio producens animam rationalem in primo instanti postulat naturaliter ipsius vnionem ad corpus in eo primo instanti, proindeque & actionem terminatam ad vnionem: nec tamen actio illa euadit generatiua in primo instanti ex coniunctione cum hac alia. Vrgeo ampliùs actio ignis erga calorem secundùm se vel differt essentialiter à creatiua terminabili ad calorem eundem, vel non differt essentialiter?Si primum,obtinui intentum.Si secundum;ergo actio ignis erga calorem indifferens est,vt euadat creatiua,si non adiungatur ipsi alia actio erga vnionē caloris.Vnde fieret,ignem esse ex se indifferentem esse, vt generet,& creet calorem per eandem actionem indiuisibilem;quod vel per diuersas censetur communiter omnino impossibile, & saltem per eandem indiuisibilem sic censeri debet. Nam quicquid sit, an idem calor possit diuinitùs generari simul,& creari, certè actio generatiua nequit vllatenus transire in creatiuam,neque creatiua in generatiuam, & multo minus vna potest simul esse alia.Et ratio est, quia vt benè obseruat P.Franciscus Alfonsus d.15.Physicorum sect.5.n.35.actio generatiua est dependentia termini à subiecto,& creatiua est è contrario independentia, nequit autem dependentia vnius termini transire in independentiam eiusdem,& conuerso;nec præterea potest idem esse dependentia,& independentia,simul eiusdem termini à subiecto. Confirmatur,quia cum calor idem sit, siue generetur,siue creetur,& generari ipsum sit quid diuersum à creari,opus est hanc diuersitatem resultare ex actione generatiua, & creatiua.Si dicas, actioni ignis erga calorem non posse non adiungi actionem erga vnionem caloris; iam fateris, actionem ignis erga calorem differre essentialiter à creatina non exigente essentialiter consortium actionis erga vnionem sui termini; & licet actio creatiua animæ rationalis petat naturaliter vnionem huius cum corpore pro primo instanti, sed non pro sequentibus

80 Decimum quartum,causalitas materiæ in compositum non est eductio, aut passio formæ? sed vnio,vt videre est in composito humano.Rursus, causalitas materiæ erga formam materialem, non est vnio,sed eductio, aut passio formæ.Igitur vnio distinguitur realiter ab eductione, aut passione formæ.Dicetur, veram esse primam Antecedentis partem in composito humano,non autem in aliis, circa quæ causalitas materiæ, si forma generetur, erit realiter eductio formæ. Negabitur in secunda parte, causalitatem materiæ erga formam materialem non esse realiter vnionem. Quod verò prior causalitas sit formaliter vnio, & non eductio,posteriorque è contra se habeat, ostendit solummodò distinctionem per nostros conceptus inter vnionem,& eductionem formæ,vti quòd materia causet per passionem, non per actionem,viceque versa agens, est indicium solius distinctionis ratione nostra inter passionem,atque actionem. Decimum quintum.Si vnio sit eductio formæ materialis,non erit generata,sed generatio.Ergo ab ipsa compositum non denominabitur generatum. Respondebitur, vnionem & esse generationem terminatam ad formam, & simul esse generatam per se ipsam vt quo:ideoque compositum rectè posse ab ea denominari generatum, vt quod.Decimum sextum,si forma fiat per eductionem supernaturalem,quæ sit vnio constitutiua compositi,euadet hoc intrinsecè supernaturale. Videtur autem repugnare tale compositum ex materia,& forma substantiali naturali. Sed desiderabitur repugnantiæ ratio. Decimum septimum, vnio non potest antecedere formam; quam vnit,alioqui posset concipi essentia vnionis quin intelligeretur forma vnita. Ergo vnio nequit esse actio formæ eductiua; nam hæc debet pro aliquo naturæ priori signo præcedere suum terminum. Instabitur in actione quæ habet prioritatem respectu termini,sinequo vt succedente pro posteriori non potest cognosci ipsamet actio vt pro priori præcedens,quia formalis conceptus actionis importat de obliquo terminum vt conceptum. Quod idem de vnione responsum putetur. Hactenus de aliorum argumentis, & forte vsque ad fastidium.

Validiora alia afferuntur argumenta pro distinctione.

81 PRimum, vnio producta per generationem sustentatur à forma materiali Empyrea,vt firmatum manet in sectione anteriori. Ergo talis vnio nequit simul esse eductio ipsius formæ, aliter sequeretur mutua causalitas, aut saltem mutua prioritas. Secundum, reliqui modi præter actionem non agunt, nisi vt summùm suas proprietates, & passiones. Ego cum vnionem fuerint odorati Philosophi non ex necessitate agendi, sed nectendi extrema separabilia, dici debet satis vnioni factum,si nectat: imò supra eam fieri, si agat. Tertium,vbicatio;duratio, relatio sunt nexus extremorum coexistentium pro priori ad ipsos.Ergo similiter vnio. Rursus per vnionem fit vnum per se ex partibus distinctis. Ergo priùs supponi debent tales partes productæ siue per generationem,siue per creationem. Et cum materia prius supponatur producta per creationem, eadem est ratio,vt forma materialis prius supponatur producta per generationem. quippe vnio æquè essentialiter pendet ab vtraque, & æquè vtramque mutuò nectit.Nec videtur, cur potiùs generatio formæ materialis sit vnio quàm creatio materiæ, animæue, rationalis. Et qui dicunt variari toties vnionem formæ materialis, quoties variatur generatio eiusdem formæ,possent æquè dicere,variari toties creationem animæ rationalis, ita vt vna creatio succedat alteri

alteri, quoties variatur vnio animæ rationalis cum corpore. Idem de variatione creationis materiæ, quoties variantur vniones cum forma rationali, aut irrationali. Confirmatur, eductio formæ præcedit naturâ ipsam formam. Sed vnio subsequitur. Ergo vnio distinguitur ab eductione. Consequentia est perspicua, si quidem vna & eadem entitas nequeat simul habere prioritatem, & posterioritatē naturæ respectu alterius. Maior non est minus clara; nam eductio est causalitas causæ efficiētis, & materialis erga formam; omnis autem causalitas erga terminum distinctum causatum præcedit naturâ ipsum terminum. Superest probanda Minor, & non ex eo, quòd forma ideo vniatur, quia existit, & non ideo existat, quia vnitur; hinc namque non conuincitur nisi prioritas rationis in forma respectu vnionis, qualem prioritatem vendicat sibi gradus Metaphysicus superior respectu inferioris. Probanda est itaque tum quia non est, cur quæuis vnio, vel compositio non supponat prioritate naturæ omnia vnibilia, seu componibilia, vt subtiliter notauit Durandus suprà, sermonem habens, vt & nos de componibilibus absolutis, quæ videntur debere prius naturâ esse, quàm quod actu componant, & vniantur; tum quia vnio non minus est exercitium extremorum componentium, quā actio, & passio est exercitium agentis, ac passi. Ergo non minus debent extrema componentia præcedere naturâ vnionem, quam agens, & passum præcedunt naturâ actionem, ac passionem. Tum quia vnio est modus essendi formæ: modi verò essendi rerum subsequuntur naturâ res ipsas, vt videre est in subsistentia, vbicatione, &c. Si respondeas, vnionem non esse modum essendi formæ, sed modum dantem esse: Cur non dices idem de subsistentia, duratione &c. Quartum non de conceptu actionis vt sic est vnire, neque de conceptu vnionis vt sic est agere. Ergo esto idem terminus sit simul productus & vnitus, prouenire id debet ex diuersis modis, quorum vnus agat, alter vniat. Alioquin modorum munera confunderentur, possesque cum actione identificare vbicationem, durationem, subsistentiam &c. Præuideo, à te dici posse, quandoque in vna entitate fœdari munia, quæ in aliis dispersa reperiuntur. Sic cum passione identificatur actio eductiua, cum volitione diuina actio creatiua, cum relatione Patris æterni productio actiua Filij. Ideo huic argumento mordicùs non adhæreo, suo tamen nitore non caret Et notetur, si forma materialis possit ex materia educi, quin ei vniatur, & vniri quin educatur, propositum argumentum nullis instantiis labefactatum iri.

Occurritur aduersantium argumentis pro indistinctione.

82 VNionem Empyreum esse indistinctam ab actione generante formam tradere videtur Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 9. n. 10. & disp. 15. sect. 4. n. 3. disp. 48. sect. 3. n. 11. lib. 8. de gratia c. 2. tom. 1. in 3. p. disp. 8. sect. 1. & tom. 3. disp. 9. sect. 1. & in loco de gratia allegat pro se Scotum in 4. disp. & q. 1. conclus. 2. Ouiedus citat eundem in 3. dist. & q. 1. Okamum item ac Bassolium, eo quod doceat, vnionem consistere indepēdentia formæ à materia requisita vtriusque indistantia, tanquam conditione. Expressius loquitur Petr. Vuadingus in tr. de Incarnatione disp. procemiali dub. 2. n. 25. & disp. 4. dub. 2 n. 146. Bernal disp. 12. de Incarnatione sect. 1. §. 1. Allegantur à nonnullis pro hac sententia Vazquez tomo 1. in 3. p. disp. 71. n. 13. Albertinus, in primo principio Philosophico, seu in prædicamento substantiæ disp. 4. q. 1. Rubius lib. 1. Physicorum tr. 2. q. 1. Fonseca 5. Metaphysicæ c. 2. q. 1. sect. 3. & 4. rursus q. 3. sect. 1. ac 2. Connimbricenses lib. 2. Physicorum c. 7. q. 8. art. 1. Auersa q. 12. Philosophiæ sect. 3. & 4. Sed præter Vazquiū reliqui aut sunt dubij, vt Fonseca, & Connimbricēses, aut fauent contrariæ opinioni, vt Albertinus ibi à n. 19. Rubius q. 6. eius tractatus 2. n. 59. Auersa q. 19. sect. 7. v. *quartò præterea*. Inter ancipites recensendus etiam est Balthasar Tellez p. 2. Philosophiæ d. 25. sect. 1. ac 2. nec enim eius mentem plenè percipio. Et aliqui interpretantur etiam P. Suarium, quatenus per eandem actionem generatiuā sēserit, produci, vnionē formæ materialis, & ipsam formam, distinxerit tamen eam actionem ab vnione. Quæ interpretatio in pleraque loca præcitata quadrat. Ex Neothericis in Manuscriptis indistinctionē actionis generatiuæ ab vnione tuentur absque vlla verborum ambiguitate, plures, præsertim P. Ioann. Martinez de Ripalda. Vt verò quasi compendiaria via occurrā argumentis, quæ afferūt.

83 Suppono primò, satis probabile esse non ita cōnecti eductionem formæ cum eius vnione ad materiā, vt diuinitus nequeat eductio realiter existere sine vnione. Videatur n. 33. & 51. Exercitat antecedentis. Suppono secundò, posse etiam diuinitus vniri formam materialē materiæ, quin ab ea educatur, sed creetur: siue creetur vnio, siue non. Legatur n. 47. præcitatæ exercitationis. Suppono tertiò, nam absurdè dici posse, actionem eductiuam esse vnionem sui cum subiecto, non autem cū forma: proinque per illam non vniri etiam radicaliter materiam, & formam: vti neque radicaliter vniuntur agens, & subiectum, licet sine eis nequeat conseruari; & vt actio eductiua distinguatur à mærè effectiua, satis esse illam esse vnionem sui ad subiectū cum tamen hæc non sit vnio sui ad agens; illā importare naturaliter vnionem formæ ad subiectum, cum tamen hæc non importet vnionem ad agens, Illustratur hæc supposito aliquibus exemplis: si creatio consistat in volitione diuina, non vnitur termino creato Quòd si cōsistat in modo, non ideo ei vnitur, quia aliter nō posset eum producere, sed quia modus debet habere aliquod subiectū; creatiui autem nullum aliud potest assignari, nisi terminus creatus. Cæterùm, cum eductiui modi sit sufficiens subiectum materia, non est cur debeat vniri formæ eductæ. Rursus, actio eductiua vnionis, non vnitur ipsi vnioni, ne hæc tum ratione eductionis tum ratione sui vniatur bis subiecto; quod absonat aliquibus. Insuper in diuinis productio actiua Filij consistens in relatione Patris non vnitur termino producto, nimirum Filio, quia cum distinguantur realiter, non possunt vniri per identitatem; aliam vero vnionem physicam adhibere ecquis audeat? Inquies, per actionem eductiuam denominari formam intrinsecè productam. Ergo actio illa est intrinsecè vnita formæ. Contra tum quia per actionem non vnitam causæ, quæ est purè efficiens immediatè, ac proximè denominatur hæc intrinsecè (sed non ab extrinseco) producens, vel saltē talis denominatio non est merè extrinseca, sicut aquæ denominatio calefacientis. Tum quia quantitas denominatur intrinsecè producta per creationem in Eucharistia; & nihilominus tam creatio actiua, qeàm passiua quantitatis identificatur iuxta plures cum volitione diuina, quæ nullatenus vnitur ipsi. Tum quia vt forma dicatur intrinsecè producta

satis est ipsam esse id, quod intrinsecè producitur per actionem. Repeto prope scripta in n. 52. Adiicio, dici speciali titulo productam intrinsecè eam formam; quæ educitur; quia eductio exigit naturaliter producere terminum intra subiectum. Suppono tandem posse, duo extrema aliquatenus vniri, quin vniantur formaliter. Pone tibi, vnica actione creari materiam, & formam (vt possibile censet Arriaga disp. 3. Physicorum sect. 4.) aut vnica vbicatione constitui in loco, vnicave subsistentia terminari, tunc quidem aliquatenus vnientur, non tamen formaliter vt subiectum, aut forma. Pone etiam tibi, sensationem materialem educit tum ex materia, tum ex anima; eo in casu eductio sensationis vnietur materiæ, & animæ, quin tamen vnirentur inter se ad constituendum per illam eductionem præcisè vnum ens substantiale, aut accidentale.

84 His præsuppositis magnum non facessent negotium contrariorum argumenta. Primum, non sunt multiplicandæ entitates sine vrgenti necessitate; sed nulla est necessitas distinguendi eductionem ab vnione. Ergo &c. Verùm ex superioribus constat necessitas huius distinctionis. Secundum, inhærentia accidentis non est diuersa ab eius vnione ad materiam, vt enim se habet inhærentia respectu formæ accidentalis, sic eductio respectu formæ substantialis materialis. Negatur Antecedens. Tertium, deficiente vnione formæ materialis, deficit ipsius eductio, & vice versa. Ergo vnio, & eductio non distinguuntur. Respondetur primò, multa distingui realiter, quæ habent connexionem mutuam non solùm naturalem, sed etiam essentialem; naturalem quidem vt forma, & eius dispositiones; essentialem, vt personæ diuinæ, & vt actio eductiua, ac passio in multorum sententia eas distinguente realiter. Si de connexione essentiali mutua inter duo, quorum vnum sit prius, & aliud posterius, & quorum vnum exigat aliud indeterminatè, siue quod posterius est, exigat determinatè, siue indeterminatè id, quod prius est, interueniat sermo, abundant exempla in vulgaribus opinionibus; materia exigit essentialiter hanc, vel illam vbicationem, & hæc numero vbicatio, si sit modus, exigit determinatè hanc numero materiam, actio eductiua albedinis *A*, exigit ipsam determinatè, vt & creatiua partis *A*, materiæ eandem partem determinatè, albedo autem *A*, existens petit hanc, vel illam actionem, siue eductiuam, siue creatiuam: Et pars *A* materiæ hanc, vel illam actionem creatiuam. Quòd si forma materialis nequeat diuinitùs educi, quin vniatur, aut vniri, quin educatur, connectetur essentialiter eductio cum hac, vel illa vnione subsequuta pro posteriori; & vnio cum hac, vel illa eductione antecedente pro priori. Imò nihil absurdi apparet in connexione essentiali mutua huius eductionis, & huius vnionis; si præcisè attendatur distinctioni reali inter vtramque saluanda. Respondetur secundò, posse diuinitus permanere eductionem formæ materialis deficiente eius vnione, & deficere etiam posse diuinitùs eductionem permanente vnione; quod satis est, vt distinguantur realiter, & quamuis ea sit causa materialis, *ex qua aliquid fit, cum insit*, vti definitur ab Aristotele lib. 2. Physicorum cap. 3. textu 28. opus non est, rem causatam materialiter inesse, seu vniri indispensabiliter vel per se, vel per accidens; sufficit, si tantùm ex natura rei debeat esse vnita. In quo differt causa materialis ab efficiente; nam hæc neque ex natura rei, exigit vnionem cum effectu. Quòd si termini vitales, aliique immanentes debent ex natura rei vniri suis potentiis, id non habent, quatenus comparantur cū illis vt cum efficiētibus, sed materialibus causis.

85 Quartum; intellecta præcisè vnione formæ materialis ad materiam, concipitur illam recipi in hac, qua sine nequit naturaliter conseruari. Ergo concipitur educi, & sustentari. Neque alio pacto explicari congruè potest causalitas causæ materialis, quidve sit subiectum sustentationis. Concesso antecedente, nego consequentiam quia adhuc vt forma educatur è subiecto, ab eoque sustentetur, satis non est vnio ad illud, sed opus est vel causalitate materiali orta à subiecto, vel actione generatiua exigēte essentialiter subiectum pro priori præsuppositum, sine quo forma nequeat naturaliter conseruari, aut vt producta per talem actionē nequeat vlla ratione cōseruari. Vnde licet intellecta vnione naturali formæ materialis ad materiam concipiatur præsuppositiuè forma educta, & sustentata connaturaliter, quia vnio naturalis exigit naturaliter, quòd præcedat vel causalitas orta à materia, vel actio generatiua connexa cum vnione, tamen eas non exigit indispēsabiliter, seu essentialiter. Quintum forma materialis per causalitatem materialem sustentatur intrinsecè à materia, siquidē causa materialis causet intrinsecè effectum. Ergo per illam causalitatem recipitur intrinsece in materia, adeóque vnitur. Admisso antecedente, distinguo consequens; recipitur intrinsecè in materia vt in subiecto sustentationis, concedo, vt in subiecto informationis, nego. Aliis terminis, excipitur intrinsecè in materia vt in causa, concedo, vt in parte informata, nego. Quare per causalitatē materialem non vnietur formaliter, sed radicaliter tantùm, seu causatiuè, quemadmodùm in sententia distinguente duratione à re durante, & tempore extrinseco habenti Angelus pro priori ad ipsam durationem est radicaliter durans eo quòd sit determinatus, vt coexistat potiùs huic instanti, quàm alij, seu vt pro posteriori habeat duratione formalem respondentem huic instanti potiùs quam alij existituro post myriades annorum, quin possit existens absolui ab omni instanti. Et quemadmodum Angelus idem in frequenti opinione per seipsum est radicaliter independens à subiecto, & constituitur formaliter independens, vel per volitionem diuinam creandi ipsum, vel per modum superadditum; in quo si consistat creatio, erit formalis independentia modus is, & radicalis, ac causatiua volitio diuina connexa essentialiter cum existentia Angeli, independenter à subiecto pro sua temporis differentia.

86 Sextum, forma per eductionē est in materia; sed non iuxtapositione locali. Ergo vnione physica. Respondeo primò, per eductionem esse formam in materia penetratiuè, quin eductio vniatur physicè cum forma. Secundò, per eductionem vniri materiæ formā, non quidem formaliter, sed radicaliter. Dicet aliquis, si forma potest esse vnita tantū radicaliter, & simul esse educta, poterit ex natura rei materia sustentare simul duas formas substantiales; & vlteriùs sequetur, eandē materiam habiturā formam per eductionem, simulque priuationem formæ, si hæc non sit formaliter vnita. Respōdeo, materiam esse tam impotentem sustentandi duas formas, quàm habendi sibi vnitas, vtraque enim impotentia eisdem rationibus suadetur. Si materia sustentet medio influxu physico orto ab ipsa, difficilius erit sustentare duas formas, quam

quam habere sibi vnitas, vt inferebam num. 34. Exercitationis proximæ. Neutiquam sequitur, materiam habituram simul formam, & priuationem. Etenim hæc denotat absolutè carentiam formæ eductæ, & vnitæ vtpotè quæ est malignantis naturæ destruensque quicquid post se inuenit. Quare non potest absolutè dici, materiam priuatam esse forma, si possidet illam aliquo modo. Cum addito tamen rectè dicetur priuatam esse forma vt vnita; Et tunc priuatio non erit formæ, sed vnionis. Vrgebit quis, si forma ignea educatur ex lignea materia, quin huic vniatur formaliter à parte rei, non expellet eo ipso connaturaliter formam ligneam; nam formalis causæ negatiuus effectus, qui est expulsio præexistentis formæ, præsupponere debet positiuum effectum formalem; hic verò absque vnione non communicatur subiecto. Respondeo, eductionem formæ vnius inferre connaturaliter desitionem eductionis formæ alterius contrariæ, & sicut ex eductione sequitur connaturaliter vnio formæ eductæ, sic ex desitione eductionis desitio vnionis. Non ergo opus est expectare effectum formalem positiuum communicatum à forma vnita vt detur connaturaliter expulsio alterius formæ vt eductæ; imo neque vt vnitæ. Miraculum quidem erit educi formam, & non vniri à parte rei; sed eo præsupposito sequetur adhuc connaturaliter desitio alterius contrariæ formæ quoad eductionem, & vnionem; nam eductiones formarum contrariarum sunt non minus incompossibiles in eodem subiecto, quàm vniones; & hæ adueniunt, vel deficiunt connaturaliter quoties illæ adsunt, vel desunt. Hinc fit effectum formalem negatiuum, qui est expulsio formæ contrariæ, non debere semper præsupponere effectum formalem positiuum prouenientem ex alia forma vt vnita, licet ex natura rei, eum præsupponat; quia ad eductionem subsequitur ex natura rei vnio. Legatur Franciscus Alfonsus disp. 12. Physicorum sect. 2. n. 13.

87 Septimum, eductio seipsa affigitur, vniturque materiæ, & formæ, illi vt subiecto, huic vt termino. Ergo ex vi tantùm eductionis vniuntur materia, & forma, quin opus sit alia vnione. Vt enim quæ identificantur vni tertio, identificantur inter se in creatis, & duo puncta, quæ penetrarentur vni tertio, non possent non penetrari inter se; sic quæ sunt vnita vni tertio, nequeunt non esse vnita inter se. Confirmatur, prædicatum creatum; quod identificaret sibi duo alia, non posset non illa identificare inter se, vbicatio etiam penetrans secum duo corpora, deberet penetrare ea inter se. Ergo similiter eductio vniens sibi materiam, & formam, necesse est vt vtramque vniat inter se. Respondetur primò, eductionem non vniri formæ eductæ. Secundò, ex vi eductionis vniri materiam, & formam radicaliter non verò formaliter; vel quia immediatè, & proximè non exigit inseparabilitatem ipsarum, sed mediatè, & remotè quatenus exigit vnionem, vt ait Cardinalis Lugus disp. 11. de Incarnatione sect. 7. n. 77. vel quia non facit formaliter ipsas communicare in prædicatis intrinsecis. Octauum, ratione eductionis constituitur forma indistans à materia tanquam à subiecto, quod actuat, & cum quo componit vnum per se. Ergo nihil desideratur ad vnionem. Nam licet necti vtrumque formam materiæ non sufficiat ad vnionem, necti tamen media eductione vt actum subiecto, sufficiens esse debet. Neque vnio distincta à nobis inducta potest aliquid aliud habere: neque argumentum, ex quo probatur, materiam, & formam siue rationalem, siue irrationalem vniri per entitatem superadditam, conuincit nisi entitatem, per quam materia, & forma alligentur, & connectantur, tanquam subiectum, & actus: quæ entitas superaddita, si non sit pura receptio formæ, vti est respectu formæ rationalis; sed sit etiam eductio, & passio formæ, vti est respectu formæ irrationalis, nullum arguit defectum, sed potiùs excessum, considerata præcisè ratione alligationis, & connexionis materiæ, ac formæ vt subiecti, & actus. Respondetur, esto per eductionem constituatur forma indistans à materia, & hanc actuans, non tamen vt potentiam informatam; sed vt causatiuam, seu sustentatiuam, quin componat cum ea vnum per se. Reliqua, quæ adduntur, disparent tum ex dictis, tum ex dicendis. Sed instant Neotherici, materia patiens formam intelligitur formaliter actuata per illam. Ergo vnita. Probant Antecedens: quia eo ipso intelligitur forma subiectata in materia, nequit enim concipi vnum patiens aliud, quin concipiatur exercens formaliter rationem subiecti, & consequenter quin aliud concipiatur subiectatum. Ergo eo ipso intelligitur materia formaliter actuata per formam; nam conceptus rei alicuius subiectatæ in alia non potest non esse conceptus rei habentis suum subiectum, & existentis in suo subiecto, & proinde non potest non esse conceptus subiecti habentis suum actum, & existentis cum suo actu: qui conceptus est formaliter conceptus rei actuatæ. Distinguo primum antecedens, materia patiens formam intelligitur formaliter actuata vt potentia informata, renuo, vt potentia causatiua materialiter, seu vt sustentatiua, annuo: idque vltimam, & non aliud obtinet antecedentis probatio vnde nego consequentiam, præsertim quoad vnionem formalem, perfectam, & completam materiæ, & formæ per eductionem, & passionem. Instant rursus importunè, Materiam communicari formæ tanquam causam materialem suo termino, nihil aliud est, quàm materiam vniri formæ; sed per passionem materia communicatur formæ illo modo, Ergo per passionem materia vnitur formæ. Roborant Antecedens, quia formam communicari materiæ tanquam actum suæ potentiæ nihil aliud est, quàm formam vniri materiæ. Ergo è conuerso, materiam communicari formæ tanquam causam materialem suo termino, nihil aliud erit, quàm materiam vniri formæ; sicut enim communicatio formæ ad materiam vt actus ad suam potentiam est vnio formæ cum materia, ita communicatio materiæ ad formam, vt causæ materialis ad suum terminum, debet esse vnio materiæ cum forma. Nego primum antecedens; & ad eius probationem dico, neque formam vniri formaliter materiæ, si præcisè communicetur huic vt actus suæ potentiæ causatiuæ materialiter, seu sustentatiuæ. Necesse itaque est communicari tanquam actum suæ potentiæ informatæ, quod fit per vnionem distinctam à passione tam in forma rationali, quàm in irrationali; ita tamen, vt rationalis non admittat passionem præsuppositam naturaliter ab irrationali.

88 Nonum, eductio, cum sit realiter passio, recipitur per se ipsam vt quò in subiecto, inhæretque ei. Ergo per ipsam recipitur in subiecto forma, vt quod, eique inhæret vt quod. Etenim vt per effectionem aliquid efficitur vt quod, ita per

receptionem debet aliquid recipi vt quòd, per inhæsioné aliquid inhærere, vt quòd. Inculco toties dicta, videlicet per eductionem recipi formam vt quòd in materia vt in causa materiali à qua dependet, aut vt in subiecto sustentatiuo; non verò vt in subiecto informationis, aut vt in parte informata. Replicabis, forma nequit causare materialiter à materia, quin hæc intrinsecè immutetur per illam; quòd si id negetur, deficiet ratio ad probandum, repugnate Deo exercitium causalitatis materialis erga formam. At eo ipso quòd materia intrinsecè immutetur per formam, intelligitur formaliter informata per ipsam. Ergo, &c. Respondeo concedendo, materiam, dum causat materialiter formam, non posse non vt potentiam sustentantem mutari intrinsecè per formam, seu quod idé est, non posse non immutari intrinsecè vt quò per causalitaté materialem in se sustentatã, proindeque vt quod per formam, non quidem vt informantem, sed vt causatam materialiter, & vt sic sustentatam. Hinc cum Deo repugnet quæuis mutatio intrinseca, repugnabit etiam exercitium causalitatis materialis distinctæ realiter ab vnione cum forma, siue inseparabilis, siue separabilis realiter à tali vnione. Ad minorem replicæ propositionem dico, materiam non intelligi formaliter informatam per formam, nisi immutetur intrinsecè per ipsam vt formaliter, & in se vnitam; quod habet ratione vnionis distinctæ à causalitate materiali, ad quam causalitatem subsequitur pro posteriori naturæ ea vnio non essentialiter, sed tantùm connaturaliter,. Sic diutiuscula alicui videatur separabilitas causalitatis materialis erga formam ab vnione eiusdem formæ cum materia, vel de potentia etiam Dei absoluta, nos tali separabilitate haud quaquam egemus ad defendandam distinctionem realem inter vtramque.

89 Decimum, forma materialis est magis intrinseca materiæ per eductioné, quàm rationalis per creationem in primo instanti. Sed creatio formæ rationalis in primo instanti est radicaliter vnio illius ad materiam, quia exigit formalem vnionem. Ergo eductio formæ materialis erit formaliter vnio. In primis, actio eductiua non magis vnitur termino educto, quàm creatiua creato; propterea que nego per illam esse magis intrinsecam formam materialem, quàm rationalem per hanc. Deinde creatio formæ rationalis in primo instanti, etsi exigat vnionem non tamen est intrinseca saltem materiæ, vti est intrinseca eductio formæ materialis; proindeque inficior creationem rationalis formæ in primo instanti tam præsse esse radicalem vnionem, quàm est eductio formæ materialis. Vlterius, non omnis exigentia vnionis formalis est radicalis vnio. Patet id in dispositione vltima ad formam exigente in instanti, quo primum existit, vnionem formalem huius ad materiam, quin ipsa sit radicalis vnio. Patet etiam in productione vnius partis continui, quæ etsi postulet vnionem ad aliam partem, nemo ipsam nomine radicalis vnionis insigniuit. Denique esto per eductionem forma materialis esset magis intrinseca, quàm per creationem rationalis, adhuc non pertingeret eductio conceptum vnionis, vt constabit ex sectione sequenti. Vndecimum, in materia non distinguitur potentia causatiua materialiter, aut sustentatiua formæ materialis à potentia eiusdem informabili per materialem formam. Ergo neque distinguentur exercitia vtriusque potentiæ. Quare passio, quæ est exercitium potentiæ causatiuæ materialiter, non distinguetur ab vnione, quæ est exercitium potentiæ informabilis. Respondeo negando consequentiam. Sic in igne non distinguitur potentia immanenter operatiua caloris, à potentia transeunter operatiua; & tamen exercitia sunt distincta; nam exercitium potentiæ immanenter operatiuæ est actio immanens; operatiuæ vero transeunter, est actio transiens; quæ actiones distinguuntur realiter; siquidem prior respiciat essentialiter ignem vt agens, patiensque, & posterior respiciat essentialiter tantùm vt agẽs; lignumque v.g. vt patiens. Neque aduersarij diffiteri possunt diuersa esse exercitia potentiæ causatiuæ materialiter, & potentiæ informabilis in materia, cum respectu formæ rationalis detur exercitium secundæ potentiæ, & non primæ, etsi eadem entitatiuè sit materia, quæ exercet secundam tantùm potentiam erga formam rationalem, & quæ primam, ac secundam erga formam materialem.

90 Duodecimum, vnio formæ materialis ad materiam est indistincta ab eductione ipsius vnionis. Ergo & ab eductione formæ materialis. Insto argumentum, vnio formæ rationalis ad materiam est eductio sui ipsius. Ergo & formæ rationalis. Quod consequens cum sit falsum, erit vel falsum antecedens vtriusque Enthymematis, vel si verum sit, sicut non deducitur ex Antecedenti posterioris vnionem formæ rationalis esse eductionem talis formæ; ita neque deducetur ex antecedente prioris, vnionem formæ materialis esse eductionem eiusdem. Ego etsi supra aliorum partes suscipiens variè loquutus sim iam pro indistinctione vnionis à sui eductione, iam pro distinctione vnionis saltem humanæ, iudico absolutè, nullam vnionem identificare sibi eductionem sui. Vt enim ea solum entitas admittenda est vnio sui, cui si alia addatur vnio, abibitur in infinitum, sic ea solùm entitas asseueranda est sui eductio, cui si assignetur alia eductio, procedetur sine termino. Ergo nullius formæ vnio affirmanda est eductio sui; nam eductione distincta posita, non sequetur interminata series eductionum, sed sistetur in vna, quæ sit eductio sui vt quò, & vnionis vt quòd. Præterea quemadmodum vnioni satis est, quòd sit formalis ratio nectendi materiam, & formam, neque opus est quòd sit formalis ratio vel solam formam producendi; ita satis erit, quòd sit nexus sui ipsius ad materiam, & formam: nec opus erit, quòd sit productio sui ipsius. Id ipsum probare quis posset, quia vnio materiæ, & formæ creari valet de potentia Dei absoluta. Attamen possibilis creatio vnionis, nequit aliunde suaderi, quàm ex distinctione naturalis eductionis; ideoque committetur circulus vitiosus probando possibilitatem creationis ex distinctione naturalis eductionis, & distinctionem eductionis ex possibilitate creationis. Addo, si actionis queat diuinitus dari alia actio, videri Francisco Alphonso disputat. 15. Physicorum sect. 5. num. 41. non implicatorium, quòd eductio fiat per creationem. In mea sententia, licet vnio materiæ, & formæ distinguatur ab eductione sui nequit diuinitus creari. Sic tradidi in numer. 49. Exercitationis anterioris, cuius sectio 5. habenda est præ oculis cupienti clariorem huius sectionis intelligentiam. Si contra distinctionem vnionis à sui eductione obiiciatur, vnionem vniendam subiecto tum ratione eductionis, tum ratione sui. Respondendum est, non aliter in vnione, ac supra in forma materiali, & recolenda

est

est solutio ad secundam cofirmationem decimi argumenti in n.78.

91 Decimum tertium, actus intellectuales, & volitini nostri fiunt per actionem generatiuam indistinctam ab vnione, etsi non sint adstricti essentialiter ad intellectum, & voluntatem, quia nisi sic fierent, sequeretur primò, posse cognitionem dirigere ad amandum, vel odio habendum quin voluntas sequens ductum intellectus, amaret, vel odio haberet. Secundò, posse voluntatem exercere libertatem contrarietatis circa obiectum, & non amare, nec odio habere illud; posse item mereri, vel peccare actu commissionis, quin amet, vel odio habeat. Nam si vnio actus cum voluntate impediatur diuinitùs, vt potest, si est distincta ab actione sequuntur ineuitabiliter hæc omnia, quæ quidem videntur absurda. Tertiò sequitur, nos de facto prius mereri, quàm amemus obiectum conforme rationi, & prius demereri, quàm afficiamus in obiectum dissonum; vnio namque amoris, requisita ad denominationem amantis, esset naturâ posterior, quàm actio meritoria. Demum sequitur, denominationem amantis non esse nobis liberam, quia non est libera vnio, per quam constituitur, si quidem producto amore non est in nostra potestate impedire subsequutam naturaliter vnionem. Quis autem hæc absona esse non censeat? Totius huius argumenti moles cadit, si negetur quod supponit, scilicet vitales actus nõ esse affixos essentialiter potentiis, & non produci actione indistincta, aut actione, quæ ipsos simul, & vnionem generet; tametsi talis actio distincta sit ab ipsis, & ab vnione. Quibus omissis respondeo primò ex propria sententia, etsi amor, quantùm est ex se queat diuinitus produci, & non vniri voluntati, tamen si causetur præcedente congnitione directiua, vel liberè, non posse non accedere vnionem, ne deueniatur in primum, & secundum absurdum. Reliquis satisfacere debent, qui amorem putant entitatem modalem, sed productam per actionem distinctam; erit namque amor posterior, quàm actio meritoria, vel demeritoria, & qualibet earum posita, resultabit ille inimpedibiliter. Respondeo secundò, non sequi vltimum absurdum, quia vt denominatio amantis sit libera, non requiritur, quod constitutiua omnia sint impedibilia ex æquo, satis est si actio sit omnino impedibilis. Cætera sunt tantùm apparentia absurda, præsertim si ad tertium dicatur, meritum, aut demeritum per modum viæ, & causalitatis solius saluari ante denominationem amantis. Nec de his plura, quæ digessi in Animasticis libris. Superior respectari à te iamdiu vnionis physicæ exenteratum conceptum. Sed hac expectatione te liberabo in sectione, quæ sequitur, nec debui antea, faciliora enim præmittenda erant, vt quæ de recondito vnionis physicæ conceptu formali dicerentur, intelligentiam expeditam haberent.

* * *

SECTIO V.

Quisnam sit formalis conceptus vnionis physicæ.

Nostra explicatio.

92 VNionis physicæ conceptum sic declaro: *Est formalis ratio per quam duo, pluraue extrema communicant mutuò in aliquibus prædicatis intrinsecis non exigentibus identitatem cum alio, cui competunt.* Nam cum vnio physica sit æmula identitatis, & hæc consistat in indiuisione simpliciter, ratione cuius prædicatum vnius formalitatis est simpliciter, & absolute prædicatum alterius (loquor de identitate reali, vt distincta à virtuali) ita vnio physica, opus est, vt sit ratio, per quam extrema distincta realiter communicent in aliquibus saltem prædicatis intrinsecis: hoc namque pacto imitabitur vnionem identitatis, eritque summa possibilis inter extrema distincta.

93 Dices primò, materiam ex vnione ad formam spiritualem non communicare in prædicatis spiritualibus. Respondeo primò, opus non esse, vt extrema inter se, sed respectu totius communicent in prædicatis intrinsecis. Secundò, extrema etiam inter se communicare in prædicatis aliquibus. Sic anima ratione gratiæ sibi vnitæ redditur, & est grata, ac sancta. Sunt quidem prædicata non apta prædicari nisi essentialiter de suis subiectis, talia sunt prædicata entis, vnius &c. spiritualis, materialis. Sunt alia apta prædicari accidentaliter, & denominatiuè tantùm; talia sunt prædicata albi respectu parietis, & lucidi respectu aeris. Alia denique sunt indifferentia prædicari quandoque essentialiter, quandoque accidentaliter, talia sunt prædicata extensionis, & subsistentis; nam extensio prædicatur de quantitate essentialiter quantùm ad aptitudinem, de corpore accidentaliter; subsistere verbi increatum prædicatur essentialiter, de natura diuina, de humana autem non essentialiter, sed contingenter, & quasi per participationem. In prædicatis secundi, & tertij generis communicant extrema physicè vnita. Dices secundò, conceptum appositum non extendi ad vnionem continuatiuam, quæ physica est. Respondeo ratione huius communicare vnam partem cum altera in prædicato continuæ, molemque resultantem ex ipsis in prædicatis magnæ, paruæ, &c. Dices tertiò, Albedinem vnitam physicè Angelo de potentia Dei absoluta, nec communicare Angelo aliquod prædicatũ intrinsecum, neque ab illo participare. Respondeo, albedinem reddere Angelum qualificatum intrinsecè, & à composito accidentali resultanti ex vtroque, participari prædicatum *qualis*, aut *qualificati*. Dices quartò, Verbum diuinum ex vnione physica ad humanitatem non aliter se habet, ac anteà. Ergo ea vnio non importat communicationem aliquam in prædicatis intrinsecis. Fateor, verbum habere se eodem modo, quatenus ex vnione nullam refert perfectionem: nihilominus datur communicatio in prædicatis intrinsecis, eaque noua; nam ratione vnionis verbum fuit de nouo incarnatum, Deusque factus homo, vicissimque homo Deus. Oppones quintò, humanitas Christi Deificatur per Deitatem, & hæc, naturaue diuina

dicitur assumpsisse illam, dicitur etiam incarnata: quæ sunt prædicata intrinseca, in quibus communicant deitas, & humanitas, quin vniantur immediatè, sed mediante personalitate verbi. Respondeo, vniri immediatè realiter, idest, non intercedente medio distincto realiter: nam personalitas verbi distinguitur tantùm virtualiter à Deitate, geritque se tanquam conditio necessaria vt humanitas Deificetur, & vt Deitas assumat humanitatem, incarnataque prædicetur. Oppones sextò, Charitas Theologica, quæ in multorum sententia est forma sanctificans, immediatéque vnitur non substantiæ rationali, sed distinctæ potentiæ voluntatis; sanctificat tamen naturam rationalem, & non solam voluntatem; sanctificatque intrinsecè. Calor item, qui non immediatè vnitur materiæ, sed quantitati in opinione frequenti, disponit nihilominus intrinsecè materiam ad formam; redditque ipsam non extrinsecè, sed intrinsecè calidam. Ergo dari potest absque vnione immediata inter duo extrema communicatio in prædicatis intrinsecis. Neque hic, recurrere est ad medium indistinctum realiter, vt in solutione obiectionis quintæ; Nam potentia volitiua distinguitur realiter à charitate Theologica, & à substantia rationali; quantitas etiam distinguitur sic à calore, & materia. Respondeo, communicationem in prædicatis expensis, non fieri absque vnione physica, immediata quidem ad potentiam; volitiuam, & ad quantitatem; mediata ad naturam rationalem, & ad materiam. Quòd autem ratione vnionis physicæ participent, communicentve in prædicatis intrinsecis non tantùm duo extrema, sed plura, tam longè abest à nostra mente, vt potiùs insinuatum sit à nobis in ipsa vnionis physicæ definitione. Quæ illustrari potest ex idiomatum communicatione, quam in mysterio Incarnationis persuasit sibi Ecclesia, eo præcisè, quòd verbum diuinum physicè fuerit cum natura humana vnitum.

94 Elucescit iam disparitas inter vnionem, & eductionem. Etenim ratione huius præcisè non communicant extrema in prædicatis intrinsecis. Quare albedo educta tantùm ex pariete non denominaret album, vsque dum accederet vnio. Notauit id perdoctè P. Franciscus Alfonsus disp. 4. Physicorum sect. 1. num. 6. item disp. 12. sect. 2. num. 8. Econtra verò vnita parieti, sed ex eo non educta album denominaret. Inficiatur id Meratius disp. 35. de Incarnatione sect. 3. vbi ait, gratiam habitualem productam per creationem non denominaturam gratam, & sanctam animam, cui absque eductione vniretur. Probat exemplo accidentium sacramentalium in Eucharistia, quæ ideo non deminant corpus Chisti quantum, aut album, quia etsi ei vniantur, non tamen inhærent per eductionem. Exemplum hoc mihi persuadet, accidentia Eucharistiæ non habere cum corpore Christi vnionem physicam formalem, & propriam. Quo autem pacto absque vnione alligetur ad illa, tractat luculentissimè disp. 6. sect. de Eucharistia Cardinalis Lugus, post quem verbum non amplius addam. Præterea si anima rationalis tribuit suum formalem effectum materiæ quin, ab hac educatur, sed tantùm ipsi vniatur; si formæ meterialis substantiales vnitæ materiæ, ex cuius potentiæ non educerentur, impediente Deo miraculosè eductionē denominarent materiam non minus, quàm si essent eductæ, sine causa id negatur de accidentibus absolutis. Et vrgeo in horum ad subiectum vnione, quæ si possit diuinitus creari, denominabit animam vnitam gratiæ habituali v.g. & gratiam habitualem vnitam animæ, quin ab ista, à qua habet actualem essentialem dependentiam, vt à re modificata modus, in eo casu educeretur. Ergo multò meliùs gratia habitualis non educta ex anima, sed præcisè vnita per vnionem, siue generatione, siue creatione productam, communicaret animæ effectum, formalem gratæ, & sanctæ; multò inquam; melius, quia gratia habitualis, vtpotè accidens absolutum non debet habere tantam dependentiam ab anima. Sane cum gratia, & sanctitas increata verbi non educta ex anima Christi, reddet ipsam gratam, & sanctam ratione solius vnionis physicæ; indicium haud leue est effectum formalem animæ gratæ, & sanctæ per gratiam, & sanctitatem etiam accidentalem, necessariò non requirere huius gratiæ ex anima eductionem; sed contentum esse sola vnione physica. Et confirmatur, quia formalis effectus formæ siue substantialis, siue accidentalis non aliis constitiuis dicitur communiter egere quàm forma, vnione, ac subiecto capaci licet verò in effectu formali aliquo scilicet intelligentis, aut volentis creati addendum sit aliud constitutiuum, nempe actio orta ab intrinseco: ast in reliquis insolitum est, & absque ratione requirere alia constitutiua.

95 Sed inquit Iunior quidam, non esse absque ratione; nam accidentis conceptus consistere debet in ea à subiecto dependentia, quæ competere nequeat substantiæ: & cum huic conuenire queat dependentia, quæ à subiecto fit à priori per eductionem prout patet in formis substantialibus materialibus, opus est, vt accidenti congruat alia depēdentia, quæ fit à subiecto à posteriori, consistatque in vnione connaturali petente essentialiter eductionem accidentis ad communicandum subiecto effectum ipsius formalem. Quare casu, quo crearetur gratia habitualis, & vniretur animæ, hæc non denominaretur grata, & sancta, quia deesset connaturalis vnio exigens essentialiter eductionem gratiæ, & alia, quæ daretur, esset inepta ad præfatam denominationem. Contra tamen primò, quia dependentia accidentis à subiecto, seu inhærentia in ipso sufficientissimè declaratur absque his ambagibus, quatenus accidens afficiat actu, vel ex suo genio debeat afficere naturam, extra cuius constitutionem sit? & is modus afficiendi actu, vel aptitudine vocatur inhærentia actualis, vel aptitudinalis; neque potest conuenire vlli substantiæ. Secundò, quia accidentalis formæ vnio connaturalis non magis petit eductionem formæ vnitæ, quam vnio formæ substantialis materialis. Vtraq; quidem naturaliter postulat eductionem, & neutra essentialiter nullum enim est fundamentum, vt vnio formæ accidentalis essentialem hanc habeat exigentiam præ vnione alterius formæ. Quòd si forma accidentalis non respuit essentialiter creationem sui, dum etiam est vnita subiecto; cur vnio, quæ non est eductio eius formæ, & quæ non repugnet essentialiter, vt ipsa etiam creatur; sicut multorum fert opinio, excludet necessario creationem accidentalis formæ? Tertiò, essentialis connexio, quam vnio connaturalis accidentium habeat cum eductione ipsorum, præposterè vocatur dependentia à subiecto à posteriori: non enim est nisi à priori, si quidem subiectum, & accidentiū ex illo eductio debeant præcedere pro priori naturæ ad vnionem. Hinc reiiciendus est idem, vel alius (nā ex aliena loquor relatione) dū subsistentiæ conceptum

conceptum reuocat ad illam independentiam à posteriori. Certè nisi subsistentia indinstiĉta sit realiter à substantia creata simplici, vel composita, nō intelligo, quî possit in tali independentia consistere conceptus subsistentiæ. Natura namque Angelica, & humana, se ipsis independentes sunt ab vnione connaturali exigente essentialiter eductionem earumdēmet naturarum, & se ipsis excludunt talem eductionem. Ast subsistentia realiter indistincta refutanda veniet in sect. 1. & 2. Exercitationis proximæ. Et quia *Sine certo hoste pugnare cassa contentio est, & virium frustratio, quod ita esset ingloriosum, ac laboriosum.* Vt admonet S. Claudianus Mamercus lib. 3. de statu animæ c. 16. ideo abstineo ab aliis impugnationibus, & eo redeo, vnde diuerti.

Notati naui in aliorum explicationibus.

96 Recentior quidam definit vnionem physicam, quatenus *sit summa communicatio conceptuum realiter distinctorum*, siue ea, quâ inter conceptus realiter distinctos maior intercedere nequeat. Sicque distinguit vnionem physicam ab vnione intentionali intellectus, & voluntatis cum obiecto, ab vnione præsentiali rei cum loco, & tempore, & ab vnione virtuali causæ cum effectu. Reiicitur ab alio, tum quia maior esset ea communicatio, quâ vna res alteri vniretur physicè, simulque produceret, cognosceret, & amaret. Ergo etsi omnis vnio physica sit communicatio, non tamen omnis erit summa cōmunicatio. Tum quia quæuis vnio physica, vel est summa communicatio absolutè, vel tantùm comparatiuè, idest, comparādo extrema, inter quæ intercedit? Non id secundum quia alioqui communicatio Angeli ad locum esset vnio physica cum loco; nam adhunc nequit ille habere maiorem communicationem. Non primū, qua inter vniones physicas aliæ aliis sunt maiores communicationes; maior quippè est communicatio materiæ cum forma per vnionem physicam, quàm communicatio vnius partis materiæ, cum alia parte, & quam communicatio eiusdem materiæ cum quantitate. Disputaturque à Theologis cum S. Thoma 3. p q. 2. art. 9. an vnio Hypostatica verbi cum humanitate sit maxima omnium communicationum, seu vnionum physicarum in ratione communicationis, seu vnionis physicæ formaliter coniungentis extrema distincta? Variæque sunt, vt Theologi dubitent rationes. Non ergo quæuis vnio physica est absolutè summa communicatio conceptuum realiter distinctorum. Sed prior Recentior respondere posset vtrique impugnationi, eatenus à se dici quamcumque vnionem physicam debere esse summam communicationem, quatenus quæcumque maior sit comparatiuè ad alias communicationes initio numeri relatas, siue sigillatim, siue simul considerentur. Vnde communicatio, quæ esset vnio physica, productio, cognitio, & amor (si possibilis admittatur) vel quæ importaret hæc omnia per diuersas entitates respectu duplicis extremi, esset maior sub ratione vnionis physicæ, quam sub ratione productionis, cognitionis, amoris tam sigillatim, quàm simul. Vnde etiam optimè stare poterit, vt non quæuis vnio physica sit summa absolutè communicatio physica, sed vt vna sit maior, quàm alia in ratione communicationis physicæ. Verum tamen quia prior ille Recentior non explicat in quo consistat vnionem physicam esse summām communicationem comparatiuè ad alias vniones, quæ physicæ non sunt, & quia nō aliter se gerit, ac si definiendo hominem, diceret, *esse animal perfectissimum*, quin adderet id, in quo homo excedit reliqua animalia, præhabenda est nostra definitio.

97 Et ob eandem causam præferenda est alteri definitioni alterius Moderni aientis, physicam vnionē *esse communicationem physicam intrinsecam.* Neque enim declaratur, quid sit communicatio physica intrinseca, quis eius effectus formalis, & conceptus vnionis physicæ manet æquè obscurus. Ad hæc: actus liber diuinus est communicatio physica intrinseca sui cum Deo, & subsistentia Patris cum Deitate: & tamen neque actus est vnio physica sui cum Deo, neque subsistentia cum Deitate, si vnio physica sumatur vt in præsenti pro compositione reali. Deus namque, vt docet inter alios Patres à Fauolo 1. p. q. 31. art. 2. dub. 5. n. 26. ad notatos S. Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium c. 7. *Non habet, quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnum; vnum quippe est, sed non vnitū; non partibus constat, vt corpus.* Taceo, actionē eductiuam esse communicationem physicam intrinsecam tàm materiæ, quàm formæ, illi vt subiecto, huic vt termino intrinseco. Nec ideo Modernus, contra quem arguo, identificat ipsam cum vnione physica materiæ, & formę materialis. Quòd si actio eductiua recipiatur in agente creato, & non in materia, nec in forma, erit etiam communicatio physica intrinseca agenti creato, & formæ; agenti quidem vt subiecto, & formæ vt termino intrinseco; distinguetur que nihilominus ab vnione physica siue agentis, siue materiæ cum forma. Sed etsi actio eductiua non recipiatur in agente creato, tamen est communicatio eius physica, & est intrinseca formæ vt termino, quin neque actio eductiua, neque forma physicè vniantur creato agenti. Ista eò vsque saltem vrgebunt, quo vsque amplius exponatur, quid significetur nomine communicationis physicæ intrinsecæ. Nec si adiicias, vnionem physicam esse *communicationem physicā mutuam, & intrinsecam inter extrema distincta realiter*, deuitabis omnia superiora argumenta. Illibetabilior est tradita ab aliis definitio, vnio physica *est communicatio extremorum distinctorū realiter*, conuenit namque actioni, cum hæc sit communicatio agentis, & effectus distinctorum realiter; competit etiam cognitioni, & amori, qui actus sunt aliquatenus communicatio intellectus, ac voluntatis cum obiectis, & in ente artificiali non deest sua communicatio vnius partis cum alia.

98 Sunt qui sic definiant vnionem physicam, *& est ratio formalis vnius coalescentis ex pluribus.* Verùm in vno peragregationem nō interuenit vnio physica plurium, ex quibus coalescit, & tamen interuenit aliquid, vi cuius coeant plura in vnum. Et sic se habent claui, & bitumen respectu domus. Franciscus Alfonsus disp. 5. Physicorum sect. 2. n. 30. inquit, vnionem substantialem, *esse substantialem nexum formæ cum materia illis existentibus aduenientem vt totum substantiale medio illo constituant.* De vnione verò vt abstrahente à substantiali, & accidentali ait, *esse nexum formæ cum subiecto, illis existentibus aduenientem vt totum medio illo constituant.* Sed desideratur adhuc definitio vnionis physicæ tum personalis, tum continuatiua, vel quæ comprehendat genericè vtramque hanc vnionem. Vlteriùs, si subsistentia creata sit modus vtriusque per se ipsum naturæ, erit nexus formæ cum subiecto, aduenien huic soli vt existenti; neque enim sibi vt existenti aduenient.

Cardinalis

99 Cardinalis Lugus disp. 11. de Incarnatione sect. 7. sic explicat conceptum vnionis physicæ, scilicet *est nexus extremorum faciens ea inseparabilia quoad locum alterius saltem inadæquatum.* Vnde saluatur, humanitatem Christi esse vnitam physicè verbo diuino, & quamcumque humani corporis partem animo rationali, quia etsi humanitas non existat in omni loco, in quo verbum (nam *non est consequens, vt id, quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus,* docente S. Augustino epist. 57.) nec manus humana v.g. in omni existat loco, in quo animus rationalis, alioqui humanitas existeret vbique, essetque immensa, & manus humana penetraretur cum capite, & pedibus, reliquisq; corporis partibus, tamē permanente vnione physica debent existere in loci adæquati parte, respectu verbi, & animi rationalis, esseq; inseparabiles quoad illa. Quam doctrinam repetit sapientissimus vir disp. 5. & 6 ac 8. de Eucharistia. Addit autem in præcitato tractatu de Incarnatione, vnionem physicam *esse etiam alligationem ad hoc, vt ex extremis resultet aliquid vnum per se, & non per aggregationem, seu coacervationem.*

100 Examino in primis aditionem rogans, in quo differat vnio ab extremis vnitis? Cum & extrema constituunt vnum per se. Rursus quid sit resultare vnum per se? & cur potius constitui possit ex subiecto substantiali, & forma accidentali, aut ex duabus partibus materiæ, quàm ex duobus entibus completis? Cur ex eductione & termino educto non resultet vnum per se, (si illa distinguatur ab vnione, & vniatur termino educto) nec non ex corpore Christi, & accidentibus Eucharisticis? Si respondeat, tunc resultare vnam per se ex duobus extremis, quando vnum saltem perficitur, aut deterioratur ab alio. Contra tum quia agens perficitur quadantenus per actionem, ad quam ordinatur, quin tamen actio si sit transiens, vniatur physicè cum agente, & quin ex hoc, & illa resultet vnum per se. Tum quia terminatio libera Dei non perficit essentiam, nec perficitur ab ipsa, vt plures iudicant, esto quasi constituat vnum per se, etsi Deo intrinseca, vt potè ipsi identificata realiter. Tum denique quia vniri formaliter aliquod extremum, & constituere per se, non est realiter perfici, aut depravari, vt constat ex verbo vnito formaliter humanitati Christianæ, & constituente cum ea vnum per se. Ergo vniri formaliter duo extrema, non est, cur sit formaliter, vnum saltem ex illis perfici, aut depravari. Et quidem si id esset, sequeretur, vniri perfectius illa extrema, quæ mutuo perficiuntur ex vnione; proindeque magis vniri corpus, & animam rationalem inter se, quàm verbum diuinum cum ipsis in Christo contra communem Theologorum 3. p. q. 2. art. 10.

101 Hinc non arridet mihi quidam Neothericus definiens vnionem physicam quatenus sit *vinculum, quo aliud perficitur* Nam licet verum sit debere realiter perfici, aut deteriorari aliquod ex extremis physicè vnitis, formalis tamen conceptus vnionis physicæ non exprimit id, quod proinde erit potiùs proprietas ipsius. Et præterea actio, & cognitio sunt aliquo modo vinculum agentis, & intellectus ad effectum, & obiectum; siquidem sint determinatio ad vtrumque; perficiunt item intrinsecè agens, & intellectum; vel extrinsecè illud actio, & hunc intrinsecè cognitio, simulque hæc extrinsecè obiectum, & illa intrinsecè, vel extrinsecè effectum; quin tamen gradum vnionis physicæ obtineant. Alius Neothericus, vt subterfugeret postremam hanc obiectionem, dixit, physicam vnionem *esse vinculum determinans intrinsecè vltimo ad vnum coalescens ex pluribus realiter distinctis, quorum aliquod perficitur intrinsecè, completurque alio.* Pro cuius definitionis declaratione notat, quodlibet in continuo extremum integralis vnionis compleri alio extremo; sed non perfici intrinsecè, nisi illud, in quo recipitur vnio. Ego tamen non video discrimen inter compleri intrinsecè, & perfici intrinsecè. Quare aut neutrum extremum cōplebitur intrinsecè, aut vtrumque perficietur intrinsecè. Rurius notat, esse aliquas formas accidentales subiecto physicè vnitas, quæ licet illud deprauēt aliquatenus, tamen realiter physicè perficiunt, vt error intellectum, & calor aquā, vel saltem ipsæ formæ perficiūtur à subiecto. Si autem nec subiectum à formis, nec formæ à subiecto perficiantur, non recusat, vt definitioni addatur, *quorum aliquod perficitur intrinsecè, completurque alio, vel depravatur.* Nec ego quoad hanc partem iurgari volo.

102 Deinde, quod principaliter dicitur à Cardinali Lugo sequentes subit difficultates. Prima, si materia, & forma afficiantur vnica vbicatione, reddentur inseparabiles per ordinem ad locum: illa tamen vbicatione præcisè non vnientur physicè, neque constituent vnum per se. Secunda, materia, & forma vnitæ possunt diuinitus absolui ab omni loco, seu nulla vbicatione gaudere, vt sentiunt per multi. Ergo conceptus vnionis informatiuæ non cōsistet in inseparabilitate quoad locū, nec erit essentialis proprietas eius vnionis, vt vnum extremum existat in loco alterius sibi vniti. Tertia; vbicatio Romana est vnio sui ad corpus in sententia huius Doctoris; si verò corpus locetur simul Parisiis, vbicatio Romana non erit alligata ad locum Parisiensem: imò repugnabit alligari. Ex quo infertur, non esse proprietatem connaturalem cuiuscumq; vnionis informatiuæ vt existat in duplici loco adæquato in quo diuinitus ponatur vnitum. Neque id erit proprietas essentialis respectu vnionis informatiuæ nectētis cum subiecto accidentia indifferentia ad varia loca. Nam diuinitus potest fieri vt corpus existens de potentia Dei absoluta Romæ, & Parisiis habeat Romæ calorē sibi vnitum, careatque eo Parisiis. Potest etiam diuinitus fieri, vt Petrus sit Romæ, calor Parisiis, & vnio Matriti. Sic tradunt Franciscus Alphonsus disp. 27. Physicorum sect. 2. n. 12. & Franciscus de Ouiedo contro. 18. Physicorum punct. 1. n. 6. Cum enim Petrus, calor, & vnio queāt diuinitus existere absq; omni vbicatione, & proinde absque penetratione; cumq; præterea vnio queat diuinitus non existere in loco aliquo adæquato, in quo existat Petrus, non apparet repugnātia specialis, si locetur in spatio, in quo nec Petrus, neq; calor existant, sitq; diuisa non entitatiuè, sed localiter à Petro, & calore. Non ergo est essentialis proprietas vnionis informatiuæ facere extrema vnita inseparabilia quoad locum, siquidem ipsa non debeat esse inseparabilis essentialiter à loco extremorum. Et quamuis inseparabilitas naturalis extremorum, & vnionis sit proprietas vnionis informatiuæ, non tamen primarius, & formalis conceptus. Quis vnquam Theologus ex necessitate naturali, qua corpus Christi per concomitantiam sub speciebus panis adsportat animam rationalem; & sanguinem, intulit vt ex ratione à priori vnionem inter corpus, animam & sanguinem; & non potius cum Tridentina Synodo sessione 13, cap, 3. ex vnione intulit

intulit adsportationem? Quis vnquam Philosophus ex necessitate naturali, qua corpus constitutum duplici in loco adæquato habet vtrobique eadem accidentia independentia à loco determinato, intulit vt ex ratione à prioriori vnionem accidentium ad corpus, & non potius ex vnione intulit existentiam accidentium? Confirmatur, quia pro priori ad alligationem materiæ, & formæ, quoad eundem locum intelliguntur illæ vnitæ, vt probaui in n.3. Ergo ea naturalis alligatio non est primarius & formalis conceptus, sed proprietas vnionis informatiuæ.

103 Quarta difficultas, diuinæ personæ sunt inseparabiles quoad locum quemcumque, quin vniantur physicè. Rursus ego ipse sum inseparabilis à Deo in ordine ad locum meum adæquatum, non minus, quàm Christi humanitas à verbo diuino, nec ideo ego sum Deo vnitus physicè, nec mihi Deus, cuius spatij adæquati parti alicui tam non possum non coexistere, dum existo, quàm non potest non coëxistere Christi humanitas parti alicui spatij adæquati respondentis verbo diuino, dum est physicè vnita ipsi. Nec proderit dicere cum Sfortia Pallauicino in assertis Theologicis lib.7.n.23. si per impossibile non existeret vbique verbum, adhuc tamen extiturum ibi, vbi humanitas ratione vnionis intercedentis. Nam in primis, iudice P.Suario tom.1. in 3.p. disp.14. sect.1. non repugnat, humanitatem vnitam verbo in vno loco, constitui in alio absque modo vnionis. Ergo si fingatur, verbum ratione sui non existere necessario in hoc alio loco, inferet vnio connaturaliter, & non essentialiter existentiam verbi in omni loco, in quo sit humanitas vnita. Deinde etiam in eo casu impossibili existeret mihi intimè præsens Deus ratione actionis productiuæ, & conseruatiuæ erga me exhibitæ ab ipso, vt à causa, à qua omnia essentialiter dependent, & à qua modo infinitè perfecto oriuntur effectus. Nascitur hinc quinta difficultas; etenim actio siue generatiua, siue creatiua, orta à Deo, facit ipsum, & creaturam sic inseparabiles quoad locum, vt nequeat Deus non existere in loco adæquato creaturæ, & creatura nequeat non existere in parte aliqua loci adæquati occupati à Deo: quæ inseparabilitas non est vnio physica Dei, & creaturæ. Sexta, si Deus decerneret efficaciter Angelos Gabrielem, & Michaëlem manere semper penetratos, redderentur omnino inseparabiles per decretum diuinum, quod neque esset vnio physica formalis eorum, neque radicalis inferens formalem. Septima, materia & forma materialis per passionē, quæ non est vnio physica formalis vtriusque, vt conniuet Cardinalis Lugus, redduntur inseparabiles localiter; & licet non subsequeretur vnio physica formalis, non ideo distarent, aut non essent intimè præsentes, vt idem Doctor fatetur. Non video quid desit passioni, ne sit proxima, & immediata exigentia inseparabilitatis materiæ, & formæ materialis causatæ materialiter, quemadmodum nihil deesset partibus materiæ, ne essent proxima, & immediata radix impenetrabilitatis, si ablata quantitate perseuerarent impenetratæ, vt antea. Hæc difficultas est ad hominem proposita; nam absolutè vitari potest, si respondeatur, ideo passionem non esse vnionem physicam materiæ, & formæ, nec sui cum forma, quia etsi materia, forma & ponantur diuinitus in duplici loco adæquato, aut si sola forma ponatur, manente materia in vno tantum loco adæquato, non debet passio constitui vtrobique; forma namque educta in loco *A.* adæquato potest non educi in loco *B.* adæquato, siue vniatur, siue non vniatur materiæ in isto loco *B.* Responderi etiam potest, causam materialem, si actiuè influat posse causare materialiter effectum distantem, vt tentatum est in n.37. Exercitationis antecedentis. Octaua, si per vnionem physicam non possint non fieri inseparabilia quoad locum extrema, erit vnio vbicatio ipsorum in loco saltē inadæquato. Vltima difficultas, vniones continuatiua, & extensiua sunt vniones physicæ, quas non comprehendit apposita definitio, sed vt summum penetratiuā, & informatiuam. Etenim illæ vniones non exigunt nisi loci immediationem ac propinquitatem in extremis; & quòd, moto vno extremo à loco immediato, propinquoue respectu alterius, moueatur & alterum.

104 Percontabitur quis, an si vnum ex extremis vnitis physicè vel penetratiuè, vel informatiuè moueatur, debeat & aliud moueri? Debet quidem naturaliter, si vnum moueatur extra locum vtriusque adæquatum, & vtrumque sit independens à determinato loco. Et sic intelligendū est vulgare axioma acceptum ex Aristot.l.2. Topicorum c.3.text. 23. l.8. Physicorum c.6. text.52. *Motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis.* Ob defectum primæ conditionis non potest etiam diuinitus, multoq; minus debebit naturaliter, moueri increatum verbum, humanitate, cui physicè penetratiuè vnitur, morâ ex vno loco adæquato ad alium; quia videlicet hæc non mouetur, neque potest moueri extra locum adæquatum illius, attenta adhuc potentia Dei absoluta. Eiusdem conditionis defectus est in causa, vt mota anima rationali in capite, non debeat naturaliter moueri in pede, cum quo physicè vnitur penetratiuè, atque informatiuè, quia nimirum motus præcisè in capite non est extra locum suum adæquatum. Ob secundæ conditionis defectum, vbicatio, quam Christi corpus habet in cælo vnitam sibi physicè penetratiuè, atq; informatiuè non debet naturaliter, imò nec diuinitus potest moueri cum Christi corpore, dum istud mouetur, aut moueretur ad alium locum definitiuum aut circumscriptiuum, quia scilicet vbicatio in cælo est dependens essentialiter à determinato, & certo eo spatio. Sed obseruandum est, posse competere duobus penetratis, sed carentibus vnione physica formali, & propria, vt vno moto moueatur aliud. Adest exemplum in casu sextæ difficultatis obiectæ contra Cardinalem Lugum. Præterea mota quantitate à sacerdote, vel à quouis alio in Eucharistia, mouentur reliqua accidentia, quæ quidem cum quantitate non sunt vnita physicè; & moto colore mouetur sapor, quin huic sit physicè vnitus ille; non enim color informat saporem; istud tamen exemplum intutum est; nam in quantitate recipi reliqua accidentia, vnirīq; physicè cum ipsa, probabilius est, tum ne sequatur, non dari in Eucharistia album vel sapidum, & non produci per generationem calorem, aut frigus in hostia consecrata, quando applicatur agens calidum; aut frigidum: tum etiam, quia nisi quantitas exerceat munus subiecti erga aliqua accidentia, non apparet ex parte ipsius aliquis titulus vt quando ipsa mouetur, moueātur cætera. Quare mouebūtur miraculosè à Deo ea præcisè de causa, vt occultetur mysteriū. Et inde fieret, nos modo proprio viuentium non manducare reliqua accidentia præter quantitatem; nam traiectio illorum non esset motus ortus à nobis. Adest tutius aliud exemplum. Nam motis speciebus sacramentalibus, mouetur corpus

corpus Christi, vt sub eis contentum, quin eis sit vnitum physicè formaliter, ac propriè. Quòd autem eis non sic vniatur, probaui iam in num. 3. colligitur à posteriori, quia non mouentur toties quoties Christi corpus mouetur extra locum adæquatum sui, atque ipsarum & aliunde ipsæ sunt independentes à determinato loco. Insuper Pater æternus, & Spiritus Sanctus sic sunt specialiter in humanitate Christi, vt si aliàs, & per impossibile carerent immensitate, mouerentur motâ humanitate, vt huic adessent, propter circuminsessionem cum filio diuino vnito ad eandem humanitatem. De quo puncto tractat diligenter, & studiosè Augustinus Bernal. disputat. 25. de Incarnatione. Sed tamen humanitas non est vnita physicè immediatè Patri æterno, & spiritui sancto; quinimò nec mediatè vnitam esse, docet Franciscus Amicus disp. 16. de Incarnatione sect. 5. n. 100. quia verbi personalitas, cui per se immediate vnitur humanitas est distincta realiter à personalitatibus illius.

105 Quæret quis secundò, an si vnum extremum constituatur diuinitus in duplici loco adæquato debeat connaturaliter ex suppositione eius miraculi replicari vtrobique aliud extremum vnitum physicè, vel penetratiuè, vel informatiuè, & non dependens à loco determinato? Respondeo affirmatiuè. Et sane si sermo sit de extremo pertinente ad naturale complementum probatur; quia res, vbivis existat, exigit connaturaliter habere quicquid spectat ad sui naturalem perfectionem, & complementum, siue substantialem, siue accidentalem. Si autem sit sermo de extremo non pertinente ad naturale complementum, probatur etiam primò; quia aliter difficile est reddere rationem, cur verbum diuinum existat specialiter, aut nouo titulo in Eucharistia per concomitantiam propter vnionem cum corpore, & anima, quorum non est debitum complementum. Secundò, quia alioqui Christus vt existens in Eucharistia careret compluribus accidentalibus perfectionibus, quibus non exactis ad modum connaturalem existendi ornatur in cælo, & sine causa diceretur, prouenire ex nouo miraculo earum replicationem in Eucharistia. Tertiò, quia si extremum, dum ex vno loco recedit, & accedit ad alium, fert secum alterum physicè vnitum, & non petitum, estque naturalis hæc ad extremũ portatio, quidni idẽ eueniet, quando sic acquirit nouum locum, vt antiquum non deserat? Quartum, etsi extremum, quantùm est ex se, non petat habere, nisi in vno loco aliud extremum spectans ad sui naturalem integritatem; nihilominus supposito miraculo duplicatæ vbicationis connaturale est habere illud aliud extremum in vtroque loco. Ergo similiter continget, quamuis tale sit extremum, vt sine altero queat existere naturaliter, quantùm ex se est, in vno loco, & quamuis alteri competat ex se incapacitas, seu repugnãtia naturalis ad existendum in duobus locis totalibus; quæ incapacitas æquè conuenit extremo pertinenti ad naturale complementum. Vnde ruit quicquid P. Arriaga disp. 14. Physicorum sect. 10. num. 147. opponit aduersus proximè dicta. Sed optimè ibi impugnat Vasquium, quatenus is docuit, nec diuinitus posse constitui vnum extremum in duplici loco adæquato, quin aliud physicè vnitum ponatur vtrobique, quasi ratione loci deberet consurgere noua connexio essentialis; quæ ratione extremi secundùm se non dabatur.

EXERCITATIO OCTAVA.

De subsistentia compositi Empyrei.

CVm subsistentia sit vltimum complementum cuiusuis compositi substantialis, curta esset nostra tractatio de singulari composito Empyreo, ni de eius subsistentia aliqualem institueret exercitationem.

SECTIO I.

Existentia, & distinctio realis, ac positiua subsistentiæ à natura humana premittitur, vt inde inferatur quid censendum sit de Empyrea.

1 SI in natura nostra humana detur subsistentia, & vt quid positiuum, ac reale, siue absolutum, siue modale, distinguatur à natura ipsa, idem procul dubio asserendum erit, vt patebit ex sect. 2. de quauis alia creata natura, siue rationali, siue irrationali, nunc existente, aut similem habente conditionem. Ea autem subsistentiæ existentia certa est ex Incarnationis Mysterio; distinctio etiam videbatur mihi transolidè obfirmata à Theologis plerisque, vt supersedendum putarem ab hoc puncto, nisi recentium aliquorum inquieti conatus coëgissent non amouere manum. Sed antequam ad ipso deueniam, oportet præsupponere nonnulla, de quibus latius Pater Suarez disp. 34. Metaphysicæ.

2 Et primum sit, subsistentiam naturæ humanæ distingui ab huius existentia. Probant aliqui, quia accidentia, quæ non subsistunt, sed inhærent, gaudent propria existentia; nam vel hoc non distinguitur ab eorundem essentia, vel etsi distinguatur, sicut accidentia habent proprias vbicationes, & affectiones alias, ita debent habere proprias existentias. Sed inefficaciter, cum accidentis existentia sit accidentalis, proindeque dicetur longè aliena à ratione subsistentiæ. Probant alij, quia in Deo datur triplex subsistentia relatiua, nec tamen datur triplex existẽtia relatiua, sed vna tantùm, eaque absoluta, & communis tribus personis. Inefficaciter etiam quippe falsum relationibus diuinis

non competere proprias existentias. Melius argui posset ex naturæ diuinæ existentia absoluta, quæ neque absoluta, neque relatiua subsistentia est. Verumtamen hoc omisso, probatur suppositio, quia natura humana Christi subsistit per subsistentiam verbi, existit autem per propriam, & naturalem suam existentiam, tum quia ista non distinguitur ab essētia naturæ humanæ, tum quia productio naturæ humanæ Christi nequit terminari nisi ad eius existentiam, siue indistinctam siue distinctā ab essentia; tum denique quia natura humana Christi, vt materialis causa vnionis ad verbū debet pro priori naturę existens præire ipsam vnionem. Probatur deinde suppositio, quia natura humana per existentiam habet præcisè esse simpliciter extra causas; at per subsistentiam habet quidpiam aliud, de quo in sect. 9.

4 Supponendum secundò, subsistentiam naturæ humanæ distingui ab existentia, & proprietatibus Caracteristicis. Ab illa quidem ob proximè dicta; ab his verò, quia ex Concilio Lateranensi sub Martino 1. Canone 5. & 9. nec non ex sexta synodo Generali actione 4. Christus habuit has proprietates; cum tamen non habuerit, neque habeat subsistentiam propriam naturæ humanæ; & quia prædictæ proprietates sunt accidentia, ex quibus vnum per se substantiale, quale est subsistens, seu suppositum humanum, nequit constitui. Adde personas diuinas remotissimas esse ab eis proprietatibus accidentalibus. Patres aliqui Ecclesiastici, qui contra opponi possent, explicantur genuinè à Ruizio d. 32. de Trinitate sect. 6. supponendum tertiò, subsistentiam humanam non esse entitatem substantialem deriuatam ex omnibus accidentibus existentibus in humana natura. Quia alioqui amisso vel vnico accidente maneret natura sine subsistentia vel saltem nouam adquireret. Durandus in 1. d. 34. q. 1. à n. 9. Ysambertus confestim citandus alias rationes ministrabunt.

5 Supponendum quartò, subsistentiam propriam homini distingui ab ipsius indiuiduatione. Nam si hæc indiuiduatio consistat in collectione accidentium, vt indicat S. Thomas 1. p. q. & art. 3. in corpore (pro cuius expositione consulatur Ysambertus 3. p. ad q. 2. d. 2. art. 2.) militant eadem argumenta suppositionis secundæ; & præterea fieret, verbum assumpsisse immediatè accidentia, & quod absurdius est subsistentiam humanam, cum assumpserit naturam humanam non in communi, sed differentiis indiuiduantibus affectam, & in singulari, ac in atomo, vt Patres, & Theologi dictitant: nec aliter potuisset assumere. Si verò consistat in entitate substantiali intrinseca naturæ humanæ singulari, & terminatæ per se ipsam, redit idem argumentum ex mysterio Incarnationis. Nam verbum assumpsit naturam humanam indiuiduam, non verò subsistentiam humanam. Dum autem à Boetio definitur persona. *Rationalis naturæ indiuidua substantia*, adnotandum est cum S. Thoma 3. p. quæst. 16. à 12. ad 2. & q. 9. de potentia art. 2. ad 12. *indiuiduum sumi pro eo, quod non prædicatur de pluribus, id est*, sumi pro indiuiduo prædicabili, quod de vno tantum affirmatur, & non præcisè pro quouis singulari S. Anselmus ad finem cap. 2. de Incarnatione verbi sumpsit indiuiduum in posteriori sensu, & ex Incarnationis mysterio optimè deduxit personam humanam esse aliquid distinctum ab indiuidua natura humana. Dedi S. Patris verba in n. 59. Exercit. 4.

6 His suppositis, nonnulli ex Nostris Modernis accedunt ad sententiam Scoti in 1. dist. 23. q. vnica in 3. dist. & q. 1. dist. item 6. q. 1. quod lib. 19. art. 3. qui præter essentiam, existentiam, & indiuiduationem naturæ humanæ ait, subsistentiam humanam addere negationem actualis dependentiæ ab alio toto, seu supposito. Vnde cum humanitas Christi actu dependeat à supposito verbi, caret proinde subsistentia humana. Ipse Scotus meditatur aliam negationem aptitudinalis dependentiæ ab aliquo toto, seu supposito; cuius negationis defectu anima rationalis in statu separationis non sit subsistens, neque personetur. Reiicitur hæc sētentia primò ab aliquibus, quia humanitas Christi non pendet actualiter à verbo, posset enim separata à verbo ex vi eiusdem actionis conseruari naturaliter. Quare sicut anima rationalis, dum est vnita corpori, non pēdet actualiter ab hoc, quia ex vi eiusdem actionis conseruatur naturaliter, dum est separata, ita similiter &c. Secundò, quia natura diuina assumpta præcisè à proprietatibus personalibus non est subsistens siue absolute, siue relatiuè, & tamen sic sumpta nec actu pendet, neque naturaliter est apta pendere ab eis. Parui momenti argumenta. Respondebitur namque negationes dependentiæ, in quibus consistit subsistentia propria, esse negationes vnionis actualis, & aptitudinalis cū supposito altero, ideoque Christi humanitatem vtpotè actu vnitam verbo, & naturam diuinam eo modo acceptam, vtpotè quæ apta sit identificari, & reapse identificata sit tribus diuinis suppositis, non habere speciales subsistentias distinctas à verbo, & à diuinis tribus suppositis; etsi nec humanitas Christi dependeat efficienter à verbo, nec natura diuina à proprietatibus personalibus. Itaque hæc non constituunt supposita alia ab illa, seu non important subsistentias, quæ sint aliæ respectu naturæ diuinæ etiam vt præcisè sumptæ, cum ab hac sint indistinctæ realiter. Neque humanitas Christi gaudet subsistentia propria, cum alienam verbi sit realiter adepta. Præterea defectus dependentiæ à verbi supposito, tanquàm à causa efficiente, non arguit in humanitate propriam subsistentiam, nec item in natura diuina illo modo sumpta arguit aliam subsistentiam specialem defectus dependentiæ à tribus diuinis suppositis, tanquam à causis efficientibus, quia natura non debet sic dependere à subsistentia siue propria, siue aliena; satis est dependentia, vel quasi dependentia à posteriori.

7 Reiicitur aliunde primò, quia si subsistentia humana non in alio consisteret, quàm in negatione actualis vnionis ad verbum, tam ex ipsis terminis perspicuum fuisset, non assumptam à verbo subsistentiam humanam, vt frustrà laborassent Ecclesiæ Concilia, & synodi Generales à tertia vsque ad quintam in definienda ea veritate contra Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum. Quid enim ex terminis clarius, quàm humanitatem vnitam verbo non mansisse inunitam seu cum negatione vnionis ad verbum? Neque hoc videtur potuisse negari si ab Hæreticis, neque definiri ab Ecclesia nisi ridiculè, & nugatoriè (quod absit) Nam definire in humanitate per verbum fuisse impeditam, & exclusam subsistentiam creatam, idem esset, ac definire, humanitatem vnitam verbo non habuisse negationem vnionis ad verbum. Accedit, Patres non semel dicere, verbum supplere hypostasim creatam humani

humanitatis, & consumpsisse, ac absumpsisse personam humanam: qui modi loquendi haud proprij essent, si hypostasis, & personalitas humana consisteret in negatione. Satis impropriè diceretur lux supplere, & consumere tenebras; quin potiùs sicut aer tenebrosus propriè dicitur illuminari, sic suppositum humanum propriè diceretur assumi, & suppositari à diuino contra mentem, & phrasim Conciliorum, ac Patrum. Secundò, suppositum humanum est ens reale, substantiale, & per se. Siquidem Petrus v. g. reponatur in recta categoria substantiæ. Ergo constitui non potest per negationem, quæ nec ens reale, neque substantiale est, neque apta vniri physicè cum ente reali. Quòd si suppositum humanum constituitur ex negatione vnionis ad Verbum, quidni possibile erit compositum humanum constitutum ex materia, & negatione vnionis ad formam irrationalem? Tertiò, subsistentia humana est complementum naturæ humanæ constituens ipsam in esse substantiali perfecto. Ergo subsistentia humana nequit consistere formaliter in negatione; cum hæc non possit esse complementum substantiale, & perfectio entis alicuius substantialis. Antecedens probatur, quia si natura humana esset ex se completa, & constituta in esse substantiali perfecto positiuè, non posset ex ipsa, & ex Verbo vnito resultare vnum substantiale per se; siquidem ex duplici ente prorsus, & positiuè completo resultare nequeat vnum per se. Quartò, natura vna humana potest diuinitus vniri alteri Angelicæ. At tunc vna & altera subsisteret in se & non subsisteret in se, si subsistentia in se sit negatio vnionis naturæ vnius cum altera; subsisteret quidem in se vtraque, quia vna non subsisteret in alia, cur enim potius natura humana in Angelica subsisteret, quàm è conuerso? Deinde neutra subsisteret in se ob defectum negationis vnionis mutuæ. Dices, fore, vt vtraque abstraheret à subsistentia in se, & in alia, sed contra, quoniam ei abstractioni opponitur negatio vnionis reciprocæ. Dices rursus, fore, vt vtraque subsisteret in se, & in alia. Sed contra, quia alioqui daretur, & non daretur negatio vnionis inter vtramque. Dices iterùm, nisi vnio, aut negatio vnionis consideretur in vna natura respectu alterius habentis subsistentiam positiuam, qualem habet natura diuina, non verò Angelica, impertinens prorsus esse præsenti instituto. Sed contra, quia ineptè declaratur subsistentia, quatenus sit negatio vnionis inter vnam naturam positiuæ subsistentiæ compotem; & quia mea subsistentia propria non tantum debet importare negationem vnionis cum natura diuina, sed etiam cum natura Angeli. Quintò, per vnionem Verbi diuini cum natura humana, etsi hæc amittat negationem vnionis ad naturam diuinam, non tamen ad Angelicam, Exempli gratia. Ergo natura humana assumpta à verbo subsistet partim in alio, nempè in verbo ob defectum negationis vnionis cum ipso, & partim subsister in se, ob negationem vnionis cum Angelo. Quæ sequela irreligiosa est.

7 Repellitur sextò, non est potior ratio, vt humana natura subsistat in se per negationem vnionis cum diuina, quàm vt è contra. At natura diuina non subsistit in se per negationem vnionis cum humana, ne absurdè sequatur subsistere in hac, quando aduenit vnio, & aufertur negatio, vti in tali casu subsistit hæc in illa. Ergo &c. Vrgeo, subsistentiæ increatæ sunt quid positiuum. Ergo & creatæ. Antecedens constat, tum quia sunt perfectiones naturæ diuinæ; tum quia subsistentia Patris producit realiter subsistentiam Filij, & vtraque subsistentiam Spiritus sancti, negatio autem nec est perfectio, neque potest realiter producere, aut produci: tum quia alioqui Mysterium Trinitatis nihil aliud adderet naturæ diuinæ, quàm negationes, & per has constituerentur, ac distinguerentur personæ increatæ, verbumque sola negatione terminaret humanitatem, solaque negatio esset terminus vnionis hypostaticæ inter humanitatem & diuinitatem. Consequentia iam fulcitur: tum quia subsistentia creata est participatio increatæ: quare cum hac in ratione entis positiui debet habere proportionem: tum quia licet ex triplici subsistentia naturæ diuinæ non valeat argumentum ad triplicem naturæ humanæ, valet tamen ex entitate positiua subsistentiæ increatæ ad entitatem positiuam creatæ: quemadmodùm licet ex vnico realiter actu diuino, qui sit intellectio, & volitio, non valeat argumentum ad vnicum realiter actum creatum, qui sit intellectio, & volitio, valet tamen ex entitate & perfectione positiua intellectionis, aut volitionis diuinæ ad entitatem, & perfectionem positiuam intellectionis, aut volitionis creatæ. Septimò, natura humana, est absolutè, & simpliciter indifferens secundùm se ad negationem vnionis cum verbo, & ad vnionem ipsam. Nam licet naturaliter sit inepta vniri; tamen obedientialiter est capax. Ergo, vt negationem vnionis præ vnione ipsa habeat, opus est aliquo positiuo superaddito, in quo fundetur, & ex quo resultet ea negatio. Octauò, si suppositum humanum requirit, vt quid constitutiuum sui, negationem aptitudinalis vnionis ad verbum, imò & essentialem cum vnione repugnantiam, adiicitur, aut præsupponitur sine causa, vt constitutiuum negatio altera vnionis actualis: nam quod omnino est repugnans vniri, hoc ipso præcisè non vnitur actu. Nonò, manus hominis diuisa à reliquo corpore est subsistens, neque tamen habet negationem aptitudinalis vnionis ad partes subsistẽtes brachij. Decimò, ea, quæ vocatur negatio dependẽtiæ aptitudinalis, non est negatio, sed positiua repugnantia naturalis cum dependentia; sicut è contra in anima rationali separata dependentia aptitudinalis est positiua capacitas naturalis ad dependentiam, aut vnionem cum corpore, vt subiecto informationis. Vndecimò, creatio Angeli independentis tam actu, quàm aptitudine à subiecto sustentãte, non consistit formaliter in negationibus, sed in aliquo ente positiuo. Ergo similiter subsistẽtia propria eiusdem Angeli non consistet formaliter, nisi in positiuo aliquo ente. Vt enim Angeli creatio opponitur actuali, & aptitudinali dependentiæ à subiecto sustentante, ita subsistentia propria opponitur actuali, & aptitudinali dependentiæ ab alieno supposito. Et hæc satis contra Scotum, & Modernos illos, quorum tergiuersationes ad plæraque obiecta non refero; quia mei ingenij tenuitas non benè eas calluit sæpe lectitatas. *Et quis*, (vt ait S. Hieronymus lib. aduersus Iouinianum) *superare queat, cuius assertionem penitus ignoret?*

8 P. Vuadingus disp. 4. de Incarnatione, P. Martinonus tomo 1. d. 36. sect. 3. tomo 4. d. 5. sect. 6. & alibi sæpe tradunt, (insinuatque P. Salmeron tom. 2. tractat. 27. pagin. 266. licet, tract. 11. pag. 136. nobis fauere videatur) subsisten

subsistentiam humanam non esse entitatem absolutam, nec modalem distinctam ab humanitate realiter; sed esse quandam quasi formalitatem distinctam virtualiter extrinsecè, seu ratione ratiocinata cum fundamento in re, vti solet dici de subsistentiis diuinis, & de actibus liberis increatis comparatis cum essentia Dei. Vnde hæc opinio differt ab alia Durandi in 1.dist.34. q.1.n.15. Henrrici Gaudauensis,& non paucorum Nominalium, penes quam subsistentia, & suppositum humanum sola ratione ratiocinante distinguitur ab humanitate. Quæ Durandi, & reliquorum opinio non sine supercilio excipitur à Theologis, maléque audit apud ipsos. Si enim homo, siue suppositum humanum non aliter distinguatur ab humanitate quàm ex modo significandi, stare non potest,quòd à verbo assumpta sit humanitas, non verò homo,siue suppositum humanum: quemadmodùm stare non potest, quòd assumpta sit entitas creata, & non sit assumptum ens creatum; cuius distinctio ab entitate creata; non alia est, quam ex modo significandi: & quemadmodùm stare non posset,quòd assumeretur animal rationale, seu habens animalitatem, & rationalitatem, quin assumeretur homo Metaphysicè, qui ab animali rationali differt ex solo modo significandi, vel potiùs sola ratione ratiocinante. Hoc argumentum, quod efficacissimum est contra Durandum,& Henricum, retinet eandem ferè vim contra Vuadingum, & Martinonum, Nam si natura humana, re ipsa, est homo, siue suppositum humanum,fiet, vt verbum assumens naturam humanam,assumpserit re ipsa hominem,siue suppositum humanum. Sic quia verbum assumpsit naturam humanam, & à diuina distinguitur tantùm virtualiter extrinsecè,& sola ratione ratiocinata cum fundamento in re expræcitatis Theologis, fit, vt natura humana assumpta sit à. Diuina re ipsa, & in sensu reali,ac identico:sitque etiam,vt in Christo sit duplex natura altera diuina, altera humana. Quis autem Catholicè concedat, existere in Christo re ipsa suppositum diuinum, ac humanum, & hoc assumptam re ipsa fuisse ab illo? *Absit hoc ab intellectibus nostris*,inquit S.Gregorius Magnus homilia 38.in Euangelia,*vt personam Dei & hominis Redēptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus; sed ex duabus personis compositum credi,vt nefas, vitamus*. Vrgetur argumentum, natura humana, quæ re ipsa, penes Aduersarios est persona humana, existit in Christo sine diminutione alicuius prædicati realis, & identici.Ergo & existet realiter, & identicè in Christo persona humana. Consequens autem non videtur admitti posse Catholicè. Ergo neque andecedens quo ad indistinctionem realem naturæ humanæ à persona humana admittendum est vllatenus. Vrgetur rursus, ea, quæ sunt indistincta realiter,sunt realiter inseparabilia. Ergo si natura humana esset indistincta realiter à persona humana,esset ab hac realiter inseparabilis. Ergo adhuc assumpta per verbum maneret realiter indiuisa ab hac. Plura alia contra Vuadingum, & Martinonum suggerit sectio 1. præcedentis Exercitationis. Nec inexpensi habeant Ecclesiæ Patres, qui apud Suarium disp.34. Metaphysicæ sect.2. numer. 6. apertè docent distinctionem subsistentiæ à natura humana: quæ distinctio pro instituto Patrum aduersus Hæreticos maior videtur esse quàm rationis ratiocinatæ, & per nostros conceptus. Nam Patres contendebant, non dari in Christo personam humanam, & diuinam, sicut re ipsa datur natura humana, & diuina. Et vt primum probarent, recurrebant ad distinctionem inter naturam humanam, & subsistentiam humanam. Si verò ea distinctio esset tantùm rationis ratiocinatæ, & per nostros, conceptus responderent facilè Hæretici, dari re psa in Christo duas personas, licet per nostros conceptus non nisi vnica, atque diuina daretur.

9 Aduersus entitatem, siue absolutam, siue modalem subsistentiæ humanæ superadditam humanitati argumentatur primò Martinonus. Natura diuina non subsistit per subsistentias relatiuas,quæ ex parte rei, & obiecti sint distinctæ ab ipsa. Ergo neque humana natura subsistet per subsistentiam, quæ ex parte rei, & obiecti distinguatur ab ipsa. Secundò, illud debet subsistere per se, quod est aptum per se subsistere, alioquin aliud est aptum subsistere, & aliud subsistit: & non est idem, quod potest subsistere, & subsistit: quod est apertè impossibile. Sed natura humana est apta per se subsistere. Ergo per se subsistit. Ergo non subsistit per aliquid à se ex parte rei, & obiecti distinctum: nam sic subsistere, non est subsistere per se; & contradictio est in terminis dicere, quod res subsistat per se, & tamen subsistat per entitatem à se distinctam.Vt si quis diceret, rem existere per se, & tamen existere formaliter per aliud à se distinctum; id est habere formam, seu rationem formalem existentiæ per aliud à se distinctum. Adiicit Martinonus tertium aliud argumentum: sed quod proponetur, & dissoluetur in num.38. Respondeo ad primum, subsistentias diuinas relatiuas distinguit inter se realiter, & à natura diuina, licet non realiter, plus tamen, quàm ratione ratiocinata: & cum hæc distinctio (quæ virtualis intrinseca vocatur communiter) reperiri solùm queat inter prædicata entis infiniti, non posse non naturam humanam absque propria subsistentia humana assumptibilem à verbo habere maiorem distinctionem, proindeque realē à propria subsistentia humana. Quod si quæ de natura diuina, & de diuinis subsistentiis relatiuis verificantur, vt communicari illam Filio, & Paternitatem non communicari, illam non vniri immediatè humanitati, vniri verò verbum, illam non produci realiter, & produci realiter Filiationem, saluare velis sola distinctione rationis ratiocinatæ cum fundamento in re (quæ frequenter nuncupatur distinctio virtualis extrinseca) dicam hac sola distinctione saluari non posse ea, quæ verificantur de natura humana, & de ipsius propria subsistentia, videlicet assumi naturam humanam à verbo, & non assumi propriam ipsius subsistentiam. Sic distincto virtualis extrinseca sufficiens iuxta te inter voluntatem Dei, & eius actus liberos,nullatenus sufficit inter voluntatem humanam, liberosque eius actus. Ad secundum respondeo, naturam humanam per subsistentiam terminari intrinsecè, quà substantia est, seu vt sic reddi non indigentem alio, quo afficiatur; hunc autem effectum formalem prouenire optimè posse à forma, qua ex parte rei, & obiecti distinguatur ab ipsa natura humana: non secus ac ex anima rationali, sic distincta prouenit in materiam effectus formalis non indigentis alio,quo afficiatur,quatenus est primum subiectū.

Patetque ex verbi subsistentia communicata humanitati, à qua realiter distinguitur, posse naturam substãtialem subsistere per aliquid distinctum ex parte rei, & obiecti. Videatur ipse Martinonus tomo 4.d.1.sect.3.qui cum in num.22. proposuisset idem omnino argumentum contra subsistentiam humanitatis per verbum diuinum realiter distinctam ab ipsa humanitate, postea in num.25. illud diluit. Et cuius promptum erit acommodare naturæ subsistenti per propriam subsistentiam ex natura rei distinctam quæ de subsistenti per alienam sic distinctam differt. Quod enim natura subsistens per propriam subsistentiam, subsistat per se, seu stet per se neutiquam obest distinctioni subsistentiæ; dicetur namque ita subsistere, seu stare potiùs, quàm quæ subsistit per alienam, quia vi propria, & ab intrinseco habet subsistentiam.

10 Argumentantur alij tertio, non potest vna materia esse subiectum duplicis formæ substantialis; neque vna forma substantialis esse subiectum alterius formæ subtantialis; sed si subsistentia esset entitas distincta à materia, & anima rationali, materia reciperet tum subsistentiam, tum animam rationalem, quæ sunt duæ formæ substantiales, & anima rationalis reciperet etiam ipsam subsistentiam. Si respondeas, hanc non esse formam, sed puram terminum, quemadmodùm in linea punctum non est forma, nec actus sed purus terminus. Contra est, quia subsistentia creata recipitur in natura substantiali vt entitas incompleta dependens ab ipsa infieri, & conseruari. Quare non vtcumque erit forma & actus naturæ, vti respectu materiæ est anima rationalis, sed potiori iure, quàm hæc, æmulabiturque formas substantiales materiales. Exemplum puncti nequicquam adducitur, cum in linea non recipiatur, sed ei solummodò sit continuum. Quartò, non aliæ sunt partes hominis, quàm materia, & forma. Sed si homo constaret subsistentia distincta, hæc etiam esset eius pars, si quidem pertineret non minus, quàm materia, & forma ad intrinsecum, & essentialem conceptum hominis: corpus namque, & anima rationalis absque subsistentia non est homo. Vtrunque argumentum patitur instantiam in vnione materiæ, ac formæ rationalis: est namque substantialis, & recipitur, ac sustentatur in materia, & forma rationali: quæstioque erit de nomine, an vocanda sit forma? Pertinet etiam ad intrinsecum, & essentialem comceptum hominis, quicquid sit, an appellanda sit pars hominis? Communiter, & benè non dicitur forma, sed nexus materiæ, ac formæ: neque item pars; sed vinculum partium: Cuius ratio tradita est in sect.1. Exercitationis proximæ. Respondeo absolutè ad tertium, materiam non posse esse naturaliter subiectum duplicis formæ substantialis, quarum vtraque sit complementum ipsius, quà primum subiectum est; posse tamen esse naturaliter subiectum vnius hoc modo se habentis; & alterius habentis se vt complementum materiæ, quà est substantia. Similiter dum asseritur, vnam formam substantialem non posse esse subiectum alterius, sermo est de altera, quæ sit suapte naturà complementum materiæ sub conceptu primi subiecti. Addo nomine formæ substantialis communiter significari actum materiæ vt primi subiecti. Ad quartum, subsistentiam non esse partem naturæ humanæ, seu compositi humani, secus verò hominis, seu personæ humanæ; præsertim si subsistentia non sit modalis, sed absoluta entitas. Nam si modalis sit dicetur multò minus pars suppositi humani. Præterea alia argumenta, quorum solutio perspicua est apud Franciscum Amicum tomo de Incarnatione d.1. sect.2. aliosque in hac exercitatione laudatos, & laudandos.

SECTIO II.

Deducitur existentia, & distinctio realis, ac positiua subsistentiæ in Empyreo, Vbi an repugnet substantia creata, siue composita, siue simplex habens subsistentiam realiter indistinctam?

11 EX naturæ humanæ subsistentia fit communiter illatio ad alias naturas compositas materia, & formis irrationalibus. Nam cum illa natura sit perfectior his, si subsistentiæ non est expers, nec hæ erunt. Rursus si illa non est immunis imperfectione distinctæ realiter subsistentiæ positiuæ, idem à fortiori censeri debet de his. Ita discurrunt Arriaga d. 4. Metaphysicæ numer.102. Alfonsus d.8. Physicorum numer.8. sed non desunt, qui putent, maiorem esse perfectionem, non habere sibi identificatam subsistentiam. Quicquid de hoc sit, Mysterium Incarnationis suadet, non solum rationalem animam gaudere distinctâ susistentiâ. Si quidem verbum diuinum non sit hypostaticè vnitum corpori separato ab anima rationali in triduo ante resurrectionem. Quòd si verbum vnitum fuit immediatè non solùm materiæ, sed etiam formæ cadauericæ corporis emortui: quòd si prætereà verbum assumpsit sanguinem, & hic rationali anima non informatur in homine, ad est conuincens argumentum alias ad omnes formas substantiales materiales.

12 Imò multi existimant, repugnare substantialem naturam, quæ non gaudeat subsistentiâ distinctâ. Sic Sarez disp.34. Metaphysicæ sect.3. numer.9. Petrus Hurtadus disp.11. Metapysicæ sectio 4. §.39. Turrianus parte 1. selectarum d.23. dub.1. Cardinalis Lugus d. 12. de Incarnatione sectio 2. numer.21. Franciscus Alfonsus d 8. Physicorum sectio 2.numer.9. Balthasar Tellez parte 3. Philosophiæ d.55.sectio 2. Probant pirmò, quia repugnat substantia creata, quæ sit identificata cum actione. Ergo & quæ sit identificata cum subsistentia; operari enim sequitur esse quoad perfectionem saltem, & simplicitatem. Secundò, inter naturam diuinam, & eius subsistentiam datur virtualis distinctio. Ergo & inter naturam creatam, & eius subsistentiam datur distinctio alia, quæ maior sit, si quidem Deus debet esse simplicior, quàm creatura. Tertiò, natura diuina, quæ est summè perfecta, habet subsistentias distinctas virtualiter ab ipsa: rursus natura humana, quæ est media inter Angelicas, & irrationales, compos est subsistentiæ realiter distinctæ. Ergo nulla natura est possibilis, quæ non habeat subsistentiam distinctam. Id namque est sufficiens fundamentum ad putandum superaddi susistentiam naturæ

naturæ, non ratione perfectionis, aut imperfectionis, sed ratione naturæ substantialis, quà talis est. Quartò, compositio ex natura, & subsistentia non conuenit composito corporeo, quà præcisè est corporeum, neque substantiæ spirituali completæ, quà præcisè est spiritualis. Ergo conuenit, quia participant prædicatum aliquod commune; quod quidem videtur esse prædicatum naturæ substantialis creatæ: maximè cum impossibilis appareat gradus substantiæ creatæ perfectior supra Angelicum. Quintò, impossibilis est substantia creata excludens compositionem accidentalem. Ergo & excludens compositionem ex termino substantiali subsistentiæ; hæc namque compositio est magis connaturalis substantiæ creatæ. Sextò, repugnat accidens, quod habeat inhærentiam indistinctam, alioquin esset inseparabile à subiecto. Ergo repugnat substantia creata habens indistinctam subsistentiam. Septimò, substantia creata identificans sibi subsistentiam esset inassumptibilis à Deo; cum tamen aliunde sit de ratione substantiæ creatæ, vt possit pendere à Deo omnibus modis non inuoluentibus contradictionem. Confirmatur ex S. Gregorio Nysseno cap. 27. orationis Catecheticæ magnæ, vbi admittens potuisse suscipi hypostaticè à Deo creatam quamcumque substantiam siue cælestem, *siue terrestrem*, inquit, *ab eius enim, qui est altissimus, & ad cuius altitudinem non patet aditus, naturâ ex æquo distat omnis creatura, & sunt omnia ei æqualiter subiecta. Nam id, quod est eiusmodi, vt ad id omnino non pateat aditus, non alicui quidem præbet aditum: aliquid verò ad ipsum non potest appropinquare; sed ex æquo vniuersa, quæ sunt, superat, & superueniet. Neque est ergo terra remotior à suprema illa dignitate, neque cælum propinquius; neque quæ vitam degunt in vtroque elemento hac in re quicquam à se inuicem differunt, vt alia quidem attingant naturam, ad quam non patet aditus, alia verò ab ea secernantur.*

13 Sed his non obstantibus Arriaga d. 4. Metaphysicæ num. 101. Ouiedus controu. 6. Metaphysicæ puncto 2. n. 18. pronuntiant non obtineri repugnantiam. Et Albertus Magnus in 3. d. & quæst. 2. art. 2. non distinguit subsistentiam à natura Angelorum existentium. Id ipsum innuere videtur S. Thomas 1. p. quæst. & art. 3. & in 3. dist. 5. q. 1. art. 3. lib. 4. contra Gentes cap. 55. v. *Considerandum est*. Opusculo de ente & essentia cap. 5. necnon quæst. 9. de potentia art. 4. Ex quibus responderi potest ad primum negando antecedens de actione, quæ non sit effectus, & concesso antecedente, negando consequentiam; nam vt operatio distincta sequatur esse; satis est, quòd esse sit compositum ex distinctis aliis entitatibus, quæ accidentales sint. Et sicut ex distinctione actionis à substantia creata infers distinctionem subsistentiæ, ita colligere posses existentiæ distinctionem, quam tamen ipse diffiteris. Ad secundum, subsistentiam creaturæ non debere esse relatiuam, vti debent esse tres diuinæ; qua de causa distinguuntur virtualiter à natura diuina, & realiter inter se. Nec creatura esset Deo simplicior, cum admitteret complementa complura accidentalia. Ad tertium, naturam diuinam gaudere subsistentiis modo præfato distinctis ratione perfectionis producendi ad intra; naturam autem humanam ratione capacitatis terminandi à verbo diuino. Sed hinc non consurgere sufficiens fundamentum, in quo adstruatur exigentia subsistentiæ distinctæ à natura substantiali, qua talis est. Ad quartum, composito humano conuenire constitutionem ex natura, & subsistentia ob capacitatem terminandi à verbo increato cognitam ex Incarnationis mysterio; & exinde à paritate tribui eandem capacitatem naturis Angelicis de facto existentibus. Cum ergo ad naturas alias possibiles siue perfectiores, siue imperfectiores non fiat ineuitabilis progressio penes similem capacitatem, ideo non videtur repugnare natura, quæ per se ipsam sit completa in esse substantiali, quin indigeat complemento substantiali subsistentiæ superadditæ. Ad quintum, repugnare substantiam creatam, quæ multis accidentibus non subiaceat, aut saltem subesse non possit, idque ob rationes alio in loco, ac tempore expendendas, ac prælibatas in n. 8. Exercit. 4. quæ nullatenus militant contra defectum compositionis ex substantiali natura, & subsistentia. Ad sextum, accidentis realis vt distincti à modali eum esse conceptum, vt seipso non inhæreat subiecto, neque aliud posse inter vtrumque assignari discrimen; Cum tamen non vnum, sed multiplex assignabile sit inter accidens, & substantiam, licet hæc se ipsa sit subsistens. Ad septimum, restare probandum debere esse possibilem omni naturæ substantiali creatæ modum dependendi à Deo Hypostaticè, siue ob conceptum naturæ substantialis creatæ, siue ob perfectionem Dei siue ob vtrumque simul. S. Nyssenus exponi potest de substantiis tantùm, quæ actu creatæ sunt, aliisque possibilibus similis conditionis.

14 Verùm etsi non ostendatur manifestè implicantia contradictionis in natura creata subsistente per se ipsam, alterius esse conditionis Angelicas existentes persuadet mihi locus ille Pauli ad Hebræos 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. In quo commendatur Dei misericordia erga genus humanum, quatenus Verbum diuinum apprehenderit ipsum hypostaticè præ Angelis. Sanè si Angelos existentes non potuisset assumere, vana esset commendatio hæc comparatiua. Ignarus non sum aliorum sensuum illius loci, sed appositus acceptior est Patribus, interpretibus, Biblicis, & Theologis. Horum etiam consensus persuadet mihi, subsistentias distinctas in Angelis existentibus; quos assumi posse à Verbo, fatetur apertè Angelicus Doctor 3. part. quæst. 4. art. 1. ad 3. Aliter sensisse 1. p. quæst. & art. 3. Concedit Caietanus, quia tunc nondum tractarat exactè S. Doctor Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Obseruatiores (& meritò) sunt in S. Doctorem Syluester cap. & art. 3. circa §. 2. Suarez d. 34. Metaphysicæ sect. 3. num. 16. & 17. Fassolus in 1. p. quæst. & art. 3. dub. 1. num. 3. Ouiedus controuers. 6. Metaphysicæ, puncto 2. num. 22. Auersa quæst. 19. Philosophiæ sect. 3. Rua tom. 1. contr. 2. Scholastica pagin. 264. Aponte 1. part. quæst. art. & dub. 3. Araujus 1. part. quæst. 54. art. 5. dub. 1. num. 36. videndi penitùs vt tanti Doctoris mens sibi constans percipiatur. Tunc sic: Ex eo quòd verbum potuerit assumere hypostaticè Angelos existentes, infertur præditos esse distincta subsistentia, vti ex facta à verbo assumptione naturæ humanæ deducimus, hanc potiri ex se subsistentia distincta. Compositionem istam ex natura, & subsistentia noluit ab Angelis relegare S. Dionysius Areopagita c. 1. de cælesti Hierarchia, dum dixit, eos esse omnino simplices, & in supremo gradu simplicitatis; quemadmodùm noluit excludere

excludere compositionem ex substantia, & accidentibus; sed alias ex materia, & forma tam spiritualibus, quàm corporeis. Dices ex Petro Hurtado d.41. de Incarnat. §.2. etsi Angelus haberet indistinctam subsistentiam posset adhuc assumi à verbo; nam non repugnat, eandem naturam creatam subsistere simul per subsistentiam creatam & increatam contrà, quia quamuis natura creata habens subsistentiam propriam distinctam capax obedientialiter sit accipiendo subsistentiam alienam verbi, non tamen habens subsistentiam propriam indistinctam. Entitas namque, quæ sit formaliter subsistentia, est formaliter in assumptibilis, & vlteriùs terminabilis esse non potest, repugnatq; non minus ex terminis ipsis subsistentiam vt talem reddi subsistentem per aliam, quàm materiam reddi materializatam per aliam aut formam substantialem reddi informatam substantialiter per aliam. Iam verò si Angelus habens indistinctam subsistentiam propriam assumeretur à verbo, ipsa subsistẽtia propria Angeli redderetur subsistens per verbũ, quandoquidem redderetur subsistens natura Angelica, à qua dicis non distingui propriam subsistentiam, nisi vt summum per nostros conceptus. Contra deinde, quia assumptionẽ Angelicæ naturæ à verbo non alio modo proponit possibilem S. Paulus, quàm quo facta est humanæ naturæ assumptio: sed hæc facta est non manente personalitate creata in Christo. Ergo illa proponitur possibilis non manente etiam personalitate creata. Potuissem distinctionem subsistentiæ à natura Angelica comprobasse expersuasione aliquorum Patrum, qui in assumptione corporum ab Angelis substantialem intercessisse vnionem existimarunt, proindeq; secundum personam Angelicam. Nam substantialis vnio debet esse inter partes substantiales incompletas, quarum vna ordinetur ad aliam, vt ab ea compleatur, & perficiatur, nisi talis vnio sit personalis, qualis fuit Verbi cõpleti essentialiter, & perfecti infinitè ad naturam humanam. Cum ergo Angeli sint entia substantialia essentialiter completa, substantialis vnio inter ipsos, & corpora personalis procul dubio fuit secundùm illos Patres. Ita Tertulianus c.3. & 6. de carne Christi, sermonem habens de apparitionibus Angelorum narratis in sacris litteris. Origenes tom. 2. in Ioannem, & alij, quorum meminit S. Hieronym. prefatione in Malachiã, & c.1. Aggæi, epistolaque 126. ad Euagrium, dixerunt Ioannem Baptistam, Malachiam, & Aggæum fuisse Angelos incarnatos; sed & S. Ambros. S. Hieronym. Theodoretus, & Beda, apud Maluendam lib. 2. de Antichristo c 7. indicant, Antichristum fore Diabolum incarnatum. Quæ etsi vera non sint, manifestant tamen præfatorum Patrum mentem circa distinctionem substantiæ ab Angelica natura.

15 Ex dictis deduco, compositum substantiale Empyreum prædictum esse subsistãtia distincta ab ipso realiter. Etsi enim non videatur repugnare compositum ex materia, & forma substantiali materiali gaudens subsistentia indistincta ab illis, & vnione, diceretur sine fundamẽto existere nunc in vniuerso, & tale esse Empyreum S. Gregorius Nyssenus cap. 27. orationis magnæ catecheticæ, & S. Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 7. lib. de vera Religione cap. 16. insinuant corpus cæleste potuisse hypostaticè assumi à verbo diuino. Vnde specialiter colligitur corpus illud suapte naturâ affici per distinctam subsistentiam. Confirmatur, quia Patres Ecclesiæ, dum contra Valentinianos, & Gnosticos, qui dixere, verbum diuinum assumpsisse corpus æthereum, argumentabantur, nusquam refutarunt eos hæreticos, quòd impossibilis esset assumptio corporis cælestis à verbo in sectionis calce aducto refutatus iam satis, superque à me exercit. 4. sect. 3. ac. 5. Iandunum, & nobilem quendam recentiorem, qui distinguentes realiter totum substantiale à partibus simul sumptis, & vnitis, dixere, subsistentiam esse prorsus indistinctam à toto, seu à totalitate. Quare hìc actum non agam.

SECTIO III.

An subsistentia Empyrei sit eius productio?

16 P. Augustinus Bernal. d. 12. de Incarnat. sect. 1. singularem, & nouam calcat viam. Asserit namque, omnem productionem termini substantialis independentis à supposito alieno esse subsistentiam illius. Ex manuscriptis sapientissimi Theologi arripuit assertum hoc Ioachimus Valentinus in Physica, protulitque in lucem illaudato ingeniosi inuenti Authore, & Parente. Indicat id ipse Bernal. §.2. num. 16. Ait itaque, actiones naturales terminatas ad materiam & formam substantialem Empyream v. g. necnon ad vnionem substantialem connectentem ipsas, & præterea ad vniones continuatiuas substantiales, tum vnius partis materiæ cum alia parte, tum vnius partis formæ substantialis Empyreæ cum alia, esse subsistentias terminorum, quos producunt. Sic habet expresè sectio 1. §.3. n.28. Si verò Empyreum supernaturaliter dependeret à subsistentia aliena, inquit, actiones supernaturales terminatas ad materiam formam & multiplices illas vniones non fore subsistentias ipsarum, quia non redderent ipsas independentes à supposito alieno, quin potiùs per tales actiones vnirentur formaliter extraneæ subsistentiæ; vti accidentia vniuntur formaliter subiecto per actionem naturalem, per quam producuntur eductiuè. Hinc sect. 2. ac. 3. declarat qua ratione productio humanitatis Christi Domini non sit subsistentia ipsius, quia nimirum est simul vnio cum aliena verbi diuini. Dictis de productione naturali compositi Empyrei præludit sect. 1. §.2. ex creatiua substantiæ spiritualis completæ, scilicet Angeli, adstruens, creationem Angeli esse formaliter eius subsistentiam propriam.

17 Suadet id primò à num. 20. Creatio Angeli reddit ipsum independentem à supposito, & à subiecto, seu reddit non egentem alio à quo tanquam à termino substantialiter compleatur, nec non alio, à quo tanquam à subiecto sustentetur. Ergo creatio entitatis Angelicæ est eius subsistentia propria. Hæc enim nihil aliud præstat, quam reddere naturam substantialem independentem à supposito, & à subiecto. Obfirmat antecedens, quia accidentis inhærentia, (quæ est opposita creationi) reddit simul ipsum completum in suo esse accidentali, & dependens formaliter à subiecto, cum accidens compleatur, & vniatur formaliter per inhærentiam indistinctam ab eductione. Ergo similiter &c. Suadet secundò, Angelus per naturalem creationem est independens à supposito. Ergo est formaliter subsistens,

subsistens. Munit Antecedens, etenim naturalis creatio Angeli est per se ipsam, & vt quò independens à supposito, vti & à subiecto inhæsionis. Ergo reddit Angelum independentem, vt quòd à supposito, vti & à subiecto, siquidem ab illa habet Angelus totum suum esse. Tertiò, creatio Angeli est eius essentiale complementum, & cum ipso constituit vnum substantiale concretum. Ergo est eius subsistentia. Quartò, si subsistentia Angeli sit entitas absoluta, vel modalis recepta in ipso, non minus generaretur Angelus, quàm homo; si enim hic dicitur generari, quia generatur vnio, per quā constituitur, etiam ex generatione subsistentiæ diceretur generari Angelus, qui in ratione suppositi constituitur ex subsistentia. Quintò, subsistentia diuini verbi est realiter, & formaliter indistincta ab eius productione. Ergo & subsistentia Angeli.

18 Hæc argumenta non sunt adeò efficacia, vt in opinationem Augustini Bernali nos afficiant. Ad primum respondetur primò, negando Antecedens, cuius obfirmatio falso nititur fundamento, vt visum est in sect. 4. Exercitat. Præcedentis, vbi stabiliuimus, eductionem formæ materialis distingui ab vnione ad subiectum. Respondetur secundò, effectum formalem subsistentiæ propriæ non esse reddere Angelum independentem à supposito, nec à subiecto. Bernal n. 20. fatetur id vltimum, de quo, & de primo agemus in sect. 9. Respondetur tertiò, reddendo disparitates inter accidentis eductionem, & creationem Angeli, gratis admisso eductionem esse indistinctam ab inhærentia. Prima disparitas est, quia eductio non est via ad accidens, vt reddendum inhærens; ast creatio est via ad reddendum Angelum subsistentem, vt constabit ex argumentis, quibus impetemus propositam sententiam. Secunda, quia eductio non est vltimum complementum formæ eductæ, alioqui ex forma substantiali materiali adueniente pro posteriori, & ex materia non resultaret vnum per se. Ast subsistentia est vltimum complementum substantiale Angeli; ideóque debet esse distincta ab actione creatiua. Tertia, quia eductio est omnino inseparabilis ab inhærentia accidentis; creatio verò non est essentialiter inseparabilis à subsistentia; cum creatio humanitatis Christi Domini separetur actu à subsistentia propria humana. Quarta, quia eductio est essentialiter productio accidentis in subiecto; creatio autem non est essentialiter productio Angeli extra suppositum alienum, vt patet exemplo proximè adducto. Ad secundum respondetur primò, Angeli creationem secundùm se, neque esse independentem vt quo à supposito, neque dependentem, sed præcindere ab vtroque; id est, indifferentem esse, quantùm ex se est, vt coniungatur cum subsistentia propria, vel aliena. Etenim Angelus, quem producit, indifferens est, vt terminetur subsistentia propria, vel aliena, non tamen vt dependeat à subiecto; vti neque ipsa creatio. Ex quo apparet cur hæc sit potiùs independentia vt quò à subiecto, quàm à supposito. Respondetur secundò, creationem naturalem Angeli esse à supposito independentem, non quidem in facto esse, & per modum termini; sed in fieri, & per modum viæ, quatenus Angelus vt productus per talem actionem, nec attingit, neque potest attingere subsistentiam alienam. Admittitur ex abundanti, creationem naturalem Angeli connecti essentialiter cum subsistentia propria illius.

19 Ad tertium respondetur primò, creationem naturalem Angeli esse complementum substantiale huius, vt creati; non verò vt subsistentis, quemadmodùm de creatione humanitatis Christianæ concedere debet ipse Bernal. Respondetur secundò, creationem non esse complementum substantiale, vti opus est ad subsistentiam, quia omnis actio creata est accidens. Respondetur tertiò, subsistentiam esse complementum substantiæ per modum termini, ac formæ; tale autem complementum debere subsequi pro posteriori substantiā, ac proinde distingui ab actione creatiua Angeli, vtpote præcedente ipsum pro priori. Ad quartum respondetur, absurdum nō esse dicere, generari Angelum in ratione suppositi, seu subsistentis. Non tamen est dicendus generari Angelus absolutè sumptus, quia vt sic significatur tantùm eius essentia per modum naturæ; etsi per vocem *homo* significetur tam hominis naturas, quàm suppositum. Cuius diuersitatis non aliunde, quàm ex communi vsu petenda est ratio. Pater Thellez p. 3. Philosophiæ disp. 57. sect. 1. n. 11. addit, nomine Angeli (etsi concedatur esse nomen suppositi) significari subsistentiam non in recto, sed in obliquo; ideoque ex generatione subsistentiæ non denominandum Angelum generatum secus ac compositum humanum, vtpote cuius nomine significetur in recto, & de formali vnio generata. Dici etiam potest, denominationes aliquas non esse suppositi, sed naturæ, easque præcipuè, de quibus ibi est sermo. Quapropter Angelus non denominabitur genitus ratione genitæ subsistentiæ; vti neque Christus denominatur improductus ratione improductæ subsistentiæ. Et cum generata vnio constituat humanam naturam, patet inde discrimen quoad denominationem hominis generati titulo vnionis. Ad quintum respondetur primò, paritatem desumptam ex subsistentia verbi diuini probare si quid valet, creationem Angeli esse identificatam cum ipsius substantia. Nam verbum diuinum est identificatum cum productione sui saltem passiua, quæ est indistincta formaliter à subsistentia Verbi diuini. Respondetur secundò productionem actiuam Verbi diuini consistere adæquatè in Patris subsistentia, à qua distinguitur realiter subsistentia Verbi. Vnde retorquetur argumentum sic Productiua actiua verbi est distincta realiter à subsistentia Verbi. Ergo creatio actiua Angeli est distincta realiter ab eius subsistentia. Respondetur tertiò, ideo in diuinis subsistentiam Verbi esse eius productionem etiam actiuam, si velis, quia nequit assignari alia productio Verbi distincta realiter, siquidem natura diuina non distinguitur realiter à Verbo, & Pater potest solummodò esse principium productiuum, vt tecum supponimus: ast in creatis potest assignari productio Angeli distincta realiter ab eius substantia, & subsistentia. Addo, neque subsistentiam verbi, neque duas alias Patris, & Spiritus sancti præcedere, aut esse productiones naturæ diuinæ; vti naturæ Angelicæ productionem esse subsistentiam propriam cogitat Bernal. Addo rursus, subsistentiam Patris, neque naturæ diuinæ, neque ipsius Patris esse productionem, siquidem Pater est improductus tam secundùm naturam, quam secundùm Paternitatem.

20 Extricatis iam argumentis P. Bernal, efformamus hæc contra ipsum. Primum: Creatio Angeli actiua est indistincta à volitione diuina efficaci; sed volitio diuina nequit esse subsistentia Angeli, alioqui hic subsisteret per aliquid diuinum. Ergo &c. Maioris probatio non est huius subsellij. Secundū, omnis

omnis actio creata, distincta à termino est entitas accidentalis, vt neruosè propugnant Petrus Hurtadus d. 10. Metaphysicæ sect. 3. Arriaga d.4. Metaphysicæ sect.6. Cardinalis Lugus d.3.de Eucharistia sect. 8. n. 129. Ouiedus controu.4. Physicorum puncto 1.§.3.n. 18.& controu.6. Metaphysicæ puncto 1.§.2. n. 13. Sed creatio Angeli si sit modus, est actio creata distincta ab Angelo. Ergo non est huius subsistentia; nam subsistentia debet esse entitas substantialis. Si negetur Maior, & dicatur, actionem constituentem siue compositi substantialis, siue suppositi non debere esse entitatem accidentalem, reuinci id non potest, nisi longa concertatione de conceptu substantiæ. Tertium, subsistentia Angeli est eius complementum per modum termini ac formæ simul. Sed complementum per modum termini ac simul formæ debet esse natura posterius re, quam complet. Ergo subsistentia Angeli nequit esse eius creatio, cum hæc sit prior natura quàm Angelus. Probatur maior, quia subsistentiæ propriæ Angeli nimis tribueretur, si, quod satis difficile est in subsistentia Verbi diuini respectu humanitatis assumptæ, diceretur habere solummodò rationem complementi per modum puri termini naturæ Angelicæ. Minor etiam probatur, quia complementum per modum formæ debet esse posterius subiecto, quod complet, siue tale complementum gerat se simul per modum termini, siue non. Confirmatur primò, Complementũ, qualecumque sit, præsupponit rem, quam complet; præsupponit, inquam, vt subiectum saltem vnionis. Videantur scripta à nobis in exercit. proxima n. 50. Nam tentata ibi de complenda Dominica humanitate à verbo, etiam si ea non præsupponeretur vt subiectum receptiuum vnionis, extendi nequeunt ad complementum, quod sit creatio, & subsistentia Angeli: quippe hic tam indiget creatione, & subsistentia, quàm creatio, & subsistentia indigent Angelo. Neque est fundamentum, vt Angelus concipiatur per modum non indigentis creatione, & subsistentia. Cum ergo creatio nullatenus præsupponat Angelum, nequibit esse eius Complementum, & proinde neque subsistentia. Confirmatur secundò, subsistentia est complementum substantiæ Angelicæ, vt existentis, seu aduenit illi, vt existenti. Ergo subsequitur illam, vt præexistentem pro priori saltem naturæ, non minus, quàm forma substantialis subsequitur materiam, & quàm vbicatio Angelum. Ergo huius creatio non est subsistentia. Etenim Angeli prima creatio non subsequitur ipsum vt præ existentem, sed potiùs est realiter via ad communicandam ipsi existentiam. Negare subsistentiam esse complementum substantiæ vt existentis, & terminum illius, erit procul dubiò inficiari conceptus hactenus habitos de subsistentia. Concorditer ad eos inquit S.Thomas 3.p. q.2. art.3.ad 2. *Hypostasim significare substantiam particularem non quomodocumque, sed prout est in suo complemento.* Hinc per diuini verbi hypostasim communiter asseritur compleri Christi Domini humanitas, terminari, fierique incommunicabilis. Quod si Caietanus 3.p.q.4.art.2. exploditur communiter, quia affirmauit, subsistentiam prius conuenire naturæ, quàm existentiam; æquiori iure explodendus videtur, qui subsistentiam inducat priùs, quàm naturam, & existentiam. Neque potest dici creationem, quatenus est actio productiua existentiæ Angelicæ, præcedere hanc, subsequi verò, quatenus est subsistentia & complementum vltimum substantiale, ac terminus eiusdem. Nam præcedere pro priori naturæ, & subsequi pro posteriori naturæ respectu eiusdem entitatis Angelicæ sunt prædicata contradictoria in creatione; vti essent producere, & non producere eandem entitatem Angelicam. Confirmatur primò, quia subsistentia, aut personalitas naturalis est proprietas substantiæ. Vnde à Paschasio Diacono lib. 2. de spiritu sancto, & à Concilio Franco fordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ *persona*, seu formale personæ constitutiuum, quod est personalitas, vocatur *res iuris*, idest, entitas naturaliter debita substantiæ rationali tanquam proprietas, & substantia ipsa nuncupatur *res naturæ*, idest, res, quæ est naturæ, seu entitas naturæ. Atqui omnis proprietas debet effici, vel saltem subsequi id, cuius est proprietas. Confirmatur secundò, Substantia constituitur in esse simpliciter per suam entitatem, & in esse secundùm quid per subsistentiam. Ergo sicut esse simpliciter debet præcedere ad esse secundùm quid: ita actio tribuens substantiæ esse simpliciter, non poterit non esse prior, quàm actio communicans subsistentis esse secundùm quid. Exoritur hinc alia confirmatio; quia actio productiua substantiæ eò tantùm dirigitur, vt substantiam ponat extra causas. Ergo sicut ob id actio illa non est duratio, neque vbicatio substantiæ, sic neque erit subsistentia. Prodit & alia confirmatio, quia natura Angelica id formaliter, & præcisè per productioné habet à Deo, quod huius natura, vt natura est, habet à se formaliter, & præcisè. Sed natura diuina vt sic tantùm habet existentiã à se. Ergo Angelica per productionem formaliter, & præcisè habebit existentiam ab alio, seu à Deo. Vnde sicut existentiam à se naturæ diuinæ subsequuntur virtualiter subsistentiæ relatiuæ, & subsistentia absoluta, si admittatur, non præcedit, ita seruata proportione in naturæ Angelicæ à Deo existentia per productionem.

Quartum. Humanitas Christi non subsistit per sui productionem, sed per subsistentiam Verbi diuini sibi vniti. Ergo aliæ naturæ humanæ non subsistunt per sui productionem, sed per subsistentiam, quæ sit distincta à productione ipsarum. Respondes, productionem humanitatis Christianæ non esse subsistentiam, quia non reddit humanitatem independentem à supposito; sed potiùs dependentem à Diuino: estque ei physicè essentialiter affixa, vt termino purè vnibili: ast productionem aliarum humanitatum esse subsistentiam ipsarum, quia reddit ipsas independentes à supposito. Contra primò, quia sequitur, creationem animæ Christi esse entitatiuè supernaturalem, cum vnio hypostatica, à qua dicitur indistincta, sit supernaturalis entitatiuè; sequitur etiam, conseruationem materiæ in instanti assumptionis à verbo fuisse diuersam specificè à prima productione, quin & fuisse supernaturalem entitatiuè. sequitur præterea, diuersis actionibus producendam & conseruandam humanitatem Christi si non fuisset assumpta à verbo, aut si modò dimitteretur ab eo, aut si assumeretur à Patre æterno, vt potuit Non refugit Bernal. has illationes; quæ tamen sunt præter, imò & contra Patrum. Theologorumque existimationem, vt expendunt Suarez tom. 1. in 3. p. d. 8. sect. 1. Meratius d. 13. de Incarnatione sect. 2. Petrus Hurtadus d. 34. de eodem Mysterio sect. 2.& mirum est, Ecclesiæ Patres nusquam ex supernaturali modo, quo producta sit humanitas Christi, intulisse subsistentiam ipsius per solum diuinum verbum; & ècontra Heterodoxos nusquam ex connaturali modo creationis animæ, & conseruationis

21

tionis corporis deduxisse humanam in Christo subsistentiam. Contra secundò, vnio hypostatica humanitatis ad verbum est posterior naturâ, quàm humanitas, & verbum, cum sit nexus illorum vt præexistentium. Ergo non est productio humanitatis, siquidem productio debet esse prior naturâ, quàm terminus productus, vel saltem debet esse concomitanter cum illo. Contra tertiò, quia licet creatio animæ Christi exigeret essentialiter verbum, non est, cur sit vnio cum ipso, quemadmodum licet eductio vnionis inter animam, & corpus Christi postulet essentialiter extrema vnita, tamen non est vnio cum ipsis, alioqui superflua esset vnio distincta ab eductione. Contrà quartò, anima rationalis, non repugnat essentialiter vnioni ad verbum. Ergo neque sic repugnabit connaturalis productio eiusdem animæ, vt ipsa anima vniatur verbo. Etenim connaturalis productio alicuius termini nullam cum extremo alio sortiatur incompossibilitatem, quæ non reluceat in termino. Sed quia posset quis dicere eductionem accidentis verbi gratia repugnare essentialiter eiusdem creationi, cui essentialiter non repugnat ipsum accidens; ideo quartæ huic impugnationi mordicus non adhæreo, nec eò diuerti volo, vt probem, eductionem accidentis componi simul posse cum eiusdem creatione.

22 Quintum actio, per quam fit forma materialis substantialis in subiecto, est vnio ipsius formæ cum subiecto. Ergo talis actio non posset esse vnio cum verbo. Nam penes Bernal, vnio hypostatica debet esse distincta ab vnione substantiali materiæ ad formam. Ex quo fieret, non posse assumi à verbo integrum compositum ex materia, & forma substantiali educta. Antecedens est bonum ad hominem. Si enim actio, per quam producitur, seu educitur accidens ex subiecto, est vnio ad istud in sententia Patris Bernal, tenetur similiter philosophari de actione, per quam producitur forma substantialis, seu educitur ex materia. Sanè argumenta huius Authoris dist. 12. sect. 1. §. 2. à numer. 17. pro eductione accidentis identificanda cum inhærentia ad subiectum, faciunt æquè pro eductione formæ substantialis identificanda cum vnione ad materiam. Vbi notandum est, creationem non magis esse oppositam accidenti, quam formæ substantialis eductioni. Quare sicut ex eductione formæ substantialis non infertur benè indistinctio subsistentiæ propriæ respectu Angeli à creatione naturali actiua, quam terminat, ita neque bene deducetur ex eductone accidentis. Conueniet vtraq; eductio in eo, quòd sit productio sui termini dependenter à causa materiali; & ab vtraque discriminabitur creatio siue naturalis, siue supernaturalis, quod sui termini sit productio independenter ab illa causa; neque opus erit, vt creatio substantiæ sit formaliter propria eius, vel aliena subsistentia; nam absque hoc vlteriori conceptu ingens differentia, & oppositio saluabitur inter creationem, & eductionem. Confirmari posset quintum argumentum quia generatio vnionis inter corpus, & animam rationalem est indistincta ab ipsa vnione, non minus quàm generatio accidentis ab vnione ipsius generationis, & accidentis in opinione P. Bernal. Ergo vnio corporis, & animæ non fuit assumpta à verbo, vt proximè arguebam de vnione materiæ ad formam substantialem materialem sanguineam v. g. si hæc in homine materialis sit. Sed liceret respōdere, generationem hominis debere distingui ab vnione, ne detur actio sine termino producto distincto realiter; de quo in num. 62. exercitat. vicinæ nihilominus hinc non retardabitur superior ratio pro indistinctione generationis formæ substantialis materialis, & vnionis cum materia ab ipsa vnione. Sextum, subsistentia propria Angeli Gabrielis potest diuinitus terminare Raphaëlis naturam, vt admittit Bernal. dist. 24. sect. 3. sed si subsistentia propria Angeli Gabrielis consistat in eius creatione naturali, non poterit. Ergo, &c. Probatur Minor, tum quia difficilè percipitur, quo pacto actio supernaturalis creatiua Raphaëlis vniatur per se ipsam actioni creatiuæ naturali Gabrielis vt termino purè vnibili. Et quidem sic deberet vniri. Si enim productio humanitatis Dominicæ vnitur per se ipsam verbo tanquam supposito, necesse est, idem dicere de productione Raphaëlis reddente illum dependentem à creatione Gabrielis tanquam à supposito. Tum quia subsistentia creata debet esse forma intrinseca naturæ, quam facit subsistentem; sed actioni creatiuæ repugnat esse formam intrinsecam alicuius subiecti; alioqui educeretur ex illo; repugnat etiam actioni creatiuæ, qua est actio, vniri per super additam vnionem, vti & produci per superadditam aliam actionem. De quo consule Hurtadum Mendozanum d. 16. Metaphysicæ sect. 5. § 34. ac 35. Franciscum Alphonsum d. 20. Physicorum sect. 6. à n. 51. Balthasarem Tellez p. 3. philosophiæ d. 63. sect. 5. Actio autem creatiua Gabrielis vniretur per superadditam vnionem naturæ Raphaëlis, vt aduertit Bernal. d. 24. sect. 3. num. 60.

SECTIO IV.

An subsistentia Empyrei sit entitas modalis, vel res absoluta?

23 Cuiusuis naturæ creatæ subsistentiam creatam esse rem absolutam, seu entitatem afficientem naturam per vnionem distinctam, tuentur Ferrara 4. contra Gentes cap. 43. Caietanus 3. p. q. 4. art. 2. Ioannes de Neapoli q. 12. ex variis punct. 2. pag. 101. Petrus Ledesma q. 4. de perfectione diuina art. 3. concl. 5. Alphonsus Briceño in 1. sentent. contro. 1. art. 3. in Appendice Metaphysica membro 2. n. 20. Aluarez d. 23. de Incarnatione, Ægydius Romanus Henricus Gandauensis, Thomas Argentinensis, Capreolus, Bañez, Cabrera citati ab Albertino in Predicamento substantiæ q. 7. à n. 13. Okamus, & Biel apud Petrum Hurtadum d. 32. de Incarnatione §. 1. quid. 11. Metaphysic. sect. 5. §. 55. allegat Herreram, & alios Neothericos Thomistas, Consentiētibus Medina, & Rada apud Auersam q. 18. Philosophiæ sect. 6. Petro Fonseca apud Lusium Turrianum p. 1. selectarum d. 23. dub. 1. sed pro contraria sententia adducitur à Vasquio tom. 1. in 3. p. d. 31. c 6. n. 32. à Theophylo Raynaudo in Theologia naturali d. 3. quæst. 1. art. 6. n. 56. Thomas Argentinensis, & à Balthasare Tellez p. 3. Philosophiæ d. 55. sect. 1. n. 13. Petr. Fonseca. Absolutæ entitati substantiæ fauent ex nostris sine ambiguitate Valentia tom. 4. d. 1. q. 4. punct. 2. v. *sexta opinio.* Granadus contr. & tract. 1. de Incarnat. d. 2. n. 3. Albertin. & Petr. Hurt. supra

supra Arriaga d.4. Metaphysicæ sect.12. & ex parte Ouied. contr. 4. Metaph. punct.6.

24 In eandem feror sententiam, moueorq; primò, quia sicut ex P. Suarez d.34. Metaph. sect.6.n.33. distinguitur actio productiua subsistentiæ ab ipsa subsistentia, ne sine necessitate dicatur talis esse conditionis subsistentiam, vt à Deo solo effici non posset; sic ego merito distinguam vnionem, qua vnitur naturæ, ne sine necessitate dicam, talis esse conditionis subsistentiam, vt seiuncta à natura conseruari non valeat à Deo solo. Secundò, subsistentia potest exhibere suum effectum formalem naturæ per vnionem distinctam. Patet id in verbo diuino, quod per vnionem distinctam reddit subsistentem humanitatem Christi seruatoris. Patet etiam in ipsa subsistentia creata, quæ etsi esset modus, posset per vnionem distinctam reddere subsistentem naturam, alienam, vt admittunt ex authoribus aduersis Bonac d.2. de Incarnat q.3. punct.5. propos.2. à n.3. Meratius d.17. de Incarnat. sect.2. Tellez p.3. Philosophiæ d.57. sect. 4. Franciscus, Alphonsus d.8. Physicorum sect.6. à n.57. Hambertus 3.p. ad q.3. d. & art.1. cum tamen negent, actionem posse produci per aliam actionem, & vnionem posse vniri per aliam vnionem. Ergo nec de ratione subsistentiæ creatæ est communicare suum effectum formalē per vnionem indistinctam. Voluntariè dices, id esse de conceptu subsistentiæ creatæ respectu propriæ naturæ. Imò nec respectu huius debet subsistentia vniri per indistinctam vnionem, si attendamus menti aliquorum ex contrariis; qui cum in supposito substantiali vnam tantùm admittant subsistentiam, eamque per se vnitam formæ, cuius sit modus, volunt, vniri materiæ per vnionem distinctam. Tertiò, sicut ex fide nouimus subsistentiam; ita & gratiam sanctificantem habitualem; & tamen asserimus, hanc vniri rationali naturæ per vnionem distinctā, quia caremus ratione, ob quam affigamus ipsam naturæ rationali magis, quàm quantitatem materiæ primæ. Ergo similiter asserendum est de subsistentia; licet fateamur, non repugnare subsistentiam, quæ sit essentialiter affixa naturæ substantiali, vti non repugnat iuxta optimam Arriagæ animaduersionem tom.2. in 1.2. d.46. sect.1. n.3. habitualis, seu permanēs gratia sanctificās, quæ sit essentialiter alligata per se ipsam naturæ rationali. Quartò, formæ substantiales materiales non sunt modi. Ergo neq; subsistētiæ creatæ: siquidem, & illæ complent substantialiter materiam primam non magis, aut minus, quàm hæ naturam. Inuenies rationem aliam magni apud me momenti in n.55. exercit.11.

25 Obiicies primò, subsistentia increata est inseparabilis à propria natura diuina. Ergo & creata à natura propria creata. Secundò, ex Mysterio Incarnationis licet colligatur aliqua distinctio inter naturam, & subsistentiam; non tamen distinctio, quæ sit rei à re. Tertiò, si subsistentia creata non sit modus, erit forma absoluta; cuius defectum nequit supplere verbum. Ad primum dico, ideo subsistentiam increatam esse inseparabilem à natura diuina, quia tanquam perfectio, aut formalitas necessaria est realiter indentificata cum ipsa. Vnde sicut ex identificatione subsistentiæ increatæ cum natura diuina non inferes identificationem subsistentiæ creatæ cum natura creata propria; ita neque debes inferre ex inseparabilitate vnius inseparabilitatem alterius. Vngebis, subsistentiæ diuinæ, relatiuæ non distinguuntur ab increata natura, nisi tantùm virtualiter, etsi inter se realiter. Ergo subsistentiam creatam æquius est, modaliter, quam vt rem à re, distingui à sua natura. Fugit me ratio maioris huius æquitatis: nec voles omnia ea quæ in Deo distinctione virtuali gaudent, æquius esse vt in creatis modalem tantùm obtineant. Ad secundum, nec ex Mysterio Incarnationis colligi, subsistentiam esse modum; cum verbum diuinum non sit modus magis, quàm forma absoluta. Deinde dico, colligi mediatè, & indirectè distinctionem tanquam rei à re; quia ex Mysterio Incarnationis constat, subsistentiam ex se non debere vniri per se ipsam naturæ, vt communicet suum effectum formalem; constat etiam, vltimum complementum naturæ substantialis alienæ non debere esse ei essentialiter affixum. Si autem effectus formalis subsistentis non exigit ex se vnionem indistinctam à subsistentia; nec exiget formalis effectus subsistentis creati. Rursus, si vltimum complementum naturæ substantialis alienæ non debet habere affixionem essentialem ad hanc, nec vltimum complementum naturæ substantialis propriæ debebit habere talem affixionem. Ad tertium, subsistentiam esse formam absolutam terminatiuam naturæ, & à verbo diuino posse suppleri defectum formæ terminatiuæ sepositis quibusuis formæ imperfectionibus. Quod & tu teneris fateri; siquidem & modus est forma modalis; & verbum diuinum tam nequit esse modus, quàm forma absoluta.

26 Obiicies quartò, si subsistentia creata sit res, poterit terminare naturam diuinam, vti potest alienam creatam. Hoc argumentum militat etiam contra Authores relatos num.24. Et conceptus subsistentiæ, quæ sit res, non importat necessario capacitatem terminandi diuinam naturam; quemadmodum neque conceptus rei absolutæ importat necessario capacitatem terminandi à diuina subsistentia; aliqui accidens esset capax assumendi à verbo diuino: quod communiter negant Theologi. Pro multis videantur Granadus controuers. 1. de Incarnatione tract.6. dist. 1. Meratius d.19. de Incarnatione sect.1. Ysambertus 3. part. ad quæst. 4. dist. 1. artic. 6. Respondeo itaque, naturam diuinam non posse terminari per subsistentiam creatam, siue hæc sit res, siue modus; tum quia natura diuina, si afficeretur subsistentia distincta realiter, reciperet in se vnionem illius; proindeque per talem vnionem mutaretur, & perficeretur, aut deterioraretur, quod quàm sit à Deo alienum, nemo non cernit. Tum quia non posset terminari per subsistentiam creatam natura diuina, nisi vt eleuata; repugnat autem, eam eleuari, & assumi ad aliquod munus: Tum quia natura diuina vt distincta à personalitatibus, est subsistens absolutè, vt pluribus placet Theologis; subsistentia verò vt subsistentia non est vlterius terminabilis. Et licet nobis magis arrideat, naturam diuinam non subsistere nisi per personalitates nequibit simul terminari per subsistentiam creatam alienam, quandoquidem, personalitatibus propriis tam necessario, & adæquatè perficiatur, vel compleatur intrinsecè, vi perfectionis alterius, vel complementi aduentitij capacitatem excludant ab ipsa natura diuina. Reperies in Nicolao Ysamberto 1. part. ad quæst. 4. dist. vnica artic. 2. rationem aliam non incongruam.

Obiicies

17 Obiicies quintò, subsistentia Petri terminat ipsius naturam, vt sistat in hoc supposito, & non in alio supposito, neque composito. Ergo non est entitas absoluta; alioquin subsistentia, quæ nunc est Petri, posset esse postea Pauli, quin & leonis Quod si subsistentia humana est alligata ad naturam humanam, erit etiam ad hanc Petri naturam; vt enim terminat naturam humanam, vt sistat in se, sic & naturam Petri. Confirmabis, subsistentia propria dat naturæ sistere in se, & aliena sistere in alio. Ergo subsistentia propria Petri habet intrinsecè esse proprium illius, aliter enim se sola non poterit communicare illi formalem effectum sistendi in se; sicut subsistentia verbi, quia non est propria humanitatis Dominicæ non facit hanc sistentem in se; sed in alio. Respondeo primò, effectum formalem subsistentiæ propriæ non consistere in eo, quòd reddat naturam sistentem in se, vt dicam in sect. 9. Sed hoc prætermisso, respondeo secundò, subsistentiam Petri potuisse esse Pauli, inde tamen non sequi, posse reddere leonem subsistentem, quia fortè ex specie sua, & perfectione est determinata, vt compleat potiùs naturam rationalem quàm irrationalem; & quia fortè sicut istæ naturæ exigunt diuersam perfectionem, & potentiam ad operandum, ita & diuersum complementum substantiale. Respondeo tertiò, per subsistentiam, quæ ex natura rei sit propria hominis, posse diuinitus reddi subsistentem leonem. Neque hinc sequitur, vt conatur Cardinalis Lugus dist. 12. de Incarnatione sectio 7. num. 83. leonem fore personam, vti neque sequitur id, si subsistentia verbi assumeret, vt potuit, naturam leonis. Etenim denominatio personæ constituitur intrinsecè ex natura quæ sit rationalis, vt ipse Lugus animaduertit. sect. 3. numer. 40. notaruntque iam olim. Sanctus Anselmus capite 76. Monolog. Richardus Victorinus libro 4. de Trinitate capit. 6. & 24. his verbis: *Nunquam dicitur persona nisi de rationali substantia aliqua.* Respondeo quartò, dummodò subsistentia Petri posset saltem diuinitus existere separata ab ipso, sufficere id, ne esset entitas modalis, sed indigens vnione distincta ad Petrum, quamuis nec Paulum, neque leonem subsistentes reddere valeat. Ad confirmationem dico primò, effectum formalem naturæ sistentis in se, per subsistentiam propriam constitui, non ex hac sola sed & ex ipsa natura, ac ex vnione, quæ est essentialiter diuersa ab alia vnione aut naturæ ad alienam subsistentiam, aut subsistentiæ ad alienam naturam. Dico secundò, inconueniens non esse, si formalis effectus sistentis in se requirat vt constitutiuum sui negationem vnionis ad alienam subsistentiam, dummodò negatio illius vnionis fundetur in connaturali, exigentia subsistentiæ, vt vnicum propria natura.

18 Obiicies sextò, tota essentia subsistentiæ creatæ est præcisè tollere indifferentiam naturæ ad vlteriorem terminum; sed ea entitas est modus, quæ præcisè tollit actualiter alicuius indifferentiam ad aliud. Ergo &c. Respondeo, quicquid sit de illo conceptu subsistentiæ creatæ saluari optimè si accedente vnione tollat subsistentia creata indifferentiam naturæ; vti subsistentia increata verbi tollit indifferentiam naturæ humanæ Christi Domini accedente vnione Hypostatica. Minor obiectionis sub litigio est; nam conceptus modi non consistit in eò, quòd præcisè tollat actualiter alicuius indifferentiam ad aliud, seu in eo quòd præcisè sit actualis determinatio vnius ad aliud: alioqui Angelus esset modus potentiæ diuinæ, si producatur se ipso absque intermedia actione; esset namque determinatio actualis potentiæ diuinæ ad existentiam sui ipsius. Si dicas, ideò non esse modum, quia non est determinatio actualis ad aliquam entitatem distinctam à potentia diuina, & ipso Angelo. Contra, quia per te vbicatio est modus, nec tamen est actualis determinatio rei vbicatæ ad aliquam entitatem distinctam à re vbicata, & ipsa vbicatione; non ad locum realem extrinsecum; neque ad intrinsecū, nam abeo extrinseco potest dari vbicatio, & hæc ab intrinseco non distinguitur; non prætereà ad spatium imaginarium, vt potè quòd nihil reale sit. Petrus Hurtadus, qui est Author definitionis illius respectu entitatis modalis, probat potiùs ex illa, subsistentiam non esse modum; nihil enim est tertium, ad quod subsistentia determinare possit actualiter naturam. Ego tamen ea probatione non sum vsus, quia neque approbo illam definitionem entitatis modalis, nec necessarium esset subsistentiæ, approbata etiam illa definitione, determinare naturam ad aliquid distinctum adæquatè ab ipsa subsistentia, & natura, sed ad aliquid ab vtralibet distinctum inadæquatè, quale est subsistens, aut suppositum; vel eatenus subsistentia determinaret naturam actualiter ad aliud, quatenus redderet ipsam alteri incommunicabilem, seu quatenus excluderet aliud, ne communicaret cum natura quam afficit.

29 Obiicies septimò, si existentia distingueretur ab essentia, esset modus. Ergo subsistentia, distincta ab essentia, & existentia naturæ substantialis, est modus, cum æquè vtraque sit determinatio actualis, & æquè vtraque concipi nequeat sine re, quam afficit. Respondeo primò, negari Antecedens à Balthasare Nauarrete 1. part. controuers. 14. §. 5. Ioanne de S. Thoma. 1. part. quæst. 3. d.4. artic. 1. & à Ioanne Martinez de Prado 1. part. Metaphysicæ controuers. 7. artic. 4. §. 3. num. 75. post multos alios Thomistas. Quòd si modus deberet esse actualis determinatio vnius ad aliud distinctum adæquatè ab ipsa determinatione, & à re determinata; necesse foret, asserere existentiam non esse modum, non enim determinaret ad aliquid sic distinctum. Respondeo secundò, inficiando Antecedens; quia si existentia vniretur essentiæ per vnionem distinctam, iam hæc præhaberet totum munus existentiæ, si vnio formæ absolutæ sit identificata cum actione eductiua, per quam producitur; si verò distincta sit, & subsequatur formam absolutam, iam existentia erit antecedenter existens, denominansque proinde essentiam existentem, cuius, & sui est indiuisibiliter existentia; non secus ac actio est indiuisibiliter productio effectus, & sui. Addo, ipsam vnionem, cum constet essentia, & existentia, vt potè oppositam nihilo, vniendam cum sui existentia per aliam vnionem; quare sequeretur progressio infinita. Replicabis, vnio etiam, per quam subsistentia affigeretur naturæ, egeret alia subsistentia; atque ideo & nos eadem vrgemur difficultate. Sed inquirimus à te, an vnio, per quam subsistentia verbi diuini nectitur humanitati Christi Domini, indigeat alia subsistentia? An etiam vnio, per quam iuxta te propria Angeli Gabrielis subsistentia, etiam si esset modus, alligaretur diuinitus

naturæ

naturæ Michaëlis, requireret aliam subsistentiam? Teneris respondere negatiuè. Sic non respondemus de vnione, per quam subsistentia creata coniungitur naturæ substantiali propriæ. Et ratio est, quia satisfit vnioni, si subsistat vt quo,& tanquam nexus, medio quo subsistentia copulatur naturæ. At vnio existentiæ deberet esse non minus existens,quàm ipsa existentia,cum esset æquæ formaliter apposita nihilo,& producta.

30 Obiicies octauò, id,quod se habet vt terminus formalis in aliqua compositione, non potest esse realitas: nam quod se habet vt realitas, componere debet cum eo, cui adiungitur, vt ex illis resultet totum per se, vel per accidens. Terminus autem formalis, qualis est subsistentia, nequit se habere vt vltima ratio compositi. Ergo nequit esse realitas componens, sed modus resultans ex compositione, vel integritate totius. Confirmabis, si subsistentia resultaret vt realitas, deberet rursus vniri,& componere cum re, quam afficit;& inde fieret totum aliud,& alia terminatio; sequereturque proinde processus in infinitum. Respondeo, subsistentiam, siue sit realitas, siue modus constituere, & componere intrinsecè suppositum simul cum natura substantiali: suppositum autem est quoddam totum per se. Quod verò subsistentia sit formalis terminus, non obstat, ne sit vltima ratio totius, seu compositi habentis se per modum suppositi vti verbum diuinum est vltima ratio suppositi constituti ex ipso, & humanitate Christi Domini. Confirmatio caret neruis; nam vnio interposita inter naturam & subsistentiam non magis efficit aliud totum, & aliam terminationem, quàm vnio hypostatica verbi ad humanitatem Christi,& quàm vnio formæ substãtialis ad materiam, & accidentis ad subiectum. Et ratio est, quia vnio interiacens inter naturam, & subsistentiam habet se solummodò tanquam ratio vt quo totius,& terminationis resultantis ex natura, & subsistentia, quæ sunt partes constitutiuæ suppositi,legantur Suarius d.34. Metaphysicæ sect.4. num.19. ac. 20.

31 Obiicies nonò, inhæsio est modus accidentis. Ergo perseitas erit modus substantiæ. Decimò, perseitas communicata accidenti;dum est diuinitus separatum ab omni subiecto, pertinet ad gradum entitatis modalis accidentalis. Ergo perseitas, conueniens substantiæ suaptè natura, pertinebit ad gradum entitatis modalis substantialis. Respondeo,ad nonum, inhæsionem actualem accidentis debere esse actionem eductiuam, siue distinctam, siue indistinctam ab vnione cum subiecto; proindeque non posse non esse modum: ast subsistentiam non debere esse actionem, neque vnionem; ideoque posse non esse modum. Omitto substantiæ perseitatem, quæ accidentis inhæsioni opponitur, non prouenire à subsistentia, sed ab actione productiua substantiæ constituente ipsam independentem à subiecto inhæsionis à priori. Qua ratione concesserim vltrò perseitatem esse modum; qui tamen alius sit à subsistentia. Ad decimum, si verum sit accidenti separato à subiecto communicari perseitatem distinctam ab actione creatiua,talem perseitatem fore entitatem absolutam accidentalem.

32 Obiicies vndecimò ,in rebus extensis terminus extensionis est modus, Ergo & terminus substantiæ erit etiam modus. Duodecimò, subsistentia est terminus. Ergo non potest distingui plus, quàm modaliter alioqui; iam non esset purus terminus,sed esset compars, qualis est forma respectu materiæ in composito. Ad vndecimum respondeo primò cum Auersa q.22. Philosophiæ sect.4. ac.5. Vuadingo d.4. de Incarnatione dub. 2. §.1. n.15. Albertino de prædicamento quantitatis d.3. quæst.7. Pereira lib.10. Philosophiæ c.6. Nicolao Cabeo lib.4. Meteorologicorum textu 9.quæst.8, post Nominalium Coryphæum Okamum in Dialectica cap.de quantitate,& q.1.ex præuiis ad tract. de sacramento altaris, aliosque post veteres, non dari in continuo puncta terminatiua,sed illud terminari positiuè per suammet entitatem; nihilque aliud adquiri,quando diuiditur,quàm negationem vnionis continuatiuæ cum aliis partibus. Secundò ex Suario d.40. Metaphysicæ sect. 5. num.38. puncta terminatiua non esse modos; quod latè prosequitur Tellez p.2. Philosophiæ d.35. sect.3. n.14. rursus p.3. d.55. sect.1. n. 20. etiamsi vterque Author contradicat nobis in præsenti controuersia de subsistentia. Tertiò,ex Rubio in tract.de compositione continui à num.25. Petro Hurtado d.15. Physicorum sect.3. à §.7. pro modali entitate punctorum terminantium militare aliquam rationem,quæ non vrget pro subsistentia. Rationem videbis in eis. Ad duodecimum,nihil obstare, quo minus subsistentia vocetur pars suppositi; & eo ipso, quòd natura sit causa materialis subsistentiæ creatæ, non posse hanc esse purum terminum illius,qualis est subsistentia increata verbi diuini respectu humanitatis Christi.

33 Obiicies decimo tertiò, subsistentia est essentialiter terminus immediatus naturæ. Ergo sine ista nequit etiam diuinitus existere,aut conseruari. Decimo quartò, subsistentia non ponitur à philosophis in diuisione rei, aut substantiæ. Decimo quintò, si subsistentia sit modus, soluuntur facilè plures quæstiones, quæ de ea excitantur. Decimo sextò, ea forma inter modos est computanda,cuius vnio distincta si daretur, participaret ipsummet formalem effectum, qui communicatur subiecto; sed subsistentiæ vnio si distincta daretur, subsisteret. Igitur subsistentia est modus. Maior probatur, quia si sistendum est in vnione participante eundem formalem effectum,ne sequatur infinitus processus,meliùs ab initio ponitur forma, quæ sit sui vnio, & communicatiua effectus formalis, & quæ proinde sit modus. Minor concessa est à nobis in num.29. Respondeo ad decimum tertium, subsistentiam esse essentialiter terminum aptitudinalem naturæ, & vt sit actualis terminus superaddi debere vnionem.Inquies,sic multiplicari entitates sine necessitate. Verùm & tu affigis essentialiter entitates sine necessitate,& in eadem entitate multiplicas prædicata; quod non est minus peccatum, quàm nostrum. Certè argumenta à nobis proposita aliqualem præseferunt necessitatem. Premes iterùm, ad effectum formalem subsistentiæ creatæ, non est opus tribuere ei perfectionem,& entitatem absolutam. Ni fallimur, posses similiter dicere, ad effectum formalem sancti non esse opus tribuere gratiæ habituali perfectionem, & entitatem absolutam; cum non videatur repugnare gratia habitualis, seu permanens, quæ sit modus,imo talis est vnio hypostatica. Deinde nos sic argumentabamur in n.74. ad effectum formalem subsistendi non est opus tribuere subsistentiæ creatæ perfectionem & entitatem modalem. Iudicet æquus Philosphus, cuius sit potior causa;cum sine fundamento non debeat entitatum perfectio minorari;alioqui licitum esset, modi imperfectionem

nem tribuere luci, colori &c. Vrgebis, omnibus entitatibus danda est minor distinctio, quæ possit eis tribui: potest autem inter subsistentiam, & naturam non alia maior, quàm modalis assignari. Sed vnde tibi constat, dandam potiùs esse minorem; quam maiorem distinctionem? Habemus præterea in hac materia speciali vestigia maioris distinctionis, etsi concederemus debere nos semper esse propensos in fauorem minoris. Ad decimum quartum, Philosophis Ethnicis antiquis ignotam fuisse subsistentiam; ideoque neque indiuisione rei, neque modi eam posuisse. Reducenda quidem est ad prædicamentum substantiæ, vt pote eius complementum; non secus ea existentia substantiæ reuocanda esset ad idem prædicamentum, si distingueretur à substantia actuali. Ad decimum quintum, illas quæstiones non solui difficiliùs si subsistentia sit res. Nec facilitas deberet esse grata, quæ vano, ac ruinoso niteretur fundamento. Ad decimum sextum, laborare vitio eius maiorem, nam vnio gratiæ, sanctitatisque habitualis ad animam est sanctitas vt quò, nec ideò gratia est forma modalis. Quare cum subsistentiæ vnio subsistere tantum debeat vt quò; poterit similiter subsistentia excludi à modorum albo. Fateter, annumerandum modis, si necesse esset, vnionem subsistere vt quòd, & hinc per me licebit distinguere maiorem, vt vera sit de forma, cuius vnio participaret vt quòd eundem effectum formalem falsa autē de forma, cuius vnio solū vt quo participaret.

SECTIO V.

Quænam sit causa subsistentiæ Empyrei?

34 AGendum est de efficiente & materiali; nam de formali, & finali nihil est speciali adnotatione dignum. Subsistentiam effici ab ipsa natura substantiali, tradunt Fonseca, Valentia, Rubius, Ragusa, Gaspar Hurtadus, & cum ipsis Tellez p. 3. Philosophiæ d. 57. sect. & n. 1. vbi vlteriùs citat S. Thomam, Caietanum, Medinam, Genebrardum, Suarium, Petrum Hurtadum, & Cardinalem Lugum; quibus adiicio Ægidium Romanum, Capreolum, Ferrariensem, Sencinatem ex fide Thomæ Pij 1. p. q. q. 3. 3 art. 4. dub. 7. n. 5. Arriagam d. 4. Metaphysicæ sect. 13. n. 139. Ouiedum controu. 6. Metaphysicæ puncto 6. n. 19. Annuo his omnibus; & probo primò, ex S. Athanasio dicente in lib. de definitionibus. *Essentia est domina, & genitrix Hypostesium.* Consonat S. Anastasius Sinaita apud Petauium tom. 2. Theologicorum dogmatum, in addendis ad libri 6. c. 11. & §. 8. Probo Secundò quia cum essentiæ producant per simplicem emanationem alias proprietates, & passiones, & in sect. 7. Exercit. 10. contendam, efficiet potiori iure natura substantialis suam subsistentiam, vtpotè magis intimam ipsi, quam aliæ proprietates, & passiones, magisque exactam.

35 Contra hoc assertum opponitur primò, si existentia distinguatur ab essentia, producetur ab efficiente essentiam, eo quòd sit modus, vel res absoluta valdè intima essentiæ. Ergo similiter subsistentia fiet à generante naturam. Secundò, inhæsio accidentis non fit ab accidente, sed à generante ipsum. Ergo perseitas naturæ non fit ab hac, sed à producente naturam. Tertiò, forma substantialis in prima genaratione non potest producere suam vnionem cum materia; alioqui quis se ipsum posset generare. Ergo neque potest natura suam producere subsistentiam, vt enim vnio est de complemento substantiali formæ, ita subsistentia est de complemento substantiali naturæ. Quartò, vt natura operetur alios effectus distinctos à subsistentia, debet supponi completa per hanc. Ergo signum est, neque posse efficere hanc. Quintò, creatio animæ rationaliter minatur ad ipsam vt ad naturam subsistentem, cum creatio sit rerum subsistentium. Ergo subsistentia animæ rationalis non orietur nisi à Deo creante ipsam animam. Sextò, si humanitas Christi habeat virtutem effectiuam propriæ subsistentiæ, erit in statu violento per vnionem ad verbi subsistentiam, à qua impeditur, ne propriam producat. Septimò, subsistentia est modus naturæ; agenti autem, cui conuenit producere rem, conuenit producere etiam eius modum.

36 Respondetur ad primum, ideò essentiam non posse efficere sui existentiam, licet distinguerentur, quia alioqui essentia sibi ipsi daret esse, & esset à se, vt optimè considerauit Hemolmam in disputatis Theologicis ad 1. partem tit. & d. 4. cap. 2. numer. 19. vel quia cum essentiæ sint secundùm se improducibiles, si agens, non producat existentiam, nullus erit terminus suæ actionis. Nihil autem simile sequitur ex eò, quòd à natura fluat subsistentia per simplicem emanationem. Ad secundum patet disparitas, si inhærentia accidentis sit indistincta ab actione, per quam educitur, si quidem accidens non potest efficere sui eductionem. Sed etsi sit distincta, constabit discrimen ex solutione ad tertium. Omitto parificari incongruè subsistentiam cum inhærentia. Recole num. 18. & expecta num. 59. ac 73. Ad tertium, concesso antecedente, negatur cōsequentia. Dissimilitudinis ratio in aperto est, si vnio sit indistincta ab actione generante formam. De vnione etiam animæ rationalis ad corpus non posse produci nisi à generante, liquet ex inde, quòd generans non potest habere alium terminum suæ actionis, nisi vnionem. Accedit, animam rationalem innatè appetere magis separationem à corpore, & huic non vniri nisi ex determinatione agentium. Formæ aliæ materiales, etsi ipsarum eductio distincta sit ab vnione, præueniuntur, impediunturque ab educente eas, ne efficiant vnionem, nam agentis, cuius est generare formam, est etiam producere illius vnionem ad materiam. Cæterùm, si-ne causa diceretur, pertinere similiter ad agens, efficere subsistentiam, si ad illud non spectet efficere proprietates alias, & passiones formæ. Addo tam pro forma rationali, quam pro quauis materiali, non operari in subiectum, nisi quatenus huius est forma actualis, & proinde nisi præeat vnio pro priori saltem naturæ. Consultus P. Aartholomæus Amicus tract. 11. Physicorum q 7. dub. 5. multarum rationum syluam in hac difficultate præstabit. Ad quartum itur obuiam per instantiam hanc: vt natura recipiat alias formas distinctas à subsistentia, debet supponi completa per hanc. Ergo signum est neque posse recipere hanc. Quare sicut ex eo, quòd natura debeat esse completa in suo esse substantiali, vt recipiat alia formas, non sequitur debere esse completam ante subsistentiam, vt recipiat ipsam subsistentiam ita neque sequitur aliud. Ratio à priori est, quia plura requiruntur, vt natura completa, & cōstituta

in suo esse determinato recipiat, & operetur, quàm vt se compleat, ac constituat in illo. Rationem istam exorno exemplis num.50. Exercit. 11. Admissi gratis complementum subsistentiæ esse conditionem præuiam, vt operetur natura extra se. Rogas, an substantia priùs naturâ producat, aut conseruet in se subsistentiam, quàm alias proprietates accidentales, exempli causa, vbicationem? Vazquez in 3.p.d.12.cap.3.& sequentibus, Ysambertus ad quæst.6. eiusdem 3.p. disp.1. art.14.ac 15. Tellez suprà num.12.aiunt, substantiam prius naturâ concipi existentem, proindeque vbicatam, quàm vt concipiatur producens subsistentiam. Neque obstat, inquit Tellez maior connexio substantiæ cum subsistentia, tanquam cum suo substantiali complemento. Nam forma substantialis maiorem habet connexionem cum materia, præsertim si forma sit materialis, quàm cum vbicatione; & nihilominus pro priori naturæ ad vnionem præ intelligitur forma vbicata. Posset dici, substantiam simul natura, & comitanter producere, aut conseruare in se subsistentiam, & accidentales alias proprietates. Licet enim ad operandum extra se sit conditio præuia v.g. vbicatio, non tamen ad operandũ intra se, ni velis, substantiã, vt producat sui vbicationem, debere præire vbicatam pro priori. Ad quintum, creationẽ animæ rationalis terminari ad ipsam vt subsistentẽ, non formaliter, sed fũdamentaliter, aut cõsequutiuè, seu illatiuè, quatenus creationem animæ subsequatur subsistentia emanans pro posteriori ab anima ipsa. Et fortè dum creatio dicitur esse rerum subsistentium, & aliquando, sed impropriè, vocatur subsistentia, non aliud significatur, quàm esse rerum per se existentium independenter à subiecto inhæsionis, & sustentationis. Versa Bartholomæum Amicum in tract. & q.5. Physicorum art.4. circa principium. Rubium lib.2. de anima tract. de potentiis in generali q.4. num.70. ac 71. Ad sextum, cum iuxta plures dari possit violentia contra virtutem purè receptiuam, impugnari eodem argumento virtutem receptiuam propriæ subsistentiæ in humanitate. Et licet hæc non gauderet actiuitate erga illam, exigeret tamen vt produceretur à Deo. Quare eadem manet difficultas, vrgetque ex æquo omnes Theologos. Legantur Cardinalis Lugus d.12. de Incarnatione sectio.1. numer.19. Bernal. d.& sectio 2.de Incarnatione, Granadus controu.1.de Incarnatione difficultate 1 tract.3. Ysambertus 3. parte ad q.1. d 4. Tellez suprà à n. 15. Ad septimum, neque subsistentiam esse modum, neque productionem omnis modi debere immedıatè respondere agenti, causanti rem. Id namque ex mero arguentis libito pronuntiatur.

37 Deuenio ad causam materialem subsistentiæ. Imponitur ab aliquibus Patri Suario d.34. Metaphysicæ sectio 6. numer.23, negare subsistentiæ creatæ dependentiam à natura velut à causa materiali; cum reuera non neget nisi dependentiam, quæ dicitur inhærentia. Videatur Auersa q.16. Phylosophiæ sectio 6.v. *Ex altera parte* consentiens cum Doctore eximio in modo loquendi. Naturam esse causam materialem subsistentiæ propriæ promptum est nobis probare ex præiacto fundamento circa conceptum causæ materialis in sectio 5 Exercit.6. Etenim creata subsistentia producitur in natura, qua sine vt subiecto saltem informationis nequit naturaliter conseruari; cum sit ens incompletum, ordinatum ex se ad complendam, & perficiendam naturam in suo esse substantiali: sicque complebile, & perfectibile ab ipsa natura. Hinc infertur primò, subsistentiam creatam non esse terminum purè intrinsecum naturæ, quam afficit, vti verbum diuinum est terminus purè intrinsecus humanitatis Christi Domini. Infertur secundò, non produci subsistentiam creatam per eandem actionem, quà natura, etiamsi subsistentia fieret ab efficiente naturam. Nam cum hæc sit materialis causa subsistentiæ, debet præsupponi producta, & existens, proindeque terminans diuersam actionem ab ea, quam pro posteriori terminet subsistentia.

38 Aduersus subsistentiæ à natura tanquam à causa materiali dependentiam insurget quis primò, Si subsistentia naturæ Angelicæ dependeat ab hac, vt à causa materiali, Angelus, qui est nomen suppositi, non solum diceretur generatus, sed etiã generatus à sui natura ratione subsistentiæ. Secundò, subsistentia facit naturam independentem, sustentatque ipsam, & fulcit. Ergo non potest sustentari, dependereque à natura vt à causa materiali. Leuia sunt hæc, & ad primum quidem iam respondi numer.19. Argumenti secundi Antecedens assumit conceptum formalem subsistentiæ litigiosum; imò falsum, si independentia, quam naturæ communicat subsistentiæ, debeat esse independentia à causa materiali, si rursus sustentatio naturæ per subsistentiam debeat esse tanquam per causam materialem. Vt taceam, formam nec debere, neque posse circa se ipsam exercere effectum formalem, quem exercet circa subiectum.

SECTIO VI.

An subsistentia sit principium operationum naturæ Empyreæ?

39 NOuis quibusdam Theologis apud Suarium d.34. Metaphysicæ sect.7.n.4. visum est, subsistentiam esse cõprincipium operationũ naturæ. Sunt qui eos refellant, quia subsistentia creata est modus; hic autẽ non est operatiuus. Sed inefficaciter, tum quia subsistentia creata non est modus; tum quia non est contra conceptum modi esse operatiuum, vt contra Petrum Hurtadum d.2. Metaphysicæ sect.5.§.48. probant Hemelman in disputatis Theologicis ad 1. part. tit.11. d.13. cap.2. numer.5 Arriaga d.1. Metaphysicæ sectio 1. à numer.12. vti neque est de conceptu rei esse operatiuam aliorum effectuum, quam suarum proprietatum, & passionum, vt patet in materia, & quantitate. Petrus Hurtadus in editione nouiori §.79. temperat quod in antiquiori dixerat.

40 Refellendi sunt itaque primò ex S.Maximo Abbate, & Martyre apud Baronium tomo 8.anno Christi 656. n.25. aiente; *non operatur quisquam secundùm Hypostasim, sed secundùm naturam.* Secundò, aliquæ operationes Christi Domini proueniebãt ab humanitate, vt à principio adæquato, quin diuina subsistentia influeret physicè in illas; alioqui omnes actiones Christi fuissent essentialiter diuersæ in specie à nostris, omnesque fuissent supernaturales entitatiuè ob essentialem dependentiam à principio adeò excellẽti supernaturali, &

& quæ supernaturales erant non indiguissent connaturaliter principio alio supernaturali intrinseco. Tertiò, quia increatæ personalitates non influunt ad extra nisi vt summùm intentionaliter per modum obiecti motiui ad visionem sui; quod placet nonnullis Theologicis apud Martinum Perez d.1. de Deo vt Trino sect.4. n.5. Ludouicum de Ribas tomo 1. Summæ Theologicæ tract.3. d.5. cap.4. n.35. Ylsambertum 1. p. ad q.12. d.6. art.2. Ouiedum controu.8. de Beatitudine puncto 3. n.118. Profectò si verbi personalitas physicè produceret specialiter operationes, Christi non essent indiuisa, & inseparabilia opera Trinitatis ad extra: cuius oppositum decernitur in Conciliis Toletanis 6. & 11. in confessione fidei, doceturque à S. Leone Magno serm.3. de Pentecoste S. Ambrosio cap.9. in Symbolum S. Augustino lib.1. de Trinitate cap.4. lib.2. cap.5. & 10. tract.20. in Ioannem, Enchiridij cap. 38. Stephano Eduensi Episcopo cap.29 de sacramento altaris, ab aliisque Ecclesiæ Patribus, quorum doctrinam tota Theologorum natio improloquium celeberrimum accepit cum Magistro sentent. lib.3. dist.1. Ergo neque personalitates creatæ influent ad extra purè saltem physicæ. Et verò si increata personalitas Patris influit ad intra vt quò in filium æternum, ideo est, quia ea sola distinguitur realiter à filio principiato, cum non distinguantur vlla ratione in natura. Quartò, quia etsi vnio substantialis nectens materiam, & formam sit de complemento substantiali vtriusque, non influit tamen in operationes vtriusque, neque alterutrius. Ergo neque subsistentia in operationes naturæ, etsi hanc substantialiter compleat. Quintò, quia subsistentia est vltimus terminus naturæ completæ. Ergo præsupponit in hac omnia prærequisita ex parte principij ad operandum. Sextò, quia nulla est formalitas in effectibus naturæ, neque titulus, ob quem ad ipsos debeat natura admittere consortiū subsistentiæ influentis. Septimò, si non sola humanitas, sed etiam subsistentia esset principium accidentium, seu operationum humanarum, sequeretur non in sola humanitate, sed etiam in subsistentia consistere substantiam, essentiamque humanam, si quidem subsistentia foret prima radix accidentium, seu operationum, simul cum humanitate. Sequela autem est absurda; inde enim fieret, verbum diuinum non assumpsisse totam substantiam, essentiamque humanam, quandoquidem non assumpserit humanam subsistentiam. Doctrina præsentis sectionis clarescet magis ex veniente

SECTIO VII.

An subsistentia sit saltem conditio præuia operationum naturæ Empyreæ?

41 Licet subsistentia non sit principium influens in operationes naturæ; censetur vulgo, esse conditionem præuiam ad illas, non secus ac approximatio agentis ad passum, & repræsentatio obiecti est conditio præuia ad agendum, & amandum. Suadetur primò, vt natura diuina sit principium generandi verbum, & dicatur generans, indiget subsistentia Patris tanquam conditione. Ergo vt natura creata operetur indiget etiam subsistentia tanquam conditione. Secundò, natura diuina prius intelligitur subsistens per tres personalitates, quàm intelligatur operans ad extra, vt non sine absurdo negari posse ait noster Franciscus de Zuniga in tract. de Trinitate d.11. dub.4. in 7. numero. Tertiò, verbum diuinum complet vt conditio humanitatē Christi ad efficiendas, & recipiendas operationes naturæ humanæ; quæ ob hanc causam appellantur ab Ecclesiæ summatibus Themætricæ, seu Dei viriles; suntque infiniti valoris, ac dignæ præmio infinito. Ergo subsistentia creata, cuius vices erga humanitatē Christi gerit verbū diuinum, complet vt cōditio naturam ad proprias operationes. *Quartò, actiones sunt suppositorū* iuxta pronuntiatum S. Damasceni lib.3. de fide orthodoxa c.15. & Theologorum communiter, omniumque Philosophorum Scholam, vt testatur Ioannes Theologus in Cōcilio Florentino sess.18. qui vtitur eo axiomate ad probandum personam esse producētem in diuinis, & patrem esse principium generatiuum filij. Sed persona, & Pater in diuinis tenet se ex parte principij formaliter ad producendum, & non merè materialiter, ac per accidens. Quare Ioannes Theologus voluit, suppositum in ratione talis debere præcedere operationes, & in hoc sensu intellexit solemne illud axioma. Quintò, nisi subsistentia debeat præcedere omnes operationes naturæ, non erit, cur Christi humanitas non meruerit saltem de congruo vnionem, & subsistentiam verbi diuini. Sextò, subsistentia est vltimum complementum naturæ esse substantiali; sed substantiale esse naturæ consistit in eo, quòd sit principium radicale operationum. Ergo per subsistentiam completur per se in esse principij radicalis. Ergo ea requiritur ex parte principij ad operandum. Septimò, modus operandi sequitur modum essendi; & ob id animus rationalis pro priori ad vnionem cum corpore non potest operari; sed subsistentia pertinet ad complementum intrinsecum substantiæ operantis. Ergo prius, quàm hæc operetur, compleri debet in suo modo essendi per illam. Octauò, esse supponitur ad operari; Ergo prius supponitur natura subsistens, quàm operans. Ergo subsistentia est conditio ad operandum. Nonò, esse naturæ est propter operari. Ergo id, quod pertinet ad esse naturæ, pertinet per se ad operationes illius, sed subsistentia pertinet per se ad esse naturæ tanquam complementum intrinsecum illius. Ergo pertinet per se vt conditio ad operationes illius. Decimò, id, quod eget alio ad existendum, eget etiam illo ad operandum. Sed natura eget subsistentia ad existendum. Ergo & ad operandum. Vndecimò, accidens completur per inhærentiam prius naturâ, quàm operetur. Ergo & substantia per subsistentiam prius naturâ, quàm operetur. Duodecimò, *priores dicuntur priorū affectiones*, id est, passiones, & proprietates, docente Aristotele lib.5. Metaphysicæ cap.12. Ergo cum subsistentia sit affectio naturæ præcedentis operationes, prior vtique istis erit.

42 Hæ rationes non adeò conuincentes sunt, vt solutioni aditum præcludant. Prima solui potest dicendo, nimis probare, cum subsistentia Patris sit non solùm cōditio generationis verbi, sed & generatiuum principium. Sed admisso, fore tantum conditionem, ideo esset, quia aliter, non distingueretur realiter, vt debet, genitum à generante. Ast sine subsistentia creata vt conditione ad operandum se habente, distinguitur sufficienter natura creata ab effectibus, quos producit. Secunda dicendo, asseri gratis naturam diuinam debere

præintelligi (ordine causalitatis)cum tribus personalitatibus ad operationes ad extra.Tertia respōdendo,si verbi diuini subsistētia se habeat concomitanter, satis id esse,vt actiones humanitatis Christi Domini sint Theandricæ , & vt dignificentur infinitè à verbo diuino. Quarta respondendo in primis,si actiones dicerentur suppositorum , quia suppositalitas est conditio præuia ad illas ; debere æquè dici vbicatorum , & durantium ; siquidem vbicatio , & duratio sint conditiones præuiæ ad actiones; quas nemo dixit esse vbicatorum,ac durantium:quare actiones non dicentur suppositorū ex eo saltem præcisè , quòd suppositalitas sit conditio præuia ad ipsas;sed ex alio etiam titulo;qui si assignetur , respondebitur, ipsum solum sufficere, circunscripta ratione conditionis præuiæ. Deinde, actiones eatenus dici esse suppositorum , quatenus suppositalitas est præcisè complementum substantiale naturæ operantis,vel quatenus tribuuntur suppositis,denominant illa , referunturque in ea,tanquam in finem:ad hoc autem opus non esse, quòd supposita vt supposita præcedāt pro priori naturæ actiones,quemadmodū opus non est,vt præcedant passiones , licet hæc etiam tribuantur suppositis,& denominent ipsa. *Non enim est naturæ genitum esse , sed Hypostaseos.* Vt instituimur à S. Damasceno,lib.4. de Fide orthodoxa c.7.Sed quid de Ioanne Theologo? Asseri potest , eius quidem conclusionem approbatam fuisse à Concilio Florentino,non verò rationem , neque vsurpationem axiomatis. Nā apud Philosop. Ethnicorū scholam erat aliud in vsu, nimirùm : *Actiones sunt singularium,vel circa singularia,*vt colligitur ex Aristotele lib.& cap.1.Metaphisicæ,*vel actiones sunt compositorum,*vt infertur ex lib.1.ad Anima cap.4. Affirmari prætereà valet, Ioannem illum voluisse solummodò,actiones esse suppositorum,vt comitanter se habentium per modum conditionis necessariæ,si agentia sint supposita;nam rationalis animus separatus suas habet naturaliter spirituales actiones , quin sit suppositum , & quin in aliquorum sententia sit subsistens. Licet addere, non tenere argumentum ex diuinis desumptum, cū in diuinis supposita sint principia productionum realium ad intra, non verò in creatis. Quinta atendo , humanitatem Christi non meruisse de congruo , neque potuisse ex natura rei vnionem Hypostaticam , quia etsi subsistentia non debeat præcedere ex natura rei operationes , debet tamen non subsequi illas , sed comitari. Vti actio generatiua comitatur essentialiter passionem , si inter vtranque detur distinctio. Præmium autem respondens operationi meritoriæ debet esse posterius naturâ , quàm hæc. Omitto alia fundamenda.

43 Sexta solui potest,respondendo,non compleri à subsistentia naturam in ratione radicis operationum; alioqui subsistentia esset comprincipium illarum;neque compleri in ratione actus primi; vti completur per aproximationem;sed compleri ea ratione,qua forma materialis,per quantitatem, quatenus scilicet subsistentia pertinet ad constitutionem naturæ in modo connaturali essendi.Septima, modum operandi sequi modum essendi,nihil aliud esse,quàm modum operandi imitari modū essendi: hinc autem non fieri,modum omnem essendi debere præcedere pro priori operationē;alioqui sessio hominis intelligentis deberet præcedere pro priori intellectionem ; cum tamen sit conditio per accidens. Satis itaque est, si modus essendi superadditus,etiā si connaturaliter ex actus,gerat se vt cōditio per se simultanea. Sic videtur se gerere vnio formæ substantialis ad materiam respectu operationum formæ substantialis siue rationalis,siue irrationalis, & subsistentia respectu operationū naturæ.. Admisso tamen adhuc vnionem formæ substantialis esse conditionem præuiam,non sequitur idem de subsistentia; tum quia vnio est constitutiua naturæ completæ,vt operatiuæ,secus subsistentia, si quidem supponit naturam constitutam:tum quia formæ rationali vt operetur independenter à corpore pro priori instantis realis, in quo creatur, est impedimentum vnio ad corpus subsequuta pro posteriori ad existentiam ipsius : quare vt sit proximè expedita ad operandum independenter à corpore , debet habere negationem vnionis ad corpus. Et exhinc ab opposito colligitur, vnionem esse præuiam conditionem ad omnes operationes dependentes à corpore. Porrò autem nulla est similis ratio à posteriori , vel à priori ex qua colligatur,subsistentiam debere præexistere,& constituere naturam in actu proximo expedito ad operandum.Octaua; Esse, quod,se habet tanquam principium, aut conditio præuia, supponi ad operari;non verò esse , quod solùm se habet tanquam constituens rem in modo connaturali essendi.Nona,subsistentiam pertinere per se non præuiè , sed comitanter ad operationes naturæ ; maximè cum huic adueniat pro posteriori.Decima,falso supponi in omne , quo indiget principium ad existendum , esse necessariò prærequisitum ad operandum. Nam principium indiget ad existendum pluribus subsequutis pro posteriori , & hæc non debent præcedere pro priori operationem. Patet in igne , ad cuius conseruationem opus est octo gradibus caloris subsequutis pro posteriori , quin tamen octo gradus caloris constituant in communi sententia actum primū ignis , vt productiui alterius ignis. Cum ergo ad existendum natura nō indigeat subsistentia nisi vt subsequuta pro posteriori , non est , cur ea vt conditione præuia indigeat ad operandum. Vndecima ; si inhærentia accidentis sit indistincta ab eductione , vel hanc essentialiter comitans , debere præcedere operationes accidentis : secus si subsequatur pro posteriori existentiam accidentis ; vti subsistentia subsequitur existentiam substantiæ.Duodecima , Aristotelem valdè laxæ proprietatis ibi meminisse.

44 Mirum iam non sit , Albertinum d.3. de prædicamento substantiæ , quæst. 2. num.17. Meratium d.14.de Incarnatione sect.2. Arriagam, d.4. Metaphysicæ sect.13.numer.125. Ouiedum controu.4.Metaphysicæ puncto 3.numer.15. negasse subsistentiam esse conditionem præuiam ad operandum , indicante Vazquio 3.p.d.21. cap.3. Et quidem subsistentiæ , vt conditionis præuiæ exigentium ista reddunt argumenta difficilem. Primum,natura diuina, antequàm completè subsistat per tres personalitates , intelligitur potens cum sola personalitate Patris producere filium. Ergo complementum subsistentiæ non est prærequisitum ad operandum. Secundum, materia prima priùs naturâ , quàm subsistat, recipit formam substantialem , & priùs , quàm hanc, recipit accidentia dispositiua , & efficit ea , quæ ipsius materiæ sunt proprietates. Ergo natura potest recipere , & operari priùs , quàm subsistat. Tertium , accidentia sine subsistentia sunt completa , ac expedita ad recipiendum

&

& efficiendum. Ergo & substantiæ. Quartum, tam connaturalis est inhærentia accidenti, quàm substantiæ subsistentia. Sed inhærentia non est conditio prævia requisita naturaliter vt accidens operetur; quandoquidem dum per se existit sine inhærentia, operetur æquè naturaliter ex suppositione primi miraculi, ac dum inhæret, vt patet in Eucharistia. Ergo, &c Quintum, subsistentia potius est in ordine ad essendum, quàm ad operandum. Ergo gratis recensetur inter conditiones præuias ad operandum, cum mysteria fidei, ex quibus illa innotuit, ad id non cogant; & incredibile videtur, latuisse Ethnicos Philosophos aliquod ex prærequisitis, vt substantiæ operentur. Sextum, si à substantia auferatur miraculosè subsistentia, operabitur illa naturaliter, vt concedit Suarez d. 34. Metaphysicæ sect. 7. n. 15. conniuente Petro Hurtado in Metaphysica d. 11. sect. 9. §. 125. & Balthasare Tellez p. 3. Philosophiæ d. 57. sect. 3. n. 40. Ergo subsistentia non est conditio prævia, vt operetur substantia; Id enim, sine quo potest naturaliter fieri effectus, non est conditio prævia ad ipsum; alioqui in Architecto, ars Musicæ esset conditio per se prævia ad ædificandum. Hinc quia calor in passo est conditio per se, & præuia, vt introducatur ignis, si passum impediatur à receptione caloris, non poterit naturaliter ignis applicatus introducere in passo formam igneam. Septimum, non apparet, in quo genere, aut quia ratione subsistentia sit conditio præuia ad operandum, cum neque sit applicatio agentis ad passum, neque dispositio ad effectum; proindeque non iuuet immediatè ad effectum. Quòd autem substantia nequeat existere naturaliter sine subsistentia, non efficit, ne hæc sit potiùs conditio ad operandum, quàm quantitas in forma substantiali materiali. Quare sicut quantitas non est præuia conditio, vt forma substantialis materialis operetur; ita neque subsistentia, vt operetur quæcumque substantialis natura. Octauum, si ad operandum sit conditio præuia subsistentiæ, actiones naturæ erunt diuersæ pro diuersitate subsistentiarum? actio namque non tantùm specificatur à causa, & termino, sed etiam à conditione præuiè requisita. Vnde omnes actiones Christi Domini distinguentur specificè à nostris, imò & supernaturales euadent quoad entitatem.

45 Sed neque his argumentis impugnatur solidè necessitas subsistentiæ vt præuiæ conditionis ad operationes naturæ. Ad primum namque dici potest, per Filij & Spiritus Sancti personalitates constitui naturam diuinā completè in suo determinato modo essendi; & productionem ipsarum tendere ad subsistentiam; ideoque non debere esse conditiones præuias ad se ipsas; quemadmodùm subsistentia creata non est præuia conditio, vt natura illam producat. Ad secuddum, materiam priùs subsistere partialiter, quàm efficiat suas proprietates, & quàm recipiat dispositiones ad formam substantialem, ipsamque formam substantialem. Et hæc responsio suaderi potest ex doctrina Suarij tom 1. in 3. p. d. 17. sect. 6. vbi probat, partes humanitatis priùs natura esse assumptas à verbo diuino, quàm propriis, & naturalibus accidentibus sint informatæ, eo quòd substantiæ priùs natura conueniat propria subsistentia, quàm quodlibet accidens: ordinem autem subsistentiæ propriæ seruat verbum in assumptione partium Humanitatis. Si velis, non dari in composito nisi vnicam subsistentiam aduenientem post formam substantialem, respondebitur, subsistentiam debere solùm esse conditionem præuiam ad operationes ortas à toto composito, Ad tertium, accidentia esse completa ad operandum sine subsistentia; quia non hæc sed inhærentia est complementum ipsorum, quo ad esse. Ad quartum, inhærentiam esse conditionem præuiam, vt accidens operetur naturaliter, ideoque opus esse nouo miraculo, vt accidentia Eucharistica non inhærentia agant; & Deum agere semper cum illis, vt occultetur Mysterium; quemadmodùm hac de causa producit in speciebus vini amissam frigiditatem ex præsentia ignis, cum tamen frigiditas illa non nisi à forma vini emanatura esset naturaliter, vt potè eius proprietas. Vel dici potest; accidentia Eucharistica, quæ agunt, inhærere subiecto non minus, quàm anteà; inhærent namque quantitati, quæ est subiectum adæquatum aliorum accidentium materialium; & quæ sola manet sine subiecto immediatè, quin sit operatiua ad extra. Licet autem in Cōcilio Constantiensi sessione 8. hæc Vuiclephi propositio sit damnata. *Accidentia panis non manent sine subiecto in Eucharistia* intelligitur satis communiter concilium, quatenus quantitas maneat sine vllo subiecto; cætera verò accidentia sine subiecto substantiali, quod erat mediatum respectu ipsorum, habente se anteà, & posteà quantitate tanquam subiecto immediato, & sufficienti. Ita Authores, qui quantitatem putant subiectum adæquatum cæterorum accidentium materialium, non vitalium. Ad quintum, subsistentiam ea ratione, qua est in ordine ad connaturalem modum essendi, esse in ordine ad connaturalem modum operandi: Neque mirum latuisse Ethnicos Philosophos aliquod ex prærequisitis ad operandum, cum latuerit substantiarum complementum aliquod substantiale, & connaturalis aliquis modus essendi, vt præter Albertinum de prædicamento substantiæ d. 3. q. 1. n. 31. vnumque, aut alterum Theologum priscum persuadent sibi reliqui. Ad sextum, substantiam non operaturam naturaliter, si priuetur omni subsistentia. Ad septimum, subsistentiam esse ad operandum præuiam conditionem in genere entitatis constituentis naturam in suo connaturali modo essendi. Ad octauum, actionem non specificari à quacumque conditione exacta naturaliter vt præuia, vti neque à quacumque sic exacta vt subsequenti; & alioqui diuersa foret actio ignis ex præcisa diuersitate approximationis. Dantur quidem aliquæ conditiones præuiæ, à quibus diuersificantur actiones, vt colligi potest ex n. 96. Exercit. 6. Et sine essentialis determinata dependentia harum ab illis saluari nequit directio, & motio vnius actus intellectus, & voluntatis ab alio præ reliquis simul existentibus in intellectu, & voluntate. Nam recursus vulgatis ad decretum Dei statuentis à cognitione hac præ alia dirigi intentionem, & ab hac præ alia intentione moueri electionem: recursus etiam singularis P. Ripaldæ d. 67. de ente supernaturali sect. 3. ad defectum conditionatum huius intentionis, si abfuisset hæc cognitio, aut aut ad diuinam scientiam de tali defectu, sternit viam ad negandas actiones, vnionesque distinctas. Sed quicquid si istis quæ in medio relinquo nihil vrget in subsistentia, vt ex ipsa resultet diuersitas in actiones naturæ, etsi conditionis antecedentis gradum teneat.

46 Cum communis opinio neque suis argumentis vincat, neque contrariis reuincatur, ego dissidium, & litem sedatem affirmando, subsistentiam esse ad operandum conditionē non per accidēs, sed necessariam ex natura rei, non præuiam, sed comitantem,

quatenus cum virtute ad operandum intelligatur simul,& existat virtus, aut habilitas ad subsistentiam, & simul natura prodeat substantia tam in operationem, quàm in subsistentiam. Et verò esse conditionem necessariá ex natura rei, suadent plures ex rationibus adductis n. 41. Esse conditionem comitantem, non redarguitur rationibus collectis n.44. In hanc mentem vocari potest Magnus Suarez, dum disp. 24. Metaphysicæ sect.7.n.13.& 15. ait, subsistentiam requiri per se ex parte agentis, non ex parte actionis, aut termini. Si enim censeret esse conditionem præuiam ea ratione, quá approximatio, diceret esse naturaliter requisitam etiam ex parte actionis, vti requisita est approximatio; ita quidem vt actio orta ab agente non approximato sit miraculosa, & supernaturalis, quò ad modum Sic supponere videtur tomo.1.in 3. p. d. 31. sect.6. de actione autem orta à natura priuata omni subsistentia, fatetur d.illa 34.sect. 7. n. 15. fore debitam naturaliter; proindeque non miraculosam, neque supernaturalem quoad modum. In eandem mentem voco P. Arriagam d. 4 Metaphysicæ, n. 125.ac 126. Inquit namque, subsistentiam se habere comitanter cum operatione, & ad hanc esse per se necessariam perseitate connexionis cum natura operante quatenus natura exigit habere subsistentiam pro posteriori. Et hinc præbet discrimen inter subsistentiam respectu naturæ operantis, & artem Musicæ respectu ædificantis: vt subsistentia sit conditio per se,& necessaria; ars Musicæ conditio per accidens. Dices, si subsistentia sit saltem conditio simultanea requisita naturaliter ad operationes naturæ, opus fore nouo miraculo, vt hæc orbata omni subsistentia operetur. Respondeo, opus non fore, quia ex suppositione miraculosi illius status,& modi essendi sine subsistentia debitus est naturæ concursus ad operationes; non enim datur ratio siue à priori, siue à posteriori, ex qua oppositum suspicemur; vti datur ad colligendum non deberi concursum agenti non approximato. Et quidem si naturæ habenti vtcumque miraculosum modum essendi non deberetur concursus ad operationes, humanitas Christi subsistens miraculosè per verbi personalitatem, nullas in operationes prodiret, quæ non essent supernaturales, quo ad modum. Quod falsum esse conuincit Henricus de Gandauo quodlibeto 15. q. 3. Ex his liberatur Suarez ab inconsequentiæ nota, qua illum inurere conantur Arriaga supra.n. 124. Ouiedus controu. 6. Metaphysicæ puncto 3. n.17.

SECTIO VIII.

Quibus entitatibus compositi Empyrei competat subsistentia?

47 CVm compositum Empyreum constet materia, forma, & vnione essentiali eas nectente; necnon vnionibus integralibus nectentibus inter se partes materiæ,& partes formæ, examinare oportet, an omnibus his entitatibus conueniat habere subsistentiam? De relatis entitatibus, cum sint substantiales, controuertitur; nam aliis accidentalibus, quibus gaudet Empyreum, citra dubium est, non competere subsistentiam.

PRIMVM PRONVNCIATVM.

Materia prima subsistit in composito Empyreo per subsistentiam propriam, & specialem.

48 SVbsistere vtcumque à nemine negatur. Subsistere per peculiarem subsistentiam, probatur primò, quia Verbum diuinum terminauit immediatè materiam diuersa vnione ab ea, qua formam rationalem; alioqui in triduo mortis Christi mutasset vnionem ad corpus, & ad formam rationalem,& in resurrectione adquisiisset aliam vnionem similem antiquæ: Quæ variatio vnionum esset parum conformis Patribus Ecclesiæ, S.Leoni serm. 9. de Natiuitate, & serm. 17. ac 19. de Passione, S.Bernardo lib. 5. de consideratione ad Eugenium cap.10. & aliis; nec non Theologis antiquis: quorum vestigiis insistit S. Thomas 3. p. q. 50. art. 3. ad 2.& 4. rursus art. 4. ad 1. Ergo materiæ, & formæ rationali competunt diuersæ subsistentiæ suapte naturá. Confirmatur, verbum assumpsit formam substantialem cadauericam in triduo mortis, vt docent Suarez tomo 1.in 3. p. d. 14. sect.2. & tom.2.d 38.sect.3. iterúmque d.47. sect.3. Cardinalis Lugus d. 12. de Incarnatione sect.4. sed non assumpsit, destructa antiqua vnione ad materiam. Ergo per diuersam. Secundò, materia vt distincta à quouis alio est substantia, & natura, Ergo ei respondet propria subsistentia distincta à subsistentia cuiusuis alterius. Tertiò, diuersis partibus materiæ continuæ respondent diuersæ subsistentiæ, vt in pronuntiato 3.& 4. defendam. Ergo & materiæ, ac formæ. Si enim ex diuersitate partium integralium colligitur diuersitas subsistentiarum, colligetur etiam aptè ex diuersitate partium essentialium. Quartò, si materia subsisteret per formæ subsistentiam diceretur materia assumi à forma; sicut in Christo dicitur assumi à verbo.

49 Quintò, maiorem, vel tantam connexionem habet materia cum subsistentia, quantam cum vbicatione; sed materia habet vbicationem distinctam ab vbicatione formæ. Ergo & subsistentiam, Consequentiæ æquabilitas se se prodet,& ostendet in n. 51. Minor fortificatur, nam manente materia in eodem loco,& cum eadem vbicatione, quam res existens non amittit nisi per motum localem, potest forma vel destrui, vel separari localiter, vel conseruari in eodemmet loco, sed sine vnione cum materia: quibus in casibus vbicatio huius erit distincta ab vbicatione alterius. Ergo & quando vna habet vnionem cum altera; nam ex illis aliis casibus coniectura, & indicium ad hunc capitur. Sextò, si materia subsisteret per subsistentiam formæ, aut totius substantialis, mutaret toties subsistentiam quoties variaretur forma, aut totum substantiale. Tanta autem mutatio subsistentiarũ non sine absurditate induceretur. Septimò, si essentia actualis distinguatur ab existentia, essentiis actualibus materiæ, ac formæ respondebunt diuersæ existentiæ. Ergo cum subsistentia distinguatur à materia,& forma, respondebunt his diuersæ subsistentiæ. Octauò, materia non subsistit per subsistentiam animæ rationalis ipsi vnitæ. Ergo neque per subsistentiam aliarum formarum substantialium. Consequentia videtur bona à paritate,& aliunde omnia Aduersariorum argumenta hîc infringuntur. Suadetur antecedens, tum quia vt materia subsisteret immediatè, ac formaliter per subsistentiam rationalis animæ deberet habere sibi vnitam subsistentiam, recipereque ipsam

ipsam, ac sustentare tanquã materialis causa. Atqui rationalis anima est sufficiens, adæquataque materialis causa subsistentiæ, vt patet in statu separationis à materia. Ergo in statu coniunctionis sufficiens etiam erit, atque adæquata. Tum quia subsistentia animæ rationalis est spiritualis; sed subsistentia spiritualis nequit reddere materiam, quæ corporea est, subsistentem, quia id apparet ex se absonum; & quia eo ipso esset corporea; spiritualitas namque consistit independentia à re corporea, vel saltem postulat secundariò talem independentiam. Si dicas, subsistentiam animæ rationalis vnitæ corpori esse spiritualem, non minus, quàm ipsam animam, afficere tamen corpus per vnionem materialem, quin hanc exigat secundùm se. Contra, quia posses similiter dicere, corpus vbicari per præsentiam spiritualem animæ rationalis vnitam ipsi vnione materiali non exacta. Et quia si subsistentia sit modus, nequit saltem ex natura rei afficere subiectum per vnionem distinctam. Imò & diuinitùs nequire, tenent mordicùs P. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 13. sect. 4. Cardinalis de Lugo d. 12 de Incarnatione sect. 7. n. 91. Si autem sit res, afficeret corpus per vnionem materialem, & animam rationalem per spiritualem. Quid, vt hæc euitaret, assereret, subsistentiam animæ rationalis vnitæ corpori esse materialem, reiiciendus esset; quia absurdum est, rem spiritualem subsistere per subsistentiam materialem, & quia cum subsistentia animæ rationalis extra corpus sit spiritualis, erit etiam spiritualis subsistentia intra illud; quia denique subsistentia emanat à natura vt passio, & proprietas ipsius, à natura autem spirituali non videtur emanatura passio, & proprietas materialis quandoquidem ei sit improportionata, Nonò, materia præsupponitur subsistens pro priori ad formam substantialem, vt potè materialis causa illius, vel saltem vtpote receptiuum subiectum. Ergo subsistit per subsistentiam, quæ sit prior, quàm subsistentia formæ, vel compositi. Confirmatur, materia præsupponitur pro priori naturæ ad quantitatem, & ad alia accidentia, quibus disponitur ad recipiendam formam substantialem; præsupponitur, inquam, vt causa saltem materialis eorum. Ergo præsupponitur subsistens antecedenter ad formam, & ad esse totius substantialis; subsistentia namque est in sententia Aduersariorum conditio necessaria, vt natura recipiat, & efficiat omnes alios effectus distinctos à subsistentia. Et non nisi voluntariè dicetur, esse solùm cõditionem necessariam, vt natura completa recipiat, & efficiat.

SECVNDVM PRONVNCIATVM.

Forma substantialis habet in composito Empyreo propriam subsistentiam.

50 FVlcitur primò, quia Verbum diuinum assumpsit immediatè formam sanguineam; non enim eam assumpsit, sicut accidentia medio subiecto. Propositionem istam tum authoritate, tum ratione insigniter munitam licet videre apud Cardinalem Lugum d. 14. de incarnatione sect. 2. & 3. Sed forma substantialis sanguinea est in homine materialis, vt suppono ex libris Animasticis. Ergo forma substantialis materialis habet ex se subsistentiam. Si neges minorem, instauro adhuc argumentum; sanguis in triduo mortis Christi mansit hypostaticè vnitus verbo non minus, quàm corpus, quia non minus, quàm hoc erat pars humanitatis assumptæ, vt deducitur ex Concilio Tridentino sess. 13. c. 3. vbi ex eo quòd sanguis sit Christi pars, adstruit, debere nunc poni in Eucharistia sub speciebus panis per concomitantiam propter coniunctionem naturalem partium inter se, ratione cuius vbi est vna pars, debet esse altera. Tunc sic; sanguis in triduo mortis non afficiebatur nisi forma substãtiali materiali. Ergo &c. In forma cadauerica corporis assumpta à Verbo efformatur similis ratio. Nec valet respondere, ideo dici sanguinem assumptum à Verbo, quia in forma sanguinis fuit a Verbo præuenta vnio ad subsistentiam propriam, & connaturalem materiæ. Etenim impedire præcisè vnionem ad subsistentiam materiæ, non sufficit vt dicatur sanguis assumptus à Verbo; alioqui materia ipsa diceretur assumpta à Deo ex eo præcisè, quòd hic impediret resultantiam propriæ subsistentiæ ex illa. Ergo opus est, vt à Verbo terminetur immediatè. Neq; aliter potest à verbo præueniri vnio ad subsistentiam materiæ, nisi ipso vnito immediatè sanguini; cum præuentio illa debeat consistere in effectu formali subsistentis, quem præbeat Verbum sanguini, & non tantùm materiæ; quippe hæc poterat subsistere per Verbum, quin subsisteret sanguis, & è conuerso. Præterquàm quòd vnio sanguinis cum subsistentia materiæ non redderet illum subsistentem, si subsistentia sit modus solius materiæ; si verò sit modus vtriusque, aut res absoluta afficiens materiam, & sanguinis formam, iam subsistentia erit propria vtriusque, neque erit cur potiùs dicatur, formam subsistere per subsistentiam materiæ, quàm hanc per subsistentiam illius; sicuti si vnio compositi sit simplex, non dicetur potiùs vnio formæ, quàm materię. Iuuari potest tota huius numeri ratio ex Tertulliano in lib. de carne Christi cap. 3. vbi indicat, columbam, quæ apparuit in baptismate Christi, fuisse hypostaticè vnitam spiritui sancto: quod etsi non arrideat (& meritò quidem) aliis Patribus apud Barradam tomo 2. in Euangelia lib. 1. c. 13. illorũ tamen nemo recurrit ad impossibilitatẽ, fundatã in columbæ materiali forma inassumptibili per diuinam personam. Ipse Tertull. ibi c. 4 significantiùs exprimit, potuisse à Verbo diuino suppositari animam corpoream bruti. Et hæc opinio percrebuit in Theologorum lycæis contra Petrum Hurrad. d. 1. de Anima sect. 6. §. 46, disp. 43. de Incarn. sect. 2. paucosq; alios antiquos Theolog.

51 Fulcitur secundò, quia forma substantialis subsistit in composito, & non ratione materiæ: alioqui non distingueretur à forma accidentali, quæ solùm subsistit ratione subiecti, cui inhæret. Ergo forma substantialis subsistit ratione sui; ideoque debet respondere illi propria subsistentia. Tertiò dependentia formæ materialis substantialis in fieri, & conseruari à materia non opponitur conceptui substãtialis naturæ. Ergo neque conceptui substantialis naturæ subsistentis ratione sui; siquidem subsistentia est proprietas naturæ substantialis. Vt enim ait S. Athanasius disputans contra Arium in Concilio Nicæno, *substantia est, vnde est, quòd res subsistat*. Quartò, sicut inhærentia est affectio accidentis, ita subsistentia est affectio substantiæ. Ergo sicut cuilibet formæ accidentali conuenit sua inhærentia, ita cuilibet formæ substãtiali sua subsistẽtia. Quintò, forma rationalis separata à materia subsistit, tum quia Verbum diuinum vnitum fuit rationali formæ separatæ, tum quia forma rationalis in statu separationis habet quicquid composito substantiali satis est, vt subsistat. Ergo forma rationalis subsistit etiam, dum est coniuncta

materiæ. Nam coniunctio non obstat, vt subsistat: alioqui in humanitate Christi non subsisteret per verbum. Et prætetea coniunctio ad corpus stat cum creatione, & cum independentia ab illo vt subiecto sustentante. Neque vnionis ad materiam negatio est effectus formalis primarius subsistentiæ, vt constabit ex sectione sequenti; esse autem secundarium diceretur gratis; maximè quando materia est subiectum purè receptiuum. Iam verò si forma rationalis coniuncta materiæ subsistit, subsistet per propriam subsistentiam; cum subsistere debeat per eandem subsistentiam, qua in statu separationis; alioqui anima Christi non habuisset in statu coniunctionis, & separationis eandem vnionem ad Verbum diuinũ. Sextò, rationalis forma potest naturaliter subsistere, & irrationalis diuinitus, quin sint vnitæ cum materia, cuius, aut compositi subsistentiam participent. Ergo dum sunt vnitæ suam etiam propriam habent subsistentiam, non secus, ac tunc gaudent speciali vbicatione: quia absque vnione possunt naturaliter, vel diuinitus existere simul in eodem loco, ac materia. Confirmatur, sicut immota materiâ potest forma naturaliter, vel diuinitus separari ab ipsa, & affici speciali sua vbicatione ad alium locum, indeque infertur materiam, & formam in statu coniunctionis vbicari per distinctas vbicates; ita subsistente materia potest naturaliter, vel diuinitus separari forma à materia, & subsistere peculiari alia subsistentia. Ergo æquè inde deducetur, vtramque vnitam subsistere per diuersas subsistentias. Septimò, forma rationalis priùs naturâ fuit à Verbo assumpta, quàm vnita corpori; & è conuerso corpus fuit prius natura assumptum à Verbo quàm vnitum animæ. Vlterius secundùm S.Thm.3.p.q.6. art.5. ad 1. prior naturâ in ordine executionis fuit assumptio animæ; & corporis, quàm totius humanitatis. Ergo quia anima, & corpus habent ex se proprias subsistentias, quarum loco sunt assumpta à verbo. Alias probationes huius pronuntiati petere licet ex præcedenti.

Itur obuiam argumentis contra 1. & 2. Pronuntiatum.

52 PRimum argumentum est; subsistere est existere per se, & esse incommunicabile substantialiter alteri. Sed sola natura completa constans ex materia, & forma vnitis existit per se, & est incommunicabilis substantialiter alteri. Ergo ea sola subsistit. Confirmatur, accidenti, quia est in alio, non competit subsistentia. Sed materia, & forma sunt alterius, idest, compositi. Ergo huic, & non illis competit subsistentia propria. Secundum, subsistentia est terminus vltimus naturæ: Si autem materiæ, & formæ seorsim conueniret, non esset terminus vltimus naturæ; siquidem terminus vltimus debet vltimo loco aduenire. Sic verò non adueniret materiæ subsistentia, sed potiùs forma; & huic, si rationalis sit adueniret illa. Ita arguit Cardinalis Lugus d.12. de Incarnatione sect. 3. à num.37. Sed ad primum respondeo negando Maiorem; alius enim est formalis effectus subsistentiæ, vt adueniente sectione expendam. Respondeo deinde, distinguendo consequens, sola natura completa subsistit vt ens completum, seu vt ens non existens in alio vt in toto, concedo: vt ens incompletum, seu vt ens existens in alio tanquam in parte, nego. Itaque subsistentia animæ rationalis vnitæ corpori est perseitas entis incompleti, cui perseitati non opponitur vnio, & communicatio actualis cum alio ente incompleto; alioqui opponeretur etiam aptitudinalis; vti iuxta ipsum Lugum opponitur perseitati entis completi vnio, & communicatio cum alio ente completo. Constat autem ex anima rationali subsistente in statu separationis non opponi perseitati entis incompleti aptitudinem ad vnionem cum altero ente incompleto. Replicabis, existere per se, & existere in alio opponuntur. Ergo & animam subsistere, ac existere in composito. Distinguo antecedens; Existere per se completè, per modumque totius, concedo; Existere per se incompletè, per modumque partis, nego. Ad confirmationem respondeo, accidenti non competere subsistentiam, non quia præcisè est in alio, sed quia est in alio, cum quo non constituit, neque constituere potest vnum per se substantiale. Ex hinc intelligitur, cur accidens præ forma substantiali dicatur inhærere subiecto, licet absque hoc nequeat etiam illa existere, & conseruari naturaliter. Ad secundum respondeo, subsistentiam inadæquatam non esse vltimum terminum naturæ incompletæ.

53 Tertium argumentum est: Ex Mysterio Incarnationis non colligitur partibus compositi substantialis respondere proprias subsistentias. Et verbum diuinum non assumpsit materiam, ac animam rationalem seorsim, & secundùm se, sed vt vnitas: neque per partiales subsistentias, sed per vnicam, & indiuisibilem. Quartum; si existentia distingueretur ab essentia actuali, existerent materia, & forma substantialis per eandem existentiam. Ergo similiter. Quintum, si materiæ responderet propria subsistentia, hanc illa efficeret, quod est inauditum paradoxon, vt inquit Luisius Turrianus p. 1. selectarum d.23. dub. 2. Præterea subsistentia propriâ materiæ non fuisset purè impedita à verbo in humanitate Christi, sed corrupta: quod in subsistentia animæ inconuenienter dici, censet S. Thomas 3.p.q.6. art.3. in corpore. Ad tertium patet solutio ex superioribus maximè ex prima probatione pronuntiati primi, & ex quinta pronuntiati secundi. Neque vrget exemplum humanitatis Christianæ terminatæ indiuisibili subsistentia. Nam verbo diuino repugnat diuisio in partes, secus subsistentiæ creatæ. Et saltem diuisio in partes integrãtes conceditur communiter huic, cum tamen debeat negari increatæ, etsi terminet easdem partes materiæ, quas terminaret illa. Ad quartum dico, ex opposita Maiori probatum à me pronuntiatum primum in n.49. Do tamen, non repugnare, admissa illa suppositione, modum existentiæ communem materiæ, & formæ, vnitumque vtrique intrinsecè, & immediatè, dummodò materia, forma, vnio, & existentia producerentur per vnicam actionem creatiuam: aut etsi forma, vnio, ac existentia generarentur, concedatur cum Thomistis, necessarium non esse, præsupponi existentem essentiam actualem, vt causet materialiter. Cæterùm hinc tantùm fit, non repugnare de potentia absoluta, materiam, & formam subsistere per eandem subsistentiam: quod ego non inficior. Sed nihilominus dico ob rationes præstitas, non sic de facto euenire. Quare non sine necessitate multiplico subsistentias. Ad quintum respondeo, nouitatis immeritò notari emanationem subsistentiæ vt proprietatis à materia. Videatur Rubius lib. 1. Physic. tr. 1. de materia q.4.n.12. Quod si tibi emanatio non placeat, respondebo, subsistentiam partialem materiæ effici à solo Deo. Quod additur, difficultate caret, vt inquit

quit præcitatus Rubius n. 8. quia cum materia sit ordine executionis prius assumpta, quàm tota humanitas, præuenta fuit partialis subsistentia, ne emaneret: intellige præuentam non absolutè, sed vt in humanitate, in qua *persona diuina* :.: impediuit, *ne propriam personalitatem*; quæ alias flueret, *haberet* vt explicat S. Thomas 3. part. q. 4. art. 2. ad 3.

54 Sextum argumentum est, materia, & forma substantialis nequeunt esse supposita partialia, licet sint partes suppositi. Ergo partes subsistentiæ eis respondentes non sunt partiales subsistētiæ, cum partialium suppositorum effectum formalem communicare non valeant. Septimum materia (idem de forma) per subsistentiæ partem non fit incommunicabilis alteri toti substantiali simpliciter distincto; quin potius fit communicabilis formæ, & parti subsistentiæ; ita vt cum illis componat suppositum, quod est totum substantiale distinctum simpliciter à materia, & parte subsistentiæ, qua afficitur. Ergo hæc pars non est subsistentia partialis. Sic Franciscus Alphonsus dist. 8. Physicorum sect. 4. numer. 38. Respondeo ad sextum, denominationem suppositi, & personæ debere prouenire à subsistentia adæquata. Et huius ratio est, quia suppositum significat ex communi consensu naturam completam; & persona naturam completam rationalem, terminatas quidem subsistentia. Videatur S. Damascenus c. 44. Dialecticæ, & Diodorus Catiæ Episcopus, cuius verba refert Vuadingus d. 2. de Incarnatione dub. 2. §. 4. n. 20. Si communem consensum non venereris, dicam cum Granado controu. 1. de Incarnatione tract. 6. disp. 3. n. 11. dari in composito duplex suppositum partiale, seu duplicem formam Hypostaticam partialem. Et Richardus Victorinus lib. 4. de Trinitate c. 25. videtur admittere animam rationalem separatam alienam non esse ab appellatione personæ; sic enim fatur; *Proprium est diuinæ naturæ personarum pluralitatem habere in vnitate substantiæ; è contra verò proprium est humanæ naturæ pluralitatem substantiarum habere in vnitate personæ. Nam quod humana persona in simplicitate substantiæ quandoque inuenitur, non de natura ipsius conditione, sed de conditionis ipsius corruptione fore deprehenditur.* Petrus Abaelardus expositione in Symbolum Apostolorum, dum inquit, *Animam humanam, quandiu in corpore est personam dici non posse; quia carni coniuncta vnam hominis personam, atque vnam rationalem substantiam cum ea constituit*; videtur etiam indicare, animam humanam, quandiu est separata à corpore, habere rationem, & nomen personæ; quandiu autem est coniuncta illi, rationem, nomenque vnius personæ resultare ex vtroque. Hugo victorinus, & Magister sententiarum apud Ruizium d. 32. de Trinitate, sect. 2. animam separatam dicere personam. Sed retineri debet contrarius loquendi modus communis. Ad septimum respondeo, materiam per subsistentiæ partem, qua constituitur in ratione subsistentis, non verò suppositi simpliciter dicti fieri incommunicabilem alteri supposito simpliciter: quod quidem non est sola forma cum parte subsistentiæ; sed materia etiam cum sua parte subsistentiæ, vel completa natura simplex, qualis est Angelica.

55 Octauum argumentum est, solo titulo materiæ debetur composito non esse in alio; quandoquidem forma materialis sustentatur, & spiritualis recipitur in alio. Ergo incomposito subsistit sola materia, & ratione materiæ omnia substantialia quæ in ipsa ponuntur: hanc enim vim habet subsistens, vt subsistere faciat quicquid substantiale ponitur in ipso. Et ideò natura diuina subsistit in humanitate assumpta à verbo. Respondeo, solo titulo materiæ deberi composito non esse in alio vt in supposito. Etenim negatio essendi in alio vt in supposito debetur etiam partibus substantialibus compositi; alioqui non discriminarentur ab accidentibus; cum hoc etiam excludant alienum suppositum ratione subiecti, à quo non magis dependent, quàm formæ substantiales materiales, à materia. Ideo verò in humanitate Christi subsistit natura diuina; quia subsistentia verbi ita reddit humanitatem subsistentem, vt non desinat esse propria naturæ diuinæ.

56 Nonum argumentum est, materiæ conuenit ratione formæ habere vltimum complementum accidentale, nam ex formæ exigentia oritur, quòd hæc potius, quàm illa accidentia insint materiæ, & composito. Ergo pariter conueniet materiæ ratione formæ habere vltimum complementum substantiale, qualis est subsistentia. Decimum id tribuit subsistentiam alicui concreto, quod exigit, vt ipsum principaliter & per se subsistat, quippe impertinens est alterius partis subsistentia, vbi totum concretum non est subsistens. Sed quod concretū substantiale subsistat, prouenit non ex materiæ, sed ex formæ conditione, & dignitate, album namque, & ignis constant eadem materia, nec tamen subsistit album, secus ignis; cuius discriminis causa est sola forma substantialis in igne. Ergo concretum substantiale subsistit vi solius formæ substantialis. Sic ingeniosi recentes. Respondeo ad nonum, non omnia accidentia conuenite materiæ ratione formæ, quantitas namque, & vbicatio conueniunt materiæ ratione sui, & præuiè ad formam. Fateor aliorum accidentium specialium in hoc composito præ illo exigentiam refundendam esse in formam, quia materia secundùm se est indifferens ad hæc, vel illa accidentia. Ast cum sit determinata ad subsistendum, non est cur ipsi non respondeat propria, & peculiaris subsistentia. Nec video, vnde probari possit, id, quod confert materiæ, aut composito aliquod complementum accidentale, debere eo ipso conferre complementum substantiale, subsistentiæ. Ad decimum dico, tam à materia, quàm à forma tribui concreto substantiali, quòd subsistat, & accidentale concretum vt tale ideò non subsistere, quia etsi materia quæ est vna eius pars subsistat, non sic alia.

57 Vndecimum argumentum est; Substantiales formæ materiales afficiuntur modo substantialis inexistentiæ in materia, ita vt ab ea dependeant in fieri, & conseruari. Ergo non afficiuntur modo subsistentiæ, seu perseitatis. Confirmatur primò, formæ substantiales materiales terminantur vltimò per in existentiam in materia, seu per inhærentiam in ea. Ergo non terminantur per modum perseitatis, subsistentiæue. Confirmatur secundò, subsistere est existere per se, seu sustentari in se; sed formæ substantiales materiales non existunt per se, seu sustentantur in se, sed potius in materia. Confirmatur tertiò, subsistentia est vltimus terminus naturæ substantialis aptæ, & sufficientis ad per se standum propria vi. Sed substantialis natura formæ materialis non sic est apta & sufficiens ad standum. Confirmatur quartò, ab exemplo accidentalium formarum,

formatum, quibus non cópetit propria subsistentia ob dependentiam à subiecto in fieri, & conseruari. Confirmatur denique, quia formæ substátiales materiales nullam habent operationem propriam, independentemq; à materia. Ergo neq; habent esse proprium, ac per se, ac proinde neq; subsistentiam. Nam operationes sequuntur esse rerum, & modus operandi sequitur modú essendi. Respódeo, fore, vt istud argumentú conuinceret ré, si effectus formalis siue primarius siue secúdarius subsistentiæ esset reddere substantiam independentem à subiecto sustentationis. Verùm cum gratis attribuatur ille effectus subsistentiæ, causâ cadit argumentú, & eius tres confirmationes. Quarta verò, & vltima, si quid speciale afferunt, nihil tamen, quod difficultatem ingerere possit consideranti, subsistentiam non esse complementum nisi naturæ substantialis siue independentis, siue dependentis à subiecto sustentationis; consideranti etiam formam substantialem materialem conseruatam diuinitus sine vnione ad materiam posse operari non minus naturaliter ex se, quam si existeret vnita materiæ. Quare si titulo operationú attribuenda est subsistentia naturæ substantiali, negatur ea inconsequenter formæ substantiali materiali, dum esset saltem separata diuinitus à materia, imò & dum est coniuncta; nam & tunc gaudet virtute naturali conditionata ad operationes proprias, independentesq; à materia, sub conditione scilicet, quod ab hac seiungatur miraculosè. Dixi, *si titulo operationum, &c.* absolutè namq; subsistentia non competit naturæ substátiali ob titulum operationum in extraneo subiecto: idq; concedere debet aduersarius, vt qui subsistentiam non adimat materiæ, nullatenus extra se operatiuæ. Si autem recurrat ad proprietas, & passiones, quas intra se producit materia, parem virtutem productiuam habet forma substantialis materialis.

58 Vrgebit aliquis, ideo formis substantialibus materialibus competeret subsistentia, nonobstante dependentia à materia, vt à subiecto substante, quia habent independentiam ab alieno supposito. Sed hæc independentia satis non est, vt eis assignetur perseitas aliqua propria. Potest enim fundari vel in materia, vel in composito, vel in termino quodam existentiæ competente præfatis formis; qui tamen non sit partialis subsistentia, etsi cum subsistentiæ materiæ componat subsistentiam totalem, & suppositum. Sed contra, quia independentia à supposito alieno, qua gaudet substantiale compositum, debet fundari in materia & forma; cum æquè vtraque sit essentialis pars compositi per se incommunicabilis alteri supposito. Quod si forma esset independens ab alieno supposito ratione solius materiæ, non esset, in quo differret ab accidenti; nam & hoc est etiam independens ratione subiecti, in quo sustentatur. Quod additur, excogitatumque est à Suario d. 32. Metaphysicæ sect. 5. à num. 52. de termino existentiæ, multis ex capitibus displicet mihi. Nam imprimis si in composito ex materia & forma materiali non datur nisi partialis subsistentia materiæ, non esset illud completè, & adæquatè subsistens secundùm se totum, vti non esset substantiale secundú se totum, si constitueretur ex aliquo, quod non esset substantia. Materia etiam vnita formæ materiali foret in statu incompleto. Deinde terminus ille existentiæ, nisi sit subsistentia, supervacaneus erit siquidem forma sufficienter terminetur, reddaturque existens dependenter à materia per eductionem, & vnionem substantialem. Ad quid ergo deseruiet terminus ille? Anne vt tribuat formæ existentiam perfectam per se, & independentiam omnimodam à materia? Quid? Quod si terminus ille non sit subsistentia, forma eo prædita non poterit immediatè assumi à verbo. Si enim natura in capax subsistentiæ propriæ posset assumi immediatè à verbo, posset (dissentiente Suario, tomo 1. in 3. part. d. 14. sect. 4.) assumi & accidens separatum ab omni subiecto; cum in eo statu ex Suario tomo 3. in 3. part. d. 56. sect. 2. fulciatur accidentali termino existentiæ. Præterea ex Mysterio Incarnationis non haberetur certa notitia subsistentiæ creatæ; sed vt summum termini existentiæ, si verbum diuinum non debeat supplere in assumpta forma materiali sanguinis v. g. defectum subsistentiæ creatæ. Vlterius forma materialis separata diuinitus à materia ornaretur existentiæ termino, qui esset incompleta subsistentia, vt admitti Suarez dist. illa 32. Metaphysicæ sect. 5. n. 51. & 52. Ergo vnita materiæ non caret tali subsistentia. Si enim non est contra conceptum subsistentiæ partialis afficere naturam aptam ex se dependere naturaliter à materia, vt à subiecto sustentante, non est; cur sit contra eius conceptum afficere naturam, quæ actu dependeat.

59 Vrgebit iterùm non nemo, etsi accidentia existant extra aliena subiecta independenter ab eis, non sufficit id, vt asserantur habere perseitatem aliquam propriam, quando gaudent modo existendi dependenter à subiecto connaturali sustentante. Ergo idem erit de formis materialibus substantialibus. Sed contra, quia dependentia accidentis à connaturali subiecto sustentante excludit independentiam ab illo, & importat independentiam ab alieno; primum quidem formaliter, & secundum consecutiuè. Ast independentia formæ substantialis materialis à supposito alieno non excludit formaliter dependentiam à materia, quia illa independentia non opponitur huic dependentiæ, sed dependentiæ à supposito alieno. Quare illa dependentia erit argumentum perseitatis positiuæ substantialis; etsi coniuncta sit cum dependentia à subiecto sustentante. Addo, independentiam accidentis ab alieno subiecto consistere in actione eductiua ex proprio, aut in vnione ad istud: independentiam verò formæ substantialis materialis ab alieno supposito consistere debere in alia entitate distincta ab eductione illius ex materia, & ab vnione ad hanc. Nam si concedatur, aliquam independentiam ab alieno supposito consistere in actione producente rem, deuenitur in opinationem reiectam sect. 3.

TERTIVM PRONVNTIATVM.

Vnio nectens materiam, & formam Empyream terminatur subsistentia siue propria, siue totius.

60 Ratio est, quia vnio coporis, & animæ, Christi assumpta est à diuino verbo. Siquidem ab hoc assumpta est humanitas, secundùm se totam: humanitas autem, non minus cóstituitur ex vnione corporis, & animæ, quàm ex corpore, & anima. Ast ex eo, quòd vnio humana terminata sit à verbo, infertur manifestè, eam vel ex se habere propriam subsistentiam, vel saltem subsistere subsistentia totius; cum

cum terminatio præstita à verbo agat vices terminationis exhibendæ à subsistentia creata. Rursus ex eo, quòd vnio humana gaudeat vel propria, vel totius subsistentia, infertur idipsum de vnionibus aliorum compositorum purè materialium. Desumi potest & alia ratio ex assumpta à verbo vnione inter materiam, & formam sanguineam, inter corpus etiam, & formam cadauericam in triduo mortis; quæ duæ formæ materiales sunt, & substantiales.

QVARTVM PRONVNTIATVM.

Vnio nectens materiam, & formam Empyream habet propriam subsistentiam.

61 PRimum fundamentum est, quia vnio prædicta subsistit, vt manet stabilitum in anteriori pronuntiato, & non subsistentia materiæ, aut formæ; tum quia potest perseuerare naturaliter subsistentia materiæ aut formæ sine ea vnione. Ergo si subsistentia sit modus, non potest saltem naturaliter subsistentia materiæ, aut formæ reddere vnionem subsistentem. Si verò sit res, non est, cur materiæ, aut formæ competat ex natura rei specialis subsistentia, & non vnioni. Tum quia subsistentia materiæ, aut formæ est prior vnione. Ergo hanc aduenientem pro posteriori, non reddit subsistentem; præsertim si subsistentia sit modus, atque adeo totum eius esse consistat in actuali exercitio. Tum denique, quia vnio non vbicatur per vbicationem materiæ, aut formæ alioqui existeret in loco extrinsecè, & per accidens, & alioqui destructa vnione, non posset materia, aut forma persistere immota in eodem loco, cui antea præsens erat, vel saltem non posset non accipere nouam vbicationem ad eundem locum, quæ noua vbicatio esset præcedenti dissimilis, quatenus non esset sicut præcedens, vnionis ad locum determinatio vltima, & essentialis Procedit hoc inconueniens contra eos, qui volunt vbicationem esse entitatē modalem. Preterea si accidentibus absolutis respondent diuersæ vbicationes ab vbicationibus materiæ aut formæ, quia quantitas v.g. potest absolutè perseuerare in eodem loco, & transferri ad locum aliū, etsi destruatur tam materia, quàm forma vt contingit in Eucharistia. Et hinc probat Tellez p.3. Philosoph. disp.44. sect. 1.n.6 alia accidentia ornari suis peculiaribus vbicationibus. Sanè incōsequenter ipse postea in n.9. vnioni prædictæ, aliisq; entitatibus modalibus, siue substantialibus siue accidētalibus denegat speciales vbicationes..; Vt enim quantitas potest absolutè esse vbicata sine materia, & forma, sic materia, & forma sine vnione substantiali. Concludo ergo, hanc non subsistere per subsistentiam materiæ, aut formæ, vti non vbicatur per alterutrius vbicationem.

62 Secundum, quia etsi vnio ea sit modus depēdens essentialiter à subiecto, est tamen substantia; est etiam natura partialis, etsi non per modum partis vt tracto in n.6. exerc. sequentis, & tam essentialiter intrinsecè constituit naturam completā, quàm materia, & forma. Ergo si hæ afficiuntur propriis subsistentiis, afficietur & illa. Gratis namq; diceretur obstare vnioni dependentiam essentialem à subiecto, si dependentia naturalis non obstat formæ substantiali materiali. Gratis etiam diceretur, subsistentiam propriam non afficere nisi naturam, quæ se habeat in composito per modum partis. Et permisso, vnionem nulla ratione esse naturam, sufficit esse substantiam intrinsecè constitutiuam naturæ completæ, vt propriam sibi vendicet subsistentiam. Tertium, in triduo mortis Christi, anima, & corpus perseuerarunt vnita verbo diuino, sicut anteà. Ergo sola vnio hypostatica ad vnionem animæ, & corporis, tunc amissam desiit, & hac recuperata in resurrectione rediit de nouo sola illa, puæ in vnionibus animæ, & corporis, non assumptorum à verbo diuino, est manifestum indicium subsistentiæ creatæ propriæ, & immediatæ.

Expediuntur difficultates contra tertium, & quartum Pronuntiatum.

63 PRima difficultas est, de conceptu substantiæ non est habere propriam subsistentiam, alioqui Angeli Gabrielis creatiua actio, quæ est substantia, haberet propriam subsistentiam, & hæc subsistentia fieret per aliam actionem substantialē de qua idem sequitur, ac proinde processus infinitus subsistentiarum. Ergo licet vnio inter materiam & formam sit substantialis, non rectè infertur affici propria subsistentia. Respondeo primò, actionem creatam creatiuam Angeli Gabrielis non esse substantiam, vt tradidi in n.20. Respondeo secundò, fortè productionem substantiæ esse subsistentiam sui ipsius, vti actio productiua vbicationis est vbicatio sui ipsius iuxta dicēda in n.57. exerc.11. Respondeo tertiò, non sequi processum infinitum subsistentiarum ex eo, quòd vnio essentialis subsistat per subsistentiam distinctam; sequi autem ex eo quòd productio subsistentiæ sic subsistat, ideoque productioni negandam subsistentiam, secus vnioni, quæ præter rationem substantiæ imbibit rationem naturæ, vel saltem habet constituere intrinsecè naturam. Et hinc probaui subsistere, & non præcisè ex conceptu substantiæ.

64 Secunda difficultas est; vnio subsistentiæ est substantia, constituitq; intrinsecè suppositum; & tamen non subsistit. Non quidē per se ipsam, alioqui in supposito Christi Domini daretur aliquid intrinsecum substantiale subsistens finitè, & creatè. Non per subsistentiam, quam vnit; nam cum sit essentialiter alligata supposito resultanti ex subsistentia, non est, cur potiùs hæc sit subsistentia suppositi, quàm illa sui. Non per superadditam aliam subsistentiam: quia sequeretur processus infinitus subsistentiarum; & quia vnioni ad subsistentiam verbi in Christo nequit tribui subsistentia creata. Si ergo vnio naturæ cum subsistētia non subsistit, neq; subsistet vnio partium naturæ completæ, scilicet materiæ, & formæ. Proposita difficultas nulla est respectu subsistentiæ creatæ, si hæc sit modus. Cæterùm etsi sit res absoluta, atq; adeò vnita naturæ per vnionem distinctam instatur in vnione hypostatica humanitatis Dominicæ ad subsistentiam increatam. Respondeo ergo, vnionem siue ad subsistentiam increatam, siue creatam subsistere tātùm vt quo, quemadmodum actio sit tantùm vt quo, & quemadmodum subsistentiæ actio productiua subsistit tantum vt quo, etiamsi sit substantia. Et ratio est, quia vnio cum aliquo extremo participat vt quo rationem, sub qua vnit extremum. Ast vnio essentialis, cum non sit vnio subsistentiæ, sed partium naturæ completæ, debet, vt subsistat, vniri subsistentiæ per superadditam vnionem; eo autem ipso debet subsistere vt quod. Adde, vnionem ad subsistentiam neque esse naturam, neque intrinsecum constitutiuum naturæ completæ, sed esse aliquid superueniens naturæ,

naturæ, & per quod huic communicatur subsistentia. Quare diuersa est causa ipsius à causa vnionis partium naturæ. Adde etiam, vnionem Hypostaticam humanitatis Dominicæ ad verbum non esse capacem propriæ subsistentiæ. Ergo neque alienæ verbi, ita vt per hanc reddatur subsistens vt quòd. Recole num. 29.

65 Tertia difficultas est, materiæ, & formæ vnio est entitas modalis. Ergo nequit esse subiectum entitatis alterius siue modalis, siue absolutæ, quæ sit subsistentia. Vrgetque magis difficultas, si subsistentia sit entitas absoluta, nam modus non videtur posse esse subiectum entitatis absolutæ. Quarta difficultas; nequit vna vnio per aliam vniri vt neque vna actio fieri per aliam. Ergo vnio materiæ, ac formæ non potest vniri subsistentiæ per vnionem siue distinctam, siue indistinctam ab ipsa subsistentia. Quinta difficultas, si vnio animæ, & corporis assumpta esset à verbo diuino, sequitur dimissam fuisse in triduo mortis, contra decantatam Patrum, & Theologorum Paræmiam: *Quod semel Deus assumpsit, nunquam dimisit.* Ex his difficultatibus prior superatur negando, modum non posse esse subiectum alterius entitatis etiam absolutæ. Legatur Tellez part 2. Philosophiæ d. 23. sect. 4. n. 8. vbi exemplis partialium subsistentiarum vnitarum inter se per vnionem subiectatam in vtraque, vel in alterutra subsistentia; & entitatis modalis relatiuæ habentis se vt fundamentum, & subiectum alterius entitatis modalis relatiuæ probat, vnum modum exercere posse munus subiecti respectu aliùs modi, si verum sit, subsistentias, & prælationes prædicamentales esse modos. Legatur præterea exercitationis nostræ 11. numer. 57. vbi probabimus, nihil obstare, quominus entitas modalis recipiat, & sustentet entitatem absolutam. Posterior difficutas eleuatur dicendo, vnionem, qua vnio est, non posse vniri per aliam vnionem, secus qua est extremum: quo pacto se gerit vnio materiæ & formæ comparata ad subsistentiam. Sic indiuisibile, quod est vnio duarum partium quantitatis in probabili sententia, habet se vt extremum vnitum materiæ per vnionem superadditam. Sic vnio materiæ & formæ substantialis vnitur tãquam extremum per interiectam vnionem alteri vnioni partium materiæ, ac formæ; vt enim partes inter se continuantur, beneficioque vnionis distinctæ ob mutuam ipsarum separabilitatem; ita ob eandem rationem videtur cogitandum de vnione ipsa diuidua. An autem similiter actio possit se habere, vt effectus respectu causæ distinctæ ab ea, cuius est actio? Certum est, non posse naturaliter, vti vnio potest naturaliter esse extremum. Et communiter iudicatur, repugnare etiam de potentia Dei absoluta, vt actio vnius causæ attingatur ab alia causa tanquam effectus per diuersam actionem. Adi Authores laudatos n. 22. Dices, entitas modalis nequit vt forma vniri per vnionem distinctam alteri vt subiecto. Ergo è conuerso nequibit vt subiectum vniri per vnionem distinctam alteri, vt formæ. Si autem vnio materiæ, & formæ afficeretur subsistentia, huic tanquam formæ per vnionem distinctam, vniretur tanquam subiectum, cum tamen aliunde sit entitas modalis. Antecedens est verum saltem ex natura rei; proindeque & consequens erit verum in eodem sensu. Respondeo, entitatem modalem, quæ ex sua natura est vnicè, & adæquatè forma vnius subiecti, non posse nisi vt summum diuinitus esse formam alterius subiecti alieni, idcóque ex sua natura non admittere vnionem distinctam ad istud. Hinc verò non sequitur, debere eo ipso respuere naturaliter vnionem sui vt subiecti ad aliam entitatem vt ad formam; nam quod naturaliter est forma vnica, & adæquata vnius subiecti, potest simul esse naturaliter subiectum alterius formæ, vnirique per vnionem distinctam, si forma sit entitas absoluta. Quapropter vnio materiæ, & formæ, etsi nequeat naturaliter vt forma per vnionem distinctam vniri accidenti. v. g. vt subiecto, quia materiæ tantùm, & formæ est vnicè, & adæquatè forma suapte naturâ, poterit nihilominus vt subiectum per vnionem distinctam vniri subsistentiæ, vt formæ absolutæ. Quinta difficutas vincitur, si respondeatur, axioma illud intelligendum de assumptis vt partibus naturæ humanæ, videlicet de anima, & corpore, ita vt nunquam dimiserit totum hoc & simul, sed aliquas eius partes, & successiuè in nutritione.

QVINTVM PRONVNTIATVM

Partes integrantes materiæ, & formæ Empyreæ terminantur in toto partialibus subsistentiis.

66 ANnuit S. Thomas 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. vbi sic fatur: *Hoc aliquid potest accipi dupliciter, vno modo pro quocumque subsistente, alio modo pro subsistente completo in natura speciei. Primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis. Secundo modo excludit imperfectionem partis. Vnde manus posset dici hoc aliquid primo modo, sed non secundo modo. Sic igitur cum anima humana sit pars speciei humanæ, potest dici hoc aliquid primo modo quasi subsistens; sed non secundo modo, sic enim compositum ex anima, & corpore dicitur hoc aliquid.* En manui rationem subsistentis concedit expressè. Vnde cum ad 2. ait, *per se existens quandoque potest dici aliquid, si non sit inhærens, vt accidens, vel vt forma materialis est, & nisi sit pars. Sed propriè, & per se subsistens, dicitur, quòd neque est prædicto modo inhærens, neque est pars. Secundùm quem modum oculus, aut manus non posset dici per se subsistens, & per consequens nec per se operans*, intelligendus est negare manui subsistentiam completam, vt adnotarunt diligenter Rubius libr. 1. Physicorum tract. 1. de materia quæst. 4. num. 9. Ysambertus 3. part. ad quæst. 2. d. 2. art. 8. Dixerat Angelicus Doctor in eodem sensu q. 29. art. 1. ad 5. *Anima est pars humanæ speciei. Et ideo licet sit separata, quia tamen retinet naturam vnibilitatis, non potest dici substantia indiuidua, quæ est Hypostasis, vel substantia prima, sicut nec manus, nec quæcumque alia partium hominis. Et sic non competit ei definitio personæ, neque nomen.* Supponit in his verbis S. Thomas manum subsistere. Et obiter animaduertatur, quàm sint conformes tanti Doctoris menti conclusiones nostræ superiores, si secundæ partem excipias, in qua inadæquatæ subsistentiæ formæ materialis substantialis probabiliter indulsimus. Nec desunt, qui pro ea S. Thomam adducant, & interpretentur; sed ægerrimè quidem in 1. p. q. 75. art. 3. circa corporis finem.

67 Firmo à ratione Pronuntiatum. Primò, quia verbum diuinum potuit assumere manum vnitam integro corpori, quin assumeret cæteras corporis partes. Ergo manus existens ex toto integrali, subsistit per subsistentiæ partes participantes se ipsis rationem formalem subsistentiarum. Verùm quia aduersarij

aduersarij negant antecedens, licet non alia de causa, quam praeconceptae ab ipsis opinionis, ideo argumentor secundò, verbum diuinum mansit hypostaticè vnitum partibus sanguinis effusi in passione, quin integrales antiquas vniones amiserit: id enim diceretur sine suffragio Patrum Ecclesiae, & veterum Theologorū. Ergo partes existentes in toto manentur, quantum ex se est, eisdem partialibus subsistentiis, quibus seiunctae à toto. Tertiò, mutarentur vniones subsistentiae ad partes corporis Christi pro omnibus instātibus, quibus aucti dentes, & capilli assumerentur à verbo, si partes totius integralis careant partialibus subsistentiis. Quarto, de supposito humano, vel equino, dicitur nutriri, & augeri; qui loquendi modus non minus indicat partiales, suppositalitates, vel subsistentias quàm partes nutritas, & auctas. Quintò, non est, cur partes subsistentiae non habeant denominationem partialium subsistentiarum, dum afficiunt totum integrale. Et quamuis existere in alio vtcumque esset contra rationem subsistentiae; nihil obstaret quoad praesens attinet, siquidem vna pars materiae, aut formae non existit in alia, neque est in toto per modum existendi, sed per modum solius vnionis nectentis vnam partem cum alia, vt ingeniosè consideravit Gaspar Hurtadus d.4. de Incarnatione difficultate 11. Demum partes separatae à toto subsistunt. Ergo & coniunctae; alioqui earum subsistentia, dum sunt separatae, consisteret in carentia vnionis integralis; & hinc sensim deueniretur ad totius essentialis subsistentiam propriam consistentem in carentia vnionis cum verbo diuino; vel alioqui ob solam diuisionem manus v.g. à brachio pullularet in manu entitas positiua, quae esset subsistentia; & ob solam reunitionem detraheretur; cum tamen ortus, atque interitus entitatis praefatae cogitetur absque fundamento. Si reflectas in nos argumentationem, eo quòd brachium & manus, quae ante separationem erant vnum suppositum, fiant duo post separationem ratione vel carentiae vnionis, vel productae nouiter entitatis positiuae, quae sit suppositalitas. Repulsabimus, quia nomen, & conceptus suppositi non congruit partibus integralibus, nisi vt existentibus in toto integrali. Sed esto congrueret eis, vt seiunctis à toto, adhuc ratio suppositi non consisteret tantùm in partibus cum carentia vnionis verum etiam in entitate positiua praehabitae suppositalitatis.

SEXTVM PRONVNTIATVM.

Partes integrantes materiae, & formae Empyreae afficiuntur diuersis partibus subsistentiae.

68 SIue quaelibet pars dicenda esset subsistentia, siue non. Adstruitur pronuntiatum primò, quia verbum diuinum pro multiplicitate partium corporis Christi habuit multiplices vniones integrales ad corpus: alioqui cum Christus per nutritionem adquirebat nouam partem corporis, & deperdebat aliquam antiquam, adqeireret integram nouam vnionem ad corpus, & deperderet totam antiquam. Ergo partes corporis terminantur in nobis suapte natura diuersis partibus subsistentiae creatae. Secundò, partes integrantes separatae à toto possent assumi à verbo diuino. Ergo gaudent ex se partibus subsistentiae, dum sunt coniunctae; nam in separatione non compararent ex se nouas partes subsistentiae, neque amitterent antiquam. Tertiò, materia (idem de forma materiali) habet partes substantiales integrantes. Ergo ei respondent diuersae partes subsistentiae, vti partibus accidentalibus quantitatis respondent diuersae partes albedinis. Quòd si subsistentiam partium integralium ponas indiuisibilem integraliter, & extensiuè; cur non affirmabis idipsum de albedine? Quartò, subsistentia partium materiae est materialis. Ergo cōposita ex partibus. Etsi enim materiali enti non repugnet indiuisibilitas integralis, tamen de facto in nullo existentium est admittēda, nisi rationum vis cogat. Quintò, vnio partium materiae, occupantium spatium palmare, est integraliter diuisibilis. Ergo, & subsistentia. Sextò, si subsistentia duarum partium materiae esset simplex, vel existeret in duplici loco adaequato ipsarū, cum non esset ratio, cur ex se existeret in vno potiùs, quàm in alio; vel determinaretur à Deo ad locum *A* prae *B*. Existentia in duplici loco adaequata superat capacitatem naturalem entis corporei. Determinatio proueniens à solo Deo est parum philosophica, si ex rerum naturis designari illa potest. Septimò, si subsistentia duarum partium formae esset impartibilis, esset & impartibilis subsistentia totius Oceani, & pro cuiuslibet guttae coniunctione, aut separatione mutaretur subsistentia. Quo concesso, reliquum est, vt dicas mutari etiam ipsam aquae formam. Octauò, subsistentia est affectio naturae; quaelibet autem pars materiae vnita formae est natura, & natura completa. Ergo cuilibet parti materiae sua respondet subsistentia, & similiter cuilibet parti formae vnitae ad materiam.

SEPTIMVM PRONVNCIATVM.

Vnio continuatiua partium materiae, & partium formae Empyreae efficitur propria subsistentia partiali.

69 PRobatur breuiter, quia partes materiae, & partes formae habent partiales subsistentias, vt in 5. Pronuntiato visum est. Ergo & vnio continuatiua substantialis illarum partium. Consequentia haec non exigit peculiarem probationem, cum ei deseruiant expensae pro tertio, & quarto pronuntiato.

Enodantur obiectiones contra quintum, & sextum Pronuntiatum.

70 OBiicitur primo, si partes materiae aut formae terminarentur partialibus subsistentiis, vna subsistentia vniretur alteri; id autem repugnat subsistentiae, cum effectus formalis illius sit perseitas, quae importat negationem existendi in alio instar partis, seu formae. Contra primò, quia vnam partem materiae, aut formae vniri alteri non impedit, ne vtraque subsistat, cum vnio mutua ipsarum non sit existentia vnius in alia, nec existentia vnius subsistentiae in alia subsistentia, vt circa finem n.67. argumentabar ex Gaspare Hurtado. Contra secundò, quia perseitas propriae subsistentiae non affert negationem existendi in alio, vtcumque, sed in alio supposito; alioqui anima rationalis vnita corpori, & in eo, vt in subiecto receptionis existens non subsisteret; secus ac sentit Albertin. cuius est proposita obiectio d.3. de praedicamēto substantiae q.6. Cōtra tertio, quia vnio immediata vnius subsistētiae partialis cū alia, non facit vt partes materiae, aut formae, quas afficiūt, sint in alio supposito

ſuppoſito ſimpliciter. Quapropter non eſt, cur opponatur conceptui ſubſiſtentiæ diuiſio in partes, & in partiales ſubſiſtentias. Poſſet adiici ex Petro Hurtado d.2. Phyſic ſect.7. §.129. ſatis eſſe partes ſubſiſtentiæ vniri mediate, dummodo immediate vniantur partibus materiæ, aut formæ, quæ immediatè inter ſe copulantur. Nam licet hic Author loquatur de vnione ſubſiſtentiæ materiæ cum ſubſiſtentia formæ, extendetur non incongruè eadem doctrina ad vnionem ſubſiſtentiarum afficientium duas partes materiæ, aut formæ. Balthasal Tellez, p.3. Philoſophiæ d.55. ſect.3. n.8. & 9. reiicit Petrum Hurtadum. Primò, quia partiales ſubſiſtentiæ materiæ vniuntur inter ſe, cum in toto non ſint ſeparatæ. Sed non vniuntur per ſe ipſas, cum diſtinguantur realiter, & vna ſine alia poſſit mutuò exiſtere; neque item vniuntur per vnionem materiæ, & formæ; cum diuerſa extrema diuerſam poſtulent vnionem, & vna numero vnio reſpiciat eſſentialiter, & vnicè duo extrema, Ergo vniuntur per vnionem diſtinctam, & ſpecialem. Secundò, quia vnio. quæ de facto datur inter corpus, & animam Chriſti, vnit hæc duo, quin vniat partiales ſubſiſtentias naturales corporis, & animæ; quippe talibus ſubſiſtentiis careat Chriſtus. Ergo vnio inter materiam, & formam non eſt formalis vnio inter ſubſiſtentias materiæ, & formæ, alioquin daretur formalis cauſa, ſeu formalis vnio ſine ſuo effectu formali. Vtraque impugnatio nec leuiter offendit Petrum Hurtadum; non enim aliam vnionē inter ſubſiſtentias materiæ, & formæ curat Hurtad. quàm eam, quæ coniungit materiæ ac formæ ipſas ſubſiſtentias, & quæ ſufficit ne ipſæ ſint in toto ſeparatæ, quemadmodùm vnio albedinis ad quantitatem vnitam materiæ, ſufficit, ne albedo ſit ſeparata à materia. Nihilominus cum Suario d.34. Metaphyſicæ ſect.4. tom.1. in 3.p.d.17. ſect.5. Yſſambeito 3.p. ad q.6. d.1. art. 12. aliiſque ab vtroque citatis contra Vaſquium 3.p.d.39. c.2. n.9. & ſequentibus probabilius mihi eſt, vniri immediatè ſubſiſtentias materiæ, & formæ, eo quòd ſint partes ordinatæ ad conſtituendum vnum ſuppoſitum per ſe, & vnam ſubſiſtentiam totalem, ac completam. Sic duo gradus caloris intenſi non ſolùm immediatè vniuntur communi ſubiecto, ſed etiam inter ſe. Nec ideo putandum eſt, vnionem immediatam ſubſiſtentiarum materiæ, & formæ fore per modū intenſionis, cum aliunde non ſit per modum extenſionis, neque item per modum actus & potentiæ. Poteſt namque præciſè eſſe per modum partium penetratarum, mutuóque perfectibilium. Similiter dico ſubſiſtentias duarum partium materiæ, aut formæ, vniri immediatè non minus, quam ipſas partes materiæ, aut formæ, quia videlicet ordinantur ad complendum vnum ſubſiſtens integrale, & vnam ſubſiſtentiam integralem perficiendam. Hæc immediata vnio inter ſubſiſtentias duarum partium materiæ, aut formæ gerit ſe per modum extenſionis. Et tam hæc, quàm illa inter ſubſiſtentias materiæ, & formæ diſtincta eſt ab extremis vnitis, vt perſuadet mutua ſeparabilitas extremorum ſecundùm ſe; & tam vna, quàm alia ſubſiſtit *vt quò*; imò ſubſiſtere *vt quod*; & in humanitate Chriſti aſſumptas vniones vnionum formaliter, & immediatè à verbo diuino, tueri videtur Yſſambertus. Sed cum ipſe ibidem ſentiat, vnionem materiæ, & formæ non ſubſiſtere *vt quod*, neque in humanitate Chriſti terminatā fuiſſe formaliter, atq; immediatè per Verbum, quia non eſt ſubſtantia etiam incompleta, ſed modus quidam ſubſtantialis, eodem fundamento debet id ipſum affirmare de illis aliis vnionibus, nēpe de vnionibus inter ſubſiſtentias duarum partium materiæ, aut formæ, de vnionibuſque vnionum Verbi cum anima, & corpore, atque ita quidem affirmat in art.13. Vnde non intelligo cur in præcedenti tam ſolicitus ſit quoad aſſignandum diſcrimē vnionis cum anima, & corpore ab vnionibus proximè memoratis. Quas non ſubſiſtere *vt quod*, probatur non obſcurè ex n.64. vt vt ſit de vnione formæ cum materia quantum ad præſens attinet. Franciſcus Ouiedus controu. Metaphyſicæ puncto 4. n.15. docet, & Franciſcus Alfonſus d.8. Phyſic. ſect.4. n.35. indicat, ſubſiſtentiam vnionis inter materiam & formam eſſe vnionem ſubſiſtentiarum materiæ ac formæ. Non aſſentior, tum quia ſubſiſtentia ea eſt entitas abſoluta, tum quia quamuis eſſet modalis, deeſt fundamentum cogitandi exercere ſimul munera ſubſiſtentiæ, & vnionis ſubſiſtentiarum materiæ, ac formæ, tum denique quia non apparet contradictionis implicantia, in eo, quòd materiæ, ac formæ vnio per ſubſiſtentiam propriam ſubſiſtat, quin ſubſiſtant materia, & forma per proprias ſubſiſtentias; & tunc ſubſiſtentia vnionis non eſſet vnio harum ſubſiſtentiarum, neque eo ipſo variaretur. Ob has rationes tenendum etiam eſt, vnionem ſubſiſtentiarum afficientium duas partes materiæ, aut formæ diſtinctam eſſe à ſubſiſtentia, qua continuatiua vnio earum duarum partium terminatur.

71 Obiicitur ſecundò ex Franciſco Alfonſo ſuprà n°42. & 43. partes ſubſiſtentiæ afficientes manum, non ſunt ſufficientes, vt communicent illi denominationem ſuppoſiti. Ergo non habent rationem partialium ſubſiſtentiarum, licet eam habeant partes afficientes materiæ extenſionem, in qua permanere poſſit eſſentia hominis. Contra primò, quia prima deductionis pars eſt contra S.Thom. tranſcriptum n.66. concedentem, poſſe manum vnitam reliquo corpori dici ſubſiſtentem partialiter. Contra ſecundò, quia non eſt de ratione ſubſiſtentiæ vt ſic tribuere denominationem ſuppoſiti, luſtretur iterum oculis n.54. & Suarez d.34. Metaphyſicæ ſect.5. à n.58. attentè inſpiciatur, vt & Bartholom. Amicus tract. & quæſt.5. Phyſicorum art.3. à num.18.

SECTIO IX.

Quiſnam ſit formalis effectus ſubſiſtentiæ?

72 RES eſt implexior, quàm primo aſpectu appareat; & in qua facilius ſit aliorum cogitationibus obſtacula opponere, quàm propriam expromere, & ab impedimentis liberare. *Nomen ſubſiſtentiæ neque ab omnibus ſaltem litteratis agnoſcitur*, inquit Richardus de S.Victore lib.& cap.4. de Trinitate, ſubſiſtentiæ autem conceptus multò eſt abſtruſior, cuius diſcuſſio occupare debuiſſet primam, aut ſecundam ſedem in hac Exercitatione, niſi ceſſiſſet loco, quoniam tertio quoque Verbo hæreret lector, præmiſſarum ſectionum notitia, documentiſque non inſtructus. Et mihi quidem claritas ſemper in optatis eſt. Nam vt teſtatum reliquit Iſacius Aloyſus in altera computi ſui parte, *Non ſolùm tyronibus artis cuiuſlibet, ſed eorum pleriſque, qui in ea perfectiores ſunt, iucundiora ſolent eſſe, quæ ſunt clariora, eo quòd faciliùs capiantur.*

Tribus

Tribus explicandi modis opponuntur obstacula.

73 PLuribus Recentioribus in Manuscriptis familiare est dicere, effectum formalem primarium subsistentiæ esse reddere naturam potentem operari, seu complere naturam in ratione primæ radicis, & principij operatiui. Huic dicendi modo fauere videtur Petrus Hurtadus. d. 11. Metaphysicæ sect. 2. §. 80. adhæret expresse Franciscus Alfonsus d. 8. Physicorum sect. 3. n. 31. Non acquiesco, cum quia, vt visum est in sect. 7. satis dubia est exigentia subsistentiæ per modum conditionis præuiæ ad operandum; tum quia ratio conditionis præuiæ concessa gratis subsistentiæ, est communis multis aliis entitatibus, vt & conditionis comitantis ratio, quæ mihi magis placuit. Tum quia non repugnat entitas absoluta substantialis, quæ non sit vllatenus operatiua, vt attinguam in Exercit. 16. neque tamen careret subsistentia. Quod si hæc debet esse complementum naturæ ad operandum, habetque id ex conceptu suo formali primatiò, procedunt inconsequenter Aduersariorum nonnulli, dum materiam expertem omnis actiuitatis, non tamen subsistentiæ volunt: procedunt etiam inconsequenter alij, dum subsistentiam negant animæ rationali separatæ, quo in statu est operatiua naturaliter. Tum quia ex mysterio Incarnationis haud quaquam colligitur talis formalis effectus subsistentiæ; & quamuis colligeretur vt secundarius, non tamen vt primarius; absolutè que videtur concipi prius in subsistentia, quòd perficiat naturam in ordine ad se, quàm quòd compleat in ordine ad operandum. Tum quia etsi creaturæ inuoluerent contradictionem, adhuc spiritus sanctus gauderet subsistentiâ, quæ tunc non præstaret naturæ diuinæ, vt posset operari. Tum denique, quia qualitas definitur à P. Suarez d. 42. Metaphysicæ sect. 1. à n. 5. entitas absoluta adiuncta substantaneæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo, Et cum hæc definitio qualitatis sit maximè accepta multis Philosophis, ac Theologis erit ipsis inuisa illa alia subsistentiæ, seu potiùs eademmet deuoluta ad subsistentiam.

74 Non minus frequenter asseritur, effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam independendem à subiecto inhæsionis. Ita censere videtur Suarez d. 34. Metaphysicæ sect. 4 n. 24. & sect. 5. n. 42 Sed contra primò, Humanitas Christi Domini non inhæret verbo tanquam subiecto, quin potiùs in hoc sensu existit per se. Ergo non amisit hanc rationem per se existendi, cum tamen amiserit propriam subsistentiam. Nec proderit dicere, amisisse vnam rationem independêdi à subiecto inhæsionis per propriam subsistentiam, & per verbum accepisse aliam rationem independendi. Etenim humanitas Christi, abstrahendo à quouis alio distincto, est independens à subiecto inhæsionis, siquidem se ipsa compositioni cum alio vt subiecto repugnat. Ergo in humanitate per verbum non fuit impedita vna ratio sic independendi, & comparata alia. Contra secundò, indeqendentia à subiecto inhæsionis, est effectus negatiuus; sed primarius effectus subsistentiæ debet esse positiuus. Ergo &c. Probatur Maior, dependentia à subiecto inhæsionis est effectus positiuus. Ergo terminus contradictorius est negatiuus. Atqui iste terminus est independentia à subiecto inhæsionis; Quicquid enim habet carentiam dependentiæ à subiecto est ab illo independens. Ergo independentia à subiecto est carentia, & effectus negatiuus. Si respondeas, independentiam à subiecto esse carentiam dependentiæ fundatam tamen in subsistentia. Impugnaberis; nam exinde inferam: Ergo indepêdentia à subiecto nô est effectus formalis primarius, sed secundarius subsistentiæ, sicut carentia caloris in subiecto est effectus formalis secundarius frigoris. Assigna ergo primarium, & positiuum effectum formalem subsistentiæ. Contra tertiò, substantia fundat per se ipsa immediate carentiam dependentiæ à subiecto inhæsionis. Etenim substantia à parte rei non habet talem dependentiam, vt pote quæ sit de conceptu accidentis. Ergo à parte rei habet per se ipsam immediatè carentiam dependentiæ; nullum quippe ens à parte rei abstrahit à forma, & eius carentia. Confirmatur, substantia fundat immediatè carentiam accidentis. Ergo & carentiam dependentiæ fundatæ in accidenti, à quo substantia discriminatur antecedenter ad subsistentiam: Quare super vacaneè per hanc redderetur independens à subiecto inhæsionis. Contrà quartò, ex eo præcisè, quòd Angelus terminet creationem, est independens à subiecto inhæsionis: creatio autem Angeli non est eius subsistentia, vt sect. 3. probaui. Confirmatur, subsistentia Angeli supponit ipsum existentem per creationem; Ergo supponit ipsum independentem à subiecto inhæsionis; nam creatio est productio rei ex nullo præsupposito subiecto inhæsionis. Contra quintò, substantiæ Angelicæ repugnat tam immediatè dependentia à subiecto inhæsionis, quàm esse accidens. Ergo fundat immediatè carentiam depêdentiæ à subiecto inhæsionis. Vnde sicut modi, quia non possunt non inhærere subiecto, vel sustentari in eo, non habêt distinctam dependeniiam, ita substantia Angelica, quia non potest inhærere, non habebit independentiam distinctam. Et quidem substantia Angelica per suammet entitatem est magis, vel æquè independens à subiecto, quàm forma materialis substantialis per subsistentiam quando à Deo conseruaretur diuinitùs extra materiam. Contrà sextò subsistentia, neq; reddit substantiam Angelicam independentê a subiecto, quatenus tollit dependendi indifferentiam, quam habent, neque quatenus ipsa est magis independens, quàm substantia Angelica. Non primum, cum substantia Angelica sit per se independens. Non secundû, cum subsistentia sit in illa vt in subiecto. Quare non erit magis independens, quàm illa. Ex his colligitur primò, coaceruari malè à Murcia lib. 1. Phys. d. 6. q. 5. in forma tam rationali, quàm irrationali terminum existentiæ, & subsistentiam, dum informat materiam; eo quòd vtraq; forma sit in composito independens à subiecto inhæsionis, ac proinde competet vtriq; præter subsistentiam terminus existêtiæ, seu perseitatis modus, similis modo perseitatis, quo afficiuntur accidentia separata à subiecto inhæsionis. Malè, inquã, nam forma quæcumq; substantialis fundat seipsa immediatè carentiã dependentiæ à subiecto inhæsionis, ideoq; non eget modo superaddito, vt à materia talem habeat independentiam. Discrimen ab accidentibus in promptu est, cum ea se ipsis non fundent immediatè carentiam dependentiæ à subiecto inhæsionis; quarè egent entitate superaddita fundante illam, dum sunt independêtia, siue talis entitas sit actio creatiua, per quam producuntur, & conseruantur à subiecto, siue modus, quê vocant perseitatis superueniens. Colligitur secundò, non esse effectum formalê subsistentiæ facere naturam independentem à subiecto sustentationis. Nam contra hunc effectum militant

militant omnia ferè argumenta opposita. Dices, cuncta, quæ subsistũt, habent independentiã à subiecto sustentationis. Ergo ex subsistentia prouenit talis independentia. Respondeo primò, falsum esse antecedens vt constat ex sectione præcedẽti. Resp. secundò, ea, quæ subsistunt, fundare carentiã dependentiæ à subiecto sustentationis, non per subsistentiam, sed per se ipsa, vt Deus, Angelus, materia prima, & anima rationalis, si hæc nequeat diuinitus generari; nã si diuinitus generari queat, proueniat immediatè carẽtia depẽdentiæ, non ex ipsius entitate, sed ex actione creatiua, Colligitur tertiò, neq; esse effectũ formalem subsistentiæ reddere naturam independentẽ à subiecto à posteriori: contra quem formalẽ effectum dixi nonnihil in n. 95. Ex. præced.

75 Nonnulli, vt subterfugerent obiecta argumẽta, addunt, subsistentiam fundare immediatè ex natura sua carentias dependentiæ à subiecto, & à supposito. Reiiciuntur breuiter, primò, nã in explicatũ relinquunt conceptũ subsistentiæ cum opponant in explicatione terminũ, cuius primarius examinatur conceptus. Secundò, quia creatio quantitatis Eucharisticæ fundat illas carentias; & tamen quãtitas Eucharistica non afficitur subsistẽtia, etsi admittatur affici modo accidentali perseitatis. Tertiò, quia ex subsistentia propria non prouenit carentia depẽdentiæ à supposito proprio; carentia autem dependentiæ ab alieno non prouenit ex formali effectu cõmuni subsistentiæ, vt abstrahenti à propria, & ab aliena, sub qua ratione agimus nunc de ea. Tandẽ, quia resultantia duarũ illarũ carentiarũ non potest esse primarius formalis effectus subsistẽtię, quę cũ sit entitas positiua, debet habere aliquẽ effectũ formalẽ primariũ positiuũ. Et hic qualis sit, non declaratur.

Tribus aliis modis intentantur obices.

76 RODericus Arriaga d. 4. Metaph. n. 64. & ex parte Petrus Hurtad. d. 11. Metaphys. sect. 6. §. 80. inquiunt, subsistẽtiam esse vltimũ complementum substantiale naturæ in esse substantiali. Displicent nobis primò, quia explicatum desideramus, quid sit complere vltimò substantialiter naturã in esse substantiali? Et an dentur alia naturæ cõplemẽta substantialia, quæ non sint vltima? Secundò, quia subsistentia inadæquata materiæ nõ est terminus substantialis vltimus illius; cum vlteriùs cõpleatur per formam substantialẽ. Quod si negetur talis subsistentia inadæquata, tamen Arriaga non negat animæ rationali separatæ subsistentiã propriã adæquatam nouiter comparatam; adæquatam, inquam quatenus non est apta ad componendã aliam subsistentiã. Tunc sic, anima rationalis, adhuc terminata per talẽ subsistentiã non est vltimò substantialiter cõpleta, vt docet ipse Arriag. d. 10. de anima sect. 2. Ergo subsistentia non est vltimum cõplementum substantiale. Et ne sit tergiuersandi locus, efformo iterùm argumentationem in anima rationali Christi subsistente per integram, & cõpletam subsistentiã Verbi in triduo separationis à corpore, cum tamen tunc esset cõplebilis vlteriùs per vnionẽ substantialem ad corpus. Tertiò, vnio essentialis inter materiã, & formam cõplet substantialiter vtramq; Ergo solius subsistentiæ munus non est complere substantialiter naturam. Verumtamen quia respõdebitur, vnionem essentialẽ non complere vltimò, cũ post ipsam adueniat subsistentia; ideo vrgentius insisto vnioni subsistentiæ ad naturam adæquatam. Nam ea complet naturam pro posteriori ad existẽtiam subsistentiæ, quæ per Arriagam distinguitur ab vnione sui ad naturam, & est posterior extremis vnitis. Fateor, præfatam vnionem complere solũm vt quò Ast id satis est, ne subsistentia dicatur absolutè vltimum complementum substantiale.

77 Quartò, natura humana est se ipsa sufficienter completa in ordine ad se. Ergo, si completur per subsistentiam, est in ordine ad aliud, nimirùm vel ad operandum, vel ad subsistendum, si in ordine ad operandum reciditur in effectum formalem subsistentiæ explosum n. 73. si in ordine ad subsistendum, manet inexplicatus formalis effectus subsistẽtiæ. Quintò, subsistentiam complere vltimò naturã in esse substantiæ, esset dare illi aliquam rationem substantiæ, quam ex se non habeat. Sed subsistentia non sic se gerit. Etenim natura vt distincta à subsistentia est substantia. Inquies, subsistentiam dare naturæ rationem, & perfectionem substantiæ subsistentis. Sed contra, nã hoc est dicere, subsistentiam reddere naturã subsistẽtem. Et rogo à te, quid desit substantiæ secundùm se, ob quod nisi adueniat subsistentia; sit incompleta in esse substantiæ? Quid etiam recipiat substantia in esse talis à subsistentia, ob quod cõpletur ab hac? Quintò, si subsistentiam complere naturam, sit idem, ac perficere, subsistentiæ relatiuæ diuinæ non cõplebunt naturã diuinam; siquidẽ extensiuè hanc non perficiunt, vt indicant plures grauissimi Theologi, & intensiuè non perficere, vt potè ex conceptu suo habentẽ infinitã perfectionem, certũ omnino sit. Confirmatur nec paternitas, nec filiatio in diuinis cõplent vltimò naturã increatã, cum vlteriùs cõpleatur per Spiritum sanctum: & tamen paternitas, & filiatio sunt relatiuæ subsistentiæ. Si respõdeas, naturã increatã compleri inadæquatè per paternitatem, & filiationem, adæquatè verò per ipsas, & spirationem passiuam: Progredior sic: Paternitas, & filiatio sunt perfectæ subsistentiæ; & nihilominus neutra ex illis complet adæquatè naturam increatam. Ergo non est de ratione perfectæ subsistentiæ complere adæquatè, & vltimò naturam. Rursus, etsi verbum diuinum compleat sufficienter humanitatem Christi; tamen quantùm est ex se, non respuit complemẽtum, quod pater præstare simul posset humanitati; neque hæc quantùm est ex se, quin neque vt completa per verbum; respuit complementum exhibendũ à Patre: tam enim est obedientialiter indifferens ad vtramlibet subsistentiam, quã ad vtramque simul. Ergo subsistentia saltem diuini verbi non sic complet vltimo humanitatem, vt excludat siue ratione sui, siue ratione humanitatis vlterius complementum alterius subsistentiæ diuinæ.

78 Cardinalis Lugus d. 12. de Incarnatione sect. 3. n. 32. contendit effectum formalem propriæ subsistentiæ esse reddere naturam terminatam in se sola, & sistentem in se; & non in alio. Suffragatur illi ex parte Ouiedus contrmedian. 4. Metaph. puncto 3. n. 19. Contrà primò, quia ille effectus formalis deducitur à sapientissimo viro ex inde, quòd subsistere aliquem apud latinos, est ita sistere, vt non progrediatur vlteriùs, ideoque subsistere in se, idem fore, ait, quod in se existere, seu terminari. Ast. etsi aliquando eam habeat significationem, vt in Calepino adaucto legere est, tamen in præsentiarũ cum latina vox *subsistentia* repondeat Græcè *Hypostasis*, accipienda esset diuerso in sensu ex vi saltem Ethimologiæ, ex qua *Hypostasis* significat omne id, quod aliis subest, seu fæces in liquoribus, & sedimentum vrinæ in ima matulæ parte subsidens, vt adnotatur à Calepino. Hinc fides, quæ cap. 11. epistolæ ad Hæbreos v. 1. vocatur latinè *separandarum substantia rerum* dicitur Græcè *Hypostasis*

Hypostasis, *id est*, fundamentum, prout aduertit Bartholomæus Amicus tract. & q.5. Physicorum art.1.n.4. Et Petrus Hurtadus d.11. Metaphysicæ sect.1.§.2. non siluit, vbi nos legimus Psalm.68. v.3. *infixus sum in limo profundi, & non est substantia*; alios vertere, *non est subsistentia*, id est in profundo calamitatum occeano non inuenio fundum, cui innitens subsistam. Sed de his ad satietatem vsque Patres Vazquez tom.2. in 1. d.124. Ruiz disp.31.& 32.de Trinitate, Petauius tom.2. Theologicorum dogmatum per totum ferè 4. librum videndus etiam est Richardus de S. Victore lib.4.de Trinitate cap.12. Philippus Abbas lib.6. in cantica cap.43. Contra secundò, quia non exponitur formalis effectus subsistentiæ, vt abstrahit à propria, & aliena. Tertiò; quia naturam sistere in se, vel est sistere in se ipsa solùm, vel sistere in proprio supposito terminarique ab eo? Non primum, siquidem natura vlteriùs tendit ad subsistentiam vt sit in proprio supposito. Non secundum, quia idem est, ac dicere, subsistentiam facere; vt natura habeat subsistentiam. Vnde relinquitur inexplicatus conceptus propriæ subsistentiæ. Contra quartò, quia natura Patris æterni non sistit in se per propriam subsistentiam, vt simul etiam non progrediatur ad alios à Patre, nempe ad Filium, & ad spiritum sanctum; qui licet non sint aliud, seu alia; sunt tamen alij à Patre. Ergo subsistentia propria non sic reddit naturam sistentem in se, vt impediat sistere simul in alio, iuxta sensum declaratum. Addit Lugus n.36. effectum formalem subsistentiæ propriæ esse complere naturã ad hoc, vt sit sustẽtata in se, & vt habeat fulcimẽtũ aliquod intrinsecum proprium, quo se sustineat; sicut accidens sustinetur ab alio. Contra, tum quia accidens non subsistit per subsistentiam totius, eo quòd sustineatur à subiecto. Ergo neque forma substantialis materialis subsistet per subsistentiam totius, eo quòd sustineatur à materia causante ipsam materialiter non minus, quàm quantitatem. Tum, quia in ratione subsistendi æquatur forma irrationalis rationali, dum hæc vnitur materiæ, cum tamen illa non subsistenteretur absque materiæ ope. Tum quia ægrè percipitur, quo pacto modus subsistentiæ creatæ sustentet suis quasi Atlanticis humeris substantiale compositum. Neque item apparet, cur vt sustentetur in se Angelus non sufficiat actio per quam producitur, & conseruatur à Deo. Cogita, Deum conseruare Angelum sine omni subsistentia (vt miraculosè potest, ex Lugo in illa d.12. sect.2.) anne tunc in nihilum abiret ob defectum alicuius fulcri, & sustentaculi.

79 Prælustris Modernus Magister meus in Theologicis, cuius ad 3.p. accuratissimis elucubrationibus desudant iam Lugdunensia prela, censet, effectum formalem subsistentiæ esse, reddere naturam substantialem immediatè incommunicabilem diuinitus substantiæ, quæ non est de naturali complemento illius; seu, vt inquit etiam Cardinalis Lugus d.16. de Incarnatione sect.1. num.24. esse positiuè terminare, & quasi multo, aut vallo munire, & circumdare substantiam completam, ne possit ab alia substantia attingi per physicam vnionem. Vult itaque primò, Neothericus ille, naturam per subsistentiam non reddi incommunicabilem tantùm naturaliter, sed etiam diuinitus, tum quia pro priori ad subsistentiam propriam, natura creata est incommunicabilis naturaliter verbo diuino; tum quia natura creata per subsistentiam propriam est magis incommunicabilis alteri alienæ, quàm alteri propriæ. Cum ergo alteri propriæ sit incommunicabilis naturaliter, reddetur incommunicabilis etiam diuinitus alteri alienæ. Vult secundò, naturam per subsistentiam non fieri incommunicabilem nisi illi substantiæ, quæ nequeat esse de naturali illius complemento. Hinc infert, materiam per subsistentiam propriam non fieri incommunicabilem formæ substantiali, quia hæc est naturale illius complementum. Infert etiã, partes integrantes materiæ, & formæ materialis substantialis partialibus ornatas subsistentiis non fieri incommunicabiles aliis partibus, quia partes integrantes complent se mutuò naturaliter.

80 Laudo ingeniosum inuentum; sed ne ei assentiam, hæc me retardant. Primum, ex Mysterio Incarnationis colligitur, impeditam fuisse subsistentiam creatam, vt humanitas vniretur verbo; non verò colligitur, non potuisse diuinitus vniri, retenta subsistentia creata. Dices, Concilia, & Patres Ecclesiæ, inferunt, humanitatem Christi propria carere subsistentia, eò quòd à verbo est assumpta; si autem propria subsistentia, & aliena verbi, possent diuinitùs componi in humanitate, non esset quadratus Conciliorum, & Patrum discursus, eluderetur que ab Hæreticis respondentibus, extitisse miraculosè in Christo personalitatem creatam, & increatam, ne vlla perfectio naturalis deesset humanitati Christi. Et prætereà difficulter dignoscitur miraculum in terminatione humanitatis ab vtraque personalitate, diuersos enim præstarent effectus formales, & ideo neutra superflueret, vti non superfluunt gratia substantialis, præsentia circumscriptiua in cælo, & definitiua in Eucharistia. Respondeo primò, concilia, & Patres aliis ex capitibus intulisse humanitatem assumptã à verbo carere subsistentia creatã; qui ea noscere cupiat, adeat Augustinum Bernal.d.24.de Incarnatione sect. & §.2. Francisc. Alfonsum d.8. Physicorum sect.5. à n. 51. Sed quia in quinta Synodo Generali collatione 8. canone 5. videtur haberi proposita illatio ex illo præcisè capite, sic enim ibi: *Si quis non confitetur Dei verbum carni secundùm subsistentiam vnitũ esse, & propter hoc vnam eius subsistentiam, seu vnã personam, & sic & sanctum Chalcedonense Concilium vnam subsistentiam Domini nostri confessum esse, talis anathema sit*: ideo melius respondeo secundò, satis esse Conciliorum, & Patrum deductioni, si propria; & aliena subsistentia nequeunt stare simul in humanitate sine nouo miraculo. Nam ad id defacto admittendum carerent Hæretici fundamento, si quidem defectus perfectionis naturalis consistentis in subsistentia creata compensatur superabundanter per increatam verbi. Et ob id docent communiter Theologi, humanitatem Christi non appetere elicitè subsistentiam creatam; & multi addunt, neque innatè appetere. Quod vero subsistentia creata, & increata diuersos præstarent effectus formales humanitatis, non efficit vtriusque simultatem non esse miraculosam. Duæ formę substantiales diuersæ in specie non habentes tamen dispositiones contrarias, communicarent materiæ diuersos effectus formales, nec ideo non esset miraculosa iuxta communem sententiam coexistẽtia vtriusque in eisdem partibus materiæ. Negata repugnantia essentiali inter subsistentiam creatam, & increatam, complures adhuc manent rationes ad affirmandum non coextituras sine nouo miraculo. Exhibeo vnicam hanc rationem prout ad præsens attinet; nimirùm subsistentiam creatam propriam humanitatis non fore in suo genere terminum

vltimum substantialem illius, si quantùm est ex se, & ex natura rei posset stare cum subsistentia increata. Quam rationem amplius illustrabo in n.92. Illatio superior Conciliorum, & Patrum exornari potest eleganter simili alia facta ab ipsis circa desitionem substantiæ panis, & vini in Eucharistica conuersione ob euitanda noua miracula, vt sapientissimè expendit Cardinalis Lugus d. & sect.7. de Eucharistia. Et quamuis is Author Suario insistens in d.12.de Incarnatione sect.6.n.71. assignet aliquod discrimen inter vnam, & alteram illationē quia dependentibus semel accidentibus panis, & vini in Eucharistia à corpore, & sanguine Christi miraculosè, iam meritò reputatur superflua dependentia prior naturalis àn substantiis panis, & vini, vt quæ nihil speciale præstaret: tamen hoc qualecumque discrimen, ad aptari nequit desitioni earū substantiarum in rerum natura. Idem mysterium Eucharistiæ suppeditat nobis aliud exemplum. *Nā in Ecclesia Dei semper hac fides fuit statim post consecrationem existere corpus Christi* in speciebus panis *ex vi verborum, animam autem, & sanguinem sub eisdem vi naturalis connexionis, & concomitantia qua partes Christi, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* Quæ ferè sunt verba Concilij Tridentini sessione 13.cap.3. indeque constat, Ecclesiam deduxisse existentiam animæ, & sanguinis ibi, vbi est corpus, ex vi verborum sub speciebus panis, quia vnio exigebat connaturaliter eā existentiam, etsi ex miraculo posset fieri, vt sub speciebus panis poneretur corpus, quin simul constituerentur anima, & sanguis vllo modo. Sed quia Ecclesiæ deerat fundamentum ad alterum istud miraculum sibi persuadendum, idcirco ex connaturali lege vnionis intulit per quàm aptè; sicque pariter in nostro casu. Adiicio tertium exemplum ex verbis Angeli ad mulieres Matthei cap.28.v.5. *Non est hic, surrexit enim.* Quibus verbis abutenti Caluino in vltima monitione ad Vuestphalum, aliisque Hereticis apud Bellarminū lib.3.de Eucharistia cap.4. vt probent non posse etiam diuinitus corpus idem existere in pluribus locis, alioqui infirma esset cōsequentia Angeli: respondere solent Catholici, sufficere ad eius bonitatem, si ex natura rei, & de potentia tantùm ordinaria nequiret corpus Christi intra, & extra sepulchrum commorari.

81 Secundum, non est cur personalitas verbi reddat diuinitus incommunicabilem humanitatem alteri personalitati diuinæ, quæ est connaturalis ipsi verbo, & cuius effectus formalis non est incompossibilis cum effectu formali verbi, tam respectu naturæ, diuinæ quam humanæ; nā nō est, cur huic magis repugnet habere simul plures modos existendi in alio, quam accidenti habere simul plures modos inhærendi diuersis subiectis. Quibus accedit, potentiam obedientialem humanitatis, non ex hauriri per terminationem præstitam à verbo diuino. Si dicas, ideo esse, quia vna subsistentia reddit naturam immediatè incommunicabilem alteri substantiæ sibi non connaturali. Contrà, licet subsistentia connaturalis reddat naturam incommunicabilem alteri substantiæ non connaturali, & alienæ, non est, cur subsistentia non connaturalis, & aliena reddat incommunicabilem alij substantiæ non connaturali & alienæ; quæ neque habet oppositionem cum ipsa, neque importat superfluitatem, sed potiùs pertinet ad connaturale complementum naturæ diuinæ. Si dicas rursus, ideo esse quia, subsistentia Patris non est connaturale complementum humanitatis. Contra, neque subsistentia verbi est connaturale complementum humanitatis; neque huic aliud præstaret subsistentia Patris, quàm ex se sufficienter complete: & aliunde non habent inter se oppositionem, neque superfluitatem. Confirmatur, subsistentia propria creata non reddit essentialiter naturam incommunicabilem alteri propriæ. Ergo neque aliena increata alteri increatæ alienæ. Confirmatur iterum, quia si naturam diuinam summè, & infinitè completam, terminare potest connaturaliter triplex subsistentia propria diuina, quid causæ erit ne naturam humanam, quæ ex se incompleta est, nequeat diuinitus terminare simul eadem triplex subsistentia aliena respectu ipsius? Si vlteriùs dicas, ideo esse, quia vna subsistentia diuina gereret in humana natura vices subsistentiæ creatæ, quoad incommunicabilitatem. Cum ergo propria subsistentia creata faceret naturam humanam diuinitus incommunicabilem cuicumque alteri subsistentiæ, exhibebit etiam ipsi naturæ talem incommunicabilitatem vna subsistentia diuina. Contra, quia eandem serram reciprocas, & reddis ad id, quod in antecedenti numero est reiectum S. Anselmi cap.2. cur Deus homo cap.9. authoritas, quæ solet afferri contra possibilitatem assumptionis naturæ humanæ à tribus diuinis personis simul, aptam natam habet interpretationem in Vuadingi disp.13. de Incarnatione, dub.8 §.3. n.129.

82 Tertium, materia subsistens partialiter, & actuata per formam substantialem *A*, potest diuinitus actuari per formam substantialem *B*, etiam subsistentem. Ergo, & Angelus Gabriel subsistens per propriam subsistentiam poterit diuinitus vniri subsistentiæ Angeli Raphaelis. Probatur consequentia, ideo potest materia, quia forma *B*, potest ex se esse connaturale complementum materiæ; licet non in sensu composito formæ *A*, sed etiam subsistentia Angeli Raphaelis potest esse connaturale complementum Angeli Gabrielis, licet non in sensu composito subsistentiæ propriæ. Etenim penes hunc Modernum subsistentiæ sunt entitates absolutæ, quæ ex se non sunt alligatæ ad vnam potiùs naturam quam ad aliam. Confirmatur, ideo per te non potest Angelus Gabriel retenta propria subsistentia vniri naturæ Raphaelis, quia hæc non est, neque potest esse connaturale complementum illius. Sed ista ratio non est efficax penes potentiam Dei absolutam, nisi aliud addatur. Ignis namque potest diuinitus vniri frigiditati, quæ nec est, neque potest esse eius connaturale complementum. Confirmatur deinde, quia subsistentia verbi est vnibilis diuinitus cum humanitate, quæ neque est, neque potest esse connaturale complementum naturæ diuinæ. Ergo subsistentia non est diuinitus inuisibilis cum subsistentia quauis non valente naturaliter esse complementum illius naturæ, cuius est propria subsistentia. Ergo nullius subsistentiæ est effectus formalis reddere naturam diuinitus inunibilem cum substantia, quæ neque sit, neque possit esse connaturale complementum naturæ, quam afficit. Si dicas, subsistentiā verbi non vniri humanitati vt supposito. Contra nam neque sic vniretur Gabrielis subsistentia naturæ Raphaelis; quippe non vniretur huic vt subsistenti formaliter sed huic alias subsistenti, vel orbatæ à Deo propria subsistentia.

Quartum

83 Quartum, Angelus Gabriel se ipso, seu per suam naturam est inunibilis naturaliter alteri substantiæ, quæ non sit, neque possit esse connaturale complementum illius. Ergo gratis additur forma intrinseca, quæ ipsum reddat diuinitus inunibilem: vti corpori habenti vnam vbicationem circumscriptiuam gratis adderetur aliquid intrinsecum, quo redderetur impotens diuinitus ad aliam vbicationem circumscriptiuam; & vti ipsi Angelo Gabrieli inunibili naturaliter cum albedine, gratis adderetur aliquid intrinsecum, ratione cuius impediretur penes potentiam Dei absolutam ab vnione cum albedine. Confirmatur, vel Angelus Gabriel est seipso essentialiter inunibilis alteri substantiæ non connaturali, vel est tantùm naturaliter inunibilis? Si primum, Ergo superuacanea est subsistentia distincta; non aliter ac oculo corporeo ineleuabili essentialiter ad visionem Dei frustranea foret additio distinctæ formæ excludentis eam visionem. Si secundum, satis est decretum diuinum non vniendi ipsum; quod decretũ haberetur à Deo attendente exigentiæ naturali ipsius Angeli. Sic aquæ, exempli ergo, inunibili ex se naturaliter cum accidenti supernaturali sufficit decretum diuinum non vniendi illam, quin necessarium sit quidpiam aliud intrinsecè adiectum determinans ad carentiam vnionis cum accidenti supernaturali. Neque dicas, eductionem quantitatis excludere essentialiter eiusdem creationem, quam naturaliter terminare nequit. Id enim non est ad rem, nam existens quantitas, non aliter, quàm vt educta excludere potest siue essentialiter, siue tantùm naturaliter simultaneam creationem; neq; eductio in eum præcipuè finem est instituta, vt excludat creationem, sed vt termino communicet existentiam cum dependentia à subiecto. Confirmatur rursus; Angelus est tantùm naturaliter ex se inunibilis alteri substantiæ. Ergo non potest exigere vt proprietatem entitatem aliquam, per quam inunibilis diuinitus reddatur; alioqui iam erit ex se essentialiter inunibilis, si non possit non habere aliquam propriam, vel alienam subsistentiam, vt fert multorum Theologorum opinio. Addo, mirabilem esse positionem entitatis, quæ contra Deum armet creaturam respectu alicuius effectus formalis habiti naturaliter ab ipsa creatura ex se. Anne Deus non posset se cohibere ab vniendo Angelum Gabrielem Angelo Raphaëli, etiamsi non esset in Gabriele illud quasi repagulum, & vallum, quo retardaretur, & impediretur Deus?

84 Quintum, natura non fit per subsistentiam incommunicabilis diuinitus accidentibus, quæ non sint ipsius connaturale complementum; alioqui aqua subsistens non posset recipere octo gradus caloris simul cum frigiditate, aut seorsim ab hac, alioqui etiam anima subsistens nequiret accipere donum aliquod supernaturale gratiæ, vel gloriæ. Ergo neq; per subsistentiam fit incommunicabilis diuinitus natura alij substantiæ, quæ non sit connaturalis respectu naturæ. Sextum, partes octo subsistentis aquæ vniri possunt cum aliis octo subsistentibus; quia ex partibus integrantibus affectis suis subsistentiis non resultat vnum per se essentiale, sed integrale. Ergo & Angelus subsistens vniri poterit saltem diuinitus cum alio subsistente; non enim resultabit vnum per se essentiale, sed quasi integrale, & continuatiuum. Lege Hispalensem in 2.d.3. q.1.art.3. notabili 9.

85 Septimum, etiam si forma substantialis non posset in materia componi diuinitus cum alia forma, ineptè definiretur, forma substantialis est illa, quæ vnita materiæ impedit, ne eidem materiæ vniatur altera forma substantialis. Ergo similiter, &c. Vnde admissa ex abundanti repugnantia essentiali duplicis subsistentiæ, quarum vna sit propria, & altera aliena aut quarum vtraque sit aliena; & admissa etiam repugnantia substantialis vnionis inter substantiam subsistentem, & aliam substantiam non connaturalem, incommunicabilitas ista non esset nisi vt summum effectus secundarius subsistentiæ; vti iuxta admittentes repugnantiam duplici formæ substantialis in materia, talis incompossibilitas non est nisi effectus secundarius formæ substantialis. Ad hæc: mirum quid est, ponere in duobus subiectis duas formas, non alia de causa, quàm vt vna impediat vnionem sui subiecti cum alia. Et fieret ex hinc, naturas non habituras indigentiam subsistentiarum, si Deus omnes has destrueret, cum solùm egerent illis, ne communicarentur ipsæ subsistentiæ. Octauum, natura diuina, vt virtualiter condistincta à relatiuis, subsistentiis, nequit vllâ potentiâ substantialiter, & immediatè vnire sibi naturam aliquam creatam. Ergo omnimoda incommunicabilitas vnius naturæ cum alia non connaturali sibi potest aliunde formaliter prouenire, quam ex subsistentia. Si respondeas, eam incommunicabilitatem in natura diuina illo modo consideratam prouenire ex subsistentia absoluta. Contra quia in Deo non datur ista subsistentia; vel si datur, poterit vi ipsius substãtialiter, atq; immediatè vniri cum natura creata non connaturali sibi, ita quidem vt subsistẽtiæ relatiuæ vnirentur tantùm mediatè. Quare subsistentia aliqua, nempe absoluta, & communis in Deo conduceret potius, vt natura increata immediatè esset cõmunicabilis creatæ naturæ extraneæ; sicut conducunt subsistentiæ relatiuæ vt sit mediatè cõmunicabilis. Quod si per relatiuas subsistentias natura diuina non est incõmunicabilis alteri naturæ creatæ, quæ non sit naturale eius complementum, cur per absolutam incõmunicabilis, foret? Anne quia alioqui natura creata assumpta immediatè ab increata subsisteret eo ipso per tres subsistẽtias relatiuas diuinas, vt Patres Ecclesiæ inferebãt, si de facto vnio immediatè non in sola subsistentia relatiua filij, sed in natura increata contigisset humanitati? Verumtamen illatione patrum concessa, implicantiam contradictionis non inuoluit, quod humanitas in alio prouidentiæ diuinæ ordine subsisteret eo pacto, etsi nunc non ita subsistat, quoniam non est immediatè assumpta nisi à sola personalitate verbi.

86 Ex dictis hactenus laboriosum non erit refutare eos qui naturæ incommunicabilitatem vniuersim agnoscunt, vt effectum formalem subsistentiæ. Et hæc quidem non facit naturam incommunicabilem proprio supposito, quando est propria, neq; alieno, quando est aliena. Rursus alieno supposito ipsa natura per se ipsam est naturaliter incommunicabilis, neque à propria subsistentia mutuatur essentialem incommunicabilitatem. Prætereà, materia per suam subsistentiam non fit incommunicabilis naturaliter vni formæ substantiali, & diuinitus duplici, neque vna pars aquæ subsistens alteri parti, neque corpori animus rationalis separatus subsistẽs. neq; natura diuina per subsistentiam paternitatis redditur incommunicabilis subsistentiis filiationis, & spirationis passiuæ. Denique incommunicabilitas vel est pura negatio, vel est negatio fundata in aliquo positiuo superaddito

naturæ? Si primum, subsistentia non erit entitas positiua,& realis, cuius contrarium modò supponitur, probatumque est in sect.1. Si secundum, restat declarare effectum formalem positiuum, & primarium eius entitatis. Dicere verò, talem esse vt non nisi per negationem exprimi queat, est prorsus succumbere difficultati,& promittere effectus formalis positiui explicationem impossibilem. Sufficiat delibasse hæc impugnationum capita; & postremum premit ex æquo modernum, de quo anteà.

Meum Iudicium de formali effectu subsistentiæ.

87 PErsuadeo mihi, effectum formalem primarium positiuum subsistentiæ consistere in eo, quòd substantiam, quâ substantia est, terminet intrinsecè. Substantiam, inquam, quâ substantia est, nam etsi forma substantialis terminet intrinsecè materiam, & vnio substantialis vtramque, tamen forma non terminat materiam, quâ hæc præcisè est substantia, seu præcisè titulo substantiæ: sed quâ est talis substantia per modum primi subiecti: vnio etiam substantialis etsi terminet intrinsecè materiam; & formam, non tamen, quâ præcisè sunt substantiæ, sed qua sunt tales substantiæ per modum primi subiecti, & per modum entitatis incōpletæ aptæ adiacere primo subiecto, cum quo constituat vnum per se. Hinc tametsi materiam eandem terminet intrinsecè, tam subsistentia, quàm forma, oritur id ex diuersis titulis; nempe terminatio à subsistentia ex titulo substantiæ, terminatio à forma ex titulo materiæ primæ, vti etsi actus supernaturalis exigat tam principium vitale, quam supernaturale, exigentia principij vitalis fundatur in vitalitate reperta in ipsomet actu; exigentia verò principij supernaturalis fundatur in titulo supernaturalitatis, quâ gaudet.

88 Quòd si vlterius à me petas, quid sit, subsistentiam terminare intrinsecè substantiam, quâ substantia est? Aio, nihil aliud esse, quam sic afficere substantiam, vt illam, quâ substantia est, reddat non indigentem alio. Vt enim substantialis forma eatenus intrinsecè terminat materiam, quatenus ipsam sic afficit, vt in ratione primi subiecti reddat non indigentem alio: ita similiter eatenus subsistentia terminabit intrinsecè ipsam materiam, quatenus eam in ratione substantiæ reddet non indigentem alio. Considera materiam separatam diuinitus à forma, & subsistentem, tunc quidem indiget forma non ex præciso titulo substantiæ, sed ex titulo substantiæ per modum primi subiecti: si autem adueniat vnio ad formam, iam terminatur ab hac, non ex titulo præciso substantiæ; alioqui omnes substantiæ exigerent similem terminationem, sed ex titulo talis substantiæ; terminatur scilicet, quatenus in ratione primi subiecti redditur non indigens alio.

89 Sed oppones primò, accidens, quâ accidens est, non terminatum intrinsecè per aliud specialiter. Ergo neque substantia. Respondeo terminationem substantiæ innotuisse nobis ex Trinitatis, & Incarnationis Mysteriis, non autē terminationem accidentis: imò vt extremè differat à substantia, debere expers esse terminationis, qua suapte naturâ fiat non indigens alio. Oppones secundò, substantiam creatam, quâ talis est, indiget multis qualitatibus, & accidentibus. In primis respondeo, sufficete mihi, si qua substantia est, abstrahens à creata, & increata, non indigeat alio quam subsistentia. Deinde dico, indigentiam qualitatum, aut accidētium communem esse substantiæ creatæ cum ipsis qualitatibus, aut accidentibus, non verò indigentiam subsistentiæ. Addo, substantiam indigere subsistentia, non tanquam aliquo accidentali, sed substantiali. Oppones tertiò, substantiam, quâ substantia est, terminari intrinsecè etiam per vbicationem; cum omnis substantia postulet præsentiam ad spatium, non minus, quam subsistentiam. Respondeo, terminationem ab vbicatione conuenire non soli substantiæ, sed etiam accidenti, proindeque vbicationis exigentiam in substantia non fundari, seu oriri ex præciso, & vnico titulo substantiæ, vti oritur exigentia subsistentiæ. Obiicies quartò, ipsam subsistentiam esse substantiam, neque tamen qua substantia est, terminari intrinsecè per aliam subsistentiam. Aio, subsistentiam habere se ipsa effectum, quem communicat formaliter, habere, inquam, vt quo, non vt quòd. Quare cum id sit, quo terminatur intrinsecè substātia, vt substantia est, non debet ipsi respondere aliud, per quod terminetur intrinsecè vt substantia est, quemadmodum neque respondet actioni alia actio, vnioni alia vnio, vbicationi alia vbicatio. Obiicies quintò, committi circulum in definitione substantiæ, & subsistentiæ; nam substantia definitur, quæ intrinsecè est constitutiua suppositi, siue essentialiter, siue integraliter; & subsistentia definitur, quæ terminat intrinsecè substantiam, qua substantia est. Dico, substantiam alio modo, quàm qui propositus est definiri à me in Metaphysica. Modo sat est scire subsistentiam esse terminum intrinsecum eius entitatis, quam substantiam fatearis; & sub ea præcisè ratione, qua substantia est.

90 Explicatum effectum formalem subsistentiæ non aliunde probare possum, quam ex Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis; in quorum primo natura diuina, quâ est substantia terminatur intrinsecè per subsistentiam. Cur autem hæc debeat esse triplex, & relatiua, non est præsentis loci indagare. Suppono, naturam diuinam non habere subsistentiam absolutam, & communem; nam cum subsistentia sit terminus naturæ substantialis, quam afficit, sequeretur naturam diuinam effectam, seu gaudentem subsistentia absoluta, & communi, sibi identificata virtualiter, fore incapacem subsistentiæ relatiuæ: quippe terminus, vt terminus formaliter est incapax terminandi vlterius ab alio. In secundo, id est, in Mysterio Incarnationis, natura humana, quâ est substantia, terminatur intrinsecè per subsistentiam verbi diuini. Vnde nihil accidentale naturæ humanæ terminatum fuit ab hoc. Eatenus autem natura diuina terminatur intrinsecè, quâ est substantia, per subsistentiam relatiuam propriam (quæ triplex est,) & eatenus natura humana, quâ est substantia, terminatur intrinsecè per subsistentiam alienam verbi; quatenus vtraque redditur sub illa ratione substantiæ non indigens alio, quo afficiatur. Eundem effectum formalem subsistentiæ confirmare possum ab authoritate. Nam S. Cyrillus Alexandrinus, & Anastasius Patriarcha Theopolitanus in explicatione compendiaria fidei aiunt, rem subsistentem esse rem, *quæ per se est, neque altero indiget ad hoc, vt ipsa subsistat* Epiphanius Diaconus in septima Synodo Generali actione 6. tom. 3. tradit naturam per

per se existentem esse illam, *quæ non indiget altera, vt subsistat.* Sanctus Isidorus Hispalensis libr. 2. de differentiis num. 4. *Esse id, quod non ab alio, sed semper ex se est; id est, quod propria in se virtute subsistit:* Phæbadius Agennensis lib. Contra Arrianos totidem verbis multò antea fuerat vsus. Quamuis verò sermonem habeant de natura, substantiaue diuina, præmonstrant tamen viam explicandi formalem effectum subsistentiæ vt communis ad substantiam creatam, & increatam eo modò, quo à nobis. Vlteriùs Boethius libr. 2. de duabus Christi naturis loquitur de Deo sic: *Est Hypostasis id est, subsistentia, subsistit enim nullo indigens.* Dices, Rusticum Cardinalem in disputatione contra Acephalos, cum de Deo statuisset, esse per se subsistentem, *quia nullius alterius ad hoc, vt sit, indiget*, addere, non posse asseri de creaturis, quòd sint per se subsistentes à creatore *enim esse sumpserunt, & in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Ergo præcitati Patres, dum pari formiter ac Rusticus, explicant, quid sit subsistentia in Deo, neutiquam insinuant conceptum subsistentiæ communem Deo, & creaturis, sed potiùs videntur denegare creaturis subsistentiam. Respondeo, si nomine rei subsistentis significetur ea, quæ nullo intrinseco, & extrinseco indiget, de negatam rectè à Rustico subsistentiam creaturis etiam substantialibus, siquidem omnino indigeant Deo ad sui existentiam, & conseruationem; è contra verò concessam rectè Deo existenti, permanentique à se; præfata tamen significatio extraordinaria est, quoad partem, qua dicitur, rem subsistentem debere nullo extrinseco indigere Sanctus Damascenus in Dialecticæ cap. 4. definiens substantiam in communi, & comprehendens tam increatam, quàm creatam, inquit, *substantia est res per se consistens, nec, vt existat, re vlla alia opus habens:* & in capit. 39. *substantia est res per se existens, nec ab alio vllo ad hoc vt sit, opus habens; Rursum, substantia est quicquid per se subsistit, neque in alio suum esse habet; hoc est, quod non propter aliud est, neque in altero existentiam suam habet, neque, vt consistat, altero opus habet verùm in se ipso est, atque in ipso quoque, accidens suum esse habet.* Conducunt hæc omnia Sancti Damasceni verba, tum ad ostendendum, extraordinariam esse significationem vsurpatam à Rustico, tum ad comprobandum subsistentiæ formalem effectum quem assignauimus.

91 Ex Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis deducitur, substantias creatas de facto existentes terminari intrinsecè, quà substantiæ sunt, per subsistentias distinctas, vt postmodùm latiùs tractabo, licet non repugnent aliæ, quæ vt dixi sectione secunda, terminentur per subsistentias indistinctas, & quæ propterea habeant per se ipsas, vt quâ substantiæ sunt, non indigeant alio, quo afficiantur. Substantiæ de facto existentes, nequeunt ex natura rei habere duplicem subsistentiam propriam vt neque ignis geminatos octo gradus caloris, neque materia duplicem quantitatem, neque quælibet alia entitas reiteratam proprietatem. Et quidem cum substantiæ per subsistentiam propriam vnam terminentur intrinsecè, superfluet alia quæ hunc ipsum effectum formalem præstet. Et hinc obiter apparet ratio, ob quam respectu naturæ diuinæ nulla ex tribus subsistentiis relatiuis propriis sit incompossibilis naturaliter cum alia; quælibet enim sic terminat naturam diuinam, vel ei præstet diuersum effectum quasi formalem ab illo, quem præbet alia; quia licet conueniant in ratione terminandi, nihilominus vna quæque terminat diuerso, & speciali modo. Vnde natura diuina terminatur inadæquatè ab vnaquaque, & adæquatè à tribus; Si autem natura humana verbi gratia, afficeretur triplici subsistentia propria, quælibet exhiberet ipsi eundem omnino effectum formalem, ac alia. Cæterum id non vetat, ne diuinitus natura humana possit affici triplici subsistentia propria, si quidem superfluitas vnius effectus formalis in præsentia alterius, non est impedimentum respectu diuinæ omnipotentiæ, neque respectu creaturæ, vt subiectæ obedientialiter Deo.

92 Similiter dicendum est, naturam humanam verbi gratia, non posse ex natura rei, in consortio subsistentiæ propriæ admittere subsistentiam alienam verbi; neque in consortio huius admittere alienam alteram Patris æterni, aut Spiritus sancti; posse tamen diuinitùs. Prioris ratio est, quia cum per subsistentiam propriam terminetur intrinsecè, quà substantia est, seu sub hac ratione reddatur non indigens alio, quo afficiatur, sequitur subsistentiam alienam verbi; superuacaneam esse, vt communicet hunc effectum formalem humanæ naturæ. Quæ ratio etiam valet ad probandum, humanam naturam affectam aliena verbi subsistentia non posse naturaliter admittere alienam alteram Patris æterni, aut spiritus sancti. Et aduertendum est, naturam humanam affectam subsistentia verbi, etsi titulo substantiæ vt cumque sit reddita non indigens alio, adhuc tamen titulo substantiæ connaturaliter existentis habere indigentiam radicalem subsistentiæ propriæ emanaturæ ab ipsa, nisi aduenisset subsistentia verbi. Ratio posterioris est; quoad simultaneam terminationem per subsistentias verbi, & Patris æterni, aut Spiritus sancti; quia non magis repugnant duæ subsistentiæ alienæ, inter se quidem compossibiles in natura diuina, afficientes eandem naturam humanam, quàm duæ formæ substantiales respectu eiusdem materiæ, duæ vbicationes, siue definitiuæ siue circumscriptiuæ respectu eiusdem corporis, duæ actiones totales respectu eiusdem effectus. Vt enim hic sic producitur per vnam actionem totalem, vt reddatur non indigens alia, per quam producatur, & nihilominus id ipsum habere simul potest diuinitus ratione alterius actionis totalis; ita pariter natura humana reddetur per subsistentiam verbi alio non indigens, quà substantia est, poterit diuinitùs simul participare

participare similem effectum formalem à subsistentia Patris æterni, aut Spiritus sancti. Iam quoad simultaneam terminationem per propriam creatam subsistentiam, & per alienam increatam Verbi, ratio est; quia complementum intrinsecum connaturale, & sufficiens esse per propriam subsistentiam, non est, cur debeat impedire absolutam Dei potentiam, ne possit communicare simul aliud intrinsecum complementum, quod sufficiens etiam ex se sit, sed omnino indebitum humanæ naturæ tum absolutè, tum in consortio illius alterius complementi. Exemplis indicatis proximè, & præcipuè illo geminæ vbicationis eidem corpori diuinitùs communicabilis, quarum vna sit circumscriptiua, altera definitiua potest id ad amussim declarari. Videantur Bachon. in 3. sent. dist. 5. quæst. 1. art. 2. Petrus Hurtadus disp. 11. Metaphysicæ sect. 7. Arriaga d. 4. sect. 13. subsect. 3. Ouiedus controuers. 6. punct. 5. Bernal, & Alfonsus iam citati in n. 80. qui omnes nobis consentiunt, naturam humanam existentem in propria persona potuisse diuinitùs assumi à Verbo. Quod si ea miraculosè in duobus locis constitueretur, consentiunt in hoc casu Suarez tomo 1. in 3. part. d. 13. sect. 1. Ylsambertus ad 3. p. q. 4. d. 1. art. 3. Vuadingus d. 13. de Incarn. dub. 8. §. 1. Martinonus tomo 4. d. 7. sect. 2. sed quidem si propria, & aliena subsistentia non sunt essentialiter incompossibiles in eadem natura respectu diuersorum locorum, neque respectu vnius incompatibiles erunt. Non quia vniuersim quæ compossibilia sunt in eodem subiecto posito in diuersis locis, debeant etiam esse, quando subiectum in vno tantùm loco existit, vt ait Cardinalis de Lugo d. 12 de Incarnatione sect. 6. num. 79. & cum ipso Ouiedus supra num. 7. id enim deficit in vbicationibus circumscriptiua, & definitiua, quas diuinitùs potest habere corpus simul in diuersis locis non tamen in vno; sed quia nulla specialis repugnantia apparet in coexistentia subsistentiarum, propriæ, & alienæ respectu vnius loci, & quia subsistentiæ sunt entia independentia à loco determinato.

93 Si in composito substantiali non detur nisi vnica, & simplex subsistentia, ab hac terminabitur intrinsecè substantia, quà est substantia completa. Quia tamen rationalis anima, quæ est substantia incompleta, gaudet, secundum ferè omnes subsistentiâ, dum est separata à corpore, ideo pro conceptu formali subsistentiæ satis fuit dicere esse terminationem intrinsecam substantiæ, quà substantia est, abstrahendo ab eo, quòd substantia sit completa, vel incompleta, licet conuenienter ad statuta à nobis in sect. anteriori substantiis etiam incompletis constituentibus totum substantiale suæ respondeant subsistentiæ partiales, ex quibus conflatur vna adæquata totius compositi substantialis.

94 Substantia creata, etsi, quà substantia est, terminetur intrinsecè per subsistentiam distinctam, habeatque connaturaliter hanc terminationem, & magis connaturaliter existat terminata per subsistentiam alienam, quam si per nullam terminetur, tamen contradictionis implicantia non relucet si existat, & conseruetur absque omni subsistentia tam propria, quàm aliena. Mihi quidem non magis difficile id apparet, quàm existentia, & conseruatio materiæ sine omni forma substantiali. Non enim minùs forma substantialis terminat intrinsecè materiam, quà est primum subiectum, quam subsistentia terminat intrinsecè eandem materiam, qua est præcisè substantia. Si ergo potest diuinitùs existere, & conseruari materia absque omni forma substantiali, vt latè probaui in Physicis, poterit etiam existere, & conseruari diuinitùs absque omni subsistentia.

95 Ex assignato effectu formali primario, & positiuo subsistentiæ nascitur in communicabilitas, quam cuncti Theologi agnoscunt in supposito. Cum enim hoc sit completum in ratione talis naturæ, & prætereà sit terminatum intrinsecè in ratione substantiæ, affert eo ipso negationem communicationis ad suppositum aliud. Et cum suppositum inuoluat subsistentiam, afferet proinde essentialiter vt tale negationem communicationis siquidem terminus vt terminus formaliter est incapax vlterioris terminationis, & communicationis cum alio termino formaliter vt tali. Videsis Suarium lib. & cap. 1. de Trinitate n. 11. necnon Balthasarem Tellez, qui p. 3. Philosophiæ d. 57. sect. 2. eruditè agit de secundariis effectibus formalibus subsistentiæ; Prætereà Hieronymum Florauantium, qui lib. 2. de Trinitate titulo de personis in vniuersum, & in notatione 20. ad Theoriam breuiter æquè, ac doctè explicat eosdem effectus.

EXERCITATIO NONA.

De Empyrei natura prout hæc est principium motus & quietis.

EGI hucvsque de Empyrei natura, quatenus hæc sumitur pro partibus substantialibus constitutiuis compositi corporei: qua in significatione materia, & forma tantùm sunt Empyrei natura, cum illæ solæ sint partes eius. Alia in acceptione ampliori, nimirùm quatenus significat essentiam, entitatemque, seu conceptum formalem intrinsecum cuiusque rei, vnio, & subsistentia sunt ex parte naturæ compositi, & suppositi Empyrei. Superest modò agere de eius natura, prout habet ordinem ad operationes, easque intrinsecas, vt loquitur S. Thomas, vel quisquis est ille Author opusculi 30. de ente, & essentia cap. 1. & prout de ea tractat Aristoteles lib. 2. Physicorum cap. 1. & lib. 5.

& lib. 5. Metaphysicæ cap. 4. Alias naturæ acceptiones congerunt eruditè Conimbricenses lib. 2. Physicorum, cap. q. & art. 1. Tellez, & Bartholomæus Amicus; ille parte 2. Philosophiæ d. 24. sect. & num. 1. hic tract. 8. Physicorum quæst. 5. Ripalda d. & sect. 1. de ente supernaturali.

SECTIO PRIMA.

An compositum Empyreum sit naturale ens, & natura?

1 PRætermissis variis acceptionibus entis naturalis discendis ex Pereyra lib. 7. Philosoph. naturalis cap. 2. Amico supra q. 7. dub. 3. prælaudatisque aliis Authoribus, illud dicitur ens naturale, quod constat natura. Hæc autem quid sit, attentè examinare oportet. *neque enim quærere, neque dubitare licet absque anticipata notione*, seu definitione rei de qua agitur, vt ex Epicuri sententia admonet Sextus Empyricus lib. 1. aduersus Mathematicos cap. 7.

DIGRESSIO.

Explicatur naturæ definitio tradita ab Aristotele.

NImirùm *est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primò & per se, & non secundùm accidens.* Ita Aristoteles lib. 2. Physicorum cap. 1. textu 3. Per τò *principium* conuenit natura cum priuatione; per τò *Causa* differt ab illa. Causantur plures Philosophum, quòd sine necessitate addiderit in definitione *principium.* Immeritò tamen; quia congruenter voluit ille apponere vocem, in qua natura conueniret genericè cum priuatione, ac termino positiuò à quo licet verò per particulam *causa* coüeniat genericè cum illis, quæ natura non sunt, non tamen cum priuatione, neque cum termino positiuè à quo.

2 Ly *motus* denotat *Actum entis in potentia, prout in potentia.* Quæ motus definitio concinnata est ex illis verbis Aristotelis lib. 3. Physiorum cap. 2. tex. 15. *Motus est actus eius, quòd in potestate est, quatenus tale est.* Nomine *actus* intelligitur via & tendentia ad terminum, vel intelligitur cōmune quid viæ, & termino. Nomine *entis in potentia* intelligitur potentia actiua mouens, & passiua mota. Additur, *prout in potentia*, vt denotetur, motum esse actum imperfectum potentiæ; sicque actuare ipsam, vt per se ordinetur ad perfectum actum, seu ad terminum, à quo actuetur magis potentia, quin terminus exse inferat vlteriorem actuationem, licet indifferens ad eam sit, vt primus gradus caloris ad secundum vel si mauis, vt denotetur, potentiam passiuam motus debere præexritisse cum priuatione formæ, ad quam est motus. In hoc differt motus ab actione; hæc enim non connotat priuationem formæ, quam producit, secus ille. Et cum motus sit actus potentiæ actiuæ, & passiuæ, indistinctionem realem habet ab actione, & passione, secundùm id, quod importat in recto. Imo formaliter est idem cum illis, quia motus secundùm rectum est formaliter actus potentiæ actiuæ, & passiuæ; actus autem formalis potentiæ actiuæ, & passiuæ est idem formaliter, ac actio, & passio. Si non repugnet duplex entitas, quarum vna sit essentialiter determinata ad generandam aliam eodem semper modo, & hæc alia sit æquè alligata ad priorem tanquam ad subiectum, tunc prior foret actio generatiua, & posterior passio; proindeque distinguerentur realiter actio generatiua, & passio: idéque eueniret, si possibilis sit entitas affixa essentialiter alteri, vt sustentationis subiecto indifferenti ex se ad ipsam, vel ad eius carentiam; tunc enim affixa entitas esset passio distincta realiter ab actione generatiua, per quam produceretur. Et ex ordine ad præfatas actiones, ac passiones realiter diuersas peti posset distincto formalis, seu rationis ratiocinatæ inter eas, quæ modò dantur. Illud *Quietis* denotat non quietem negatiuam, seu carentiam vt cumque motus, neque quietem priuatiuam, seu carentiam termini, ad quem refertur innata inclinatione; sed quietem positiuam, quæ est persistentia in termino adquisito per motum. Quietem hanc experimur; dum intendimus amouere lapidem à centro, sentimus enim resistentiam. Et quidem cum natura debeat esse causa quietis, & nec quies negatiua, nec priuatiua causam positiuè influentem habere valeat; planè fit, non definiri naturam in ordine ad illas. Sicut motus connotat priuationem formæ præexistentem; ita quies possessionem formæ præexistentem vel per vnicum instans. Ob Id in primo instanti quo adquiritur terminus, non datur quies sub illo. Hinc deducitur, motum, & quietem positiuam opponi penes id, quod important in obliquo, videlicet penes priuationem & formam, non verò penes id, quod important in recto, videlicet penes entitatem actionis. Deducitur rursus, non posse eandem rem habere quietem in duobus terminis contrariis, ea ratione, qua nequit habere motum ad illos. Fonseca 5. Metaphysicæ q. 1. cap. & sect. 4. v. *Aduerte etiam*, Pereyra lib. 7. Philosophiæ cap. 10. Rubius lib. 2. Physicorum cap. & q. 1. v. *Proprium*, Murcia lib. 1. de cælo cap. 2. in dubiis circa litteram post antiquiores alios conantur, dictionem, *Et* intelligendam esse disiunctiuè ita vt sufficiat ad naturam esse causam, vel motus, vel quietis. Neque obstare debet, particulam *Et* esse coniunctiuam ex se. Cum in sacræ scripturæ etiam locis quandoque sumatur disiunctiuè, vt aduertere licet in Arriaga d. 6 Physicorum num. 3. conatus tamen illorum Authorum superuacaneus est, si quidem in præsenti agatur de motu, vt est productio termini, & de quiete, vt est conseruatio illius. Nulla autem est entitas non valens conseruare vel breui temporis spatio terminum, quem semel produxit, sed de particula *Et* redibit iterùm sermo in n. 12.

3 τò *Eius, inquo est* refertur non ad motum, & quietem, sed ad ipsam causam; significatque, motum, & quietem debere esse quid proprium illius totius, in quo est ipsa causa, & natura. Verba *Primò & per se*, indicant id, quod est natura, debere esse de primario, & essentiali conceptu illius, quod mouetur, & quiescit. Illa denique, *Et non secundùm accidens* admonent, naturam debere esse partem essentialem totius substantialis, & non accidentalis. Hæc adeo minutè pro explicanda definitione naturæ, *Non enim rectè virtutem definitionis explorat, qui non*

non omnia diligenter prolata sententia verba perpendit, vt inquit Cassianus collatione 14. cap. 16.

REGRESSIO.

Compositum Empyreum est naturale ens, & natura.

4 CVm ens naturale sit quod constat natura, rectè concludetur, Empyreum esse ens naturale, si probatum fuerit constare natura. Probo itaque sic. Empyreum constat materia, & forma; sed tam materia, quàm forma sunt natura. Ergo Empyreum constat natura. Materiam esse naturam, prouulgat Aristoteles lib. 2. Physicorum c. 1. textu 10 ac 12. c. etia m 2. textu 21. nec non lib. 5. Metaphysicæ cap 4. consulantur Franciscus Alfonsus d. 9. Physicorum sectio 2. à num. 22. Ouiedus controu. 4. Physicorum puncto & num. 2. qui à num. 3. optimè explicat Aristotelis testimonia antinoma. Fatentur id ipsum vnanimi consensu Phylosophi, exceptis P. Vazquez tomo 1. in 12. d. 25. num. 20 & 21. Vallesio in 11. controu. ad Tyrones. Nolano, Vicomercato, & Zanarella apud Bartholomæum Amicum tract. 8. Physicorum quæst. 10 dubio. art. & num. 1. Certè cum materia sit principium passiuum substantialis generationis, operationumque compositi, & actiuum suarum proprietatum, ac passionum, inutiè denegatur ei gradus, & fastigium naturæ. Nec iuuabit dicere, ens artificiale habere etiam principium passiuum motus; & tamen non esse naturam. Respondetur namque primò, ens artificiale vt tale superaddere enti naturali figuram, cui non competit definitio Aristotelica, vtpote accidentali respectu comoositi naturalis. Secundò, ens artificiale non habere principium effectiuum, neque passiuum motus, qui sit proprius entis artificialis. vt tale est. Et licet artificiosa dispositio conducat quandoque ad aliquam circunstantiam motus, non tamen necessaria est per se ad substantiam illius. Nec rursus iuuabit dicere, nullum motum fore violentum, cum omnis motus esset naturalis, quatenus esset à materia, vt à principio passiuo. Occurritur enim respondendo, vt motus sit violentus, satis esse si sit contra inclinationem formæ, quæ in composito est præcipua, & nobilior pars præterea motum violentum composito non esse naturalem materiæ, vt natura est, colligitur id ex interpretatione illarum dictionum, *Eius in quo est*, posita in n proximo. Violenti definitio, *Motus ab extrinseco, passo resistente*, intelligẽda est vel de præstantiori passi parte, quæ est forma, vel de toto passo, seu composito: sic Raynaudus in disciplina morali dist. 2. q. & art. 1. n. 14. aliique passim.

5 Formam substantialem materialem esse naturam, sola Scotica inficiatur Schola cum suo Magistro in 2 dist. 18. q. vnica. Et quidem nihil ei deest, vt competat apprimè definitio naturæ. Si opponas, formam no esse principium passiuum; nosse debuisses, sufficere ad rationem naturæ, si sit actiuum tantum; imò cum hoc principium sit perfectius, erit perfectior natura, quàm quæ sit principium tantùm passiuum. Præterquàm quòd plurium perfectionum, & proprietatum forma est principium passiuum, & actiuum. Si iterùm obiicias, formam esse causam effectiuam motus; causam autem effectiuam non esse per se intrinsecã illi, quod mouetur. Vti requiritur ad rationem naturæ. Scias, oportet, causam effectiuam motuum immanentium esse intrinsecam illi, quod mouetur. Quare forma, quatenus efficit immanẽter suas proprietates, & passiones dicetur, se mutare laxè, vel à se mutari & ratione formæ conueniet composito, quod mutetur. Adde, formam esse causam etiam passiuam prædictorum motuum.

6 Possem deducere, Empyreum constare natura, ex eo, quòd etiam constet vnione substantiali inter materiam, & formam, quæ vnio est natura ex Arriaga disp. 6. Physicorum num. 7. Quia esto non sit pars compositi, est nihilominus eius substantiale constitutiuum, ita vt ratione illius differat ens naturale ab artificiali; producitque, & recipit sui vbicationem. Verùm cum vox *natura* sumi consueuerit pro parte essentiali substantialis compositi, & pro substantia absoluta, ideo vnio numero naturarum non adscribitur frequenter. De subsistentia, ex qua similiter deriuari posset argumentum, dicam non nihil postea in n. 9.

7 Non solùm Empyreum est Ens naturale, prout constat naturis partialibus, sed etiam est natura, Contendunt id de omni composito substantiali Simplicius lib. 2. Physicorum textu 16. cum Porphyrio (quem citat) Fonseca 5. Metaphysicæ cap. 4. quæst. 1. sect. 3. Rubius lib. 2. Physicorum cap. & quæst. 1. v. *ad vltimum*. Murcia lib. 2. Physicorum d. 1. quæst. 2. Ouiedus controu. 4. Physicorum puncto 2. num. 8. Et probat hic ex Aristotele dicente textu 12. ex versione Argyropolis. *Id autem quod ex his est compositum, natura quidem non est, sed est & cõstat natura. Quibus verbis* innuere videtur, compositum non solum esse naturam, vti materia, & forma; sed simul esse naturam, & constare natura. Et in textu 1. dixerat, *Natura quidem sunt animalia, partesque ipsorum, & plantæ, & simplicia corpora, vt terra, ignis, aer, & aqua. Hæc enim & eiusmodi res natura esse dicimus.* Eadem fermè habet lib. 5. Metaphysicæ cap 4. textu. 5. *Quapropter & quæcumque natura sunt, aut fiunt iam existente ex quo apta nata sunt fieri, aut esse, non dicimus naturam habere, si non habent speciem, & formam. Ergo natura quidem, quod ex vtrisque est, & animalia, & eorum partes.* Non spero rursum præsidium ex his testimoniis. Nam ly *Est, & constat natura* in primo testimonio idem significat, ac esse ex natura & cõstare naturã, *Natura quidẽ sunt animalia* in secundo; & in tertio *Ergo natura quidem, quod ex vtrisque est, vt animalia* habent nomẽ *Natura* non incasu recti, sed obliqui; faciuntque hunc sensum, *Animalia sunt ex natura, seu constant natura.* Vnde potiùs aduersari videtur Aristoteles præcipuè in primo testimonio. Validior non est probatio hæc a ratione. Magis naturalis est motus in toto, quàm in parte existente in toto, Ergo totum, quod est principium motus in se ipso, erit potiùs natura, quàm materia, & forma existentes vt partes in toto. Infringitur enim negando Antecedens de motu comparato ad formam. Huic si motus sit naturalis, erit naturalis non magis, sed æquè respectu totius; Si verò sit naturalis tantùm per ordinem ad materiam, non erit magis naturalis respectu motus, quin imò erit violentus. Neque totum est principium motus in se ipso ratione sui, sed ratione partium. Eget nouo fulcimento probatio. Propterea aliis ego vtor. Prima, compositum substantiale est integrum, & adæquatum principium motus, & quietis in se ipso, quicquid enim materia, aut forma patiuntur, aut agunt dicitur ipsum compositum pati, aut agere. Ergo sicuti est in se compositum, licet id habeat ratione partium, ita erit in se natura integra, & cõpleta, licet habeat ratione partiũ pati, aut agere. Secunda; ex essentiis

materiæ

materiæ, & formæ coalescit quædam essentia completa,& adæquata. Ergo ex naturis partialibus earum coalescet vna integra & adæquata natura. Cōfirmatur,materia,& forma seorsim sumptæ sunt incompletæ, & partiales naturæ.Ergo ordinantur ad aliquam cōpletam, & totalem naturam constituēdam, scilicet ad compositum. Confirmatur deinde, quia compositum non distinguitur à partibus, quæ sunt natura;sed id,quod est indistinctum à natura non potest non esse natura. Ergo &c.

8 Inquies primò,Contrarium esse nobis Aristotelem aientem lib.2.Physicorum cap.1. textu 4. *Naturam autem habent, quæ tale obtinent principium, sunt que hæc omnia substantia,. siquidem subiectum quidam sunt, & in subiecto semper est natura.* Ergo cum compositum nec sit subiectum, neque insit subiecto; alienum erit à conceptu naturæ. Respondetur. Aristotelem loquutum ibi de natura incompleta; & compositum esse subiectum subsistentiæ, pluriumque operationum. Inquies secundò,compositum non esse naturam, sed ens naturale; quod solet definiri, *Ens completum constans naturâ.* Respondetur,compositum posse dupliciter considerari. Primò,quatenus constat naturis partialibus:secundò,quatenus est natura completa. Primo modo est ens naturale;secundo modo est natura. Neque mirandum est id, quod est ens naturale in vna consideratione esse naturam in alia. Etenim compositum respectu materiæ, ac formæ est ens naturale, & respectu subsistentiæ, seu suppositi est natura, vt non negant multi ex aduersariis. Aduertendum hic est, etsi compositum sit natura secundo illo modo, quatenus nimirùm est natura completa, tamen non esse naturā adæquatè distinctam à qualibet natura partiali. Quæ fuit mens Arist.dum in textu 17.dixit. *Id autem,quod ex his est compositum, natura quidem non est,* id est, non est natura distincta adæquatè siue à materia, siue à forma.

9 Inquies tertiò, totum non inesse primò, & per se alicui.Respondeo primò,totum substantiale esse in se ipso negatiuè,quatenus non est in alio subiecto: & sic interpretanda esse Aristotelis verba : *Eius in quo est primò,& per se* si referantur,ad naturam cōpletam.Secundò,totum substantiale esse in supposito.Quia tamen Aristot.non agnouit subsistentiā, ideo huius inter naturas non meminit. Re spectata independenter ab Arist. placito, si forma est natura,eo quòd sit causa motus,& quietis in toto, in quo est,cur cōpositum non erit etiam natura,cum sit causa motus,& quietis in supposito, in quo est primò,& per se?Inquies quartò, naturā debere esse principium primum,& immediatum motus,cōpositum autē non esse principium primum,& immediatum; cum ante illud dentur materia, & forma, quæ sunt principia.Respondetur primò, compositum esse principium primū, & immediatum in ratione principij cōpleti.Secundò,plurium operationum dependentiū à materia.& forma vnitis primū, & immediatū principium esse cōpositum. Inquies quintò,Angelum fore naturam cōpletam, non minus quam compositum substantiale corporeum, si ad conceptum naturæ non requiratur esse partem, aut constitutiuū essentiale eius,in quo est Respondeo,ita esse, loquendo Metaphysicè,non verò ex placito Aristotelis definientis naturam in ordine ad motum corporeum, vel pendentem aliquo modo à corpore Vt omittam,Aristotelem censuisse intelligentias esse expertes omnis motus interni localis,& intentionalis;putauit namque eas esse immobiles localiter;& intelligere, ac velle per intellectionem, ac volitionem indistinctas realiter à propria substantia; quod nos maiori luce illustrati tribuimus Deo soli. Vbi opportunè adnotandum est,Graues Theologos admittere in Deo rationem naturæ,non tantùm vt natura significat essentiam, & quidditatem,sed etiam vt significat principium coniunctum, ac intrinsecum operandi ad intra, sed depuratum ab imperfectionibus causæ, necnon motus stricti,atque sensibilis. Quo secundo sensu affirmant, Verbum diuinum procedere à Patre in similitudinem naturæ, non verò spiritum sanctum, licet vterque primo sensu procedat à Patre. Ita Zunniga Noster disp.2.de Trinitate,& cum ipso multi Moderni.Inquies denique,si compositum est natura,iudicandum idem fore de supposito. Fatetur, Sed Aristotelem latuit suppositum, & subsistentia,quę excludenda non est in rigore Metaphysico à choro naturarum partialium : congruit enim ipsi definitio naturæ.Neque obstat,ipsam esse complementum naturæ; nam forma est etiam complementum materiæ, & vtraque est natura. Neque item obstat, subsistentiam esse extra compositum, quandoquidem non sit pars constitutiua illius; nam saltem non est extra suppositum, quin potius huius est constitutiua per modum substantiæ absolutæ ex dictis in sect. 4. Exercit. anterioris. Et quamuis primò non insit composito, secus supposito; & quamuis etiam adueniat illi, vt constituto in esse naturæ completæ; non tamen huic,quod reddit formaliter tale.

SECTIO II.

Enodantur obiectiones aliquæ.

10 QVibus specialiter moueri quis posset,ne Empyreum numeret inter entia naturalia,& naturas. Sit prima ab authoritate Philosophi 8. Metaph.text.9.vbi ait, *Naturā enim solam profectò quis ponet eam,quæ in corruptibilibus est,substātiam.* Respondet Auersa q.11.sect.6.Arist.solùmodò narrasse posse à quopiam putari in solis substantiis corruptibilibus inueniri naturam,ipsum tamen non approbasse.Pereira lib.7.Philosophiæ cap. 10. sic interpretatur, *Si quis manifestam, & vulgatam rationem naturæ spectet, solùm existimabit naturam eam, quæ est mortalis.* Fonseca verò in explanatione textus illius vertit sic; *In iis enim,quæ gignuntur, & intereunt ea sola forma,quæ est natura, siue principium motus intrinsecum, substantia dicenda est.* Iuxta vltimam hanc interpretationem, quam genuinam censeo adducitur abs re Aristoteles, quis pluribus in locis disertè deprædicat cælum natura constās. Inprimis textu 12.lib.8. Metaphysicæ substantias sempiternas,id est cælestes vocat naturales.Deinde lib.1. de partibus Animalium cap.5.ait, *Substantia quæ naturâ constant, partim ingenita, immortalesque sæculis omnibus sunt, partim ortus participes, atque interitus.* Postremo lib.1. de Cælo,cap.2.text.3.infert. *Cælum moueri;omnia namque corpora naturalia, magnitudine suæ mobiles per se loco dicimus esse. Natura enim principium ipsis insitum esse motus asserimus.* Qui plura velit adeat Patres Pereyram lib. & c.7. Rubium lib.2. Physicorum cap.& quæst.1.à n.24. Bartholomæum Amicum tractat. 8. Physicorum q.11.dub.4. art.3.hic postremus agit de cælo vniuersim, & de Empyreo specialiter, qua solet mirabili copia & indefessa deligentia in reliquis Philosophicis.

11 Sit secunda,Empyreum est corpus completum simplex; sed corpus completum simplex neutiquam est natura,non enim primò,& per se inexistet

ſtet alicui. Ergo, &c. Nego maiorem, vt in ſect. 2. Exercit. 4. ſed & maiori permiſſa, nego minorem, nam quæ de compoſito dixi, valent etiam pro corpore completo ſimplici. Et notandum eſt, huius partes fore ſimiliter naturas, ſi heterogeneæ ſint; nam eo ipſo erunt eſſentiales aggregato reſultante ex ipſis; non verò, ſi homogeneæ ſint, nam eo ipſo erunt integrales, non ſecus ac partes materiæ ſunt integrales reſpectu ipſius materiæ. Replicabis ex Patre Rubio ſupra v. *quod verò*. ſaltem Empyreum habet materiam, & formam alterius conditionis à cæteris corporibus cæleſtibus, & ſubcæleſtibus. Ergo non eſt propriè ens naturale, ſed quaſi diuinum à materialitate, & motu abſtractum. Neglecto antecedente vim conſequentiæ non calleo. Nam diuerſitas materiæ, & formæ non adimeret conuenientiam in ratione entis naturalis, aut in natura; quemadmodum diuerſitas inter materiam, & formam corporis ſublunaris mutuo comparatas impedimento non eſt, ne conueniant ſiue vniuocè, ſiue analogicè in conceptu naturæ. Ab exiſtimatione Rubij longè fuit Fonſeca, qui lib. 5. Metaphyſ. c. 4. q. 2. ſect. 7. v. *licet quoque* reputat, excluſum iri abſurdè Empyreũ à conſideratione Phyſica, ſi non eſſet ens naturale: quiq; v. ſequenti deducit vt conueniens ex propoſitione entis naturalis ad ſolum motum, non fore Empyreum rem naturalem. Fonſecæ comitem ſe adiunxit Bartholom. Amicus prælaudatus. Non me præterit, Empyreum vocari ab aliquibus recenſendis in introductione ad Exercit. 11. *Ens diuinum*, non quia velint, non eſſe ens naturale, neque conſtare naturâ ſed quia eſt corpus expers motus localis.

12 Sit tertia; In Empyreo non datur principium motus, cum illud ſit immobile; Ergo non datur natura. Reſponderi ſolet, in Empyreo reperiri (vt & in terra) principium quietis; idq; ſatis eſſe ad rationem naturæ; quæ non exigit eſſe principium motus, & quietis ſimul, ſeu copulatiuè; ſed vel motus, vel quietis, ſeu diſiunctiuè. Contra tamen primò, quia Ariſtoteles nullibi meminit naturæ, quin de ea, vt principio motus loquatur; & raro de ea fatur, vt principio quietis. Librum tertium Phyſicorum ſic exorditur, *Cum autem quidem ipſa natura motus, mutationiſnè principium ſit, & noſtra doctrina ſit de natura non lateat nos oportet, quidnã ſit motus. Nam ſi ignoretur ipſe, naturã etiam ignorari neceſſe eſt*. lib. 1. de cælo c. 2. text. 5. tradit, naturam eſſe propenſam in motũ. Contra ſecundò, quia ſuperſedendum eſt ab ea interpretatione definitionis Ariſtotelicæ, vt ratio aſſignata in n. 2. conuincit. Ob quæ duo non ſunt audiendi, qui particulam. *Et* ſic interpretãtur, vt natura, etſi in aliquibus, in quibus inuenitur, ſit ſimul principiũ motus, & quietis, non tamẽ in omnibus. Multóq; minus ſunt abſolutè audiendi, qui eo pacto explicant, vt natura in omnibus debeat eſſe principium motus, licet in aliquibus ſit principium quietis, & in aliquibus non. Nam hi vt proſpiciant naturæ cæli ſyderei officiunt naturis cæli Empyrei, & terræ.

13 Ideo reſpondeo primò, Empyreum gaudere productione & cõſeruatione plurium terminorũ intra ſe, proindeq; principio motus, quietiſque, ſumpto motu latè pro quauis operatione reali immanẽte, & ſumpta ſtrictè quiete pro perſiſtẽtia in termino acquiſito per motũ. E contra cælum ſydereum, ſi moueretur ab intrinſeco localiter haberet principium motus ſtricti, qualis eſt localis; ſimulq; habet principiũ quietis laxe, qualis eſt adquiſitio termini per motũ, ſiue ab extrinſeco, ſiue ab intrinſeco, eũq; localẽ, quamuis non abſq; ſucceſſione alterius motus. Sed quia cælum ſydereũ moueri localiter ab extrinſeco, lõgè probabilius eſt, ratio principij motus in ipſo reuocanda eſt ad productionẽ intrinſecam ſuarũ proprietatum, quæ latè eſt motus. Reſpõdeo ſecundò, Empyreũ propria virtute naturali remeaturũ in ſuum centrũ, ſi ab eo dimoueretur. Vt autem Empyreũ conſtet naturâ, ſatis eſt, cõponi e forma, quæ poſſit eſſe principium actiuũ naturale motus localis; quippe verba in definitionibus non dicunt actum, ſed aptitudinẽ. Suppono aliunde Empyreũ relictũ in ſuo connaturali ſtatu eſſe principiũ quietis. Hæc eadem doctrina accommodari poteſt cælo ſydereo, maximè ſi moueatur ab extrinſeco; nã deficiente impulſu motoris extrinſeci quieſceret naturaliter, & extractum è ſuo centro moueretur propria virtute ad illud. Reſpondeo tertiò, Empyreum poſſe moueri à Deo intra propriũ centrum, vti modo mouẽtur ab intelligentiis aſtra; qui motus non foret violentus Empyreo, cum non eſſet cõtra eius exigentiã, & inclinationẽ: neq; foret naturalis abſolutè, cũ non oriretur à principio interno actiuo: foret tamen aliquatenus naturalis per ordinem ad principiũ paſſiuum. Qua ratione S. Th 2. Phyſic. ſuper text. 2 & 1. p. q. 70 art. 3. ad 4. necnon 3. cõtra Gentes c. 23. vult, Aſtrorũ motum eſſe naturalem. Dices, non magis fore naturalem motũ Empyrei ex parte principij paſſiui, quàm motum lapidis ſurſum. Sed malè, quia motus Empyrei non eſſet contra propenſionem, & appetitum formæ Empyreæ; aſt motus lapidis ſurſum, aut quies in aere eſt contra exigentiam formæ lapideæ. Maneat itaq; vt probabile, ſufficere ad rationẽ naturæ, quòd ſit principium paſſiuũ motus, non oppoſiti cũ inclinatione cõpoſiti, cui inexiſtit primò, ac per ſe tale principium. Si cælum ſydereũ moueatur ab extrinſeco, quies ipſius, deficiẽte impulſu motoris extrinſeci, eſſet naturalis reſpectu principiij, tam actiui quàm paſſiui, vel ſaltẽ reſpectu ſolius ſecũdi huius principij, neq; enim quies opponeretur propẽſioni formæ ſydereæ; vt neq; nunc opponitur motus, quem habet ab extrinſeco cauſarũ, & intrinſecè receptũ. Loquor de cælo ſydereo ſecũdùm ſe. Nam ſi conſideretur in ordine ad inferiora corpora vniuerſi, & ad ſtatũ generationum, ac corruptionum in mundo ſublunari, neutiquã eſſe naturalis quies eius cæli, quãdiu præfatus ſtatus perſeueraret, ſed ſolus motus eſſet naturalis Hinc eneruantur, quæ aduerſus hanc reſponſionem traditam à Connimbr. opponit Tellez p. 2. Philoſoph. d. 24. ſect. 1. n. 5. & 14. Diſcors ni fallor à ſe ipſo in d. 40. ſect. 3. vbi cõfirmat Conimbricenſium doctrinam. Reſpõdeo quartò, partem ſaltem mediã Empyrei agitari motu acceſſus, & receſſus, fluxus, & refluxus, ſiquidẽ ea eſt fluida, & permeabilis, vt oſtendam in ſect. 1. exerc. 14. Is autem motus correſpõdebit principio paſſiuo tam materiæ, quàm formæ Empyreæ, quin ſit contra alterutrius inclinationem. Secunda, & tertia reſponſio illuſtrabitur pleniùs in ſect. 3. exerc. 11. Etiam patet multiplex via ad occurrendum obiectioni, quæ ex quiete extra deſumi poſſet contra definitionem naturæ. Sed iſtud erga terrã officium, ne obquierem eiiciatur è naturarum cenſu, tibi, ſeruata proportione, proſequendum relinquo; nam me ſolummodò delectat.

——Super æthereas errare licentius auras
——————iuuat ire per alta
Aſtra iuuat terris, & inerti ſede relicta
Nube vehi, validiſq; humeris inſiſtere Atlantis.

Et cogitantes ſupera, atque cæleſtia; hæc noſtra, vt exigua, & minima contemnimus, vt inquiam Cicero 4. Acad. quæſtionum.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE TRIBVS INSIGNIORIBVS PROPRIETATIBVS EMPYREI CÆLI.

VIDELICET *de luce, immobilitate, & incorruptibilitate; cum enim ordine dignitatis, & notionis ſint primæ, recta methodus petit, vt comperta iam exiſtentia, & eſſentia Empyrei, exploremus illas diligenter. Theologi, præſertim antiqui, inter proprietates Empyrei recenſent vniformitatem. Sed de hac vix occurrit nobis ſpeciale aliquid dicendum, niſi quod oblata occaſione attingemus in Exercit.* 16.

EXERCITATIO DECIMA.

De Luce Empyrei.

MENTIS oculis irradiat ante alias proprietates, vtpote quæ nomen compararit Empyreo, de quo verius dicere poſſumus id, quod de Iuſtini Imperatoris ſecretiori cubiculo Corippus in lib. 1.

Eſt Domus interior, tectorum in parte ſuperna
Luce ſua radians, & aperto libera Cælo
Conſpicuo vitrei ſplendens fulgore metalli
Dicere, ſi fas eſt, rutili non indiga ſolis.

SECTIO PRIMA.

An Empyreum ſit lucidum?

1 NVLLVS eſt, qui neget, quin potiùs affimant expreſsè perplures Patres Eccleſiæ ſparſim dati in ſect. 3. exercit. 2. Adſtipulantur cuncti Theologi, quos non ſine temporis diſpendio in calculum redigerem. Et quidem ciuitatem cæleſtem exornari luce non mutuata à ſole, prouulgat ſemel, & iterùm Ioannes in Apocalypſi. Etenim cap. 21. v. 23. ait, *Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus.* Rurſus cap. 22. v. 5. *Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* Similia prædixerat Propheta Euangelicus cap. 60. v. 20. *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Vbi obſeruatione dignum eſt, Ethnicos etiam in ſuis campis Elyſiis poſuiſſe alium ſolem, aliaque ſydera, Poetarum Princeps Virgilius lib. 6. Æneidos ſic narrat de Sybilla, & Ænea,

Deuenere locos latos, & amœna vireta

Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo, solemque suum, sua sydera norunt.

Imitatur Claudianus lib. 2. de raptu Proserpinæ,

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sydera sunt orbes alij, lumenque videbis
Purius, elysiosque magis mirabere campos.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonauticon

—— donec sylvas, & amena piorum
Deueniunt, camposq; vbi Sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thyasique, chorique virorum,
Carminaque ——————

2 Pro luce Empyrei potest non incongruè adiungi locus ille Tobiæ cap.& v. 13. alloquentis cælestem Hierusalem potius, quàm mundialem, *luce splendida fulgebis.* S. Basilius homilia 2. in. Exameron adducit duo alia testimonia, primum ex Salomone, dicente prouerbiorum 4. v. 18. *lux iustis semper est præsens.* aut vt in nostro vulgato interprete: *Iustorum semita quasi lux splondens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Secundum ex Paulo ad Colos. 1. v. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Noster Celada in Benedictione 1. de Adamo, & Eua Genesis 1. v. 2. n 15. accipit aduersatiuè τὸ *Autem* in primoribus verbis Geneseos. *In principio creauit Deus cælum, & terram; terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* quasi sensus sit; etsi terra vacua erat in cælis, & abyssus tenebris deformata; tamen cælum Empyreum habitabatur ab Angelis, eratque luce conspicuum. Arrisit hic sensus venerabili Bedæ in Exameron, vbi inquit: *Meritò cælum cæli non inane, & vacuum factum esse memerat, sed neque tenebris in eo, vel abysso locus remanere vllus perhibetur, quod Dominus Deus illuminat, & cuius lucerna est agnus.* Hactenus Beda, qui paulò antea scripserat alia germana, transcripta à nobis n. 52. Exercit. 2.

3 Eiusdem Exercitationis n. 90. proposui rationes aliquas non omnino spernendas pro luce Empyrei. Plus tamen momenti apud me habet ista: *locus improborum* pœnis addictus in imis terræ visceribus tenebrosus, est, & obscurus adeò vt ignis ibi inclusus vel nihil, vel parùm luceat, vti perdoctè tractant Suarez lib. 8. de Angelis cap. 12. n. 32. Barradas tom. 3. in Euangelia lib. 10. cap. 4. Granadus parte. 3. controu. 3. de Nouissimis tract. 10. d. 4. Bonacina 3. p. disp. 3. q. 5. puncto. 4. propositione vnica n. 4. Ergo locus in suprema orbis parte deputatus præmiandis probis erit ex aduerso lucidus, & luminosus. Dorotheus. Abbas de vita piè & rectè instituenda, doctrinâ 12. adeo certus fuit de luce locorum, in quibus degent sancti, vt hinc efformarit argumentum ad tenebras locorum, quæ incolentur à damnatis, *vt sancti (ita ille) capiunt loca præclara, & lucida, Angelorumque delectationem, bonitati eorum congruam, sic peccatores habent loca obscura, & tenebrosa, horrore, & ecstasi plena.* Clerus Romanus epistola 31. ad S Cyprianum luci Empyreæ contraponit Tartareas tenebras: *Parauit cælum, sed parauit & Tartarum ::: Parauit inaccessibilem lucem, sed parauit etiam perpetuæ noctis vastã æternamq; caliginem liceat,* adiicere gentilẽ Appollonium Tyaneum, qui apud Stobæum serm. 118. att. *Animas ad opacũ locum deducit (mors) vbi Iudices, ac veraces Dij de iustis, iniustisque sententiam ferentes sedent & singulas in illorum, qui priùs aduenerant, referunt numerum. Tum animæ, quæ à Iudiciis absoluuntur, viã eriam nactæ ad campos Elysios, & voluptates illic vigentes mittuntur, & fiunt amicæ, & sociæ Dæmonum. Heroumque, quorum olim famam solùm admirabantur, & Imperatoribus, ac Regibus semper adhærent: Malas vero, & improbas infelix mutatio suscipit nec ampliùs luce fruuntur.* concinit Plato in Phædone, & in Axiocho.

4 Argentinensis in 2. dist. 2. q. 2. art. 1. subministrat aliam rationem, quia nimirùm nobilissimo corpori inter non viuentia, quale est Empyreum, debet tribui nobilissima qualitas inter omnes corporeas non vitales, qualis est lux. Et sanè decebat Dei Optimi, & Maximi Regiam theatrum pulchritudinis, Beatorum sedẽ mirabili splendore coruscare. Ecquis somniet cælestem patriam atra caligine circumfusam, & tristes sine sole domus supernas? Ecquis fingat Augustius, ac sanctius, in toto orbe domicilium, & palatium tenebris obsitum? *Qui ædificium aliquod dignum Patrisfamilias struere desiderat, antequàm fundamenta imponat, vnde lucem ei infundat, explorat, & ea est prima gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret in cultu. Lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.* Hæc cum ita sint iuxta S. Ambrosium lib. 1. in Exameron cap. 9. Incredibile prorsus est, lucis ornatum defuturum dignissimo huic habitaculo Dei, Angelorum, & hominum. S. Ephrem lib. de Resurrectione mortuorũ ait: *Si quæcumq; præstò nobis fuerint aurum, argentum, & vestimentum, serui, & ancillæ, pecorum, & boum armenta equorum, & camelorum greges, non oriatur autem Sol, pro nihilo putabuntur.* Si ergo pretiosa quæque subcælestia vilescunt, deficiente luce, verendum esset, ne eâdem absente, pro nihilo haberentur Empyrea. Absit itaque vt Beati existant clausi tenebris, & carcere cæco, filiique lucis (quod nomen tribuitur iustis Lucæ 16. v. 8. ad Ephes. 5. v. 8. ad Thessalon. 1 c. ac v. 5.) atra, atque perpetua obuoluantur caligine in sedibus cælestis patriæ.

5 Hinc Ecclesia in Canone Missæ Empyreum vocat *locum lucis*, vt interpretatur Gabriel Biel sect. 56. & in Missis pro defunctis appellat *regionem lucis.* S. Dionysius Areopagita cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia §. 4. similiter loquitur. S. Bernardus l. 5. de consideratione ad Eugenium Beatorum *mansiones lucidas* dicit. Et quotquot Empyrei cæli descriptionem fecere plenissimam lucem, qua emicat, cum primis commendarunt. S. Cæcilia, vt in eius actis refertur, sic alloquitur apparitores dẽminantes, quòd in iuuentutis vernante flore ad mortem alacris properaret. *Hoc non est iuuentutem perdere, sed mutare. Hoc est dare lutum, & accipere aurum, dare habitaculum vile, & paruum, & accipere palatium amplissimum ex lapidibus pretiosis, & auro constructum, dare angulum breuem, & obscurum, & accipere forum lucidum, margaritis cælestibus coruscans, dare rem perituram, & accipere rem, quæ finem nescit, & mortem ignorat; dare lapidem vilem, qui pedibus conculcatur, & accipere lapidem pretiosum, qui in diademate Regio vibranti resplendet aspectu.* S. Vigilantius in vita S. Astionis Martyris aliquantò elegantius ait, *Regio robustorum seu fortium virorum est ::::. Plures ibi & valdè nobiles degunt, quorum possessio paradisus dicitur; quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, & conuersatio immortalis existit, quorum vestes sanguine sunt conspersæ, & in capite corona ex auro purissimo cum gemmis variis fabricata. Rex eorum potentissimus cuius nomen*

Deus

Deus Deorum, & Dominus Dominantium, cuius nuntij Angeli dicuntur iustitia, quorum vestis vna est omnibus, & tactus eorum igni assimilatur vrenti. Senatus huius Imperatoris valdè clarus habetur, Media pars Propheta nuncupantur, alij verò Apostoli pronuntiantur. Ciuitas valdè praclara, nomenque eius Christipolis; cuius murus ex auro purissimo habens portas duodecim, & in ipsis singula dependent margarita, atque singuli ex Senatoribus per singulas sedent. Prima porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andrea, quarta Ioannis, quinta Iacobi, sexta Philippi, septima Bartholomai, octaua Thoma, nona Matthai, decima Thadei, vndecima Simonis, duodecima Matthia. Sed & templum mirificum est in ea habens Sancta sanctorum, & altare aureum, ante cuius conspectum vir quidam adstat mirificus, tenens decem chordarum psalterium, ac iugiter ibidem degentes ad laudem Regis illius cohortatur dicens laudate Dominum de calis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Huius itaque nomen Dauid, filius Iesse pronunciatur. Sed & platea huius ciuitatis ex auro purissimo sunt strata, cuius flumius vitam aternam emanat, cuius pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, & folia eorum ad medicamentum procedunt animarum; cuius lumen inenarrabile est, & porta nunquam clauduntur, eo quòd nunquam ibi nox erit, nec vlla tenebra, sed semper gaudium, & perpetua latitia ibidem commoratur. Extat cumulatissima hæc descriptio in vitis Patrum piissimi Heriberti Rosueidi; plura ex ea exaraui, quam scopus in præsentiarum propositus exigebat, sed parcet facile lector ea non secus, ac ego, oblectatus.

6 Breuius ad rem S. Gregorius Magnus in fine septimi Psalmi pænitentialis. *Ibi sancti sine fine laudabunt Deum, & in lumine claritatis eius exultabunt, ciues effecti illius ciuitatis, qua libera est, & aterna in calis. Quam non obscurant tenebra, non obumbrat nox, non consummat vetustas, non in ea rutilat lumen solis, aut luna splendor, aut stellarum iubar; non ibi lucerna quaritur, non lampas accenditur, non lychnus aptatur, claritas quippe diuina eam illuminat, sol clarificat iustitia, lux vera illustrat, lux, inquam, inaccessibilis, qua non clauditur loco, non finitur tempore, non obumbratur tenebris, non variatur nocte ::: Ibi est lux sine defectu, &c.* S. Cyprianus epistola 77. ad Nemesianum, & alios. *Expectatis quotidie lati profectionis vestra salutarem diem, & iam iamque de saculo recessuri ad Martyrum munera, & domicilia diuina properatis; post has mundi tenebras visuri candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionibus omnibus, & conflictationibus claritatem.* Amedeus Lausanensis homilia 8. de laudibus B. Virginis. *Ascendit* (Christus) *ad Patrem, parare famulis suis locum, vt eos in amenissima, cali regione lucidissimis paradisi mansionibus inter vernantes ignitos lapides collocaret.* Cassiodorus lib. de Anima cap. 19. *Erit illic etiam dies continua, & serenitas aterna sol ibi quippe nulla nube fuscatur; sed omnia de authoris gratia plus fulgebunt.* Antiochus Monachus homilia 126. *Macriori vtamur studio, & in id toti incumbamus, vt aliquando detur apprehendere sublimem illam arcem, imò ciuitatum omnium matrem nostram sublimem illam Hierusalem; qua sanè omnium nostrum mater est, ac regio felicissimè viuentium; in qua lux suos quaquauersum euibrat, & eiaculatur radios, inextinguibilis fax refulget.* Tatianus orationis contra Græcos, *Haud enim infinitus, est mundus, sed finitus, & terminus circumscriptus. Est autem supra eum aliud auum prestantius, cui nulla partium accidit mutatio, ex qua varij morbi nascuntur, sed iucundissima temperie praditum diem extendit perpetuum, & luce terrenis hominibus inaccessa resplendet.* Est & hoc testimonium in signe pro existentia Empyrei. S. Agnes inter cælites iam degens, *lucidas* vocat Empyrei sedes, vt refert S. Ambrosius serm. 90. Apud Corippum Poëtam Christianum lib. 3. Iustinus Imperator affatur sic auunculum præmortuum Iustinianum,

> *Nos flemus tristes, mentisque ardore dolemus,*
> *Tu, pater, Angelicas inter sanctissime, turmas*
> *Latus abis, positoque Deum iam corpore cernis,*
> *Et frueris meliore die sub lumine solis,*
> *Nox cui nulla subit salue, pater inclyte, salue,*
> *Æternum, pater alme, vale* ——————

7 Concinunt Christianis Gentiles. Augustinus Steuchus lib. 3. de perenni Philosophia cap. 15. vertit in latinum ex Græco sequens Apollinis oraculum. *Est supra calesti vastitate desuper fulgor, motus, immensum auum. Est autem inter Beatos inastimabilis, incomprehensibilis, nisi seipsum, consilia, consiliet Pater magnus, vt videatur. Hic neque ather fert sydera micantia, nec luna obscura lucis attollitur. Non Deus occurrit per semitã, neq; ego ipse radiis continens, amplectẽs spargor per athera volutus. Sed est flamma Dei immensa profunditas, repens voluitur rapide cum strepitu: Non tamen qui illum tetigit ignem atherium, timidus cor, non enim babet ardorem, sed placida combustione saculum saculi miscetur ex Deo ipso. Per se genitus indocibilis, sine matre inconcussus, cuius nomen sermone non capitur. In igni habitans. Hoc Deus, exigua vero pars Dei nos Angeli.* Idem Steuchus affert illa Homeri carmina latinitati donata,

> *Venit olympum, vbi sedes diuum dicitur esse*
> *Immota, hac haud vento quatitur, nec spargitur imbre.*
> *Non nix decidit, ast splendor purissimus albet,*
> *Et sine nube niter campos hic occupat omnes.*

Ex Homero Lucretius lib. 3. de rerum natura hos suos expressit versus,

> *Apparet diuûm numen, sedesque beata,*
> *Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis*
> *Aspergunt, neque nix acri concreta pruina*
> *Cana cadens violat, semperque innubilus ather*
> *Integit; & large diffuso lumine ridet.*

Affundo lucem ab epitheto *clari*, quod Maro lib. 4. Æneidos tribuit olympo.

> *Ipse Deûm tibi me claro demittit Olympo.*
> *Regnator.* ——————

Et Valerius Flaccus lib. 1. Argonauticôn Olympum insignit nomine *flammiferi*; non nisi quia putabatur esse Iouis domicilium. Imò Oylmpus sic dictus, quia totus splẽdidus, totus lucens, vt notat Seruius. Ideoque Homerus lib. 13. Iliados versu vltimo vocat Olympum *Iouis splendores.* Si ergo cælum Empyreũ Dei est præcipuum habitaculum; merito asseritur à Christianis lumine conspicuum; apud Deum enim non sunt *vlla tenebra*, vt inquit S. Ioannes in epistola & c. 1. v. 5. *sed* potiùs *splendor in circuitu eius* est, teste Ezechiele cap. 1. v. 4. &

lucem habitat inaccessibilem, docente Paulo 1.ad Thomotheum c.6.v.16.vbi Theodoretus. *Si autem ad lucem, quæ est circa ipsum accedi non potest; quomodo potest ipse videri*, à mortalibus scilicet in hac vita Psaltes etiam sacer psalmo 101.v.2. Meditabatur Deum, *amictum lumine sicut vestimento*, quem de Empyrei luce intelligi posse animaduertunt. Incognitus, Genebrardus, & Lorinus. Elysiorum, in quibus Beatorum hominum sedes secundùm Ethnicos; lucem deprædicant ipsi, vt Plato in Phædone, Lucianus lib.2. verarum historiarum, aliique Philosophi collecti à Theophylo Raynaudo in Theologia naturali dist.7. q.4.art.5 Eumenius in Panegyrico ad Constantinum Augustum sic de eius patre Castantio Chloro fatur: *Cuius etiam suprema illa expeditio non Britannica trophæa (vt vulgo certum est) expetiuit, sed Diis iam vocantibus ad intimum, terrarum limen accessit. Neque enim ille tot, tantisque rebus gestis, non dico Calcedonum, aliorumque Pictorum syluas, & paludes, sed nec Hiberniam proximam nec Thulen vltimam; nec ipsas (si quæ sunt) Fortunatorum insulas dignatur adquirere sed (quod eloqui nemo voluit) iturus ad Deos, genitorem illum Deorum, ignea cæli astra refouentem, prospexit oceanum, vt futurus exinde luce perpetua iam videret illic diem penè continuum. Verè enim profectò illum superū templa petiuerunt, receptusque est consessu cæli, Ioue ipso dexteram porrigente.* Nota illud, *vt futurus* (vel vt alij legunt *fruiturus*) *exinde luce perpetua:* quam in Iouis statione & domicilio confingebant Ethnici, vt dudum dixi, & rursus illustro verbis Claudij Mamertini in Genethliaco Maximiani Imperatoris. *Itaque illud, quod de Ioue vestro cecinit Poeta Romanus, plena Iouis omnia esse, scilicet animo contemplatus, quanquam ipse Iupiter summum cæli verticem teneat supra nubila, supraque ventos sedens in luce perpetua, Numen tamen eius, ac mentem toto infusam esse mundo, id nunc ego de vtroque vestrum audeo prædicare* &c. Omitto plura ex prophana litteratura, vt apponam sybillina illa carmina lib.2.

Ast alios, qui ius æquum coluere, bonumque,
Et quibus & pietas, & mens fuit optima cordi,
Sublatos Genij rapidum per fluminis æstum
Ducens in lucem, & secura munera vitæ.

Eaque alia Rufi Festi Auieni vatis Hispani in descriptione orbis terrarum,

Hæc sunt dona piis, sic illos Iupiter imis
Exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.

SECTIO II.

An lux Empyrea producta sit simul cum ipso cælo?

8 S. Bruno lib. de nouo mundo c.2. Guillelmus Parisiensis in primæ partis de vniuerso parte 1.c. 40. & 41. Alexander Alensis 2.p.sūmæ Theologiæ quæst.45. menbro 2. ad 2. Michael Palatius in 2. d.13.v. *Iam verò* aiunt, tunc Empyreum luce decoratum, cum imperatum est à, *Deo Fiat lux*; proindeque tenebras, de quibus sacer textus, occupasse etiam Empyrei vastitatem. Transcribo solius Palatij verba, *Arbitror autem sub censura meliore, in primo die cælum hoc* (Empyreum) *vastasque elementorum moles factas à Deo esse, sub tenebris tamen, quas alioqui ipso eodem die luce visibili illustrauit. At verò calestes alij globi omnes, siue planetarij orbes, vel astrarus orbis cum primo mobili conditi sunt à Deo in quarto die.*

9 Refragatur exertè S. Basilius homilia 2.in Exameron, & Patres, qui cum eo affirmant, exortas esse tenebras ex opacitate supremi orbis mobilis secludentis fulgorem Empyrei. Hi autem sunt S. Clemens Romanus S. Gregorius Nyssenus, S. Ambrosius, Iunilius, Nicetas, Diodorus, Theodoretus, Sinaita apud Martinengum in Glossa magna litterali à pagin.350.vsque 352. Addo S. Cæsarium Dialogo. 1. Gregorium Cedrenum initio compendij historiarum. Præterea Rupertus lib.1. de Victoria verbi Dei cap.25. Discordat non obscurè, dum scribit, *Sciendum, tres esse cælos authoritate scripturarum. Primum, & summum, quod à principio creauit Deus, quod est inuisibilis patria beatorum spirituum. Infimum verò aerem istum, qui cælum dici consueuit; vnde volucres cæli. Medium autem firmamentum, quod die secundo Deus fecit, cælumque appellauit. Hoc cælum medium nondum erat factum, quando Diabolus cecidit, sed erat factum cælum illud inuisibile, quæ habitatio est sanctorum, Angelorum, semper lucens illis ex Dei visione. Et hoc infimum cælum, scilicet aer, nihil habebat saltem corporeæ lucis; sed tenebræ, inquit scriptura, erant super faciem abyssi.* Dissentiunt etiam tacitè reliqui Patres omnes enim supponunt, lucem, cuius productio refertur à Moyse, aliam non fuisse à solare vel si distincta à solari, eius tamen gessisse vices vsque ad quartam diem; solari autem luce non emicar Empyreum, lumen habens sine sole suum. Colligiturque id ex locis Isaiæ, atque Apocalipseos expensis n.1.& docet S. Bonauentura in 2. dist.2.q.1. art.3.in corpore, vbi inquit, solem non diffundere lucem in Empyreum, quia huius lux absorbet illam, & quia Empyreum est extra terminum constitutum solari luci. Franciscus Vallesius cap.1. de sacra Phylosophia adstipulatur Seraphico Doctori hisce verbis. *Sol non illustrat totum hunc orbem, sed eam solùm partem, quæ motui subiecta est. Nam quandoquidem in quarto orbe situs est, substantque illi tres tantum, superstant verò plures, si quidem Planetarum alij tres, insuperque stellatus, & nona sphæra atque qui his superstant, tantò sunt crassiores, quantò sublimiores, constat, solis splendorem non posse sedem Beatorum attingere, aut adeò languidum, vt illa futura esset obscura. Constat verò eam non posse esse lumine vacuam, quia cum corpus luminis receptiuum sit, esset in tenebris, si lumine careret. Quid verò magis absurdum, quàm putare Beatorum sedem tenebrosam esse, aut omnino parum lucidam, idque lumine ab imperfectiori mundi parte vendicato?* Hactenus Vallesius, Legantur Albertus in 2.dist.2. art.5. in fine Ambrosius Spiera in floribus sapientiæ serm.41.parte 2.conclus.2.& ex Modernis Auersa quæst.35. Philosophiæ sect.1.

10 Ægidius Romanus 1.p. Exameron cap.10. tradit, Empyreum creatum esse lucidum. Eadem est sententia recentium omnium Theologorum, vt ex sectione sequenti constabit. Interim satis sit citasse Pereyram lib.1.in Genesim.n. 47.. Augustinum, Torniellum in primordiis mundi pag.21. Duuallium. tract. de quatuor Nouissimis q.6. art. 2. v. *quæ res*. Restam lib.1. Meteorologiæ tract.5.

tract.5.cap.6.v.Plures. Tenam in cap.1.epistolæ ad Hæbreos difficultate 3.sect.2.n.12. Antonium Zaram in Anatomia Ingeniorum sect.4. memb.12. pag. 531. Probatur primò, quia tenebræ expulsæ productione lucis, non fuerunt nisi super faciem abyssi, vt narrat Moyses; *Abyssi* autem nomine non comprehenditur Empyreum, sed aquarum congeries. Secundò, quia nisi præcæssisset Empyreum luce præditum, carentia huius in aquis, non propriè vocaretur *tenebræ*. Conuenientius autem est dicere, veras fuisse tenebras, ortasque ex velo Empyrei, vt notat Petrus Hurtadus d.3.de cælo sect.2.§.27. Probatur tertiò, quia sic verum est Deum non inchoasse opus suum à tenebris, vt S.Basilius, & alij Patres respondebant Manichæis. Quartò, quia *cum spectetur in futura remuneratione duplex gloria, scilicet spiritualis, & corporalis, non solum in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto mundo innouando; inchoataque sit spiritualis gloria ab ipso mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas sanctis promittitur, inde conueniens fuit, vt etiam à principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit absque seruitute corruptionis, & mutabilitatis, & totaliter lucidum, sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futuram.* Ita S.Thomas 1.p. q. 66.art.3. in corpore. Si tamen aliquis infirmare conetur congruentiam adductam à S.Doctore, quia neque Angeli creati sint in gloria spirituali visionis beatæ, Sciat is hanc, & similes congruentias non adeo rigidâ lance librandas. Quintò, quia cum Empyreum sit naturâ sua, & ab intrinseco lucidum, vt inter alios tradit Paulus Schaliger. lib. 2.de rerum causis, & successibus cap.26. impediisset Deus emanationem lucis non sine miraculo, quod gratis excogitatur. Et si verò in Genesi post productionem cæli, & terræ narretur productio lucis, sermo est de luce mundi a nobis aspectabilis.

SECTIO III.

Cur Empyrei lux non illuminauerit abyssum in mundi natalitiis? & cur à terricolis nunc non videatur?

11 Disquisitionem vtramque coniungo, quia vtrique vnica ratione satisfaciam.

Occurritur vni, & alteri Dubitationi.

Molina d. 3. de opere sex dierum v. *ad tertium*, Connimbricenses lib.2. de cælo cap. 5. q. 1.art.2. Thireus lib. de iudiciaria Christi apparitione cap. 26.n.117. Becanus 1.p. tract.4.cap.2. n. 9. Petrus Hurtadus disp.2. de cælo sect.5. §. 63. disp. 3. sect. 2.§.24.& 27. Franciscum Alfonsus d. de cælo sect. 10.n.125. Ouiedus contro. de cælo puncto 4. num. 1. Bonfrerius, Gordonus in cap.1.Genesis. Martinengus in Glossa magna par 249. & 353. Auersa in Philosophia q. 32. sect.4. q. etiam 35. sectio 5. Resta loco præcitato. Escalante lib. 8. Clypei Concionatorum verbi Dei cap.3. Vincentius Regius lib. & cap.4. elucidationum Euangelicarum numer.5. ac 6. adstruunt Empyreum quasi cortina quadam opaca contectum, haud secus ac sancta sanctorum velo serico, & arca fœderis caprinis pellibus operiebantur. Et hinc ob impedimentum illius opacæ quasi cortinæ volunt Empyreum non spargere suam lucem in abyssum, & modò à nobis non videri. Sequi se putant sanctos Clementem Romanum lib. 3. recognitionum, Basilium homilia 2. in Exameron. Anastasium Synaitam lib. 2. Anagogicarum contemplationum in Exameron, Brunonem lib. de nouo mundo cap.2. Attamen ex horum Patrum dictis colligitur solummodò, inferius cælum esse velut interiectum velum, ne nostro aspectui superius pateat; interposui verò cortinam inter Empyreum, & cælos mobiles) quod opus est, ne illius lux hos, & abyssum illuminaret in orbis incunabilis) nullatenus innuunt.

12 Nos adhæremus Authoribus illis, quatenus vel Empyreum opacum sit versus partem infimam concauam, vel firmamentum opacum sit versus partem superiorem proximam pauimento Empyrei, aut super cælestibus aquis. Si opacitas sit in inferiore parte Empyrei, non micabunt huius luce super cælestes aquæ, secus si sit in superiore parte firmamenti. Qui præter firmamentum, aut cælum sydereum ponunt primum mobile distinctum, poterunt dicere, hoc esse opacum. Quolibet ex præfatis modis assignatur sufficiens impedimentum, ne nunc à nobis cernatur lux Empyrea, de qua non ineptè dicere possumus, quod de natura diuinitatis Iulius Firmius Maternus lib. 8. Mathesis cap. 33. *celari, & abscondi plurimis integumentis ab initio, ne omnibus facilis esset accessus, neue cunctis patefacta maiestatis suæ origine panderetur.* Sed quia antequam Deus iuberet, vt fieret lux, nihil præter Empyreum ea ornabatur (quicquid secus dicat Guillelmus Vorrillongin 2. dist. 12. art. 2. conclus. 1. &. 3. Ideo magis propendeo contra Vincentium Regium, vt opacitatem constituam in superficiæ concaua Empyrei, sic enim rectè se habet, aquas, quæ proxime ipsi permanserunt, & reliquam partem abyssi extitisse in tenebris, vsque ad instans, in quo Deus imperauit effectionem lucis. Et quidem sine fundamento diceretur Empyrei pauimentum amisisse opacitatem statim, ac conditum est firmamentum, aut primum mobile. Inquies, satis esse fundamenti, ne alioqui supercælestes aquæ sint modò in tenebris. Sed contra, quia licet eiaculata ab Empyreo luce non fulgeant, poterunt fulgere luce accepta ex cælis inferioribus. Præter quàm, neque ex sacris oraculis, neque ex Patribus scimus, an illæ nunc gaudeant lucis ornatu.

Via ab aliis tentata multos obices habent.

13 Patres relati numer.11. & præcipuè S Basilius memoratus à S. Thoma 1.p. quæst.66. art.3. ad 4. aiunt, *factum esse cælum rotunditate conclusum, habens corpus spissum, & adeò validum, vt possit ea, quæ extrinsecus habentur ab interioribus separare. Ob hoc necessario post se regionem relictam carentem luce constituit, vtpote fulgore, qui super radiabat, excluso.* Sed S.Thomas non acquiescit: *quia corpus firmamenti, etsi sit solidum, est tamen diaphanum, quod lumen non impedit, vt patet per hoc, quod lumen stellarum videmus non obstantibus aliis cælis.* Hanc tamen rationem, qua S.Thomas refellit Patrum sententiam, non multùm consistere pronunciat

Martinengus in Glossa magna pagin. 249. *Nam ex stellarum fixarum conspectione egregiè certè omnes orbes vsque ad ipsum firmamentum diaphanos esse euincitur; sed secus est de orbibus superioribus nono, ac decimo; cum super ipsos nullum sit astrum, ex cuius lucis emissione, ac ad nos transitione certi reddamur, ipsos quoque esse diaphanos.* Eadem reperit pag. 353.

41 Illi Patrum sententiæ accedunt proximè Gabriel in 2. dist. 14. quæst. vnica art. 3. dub. 1. Argentinas in 2. dist. & quæst. 2. art. 1. v. *Ad primum nego.* Doctor fundatissimus Ægidius Romanus ibidem, quæst & art. 2. in resolutione quarti dubij v. *ex his* Ioannes Altestaing. in lexico. Theologico, verbo *cælum*: dum tenent, ideo Empyreum non videri, quia impedit firmamentum stellis non diaphanis plenum. Sed contra primò, quia in aquis supercælestibus nullæ sunt stellæ; quare micabunt illæ splendore mutuato ab Empyreo. Verùm quia aliqui vltrò id concedent, & nos supra n. 12. non omnino renuimus. Contra secundò, non omnes stellæ sunt intransparentes; saltem sol est pellucidus. Quia verò dicetur solem, aliaque astra ob nimiam suam lucem intercipere transitum adspectus ad alia vlteriora obiecta, vt contingit in flamma apud nos. Contra tertiò, stellæ non fuere productæ in firmamento vsque ad quartum diem. Ergo licet modò impedirent, ne cerneretur Empyreum, debet alia reddi ratio obscuritatis abyssi in orbis exordio, non enim potuerunt, antequam existerent, impedire, ne Empyrei luce illuminaretur. Contra quartò, firmamentum, seu cælum stellatum habet plura spatia stellis vacua. Cum ergo illa sint diaphana, aditum præbebunt, vt cernatur lux Empyrea. Contra quintò, Deus posuit in firmamento cæli luminaria, vt lucerent in eo; si autem Empyreum transmitteret lucem in firmamentum, iam hoc luceret aliunde. Contra sextò, lux ab Empyreo causata, siue in superficie sola, siue etiam in profunditate astrorum, attingitur oculorum acie, quamuis non discernatur ab alia luce, quam habent, vti non discernitur inter lucem ipsis ingenitam; & acceptam à sole. Demum, non est tanta astrorum lux in absentia solis, & lunæ à nostro Emispherio, vt quasi absorbere valeat micantissimam Empyrei. Ex his colligitur rationem S. Thomæ in num. præcedenti aliquatenus consistere. Et sine causa existimatur à Martinengo, cælum nonum, ac decimum non esse diaphanos.

13 S. Thomas in loco superiori, & in 2. sent. dist. ac quæst. 2, art. 1. ad 3. tradit, ideo Empyreum non illuminare, nec videri, quia caret densitate requisita ad eiaculandum splendorem, & ad terminandum visum. Rationem hanc approbant Aureolus in 2. dist. & art. 3. Durandus dist. 2. quæst. 1. num. 5. Gabriel dist. 14. quæst. vnica art. 3. dubio 1. Palatius dist. 2. d. 1. Sotus in 4. dist. 45. quæst. & art. 1. v. *Dicitur ergo*, nec non dist. 49. quæst. 4. art. 5. v. *Sed maior.* Angles in 1. dist. 12. quæst. & difficult. 3. Rubius lib. 1. de cælo cap. 5. quæst. 3. Dunalius tract. de quatuor Nouissimis quæst. 6. art. 4. Ægidius Moncurtius in typo omnium scientiarum cap. 6. de natura corporum cælestium, & complures alij. Eam non probabunt, qui sentiunt, Empyreum esse solidum, ac densum versus pauimentum. Prætereà licet raritas Empyrei corporis esset in causa, ne illud videretur, tamen non est, cur sit impedimento; ne eius cernatur lux. Sic licet aer in se ipso non conspiciatur à nobis ob defectũ densitatis; nihilominus nos non latet lux, qua afficitur. Vlterius Empyrei pars media debet esse lucida, non minus quàm corpus solare, & igneum vsuale, nec minus, quàm corpus glorificatum, vt in sequentibus ostendetur. Si enim radios non emittit, non erit lucidum, sed solummodo diaphanum, vti cælum sydereum. Ex quo fieret, nec ab oculo glorioso cernendum esse Empyreum, vti à nobis non cernuntur partes cæli syderei, quia carent congrua densitate, vt inquiunt Conimbricenses lib. 1. de Generatione cap. 9. quæst. 2. art. 3. v. *Pro resolutione.* Et vti non videntur partes aeris. Petrus Hurtadus d. 2. de cælo sect. 5. §. 62. refutat hunc ipsum modum dicendi; quia licet Empyreum ob raritatem non posset videri, tamen illuminaret, & totas inferiores sphæras redderet conspicuas, sicut illuminat aer: & quia Empyreum intensione lucis vinceret difficultatem raritatis. Ita addit d. 3. sect. 2. §. 24. verumtamen quemadmodùm ipse sect. 4. §. 55. ait, ignem vicinum lunæ non conspici à nobis, quia non habet lucem admodùm vehementem, quia possit in tanta distantia terras illustrare, & quia illius raritas (sicut aerea) non potest visionem terminare, vel ob defectum vis productiuæ specierum, vel ob harum imbecillitatem ex doctrina eiusdem Authoris dist. 17. de Anima section. 2. §. 13. possent vtique non dissimiliter respondere Aduersarij. Sed de exemplo ignis in concauo lunæ dicam nonnihil postea.

15 Idem S. Thomas ibidem aliam reddit rationem, videlicet Empyreum habere claritatem gloriæ, quæ cum claritate naturali non est conformis, & cuius non sunt capacia inferiora corpora. Nunquam credam, Angelicum Præceptorem existimasse, lucem Empyream esse supernaturalem, quo ad substantiam, seu entitatem. Si ergo naturalis est, cur imperfectè saltem non videbitur secundùm aliquem gradum? Imò, & cur perfectè non videbitur secundùm omnes gradus? Non enim perstringet oculos ob vehementiam caloris, aut si corrumpat sensum, præstabit hunc effectum multoties: quin & toties, quoties habeamus oculos apertos, & erectos in cælum patens. Id autem alienissimum est, à ratione, & experientia S. Clemens Romanus; seu potiùs S. Petrus apud ipsum in locis citatis n. 12. Exercit. 2. supponit, lucem Empyrei terricolis visibilem esse, quantum ex se est. Vnde non immeritò scripsit Auersa q. 32. Philosophiæ sect. 2. eam sine dubio visibilem esse naturaliter, si non obstet impedimentum aliquod extrinsecum. Vrgeo aliunde, claritas Christi in transfiguratione fuit gloriæ claritas, quantũ ad essentiã quamuis non quantùm ad modũ essendi. Sic S. Thomas 3. p. q. 45. ar. 2. in corpore. Ast claritas illa apparuit nõ solùm in corpore Christi, sed etiam in vestimentis eius, & in nube lucida, quæ discipulos obumbrauit. Ergo lucem Empyrei esse claritatem gloriæ, non est sufficiens ratio, vt non appareat in corporibus propinquis, si nullum adsit obstaculum eius emissioni. Minor propositio conceditur à S. Thoma in 3. dist. 16. q. & art. 2. ad 7. vbi inquit, *In vestibus fuisse splendorem ex claritate corporis procedentem.* Non sic clarè respondit 3. p. q. 45. art. 2. Cum propositionem illam adduxisset tertio loco pro negatiua parte: *quia ad mysticam transiuit rationem* (exaro Caietani verba) *relinquens pro manifesto, nihil officere claritati gloriosa coporis Christi, si tanta est,* quòd

quod etiam splendidas vestes efficiat, & nubes lucidas reddat per radiorum suorum emissionem. Et quidem quæuis lux videtur debere esse diffusiua sui, multóque magis lux gloriæ, si fortè distingueretur specie à solari, & elementari, excederetque vtramque hanc in perfectione; siquidem ingens sit lucis nobilitas, & commendatio, quòd gaudeat virtute communicatiua sui. Addo, omnes in ea esse mente, quòd si corpus gloriosum locaretur in medio regionis aereæ, cum sol nostro discesserit Emisphærio, plenioti luce hoc illustrandum, quàm si sol medium iter teneret. Quidni idem censeam de Empyreo, si eius luci obstaculum aliquod non interponatur? Plura alia exhibebit sect. 5.

17 Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 4. num. 16. cogitat, distantiam Empyrei esse in causa, ne eius lux à nobis conspiciatur. Sed in primis desideratur ratio, ob quam Empyreum non fugarit abyssi tenebras sibi propinquæ. Deinde cum Empyreum sit corpus tantæ molis, adeóque intensa refertum luce, compensabitur ex hinc distantia, quemadmodum compensatur in stellis fixis. Dices, etsi elementum ignis in sua sphæra sit multò vicinius nobis, quam Empyreum tamen à nobis non videtur. Nihil ergo mirum, si Empyreum non videatur. Respondetur primò, molem Empyrei esse incomparabiliter maiorem mole ignis in sua sphæra, & propinquitatem in igne vinci à mole in Empyreo. Secundò, ignem contiguum Lunæ ideo non videri, vel quia ibi non est lucidus, ob defectum alicuius humoris, quo extra suam sphæram afficitur, vel quia celerrimè circumagitur ab orbe Lunæ: constat autem experimento, corpora immota meliùs conspici, quàm si huc, & illuc cieantur; & vix discerni, quæ in loco aliquantulum distanti circumuoluuntur velociter: sed tamen perfectè videnda, si starent immota. Tertiò, respondent multi, raritatem ignis in sphæra superiori efficere, ne terminet visionem. Sed refelluntur ab aliis, tum quia ad raritatem opus est corpusculis aduentitiis; quæ nulla sunt in regione ignis, & quæ semel intus suscepta absumerentur protinus actiuitate ignis ipsius. Tum quia raritas non efficit, vt arbor accensa in monte non cernatur è longinquo. Ergo nec efficiet, vt non videatur tantus ignis, quantus est proximè sub cælo. Tum quia raritas in aëre non impedit, ne infrigidet; imò quo rarior est aër, eò plus infrigidat nocte hyemis serenissima. Ergo & ignis tanto magis illuminabit, quanto rarior fuerit. Tum denique quia ignis in concauo Lunæ existens non retardatur à calefaciendo ob raritatem. Ergo multò minus retardabitur ab illuminando, cum lux careat contrario. His motus Arriaga d. & sect. 4. de Generatione, & tom. 2. in 1. p. disp. 30. sect. 3. contra communem sententiam negat ignem confinem lunæ. Sed independenter à raritate, ignis poterit subterfugere visum nostrum, & defectus extraneorum corpusculorum vti satis non est, vt inficietur Arriaga regionem mediam Empyrei esse raram; sic nec satis esse deberet, vt dubitaret de raritate ignis in summa arce mundi subcælestis. Reliqua, quæ, permissa raritate, subiiciuntur, promouent dicta à nobis in 15. numero.

18 Richardus in 2. dist. & q. 2. & Bartholomæus Sybilla in speculo quæstionum peregrinarum Decade 1. c. 3. q. 2. recurrunt ad substrationem diuini concursus, sine quo lux Empyrea nequit aliam producere in corporibus vicinis, nec emittere species sui in nostros oculos. Reiicit Ricardum Petrus Hurtadus, quia in primæua mundi conditione, non licet ad miracula recurrere iuxta S. Augustini regulam lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 1. Et se submitteret Richardus, si aliter res componi posse persuaderet sibi: hoc enim in sensu loquutus est S. Augustinus. Quòd si non sine miraculo, & violentia aliqua initio mundi productus est ignis in Inferno propter Dæmones paulò post illuc detrusos, detineturque ibi, & forte diuina virtute impeditur, ne luceat, sicut elementaris, si cum eo conueniat in specie, non ineptè dicitur similiter, ex substractione diuini concursus prouenire, ne lucem, & species emittat extra se Empyreum. Elucidatur id ex sententia Patris Suarij lib. & cap. 2. de opere sex dierum, vbi statuit, productam simul cum cælo lucem, noluisse tamen Deum concurrere cum ea ad illuminandum aquas, donec dixit: *Fiat lux.* Et licet magis approbat alios modos consiliandi productionem lucis cum tenebris abyssi, hunc non improbat. Neque miracula in primæua mundi conditione sunt penitus excludenda. Ipse Petrus Hurtadus disp. 3. de cælo sect. 6. §. 94. inquit: *Fecit ergo Deus solem, & stellas ex aqua, quæ erat in eodem loco, in quo productæ fuerunt stellæ, quia Deus illam non voluit descendere in terram, sed eam miraculo retinere in cælo, vt ex illa astra conficerentur.* An non fuit miraculum, aquas supra firmamentum mansisse, & in virentem herbam repentè, ac in plantas inesse perfecto pallulasse terram? Hinc fatur appositè S. Chrysostomus oratione super illud: *Sufficit tibi gratia mea, cum Deus vniuersum hoc vndique sibi summa ratione constans ab initio procrearet, miracula miraculis cumulauit: quippe qui nullis naturæ legibus teneretur, sed abundantia quadam potestatis omnia distingueret, & secerneret.* His non obstantibus displicet mihi Richardus, quia sine necessitate in asylum miraculi se recipit; & quia sic Deus administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat, vt inquit S. Augustinus lib. 7. de ciuitate Dei cap. 30.

16 P. Tirinus in cap. 1. Genes. v. 7. refert ex aliquibus, *aquas supra cælos relictas partim ad ornatum vniuersi, partim ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cæli Empyrei, cæteroquin splendidissimi, & sole nostro lucidioris.* Reperit eadem verba in Psal. 148. v. 4. & conniuere videtur. Contra tamen, quia aquæ supercælestes non opacæ, sed diaphanæ erunt suapte natura si eiusdem sint speciei cum nostratibus; neque est fundamentum iudicandi inductam à Deo opacitatem super cælestibus illis. Contra rursus, quia si aquæ illæ productæ fuissent cum opacitate, quod necesse esset ad impediendam transmissionem lucis Empyreæ in abyssum, antequã Deus iuberet fieri lucem subempyream; sequeretur, producta hac luce non emicuisse totam abyssum. Et credibile mihi est, aquas illas eiusdem conditionis cum aliis ab Empyreo remotioribus, & destinatis, vt secunda die fieret ex ipsis firmamentum, prodiisse ab opifice Deo opacas, cum tamen aliæ prodierint diaphanæ. P. Bonfret. ad quem Tirinus respexit, non dubitat, aquas supercælestes aliquam opacitatem habere. *Quo fit,* inquit in cap. 1. Genes. vers. 7. *vt in ea lumen à luminoso corpore emissum paulatim hebescat, & in ingenti profunditate; cuiusmodi aqua illa cælestes haberent, tandem etiam euanescat; atque adeò neque profunditas ea immensa à visu penetrari possit.*

possit. Idem Bonfrerius circa v. 2. dixerat: *Etsi lux Empyrea aliquo vsque abyssum illam aquarum penetraret, non potuisse tamen immensam profunditatem peruadere, & sic longe maxima sui parte fuisse luce vacuam, & ob id absolutè dici fuisse caligine contectam.* Verum explicatio hæc verborum Genesis *Et tenebræ erant super faciem abyssi,* valde licentiosa est. Et lux ab Empyreo diffusa tanta esset, vt limpidissimarum aquarum totam vinceret profunditatem, vel saltem maiori ex parte. Montepilosus, qui tomo 2. partis 2. Theologiæ disp. 31. art. 2. num. 4. d. 33. art. 2. num. 3. d. 35. artic. 2. numer. 2. & 4. ferè conuenit cum Bonfrerio & Tirino de vsu aquarum super cælestium, impugnabitur à nouis, & expugnabitur iam nullo labore.

20 P. Arriaga disp. de cælo sect. 6. num. 67. scribit, *Cælum Empyreum esse lucidissimum, velo tamen opaco, qua parte nos respicit, obtectum communiter putatur. Ego in hac re dico, sicut non potest bene probari, ita neque reiici. Qui enim diceret ipsum cælum esse opacum; in sola autem superficie versus Beatos habere lucem splendidissimam, quomodo reiiceretur?* Sic author loquatur de superficie Empyrei concaua respiciente non dicit idipsum, quod communiter putatur, & à me est assertum. Si verò loquatur de superficie conuexa, insinuetque, Beatos non intra, sed extra Empyreum consistere; neque ipse in Theologicis, neque ego in isto opere probamus existentiam Beatorum supra Empyreum. Et præterea maior huius pars foret opaca, quod mihi absurditatis speciem præsefert, & iam iam refutabitur.

SECTIO IV.

An lux Empyrei sit in tota eius profunditate, vel solum in aliqua parte?

21 IDest, an Empyreum sit transparens secundum omnes sui interiores partes. Propono rationes dubitandi. Prima in Empyreo existet color, vtpotè qualitas summoperè conducens ad pulchritudinem. Sed corpus coloratum nequit simul esse trāsparens. Nam color requirit perspicuum opacitate terminatum. Ergo, &c. Secunda partes valde densæ non possunt interius penetrari lumine. Ast Empyreum est densum, ac solidum penes omnes sui partes. Ergo, &c. Tertia, repugnat corpus esse simul transparens, & lucidum ex se. Sed Empyreum est lucidum ex se: Ergo non potest vna esse transparens.

22 Nihilominus affirmo, Empyreum & esse lucidum ex se, & interna luce perfusum, quoad omnes sui partes. Probatur primò, quia Apocalipsis 21. v. 18. dicitur de cælesti Hierusalem: *Ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo* Rursus v. 21. *Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* S. Gregorius lib. 18. Moralium c. 31. intepretatur priora verba de transparentia corporum glorificatorum, liceat & nobis priora, ac posteriora interpretari de transparentia domicilij cælestis; maximè cum huius lumen, & ornatus comparetur toties crystallo lapidibusque translucidis in illo Apocalipsis capite & in 4. v. 6. dicatur *In conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.* Vbi Pereirus, & Cornelius intelligunt Empyreum quod est sedes Dei, Angelorum, ac Beatorum. Confirmatur, Beatorum corpora erunt lucida, & transparentia ex celebri multorum Patrum, & Theologorum sententia vt compertum erit legenti Ægidium Lusitanum tom. 3. de Beatitudine lib. 5. q. 4. art. 3. §. 2. à n. 8. Ergo idem censendum est de Empyreo. Confirmatur rursus, quia terra post diem Iudicij fiet peruia sicut vitrum, vt n. 88. exerc. 24. attingam, citato interim solo Alberto Magno in 4. dist. 48. art. 7. Ergo à fortiori Empyreum factum est pellucidum ex sua natura.

23 Probatur secundò, inter cælestia inuenitur corpus partim transparens, & partim lucidum ex se, nam cælum, in quo continetur sol, est transparens, lucidus autem ex se ipse sol. Rursus inter cælestia existit corpus totaliter transparens, videlicet aqueum, seu Crystallinum. Ergo si est aliud superius, oportet, quod sit totaliter lucidum ex se, & transparens. Discursus hic est S. Thomæ 1. p. q. 66. art. 3. in 3. dubitandi ratione, & q. 68. art. 4. in corpore. Confirmatur, sol est lucidus ex se, quin in sola extrema superficie luceat; nam cum totus sit eiusdem rationis in omnibus suis partibus, si lucet secundùm extimas, vtique & secundum intimas. Ergo Empyreum, quod in perfectione lucendi non debet cedere soli, afficitur etiam luce in toto suo corpore. Probatur vltimò; quia si Empyreum non sit oculis peruium, non poterit vnus Beatus homo intueri corporaliter alium, nec erit spectabile ipsum Empyreum, nisi ab existentibus supra vel infra illud.

24 Ad primam rationem dubitandi respondetur primò, in Empyreo non inueniri veros colores, sed apparentes, vt in sect. 2. exercit. 15. dicam. Secundò, negando corpus coloratum non posse simul esse transparens. Constat id in vitro viridi, topazio, smaragdo, quercu putrida, oculis felinis, plumisque quarumdam auium (de quibus Plinius libr. 10. Historiæ naturalis cap. 47. Solinus capit. 20. Polihist. S. Isidorus Hispalensis lib. 12. originum cap. 7.) nec non in noctilucis Harum exemplo vtitur S. Antoninus 3. p. summæ Theologiæ tit. 30. cap. 7. §. 4. & multò ante ipsum S. Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 18. Illuminatorum ad probandum in glorificatis corporibus stare posse lucem, & colorem. En S. Cyrilli aurea verba. *Prouidens istam hominum incredulitatem Deus vermibus paruulis æstate lucidum dedit corpus, vt eo splenderent, vt ex apparentibus crederetur id, quod expectamus. Qui enim partem potest præstare, poterit & totum, & qui fecit vermis vt lumine splenderet, multò magis illustrabit hominem iustum.* Sic Hierosolymorum Antistes; cui nota fuisset cicindela Indica, dicta *Cocuyus* spargens noctu tantum lucis vt ad eam legi, scribique possit, instarque facis deseruiat iter agentibus (testante Francisco Lopez Gomara in historia Indiarum, & Petro Cieza in Peruana, referentibusque Francisco Torreblanca lib. 11. Practicabilium Iuris spiritualis cap. 3. num. 8 Eusebio Nierembergio in Prolusione ad Historiam naturalem, Andrea Pinto Ramiresio in commentariis ad Apocalipsim iam typo paratis, & ex Authoris beneficio à me visis non sine admiratione magnæ, atque reconditæ eruditionis) auxisset inde exempli vim. Dum autem Aristoteles cap. 3. de sensu, & sensibili ait: *Colorem esse terminum perspicui in corpore definito,* seu terminato, intelligendus est explicuisse solummodo proprium subiectum coloris, vt frequenter à nobis videtur; communiter enim color est in corpore opaco,

Nam

Nam si censuisset Aristoteles, requiri essentialiter opacum corpus ad colorem, non nisi curtè hunc definiisset lib. 2. de Anima cap. 7. textu 67. dicens: *Color motiuum est eius, quod est perspicuum actu, & id est eius natura.* Tertiò, Aristotelem definiisse colorem sub ratione termini, in quo sistat visio; sub hac autem ratione requirit color subiectum opacum. Verùm non omnis color debet habere in omni subiecto rationem termini in, quo sistat visio; vti neque omne perspicuum debet esse visibile per alienum lumen. Quare sicut datur perspicuum, quod fulget innata luce, Licet Philosophus supra textu 68. non definierit perspicuum nisi sub ratione medij visibilis per alienum lumen, quasi colorem, vt explicant ibi Connimbricenses & Ioannes Baptistata Villarpandus explanationum Ezechielis tom 2. p. 2. lib. 2. Isagogico cap. 6. ita poterit dari color in Empyreo, aut corporibus glorificatis, qui non sit in subiecto opaco.

25 Ad secundam respondetur primò, Empyreum non esse densum, & solidum, sed rarum, & liquidum penes regionem mediam, vt in sect. 1. Exercit. 14. enitar probare. Secundò, partes valde densas posse interius penetrari lumine. Claret id in Crystallo; & in sole; quem in tota profunditate peruadi à luce notant Guilielmus de Rubione in 4. dist. 46. art. 3. concl. 4. ad 3. dubium. Granadus 3. parte controu. 13. de Nouissimis tract. 3. d. 6. n. 11. Petrus Hurtadus disp. 17. de Anima sect. 2. §. 12. Auersa q. 34 Philosophiæ sect. 2. tametsi Arriaga d. de cælo sect. 6. num. 68. supponat, solem esse opacum à tergo, vt possit ad nos melius lucem mittere.

26 Tertio magnum facessit negotium iis, qui glorificata corpora lucida ex se, & translucida fore defensant Suarez tomo 2. in 3. p. d. 48. sect. 2. fatetur, nullum posse corpus in eodem instari lucere actu, seu emittere ex se lumen, & simul se actu præbere transparens respectu eiusdem videntis. Cum autem id, quod ex se lucidum est non queat non naturaliter actu lucere, sequitur, non nisi supernaturaliter posse idem corpus esse lucidum ex se, & transparens. Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. d. 14. sect. 16. v. *ad tertiam obiectionem* inquit corpus glorificatum non fore peruium ex transparentia intrinseca consistente in qualitate opposita opacitati, sed ex nolitione extrinseca Dei, decernentis, si Beato placeat, ita transmitti species per eius corpus, ac si opacum non esset. Quapropter alter Beatus v.g. Sanctissimus Parens Ignatius poterit videre corpus Sancti Francisci Xauerij ratione opacitatis, intrinsecæ, quam habet; poterit etiam ratione perspicuitatis extrinsecæ cernere, quæ vltra illud sunt, dummodò non resistat S. Xauerius. Argentinas in 2. dist. 2. art. 1. v. *Respondeo* S. Antoninus, vbi suprà, Lessius lib. 3. de summo bono cap. 5. & Connimbricenses lib. 2. de cælo cap. 7. quæst. 3. v. *ad tertium* admittunt, ex rei quidem natura non choærere, secus diuina virtute, quod vna luceat, & peruiam sit oculis idem corpus. De Empyreo loquitur speciatim Argentinas. Tandem Ægidius Lusitanus tomo 3. de Beatitudine lib. 5. quæst. 4. art. & §. 3. num. 17. concedit summè lucidum naturali luce non posse esse transparens secùs summè-lucidum supernaturali luce, qualem vult esse illam, quam in dotem accipiunt Beatorum corpora.

27 Retuli varios respondendi modos, quos reperi improbatis Theologis, vt appareat, quàm sit difficile, vel in glorificatis corporibus luminosis diaphaneitatem vendicare, & vt miretur lector, nouum pro Empyreo excogitandum; cum tamen eadem sit causa illius, & glorificatorum corporum, & pro his iam antiquitus elaboratum sit. Ego supersedissem ab eo labore contentus responsione præstita à S. Thoma in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. quæstiuncula 1. ad 2. scilicet non posse idem corpus esse transparens & luminosum quando claritas causatur ex densitate partium lucidarum; ast claritatem corporum glorificatorum non causari ex densitate partium, licet eam densitatem corpora non deperdant in resurrectione. Hinc ignis extra suam spheram non est transparens, quia eius claritas causatur ex densitate partium, quam quia non habet in sua sphera, ideo ibi parùm, aut nihil lucet, estque ibidem diaphanus; aliter impediret adspectum cæli.

28 Gradum facio ad Empyreum. In eo claritas non causatur ex densitate partium: vnde non est cur inimicetur transparentiæ Empyrei saltem secundùm regionem medicam; quæ, vt ego iudico, rara est, & fluida. Sed estò sit densa; cur nequibit, esse transparens, ac lucida ex se? An quia transparens secundùm Aristotelem debet esse visibile non per se, sed alieno lumine? Certè ille non de omni transparenti loquutus est, vt animaduerti in n. 24. & contendunt Connimbricenses lib. 2. de Anima c. 7. q. & art. 1. eo quòd sol & ignis sunt transparentes, & tamen colluceant proprio splendore; dicuntur autem terminare visum, & si in illis nō sit terminata lux, quia huius abundantia impedit transitum ad spectus ad alia vlteriora obiecta; vel si omnino non impediat, ita occupat sensum vt vltra posita obiecta pertingat tenuiter, & obscurè, quin ea ab aliis valeat internoscere. Itaque Philosophus est tantùm locutus de transparentibus, quæ cum frequenter occurrant, visu penetrantur: talia sunt *aer, & aqua, & solidorum complura, vt vitrum, & glacies & huiusmodi corpora.* Ipsius sunt verba. Adde, Philosopho in animo solùm fuisse explicare transparens, quod est medium visus, vt distinguitur à termino visus; transparenti autem vt sic essentiale est non habere proprium lumen, vt & non habere colorem. Quare corpus transparens, habens ex se lucem, erit terminus visus, quatenus ex se eam habet, & emittit.

29 Vt rem totam absoluam, existere actu corpora lucida ex se, & translucida, itavt præbeant aditum ad videndum vlteriora obiecta. Ægidius Lusitanus supra num. 16. scribit, *patere id in pluribus lapidibus pretiosis, qui & simul sunt trauparentes, & actu lucent.* Ex quo sic ratiocinatur. *Porrò si naturaliter non repugnat aliquid lucere & esse transparens transparentia naturali; vtique neque repugnabit, corpus gloriosum simul esse lucidum, & transparens transparentia supernaturali.* Rectè intulisse Ægidium, nemo ibit inficias, si lapides illos in medium produxisset. Sciebam inter lapides in externa solùm superficie alios lucere, alios interna; & natiua fulgere luce (si fides adhibenda sit iis, quæ de carbunculis nocturno tempore emicantibus circumferuntur ex S. Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 16. S. Isidoro l. 16. originum cap. 13. Alberto Magno l. 2. Mineralium tract. 2. cap. 3. Rucio l. 2. de gemmis cap. 14. Bernardo Cæsio l. 4. de Mineralibus parte 2. cap. 4. §. 5. n. 7 Ludouico de Gongora Poesis Hispanæ Principe in 1. Solitudine) alios esse in tota profunditate diaphanos. Ast hactenus non audiui inuentos lapides,

lapides, qui simul sint vndequaque peruij, & actu luceant per se. Ideircò vsurpo tutius aliud exemplum. Si cælum sydereum habeat ex se aliquam lucem non mutuatam à sole, aut stellis (quod Petro Hurtado disp. 2. de cælo sectio 5. §.64. & Francisco Alfonso d. de cælo sect. 10. num. 123. non displicet) existet in rerum natura corpus, quod vnà luceat, & diaphanum sit, ita vt præbeat aditum videndis alijs corporibus. Præterea pupilla oculi felini est diaphana, vt de omni pupilla oculari notum est, aliunde habet innatam lucem. Video his exemplis solummodò probari natiuam lucem remissam non esse incompossibilem cum peruietate aditum præbente ad vlteriora obiecta cernenda. Sed tamen exhinc verisimiliter suadetur, nec intensam esse incomposibilem. Ergo non capio, cur præcisè ex maioris lucis intensione exurgere debeat incompossibilitas. Verum est, solem, qui valde lucidus est, non permittere aditum visui ad vlteriora obiecta; idemque est de flamma apud nos. At non præcisè ex lucis intensione id prouenit; sed ex caloris vehementia lædente visum: lux autem Empyrea non afferet secū calorem; nec præstringet, quin potiùs demulcebit intuentium oculos. *Anne times* (quærit S.Bernardus serm.8. in psal.90.) *hos tanta plenitudine luminis, vbi singuli iusti, tanquam singuli soles fulgeant, caligaturos fore? Timendum id planè, si non ipsos quoque oculos, sicut cætera membra humani corporis, resurrectio glorificaret.* Nunc etsi nihil sit luce iucundius, nihil radio solis acceptius, *Attamen res hæc tam iucunda, tam accepta, & placida, vbi supra modum se se oculis nostris obtulerit*, vt notat S. Chrysostomus homilia 5. de incomprehensibilis Dei natura, & 19. in acta, *quia singuli sensus nostri modum, normam, & limitem habent datum à natura.* Ast oculorum glorificatio, & impasibilitas eos naturæ terminos tunc nesciet. Vnde Thomas in cap. 21. Apocalypsis v.23. ait: *Oculi glorificati bene poterunt sustinere tantum splendorem, imo delectabuntur in eo.*

SECTIO V.

An lux Empyrea sit supernaturalis?

30 HVic quæstioni excitandæ ansam dedit Angelicus Doctor 1.p. quæst.66. art.3. ad 4. Cum dixit de Empyreo, *vel habet claritatem gloriæ, quæ non est conformis cum claritate naturali.* Claritas autem gloriæ est supernaturalis vt innuit S.Thomas in 3.dist.16. quæst.2. art.1. ad 4. & vt disertè docent complures. Respondeo tamen lucem Empyream non esse supernaturalem quoad entitatem. Prima ratio est, lux afficit Empyreum, vt proprietas eius. Ergo non est supernaturalis entitas. Antecedens adeò certum fuit Mayroni in 2. dist.13. quæst.1. vt scripserit: *teneri per fidem, quòd cælum Empyreum est primum lucidum* nisi fortè loquatur de fide tantum humana. Nyssen in resolutione Theologorum præambulo primo ad opus secundæ diei tradit, Empyreum esse *simpliciter lucidum*, idest lucidum absolutè & principaliter inter alia corpora vniuersi; nisi fortè τὸ *simpliciter* significet idem ac omnino: quo in sensu Albertinus Magnus in 2. dist.3. art.4. asseruit, Empyreum *esse totum lucidum*. Sed etsi Mayro loquatur de fide tantum humana, adhuc fauet antecedenti. Nam si Empyreum authoritate Patrum, & Theologorum est primum lucidum, suntque secunda lucida, quibus lux correspondeat, vt proprietas, correspondebit non minus Empyreo. Et hic est communis conceptus, & existimatio eorum omnium, qui istius cæli notitiam habuerunt. Consequentia iam suadetur, quia Empyreum est ens naturale quoad materiam, formam, & vnionem, vt probatum est in sect.2. Exercit.6. Ergo eius proprietas nequit esse supernaturalis; nihil enim naturale potest connecti cum entitate supernaturali, vt cum proprietate exacta ad sui conseruationem. Ergo lux, quæ est proprietas Empyrei non potest contineri intra sphæram supernaturalitatis. Confirmatur, Empyreum est immobile, & incorruptibile, quin opus sit eleuari vel extrinsece ad ordinem supernaturalem, vt immotum persistat, & incorruptum. Ergo similiter erit lucidum, quin opus sit eleuari intrinsecè ad ordinem supernaturalem per lucem supernaturalem ei communicatam. Secunda ratio, si lux Empyrea esset supernaturalis, superaret in perfectione lucem naturalem. Hinc autem sequeretur nec diuinitus posse intendi lucem Empyream per solarem si secundus v.g. gradus intensionis debeat præcellere in perfectione primum. Etenim gradus quilibet lucis solaris non posset non esse imperfectior quolibet assignabili intra cumulum lucis Empyreæ; vti quælibet forma materialis substantialis, etsi perfectiores, & perfectiores in infinitum queant à Deo produci, debet esse imperfectior qualibet forma spirituali substantiali, etsi imperfectiores, & imperfectiores in infinitum valeant à Deo fieri.

31 Tertia ratio, lux Empyrea, vtpote qualitas actiua, efficiet in subiecto sibi proximo lucem supernaturalem, si sit supernaturalis, absitque impedimentum, quale modò est opacitas pauimenti Empyrei. Id autem videtur esse præter, imò & contra omnium mentem. Prævideo, dici posse, non omnem effectum absolutum, qui ex entitate supernaturali oriatur, debere esse supernaturalem. Neque desunt exempla, quorum aliqua proponētur alibi. Tamen nullum adducetur, in quo entitati supernaturali non alius respondeat effectus, quàm naturalis: luci autem supernaturali qui alius respondebit nisi naturalis lux? Ergo vel Empyreum producet lucem supernaturalem, vel lux, qua ornatur, non est supernaturalis. Sed quia adhuc asseri posset, effectum supernaturalem, qui respondeat luci supernaturali, esse speciem impressam emissam ab ipsa, & non indifferentem ex se, vt oriatur à luce naturali: ideo nimis præsumendum non est de hac ratione. Accedo ad quartam, lux Empyrea est visibilis corporeis oculis naturalibus; sed si ea adstruatur supernaturalis nullo pacto poterit conspici corporeis oculis naturalibus. Ergo non est supernaturalis. Consequentia est peremptoria. Minor stabilietur in Exercitat.12. Probatur Maior, quia lux Empyrea conspicietur ab hominibus beatis. Nam si iuxta Ecclesiastem cap.11. v.7. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solē*, & iuxta S.Leonem Magnum serm.3. de Epyphania: *Illæsis oculis voluptatem affert lux ista visibilis*, quantò delectabilius erit videre corpus Empyreum, quod solem ipsum tam superat claritate, quam sol reliqua sydera? Quis credat hanc oblectationem defuturam beatis hominibus? S.Basilius homilia 6. in Exameron numerat inter pœnas

damnatorum

damnatorum hominum, quòd intuituri non sunt Empyræum lucem. *Si solem hunc*, inquit, *haud conspicere detrimentum est homini cæco, quod detrimentum est peccatori verissima illa, perpetuaque luce carere?* Anne etiam illi, qui summa felicitate fauentur carebunt visione eiusdem lucis? Frustra cælestis Regia condita esset à Deo tam ingenti coruscans splendore.

Clara micante auro, flammasque imitante pyropo,

Si Beatis lux Empyrea occultanda foret. *Aufer lucem (quæ est pulchritudo, & ornamentum omnis visibilis creaturæ) & omnia in tenebris ignota manebunt, proprium non valentia demonstrare splendorem*, inquit S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 7. idem autem est, si auferas lucis visionem. Quid enim refert Beatos esse circumseptos lumine, & in pulcherrimo habitaculo, si aliunde erunt velut talpæ in præsentia meridianæ lucis? S. Augustinus enarratione in Psal. 25. aiebat: *Quomodò nihil prodest aperire oculos, si sit quisque in tenebris; ita n h l prodesse esse in luce, si clausi sint oculi*: addimus nos, nihil profuturum Beatis habere oculos apertos, & incolere locum multa splendidum luce, si hæc ab ipsis conspici nequeat. Eadem Maior propositio probatur deinde ab existimatione Patrum, qui, vt semel, & iterum in superioribus tradidi, putarunt, lucem Empyream à nobis videndam, & discernendam, nisi esset impedimento aliquod corpus interiectum. Si verò eam supernaturalem iudicarent, non curarent de interposito corpore; ipsa enim esset ex se inuisibilis naturaliter, incapaxque discerni per actus naturales vt minimum S. Theresia c. 38. suæ vitæ sat apertè significat, visam à se Empyream lucem. Probatur vlteriùs, quia claritas Christi Domini in transfiguratione est visa à discipulis, vt ex S. Augustino certissimum supponit Suarez tomo 2. in 3. p. d. 32. sect. 1. v. *An verò* & fatetur S. Thomas tum. in 3. dist. 16. q. & art. 2. tum. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2. in cuius corpore hæc habet. *Dicendum est, quod Claritas corporis gloriosi naturaliter ab oculo non glorioso videri potest.* Eadem inculcat in solutione ad 1. & 2. Ergo licet Empyrei lux esset claritas gloriæ, erit visibilis oculis nostris corporis. Probatur denique, quia Christus post resurrectionem suam nunc claritatem gloriæ ostendebat, nunc pro libito occultabat, vt cum S. Augustino aduertit Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 14. sect. 16. in fine: & saltem erat in potestate Christi, quòd eius claritas videretur vt docet S. Thomas 3. p. q. 54. art. 3. ad 1. qui in additionibus ad 3. p. q. 85. art. 2. & 3. extendit id ad omnia corpora glorificata respectu oculi non gloriosi; à quo cernendam illorum claritatem, si per Beatos liceat, constanter asseuerat. Paulo pergenti Damascum, iisque, qui eum comitabantur, visum est è corpore Christi in vicino medio aere sparsum lumen, vti constat ex Actorum 9. v. 3. item ex 22. v. 7. & 9. rursusque ex 26. v. F3. Anne dices, socios Pauli subleuatos ad intuitionem supernaturalem corpoream? Non persuadebis Nostro Massutio lib. 2. vitæ S. Pauli cap. 4. Corpora rediuiua, & glorificata Henochi, & Eliæ paruo interuallo ante resurrectionem vniuersalem, eorumque claritas *naturaliter, & sine miraculo* patebunt oculis aliorum hominum, vt notat Thomas in cap. 11. Apocalypsis v. 9. Quod plus est à reprobis conspicietur in die extremi Iudicij claritas corporis Dominici, & electorum aliorum hominum, vt post multos Patres, & Magistrum sententiarum in 4. dist. 48. dicit ipse S. Thomas in art. illo 2. q. 85. & in art. 2. q. 90. ostenditurq; à Suario tom. 2. in 3. p. d. 57. sect. 9. v. *vt ergo*. Nec credibile est damnatos eleuandos ad visionem corpoream supernaturalem; & communiter à Theologis existimatur non habituros supernaturalem vllum actum, aut habitum, si sacramentalem characterem excipias in iis, qui inuia susceperunt sacramentum aliquod imprimens characterem; pro cuius permanentia in damnatis stant Theologi cum S. Thoma 3. part. quæst. 63. artic. 5. ad 3. Iam ergo si glorificatorum lux corporum attingibilis est oculorum acie, etiam naturali, attingibilis itidem erit lux Empyrea.

32 S. Thomæ mentem in verbis, quæ huic quæstioni ocasionem præbuere, explorabo sedulò in Exercit. 32. Obiiciet insuper aliquis locum Pauli ad Timothæum 1. cap. 6. v. 16. *lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Qui locus cum in num. 7. intelligatur à nobis de luce Empyrea, denotat, eam per vires saltem naturæ non posse videri. Respondetur primò, ab Apostolo asseri, Deum habitantem in luce Empyrea à nullo hominum videri posse vigore naturæ, non verò lucem ipsam, quæ vocatur *inaccessibilis*, vel per ordinem ad adspectum, stante impedimento veli interiecti; vel per ordinem ad progressiuum motum corporis humani non glorificati. Non absimiliter percipi valet Isaias dum cap. 64. vers. 4. ait. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Si loquatur, vt vult Suarez 3. p. quæst. 57. in commentario art. 5. de corpora etiam pulchritudine cælestis patriæ. Respondetur secundò, verba Pauli intelligi frequenter de luce increata diuinitatis, *quoniam Deus lux est*, inquit S. Ioannes in epist. 1. cap. 1. vers. 5. Et vt S. Gregorius lib. 18. Moralium cap. 28. *Illi simplici, & incomprehensibilis essentiæ non est aliud claritas, aliud natura sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est.* Legesis Maximilianum Sandæum in Theologia Mystica, commentatione 13. Exercit. & Disquisitione 1.

SECTIO VI.

An lux Empyrea sit diuersa in specie à solari aut ignea luce?

33 Moueri quis posset ad statuendam diuersitatem specificam his argumentis. Primum, lux Empyrea nuncupatur in Apocalypsi cap. 21. *Claritas Dei*; quo in modo dicendi denotatur claritas quædam speciei alterius perfectioris, & sublimioris. Secundum, in eodem capite Apocalypsis enuntiatur, *Ciuitatem cælestem non egere sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* Hæc autem verba innuere videntur diuersitatem specificam inter lucem Empyream, & solarem. Tertium desumitur ex verbis Sancti Chrysostomi, & S. Augustini. Ille in epistola 1. ad Theodorum lapsum ita fatur de regno cælesti, *Omnis effectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur; omnia erũt pax, lætitia gaudium; omnia serenitas, & tranquillitas, omnia dies, & splendor, & lux. Lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tãtum excedit fulgere, quantùm*

V ea

ea lumen lychni. Neque enim occulitur illic aut nocte, aut congressu nubium; nec vrit, nec inflammat corpora. Nam nox non obumbrat, nec aderit vespera. Hic serm. 85. in appendice de diuersis, siue 1. de festo omnium sanctorum. *Pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia, & quieta. Iugis splendor, non iste, qui nunc est, sed tanto clarior, quanto fælicior, quia ciuitas vt legitur, illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Vbi sancti fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamenti, qui ad iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nulla tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris, ardorisque asperitas vlla; sed talis erit rerum quædam temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum, qui perfrui digni inueniuntur.* Quartum, lux Empyrea fulgentior est luce solis per intensionem sibi connaturalem. Sed lux solis videtur maiorem intensionem habere non posse naturaliter. Ergo id prouenit ex diuersitate specifica lucis Empyreæ à solari. Confirmatur, Empyreum est fulgentius, quam corpus solare. Ast id melius intelligitur, si dicatur, lucem Empyream esse non solùm intensiorem, sed & perfectiorem. Ergo, &c. Quintum, lux solis, & ignis calefacit ex natura sua subiectum caloris capax. Sed lux Empyrea non est ex natura sua effectrix talis alterationis; alioqui vel actio eius continuò suspenderetur diuinitus; vel adiungi deberet alia qualitas, quæ eius resisteret actiuitati.

34 Hæc argumenta (non admodum vrgent, Ad primum respondere promptum est, ideo lucem Empyream vocari *claritatem Dei*, quia cumulatior, est, quam solis; vel quia est claritas Regiæ cælestis, in qua felicitat suos electos Diuina Maiestas; vel quia est claritas supremi corporis in vniuerso; consuetum namque est in sacris litteris, ea, quæ sunt summa, vocare diuina, vt astra, cedros, montes Dei. Si cum vatablo noster Pintus Ramiresius in Parallelis Politicis num. 1092. Tirinus, & alij passim. Adde ex humanioris litteraturæ Professoribus, Cerdam in nota ad v. 37. Eglogæ 3. virgilianæ. Similiter quod in re quaque maximum est, & præstantissimum, id dicitur esse Dei. Ita Andreas Schotus in adagiis sacris Testamenti noui pag. 126. Ad secundum, ideo scribi *ciuitatem cælestem non egere sole, neque luna, vt luceant in ea*, quia neque à Sole neque Luna transmittitur in illam lux. Ad tertium, SS. Chrysostomum, & Augustinum intendere tantummodo lucem Empyream à solari aliam esse in intensione. Et sic intelligenda sunt quædam verba S. Theresiæ cap. 38. suæ vitæ. Ad quartum, pati instantiam in sole, & igne: ille enim per intensionem sibi connaturalem fulgentior est, quam hic; & vlterius hic non potest habere naturaliter intensiorem lucem; & tamen non differt specie lux solaris ab ignea. Non, inquam, differt, siquidem non prouenit ex natura lucis igneæ, quod solarem non possit æquare in intensione; sed ex minori capacita formæ substantialis igneæ, quàm solaris. Idem dictum putetur de claritate solari comparata ad Empyreum. Ex proximo exemplo innotescit, intelligi optimè, fulgentius esse Empyreum, quam corpus solare, quin recurratur ad perfectiorem lucem in specie. Si replices, claritatem solarem esse summam, quæ naturaliter dari potest. Ergo Empyrea non potest esse maior, nisi aut per miraculum, aut quia sit distinctæ speciei. Respondebitur, esse summam respectu aliorum corporum cælestium, & subcælestium de facto existentium; non verò respectu Empyrei, aut alterius compositi naturalis producibilis à Deo. Constat ex his debilitas confirmationis. Ad quintum, lucem Empyream esse effectricem caloris in subiecto capaci; ipsum autem Empyreum non esse subiectum capax ideoque intra illud non produci à luce calorem, vti à solari non efficitur in astris, quin lucis solaris actio diuinitus suspendatur, aut quin in astris ponatur qualitas obsistens eius actiuitati. Et de luce Solis post diem vniuersalis Iudicij ait Richardus Victorinus lib. 3. super Apocalipsim c. 7. non effecturam calorem in aëre ob nimiam huius subtilitatem acceptam in renouatione postrema.

35 Moueri alius posset ad affirmandam vnitatem specificam inter lucem Empyream, & solarem, ac elementarem his rationibus, Prima, inter duas entiates specifica distinctio non est assignanda sine necessitate; in præsenti autem nulla apparet. Secunda, Empyrei materia, & quantitas pertinent ad eandem speciem, ad quam materia, & quantitas reliquorum corporum. Ergo similiter lux. Tertia, lux solaris, & ignea, aliorumque mixtorum, vt Nitedulæ, conueniunt in specie, vti sentiunt communiter Doctores apud Conimbricenses lib. 2. de cælo cap. 7. quæst. 9. art. 2. Ergo & Empyrea conueniet in specie cum luce solis, & ignis, &c. Quarta lux Empyrea intenderet solarem diffusam per cælum astrigerum, & elementa, si velum, quo obtegitur Empyreum, adimeretur; fieret enim aër v. g. magis lucidus. Ergo non differt in specie à solari. Nam ex qualitatibus distinctis in specie completa nequit resultare intensio; aliàs color intenderet calorem in eodem subiecto existentem; ex aduentuque coloris redderetur subiectum magis calidum. Quinta lux corporum glorificatorum est eiusdem speciei cum solari, & elementaris. Ergo & Empyrea erit eiusdem speciei cum illis. Antecedens colligitur ex scripturæ testimoniis, quæ deseruiunt ad probandam dotem claritatis in corporibus Beatorum. Etenim in eis testimoniis comparatur claritatis dos luci solari, & elementari, vt Mat. c. 13. vers. 43. 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 41. & 42. Danielis cap. 12. vers. 3. Iudicum cap. 5. vers. 31. Sapientiæ cap. 3. vers. 7. & de Christo transfigurato dicitur Matth. cap. 17. vers. 2. *Et resplenduit facies eius sicut sol.* splendor autem, qui tunc testagnauit in Christi facie, fuit eiusdem rationis cum splendore gloriæ, siquidem penes S. Hieronymum. *Qualis futurus est Christus tempore iudicandi, talis apparuit Apostolis.* Et paulò post: *Transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo.* Penes Eusebium Gallianum etiam, *talis apparuit* (in transfiguratione Christus) *qualis post hanc vitam in regno suo cunctis fidelibus apparebit. Licet*, vt docet S. Ephræm, *non totam gloriæ suæ abyssum eis ostenderit, at quantùm pupilla oculorum suorum capere, secernere poterant.* Et vt S. Leo, *temperarit, tunc, claritatem ad discipulorum ad spectum.* Atque vt S. Chrysostomus; *Discipulis tunc parens tantum splendorem adaperuerit, quantum illi percipere poterant.* Quo loci occurrunt memoriæ ea Papinij carmina lib. 4. Syluar. in Euch. ad epulum Domitiani.

Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vacauit
Tranquillum vultu, sed maiestate serena.
Mulcentem radios, summittentemque modestè

Fortuna

Fortunæ vexilla, sua, tamen ore nitebat
Dissimulatus honos, talem quoque barbarus hostis.
Posset & ignotæ conspectum agnoscere gentis.

His ex permissu versibus explico Patrum verbà de Christi ad discipulorum imbecillitatem temperato fulgore. Sextò accedit authoritas S. Athanasij q.79. circa Parabolas Euangelij. S. Basilij homil.6. in Exameron, & in Psal.28.v.7. S. Ambrosij lib.4. in Exameron cap.3. S. Cæsarij Dialogo 1. Hi enim quatuor Patres, vt & Theodoretus in Psalm.28. v.7. in Psal.96. v.4. Procopius Gazæus in cap.1. Genesis v.14. supponere videntur, lucem Empyream non esse diuersam specificè ab ignea, etsi in illa sit diuisa illuminatiua vis abustiua; quam hæc in Inferno habeat carens vi illuminatiua. Præsento verba solius Ambrosij. *In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam, vt alios illuminet, alios exurat; illuminet iustos, exurat impios. Non eosdem, quos illuminat, exurit, & quos exurit, illuminat; sed illuminatio eius inextinguibilis est ad perfunctionem bonorum; exustio vehemens ad supplicia peccatorum.*

Propendeo magis in posteriorẽ hanc partem, seu in specificam conuenientiam lucis Empyreæ cum solari, & elementari. Etsi enim appositis rationibus à secunda ad vltimam præbere solutionem arduum non sit, tamen prima ratio instar multarum est. Legantur sectio 1. exercit.13. & sectio 4. exercit. 22.

SECTIO VII.

A quo efficiatur lux Empyrea.

37 VAlles cap.1. sacræ Philosophiæ, & Ægidius Lusitanus tomo 3. de Beatitudine libr. 5. quæst. 4. artic. 5. §. 2. num.9. indicare videntur, lucem in Empyreum diffundi à corpore Christi, vt à Sole in Stellas, & corpora sublunaria. Illud Apocalypsis 21. *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* Daret fortè occasionem alicui, deditque reipsa Bartholomæo Sybillæ in speculo peregrinarum quæstionum Decade 1. cap. 3. quæst. 2. Sed immerito: nam in his verbis Sol mysticus Empyrei deprædicatur claritas Dei, & Luna mystica lux agni, seu humanitatis seruatoris Christi. Et licet hic suo fulgore illustraret corporaliter Empyreum, innata alia lux deberet in eo præsupponi, alioqui tenebrosum præcessisset, vsque dum Humanitas Christi occupauit eius sedes. Et præterea si Humanitas Christi, & Beatorum omnium corpora secederent, vt possunt, in spatia imaginaria vltra Empyreum, redderetur illud denuò obscuratum, aut indigens luce solari (si hæc aucta post diem Iudicij illuc pertingeret) ne omnino tenebresceret. Cum Christus etiam iudicaturus mundum, deseret ad tempus, domicilium Empyreum, maneret hoc in Cymeriis tenebris: tunc enim Beati omnes aderunt cum Christo, vt Tostatus q.195. in cap.25. Matth & Suarez tom.2. in 3. p.d.57. sect.3. luculentissimè probant. Quare nec ab Angelis illuminabitur tunc; euacuabitur namque omnibus ex phrasi S. Chrysostomi. Verum neque modo lucem ab eis accipit; non enim habent vim productiuam lucis; & cum creati non sint in Empyreo, vt in sect.2. exercitat.20. probabo, sequeretur extitisse tenebrosum vsque dum Beati Angeli incoluere ipsum. Adde, fore, vt minueretur fulgor Empyrei, quoties ad terram descenderent. *Nam in terram à Deo missi, non remanent in cælo*, vt dicimus in S. Damasceno lib.2. de fide cap.3. Niceta lib.2. Thesauri cap.40. & vt ex S. Anastasio Sinaita lib.1. de rectis fidei catholicæ dogmatibus, *essentiam sortiti sunt circumscriptam* (id est, terminatam) *vt ne potuerit Gabriel simul in cælo esse, & apud virginem.* Imo iuxta Didimum Alexandrinum lib.1. de Spiritu sancto, & S. Anselmum in Elucidario, *Angelus, qui aderat Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis*, (Apostolis) *in cæteris partibus mundi constitutis*; iuxta S. Basilium item lib. de Spiritu sancto cap.22. *Reliquæ virtutes omnes in loco circumscriptæ esse creduntur. Nam Angelus, qui astabat Cornelio, non erat in eodem loco, quo cum astaret Philippo; neque qui locutus est Zachariæ ab altari, per idem temporis etiam in cælo suam implebat stationem:* iuxta Diadochum in Eclogis S. Damasceni titulo 47. *Quo tempore Angeli mittuntur in mundum, impossibile est, eos in eodem esse loco, & supra cælum.* Sic vertit ex Græco Petauius tomo 3. Theologic. dogmatum libr. 1. de Angelis cap. 13. numer. 12. Notentur hæc contra Viguerium cap.3. Institutionum §. 2. vers. 4. vbi cum adstruxisset, Angelos esse in loco per operationem subiicit, *An autem Angeli possint esse nusquam? Dubium est, quia cum Angelus sit in loco per operationem, & applicationem virtutis, circa locum, & possit ab illa cessare, videtur esse posse nusquam, hoc est, in nullo loco. Aliqui tamen probabiliter tenent oppositum propter ornatum sedium cælestium eis deputatarum; propter quem ornatum, etiamsi alibi operentur, cum custodiunt homines, non desinunt esse in illo loco. Vnde Matth. 18. dicitur, Dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Et sic quamuis possint desinere esse in locis extrinsecis, non tamen possunt derelinquere habitudinem ad loca, ad quæ ornanda fuerunt deputati à principio suæ naturæ. In quibus aliter dicuntur esse, quam in inferioribus, cum circa ea operantur. Et sic non sunt eodem modo in duobus locis totalibus. Si quæratur quid sit ille ornatus? Cum erimus in patria videbimus. Quidam dicunt, quod est quædam refulgentia claritatis ex præsentia Angeli acceptantis illum locum; & sic sunt semper ibi per effectum impressum, & permanentem, quia illa refulgentia semper manet, & non eorum virtus, quando operantur in alio loco; & sic quando cessant operari in aliis locis, redeunt ad illam residentiam, per quam sunt ibi definitiuè. Quia nulla videtur ratio, quare Angeli boni sint nusquam, & deserant locum eis ordinatum.* Hucvsque Viguerius; in quo probanda non est inuariata omnium Angelorum in Empyreo præsentia, etiam penes effectum illius refulgentiæ, cum Patres absolutè doceant, Angelos non manere in cælo, dum ad terram mittuntur. Neq; locus Matthæi aliud euincit, quàm Angelos custodes videre semper faciem Patris, quandiu sunt siue in cælis, siue infra. Hinc reiiciendus est Mayro in 2. dist.2. q.8. tradens Angelum posse esse naturaliter in cælo simul, & in terra, confirmansque ex cap.12. Tobiæ vers. 15. vbi Angelus Raphaël existens in terra dixit, *Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui semper astamus ante Dominum.*

Sed Mayro ex suo adiunxit aduerbium *semper*; & sensus Raphaelis est, pertinere se ad septenarium numerum Angelorum, qui ordinariè assistunt in cælo, etsi aliquando extraordinariè mittantur foras. Hieronymus Columbus lib. 1. de Angelica, & humana Hierarchia cap. 34. n. 5. ac 6. lib. 2. cap. 57. n. 1. & 2. non renuens concedere, totum cælum, ac terram esse locum adæquatum naturalem nobiliorum Angelorum, vt Michaelis, Gabrielis, ac Raphaelis, hinc etiam explodendus est. Et vltra Patres memoratos S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. inquiens: *Seraphin de loco ad locum transit, non enim complet omnia*, debuisset considerari exactè à Columbo, vt & S. Chrysostomus homilia 3. in epistola ad Hebræos. S. Bernardus serm. 5. in Cantica S. Nazianzenus oratione 2. de Theologia, S. Gregorius Magnus lib. 2. Moralium cap. 3. S. Athanasius q. 26. ad Antiochum. Agam iterùm in Exercit. 16. contra Vigurium, & in sect. 7. Exercit. 20. multis impugnabo, lucem cantatam ab Angelis in Empyreo. Valles, & Ægidius suprà citati non aliud forsan voluerunt, quàm ciuitatem cælestem accipere ab humanitate Christi aliquod lucis incrementum. Sed neque id verum erit ex natura rei, si Empyreum totum sit summè lucidum modo explicando in sect. 8. & 9.

38 Iam ergo vt innotescat effectrix causa lucis Empyreæ prænotandum est, hanc esse innatam Empyrei proprietatem, vt dicebam in n. 30. tum, quia lux est proprietas reliquorum corporum cælestium. Ergo & huius nobilissimi. Tum quia immobilitas, & incorruptibilitas sunt proprietates negatiuæ Empyrei. Ergo lux erit proprietas positiua. Et ita ab omnibus supponitur; cum apud omnes fixum, & ratum sit, quantùm perpetua lectione comperire potui, Empyreum esse ex se aliquatenus lucidum. Hoc prænotato infero, lucem Empyream fieri immediatè à forma substantiali huius cœli. Nam proprietetes fiunt immediatè à suis naturis, vt ostendes sequens

DIGRESSIO.

Proprietates efficiuntur à substantiis, quarum sunt proprietates.

39 INsisto vestigiis Angelici Præceptoris, qui 1. p. q. 77. art. 6. in corpore, clarissimè, multùmque expressè, teste Deza Archiepiscopo Hispalensi in 1. dist. 3. q. 6. notabili 4. art. 3. docet, potentias animæ effici ab ea. *Vnde manifestum est*, inquit, *quòd omnes potentiæ animæ fluunt ab essentia animæ; sicut à principio: quia iam dictum est, quòd accidens causatur à subiecto secundum quòd est actu, & recipitur in eo, in quantum est in potentia.* Quòd si potentiæ animæ efficiuntur ab ea, cur lux residens in Empyreo non efficietur ab eius forma substantiali? Expressit id ipse S. Thomas paulò anteà dicens, *Actualitas formæ accidentalis causatur ab actualitate subiecti, ita quòd subiectum, in quantùm est in potentia, est susceptiuum formæ accidentalis; in quantùm autem est in actu, est eius productiuum. Et hoc dico de proprio, & per se accidenti.* Cum sensus S. Thomæ adeò perspicuus sit, non desunt zelatores scholæ Thomisticæ, qui nos ei oppositos obmurmurent, adducentes ipsius verba in solutione ad 2. scilicet, *Subiectum est causa proprii accidentis, & finalis, & quodammodò actiua.* Si enim censuisset, inquiunt, substantiam verè producere propria accidentia, non addidisset, *esse causam quodam modo actiuam illorum.* Debuissent aduertere, ideò additum à S. Thoma id, quia substantiæ non producit suas proprietates per actionem transmutatiuam, sed per emanatiuam, semper naturalem resultantiam; quæ actio, etsi physicè sit propria, ac vera, & diuersa à creatione, vel generatione substantiæ; sed moraliter non reputatur distincta ab actione productiua substantiæ, vt neque naturalis prima actio orta à substantia, vel à proprietatibus; indeque emanauit protritum adagium: *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*, illudque aliud gemellum *operatio quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse.* Sic intelligendi sunt antiqui Thomistæ. Replicant qui de recentibus bene mereri vellent S. Thomas art. 7. ad 1. ait: *Sicut potentia animæ ab essentia fluit, non per transmutationem, sed per naturalem quandam resultantiam :.:. ita est etiam de vna potentia respectu alterius.* Quare cum in eius mentem venire non potuerit, vnam potentiam producere aliam inferiorem per veram actionem mediam; ita neque animam producere potentiam superiorem per actionem mediam. Attamen primum venit in mentem S. Doctoris tum ibi per totum articulum 7. tum in 1. dist. 3. q. 4. per integrum articulum 3. defenditurque à Caietano in priori loco, ab aliisque Thomistis, teste Auersa quæst. 47. Philosophiæ sect. 2. Et opotteret ex Consilio S. Cyrilli Alexandrini lib. 9. contra Iulianum: *Sapientia eruditos, & verorum dogmatum scrutatores non semel sed sæpissimè, sursumque, & deorsum versare sensus singulorum, de quibus dubitatur, & quodammodò frequenter ructare, & iugi studio inuestigare difficiliora theoremata. Nam quod simpliciter susceptum est, & absque iudicio, & inquisitione, fit interdum damnosum.*

40 Probo à ratione intentū Primò, substantialis forma, estò sit subiectum suarum proprietatum, est tamen simul in actu. Ergo non est, cur eas, non efficiat. Ideo enim materia non efficit formam substantialem, cuius est subiectum quia pro priori ad formam non supponitur in actu formali. Debeo argumentum hoc Angelico acumini in articulo illo 6. Inquies, probum non videri, alioqui aqua esset principium effectiuum caloris, cum sit in actu; & materia pro priori ad formam substantialem efficit quantitatem, cum tamen non sit in actu formali, de quo loquitur S. Præceptor; licet sit in entitatiuo. Respondeo, argumentum egere fulcimentis vt rem absolutè conuincat; non verò vt discriminet proportionem, quæ est in forma substantiali ad effectionem suarum proprietatum ab improportione, quæ est in materia ad effectionem formæ substantialis. Secundò, substantia est in se productiua accidentium, quæ non sunt eius proprietates, Ergo à fortiori eorum, quæ sunt. Obfirmo Antecedens ex Thomisticis principiis. Nam primò inter substantias datur immediate prædicamentalis relatio similitudinis. Ita S. Thomas 1. p. q. 28. art. 1. ad 2. & q. 7. de potentia art. 9. ad 4. item opusculo 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid cap. 4. (si sit legitimum Angelici Doctoris) & cum eo plures Thomistæ relati ab Auersa q. 25. Philosophiæ sect. 4. Sed talis relatio consistens in modo penes ipsos, efficitur immediatè per naturalem resultantiam à substantia, quæ est fundamentum, vt de omni relatione prædicamentali tradunt apertè. Deinde duratio Angelica, & Animastica, quæ secundùm Tomistas est modalis entitas, efficitur immediatè à substantiis Angeli, & Animæ. Vlteriùs quando Angelus se ipsum cognoscit intuitiuè tunc substantia

substantia Angelica concurrit effectiuè per modum obiecti ad sui cognitionē intuitiuā, ita vt substantia Angelica præter id, quod præstat in Raphaële species Gabrielis ad cognitionem huius. Propositio hæc est manifestè S. Thomæ 1.p. q.56. art.1. Ergo substantia est productiua accidentium in se. Insuper plurium Thomistarum apud Amicum tomo de Angelis d.9. sect.6. n.94. & Franciscum de Lugo d. 8. de Angelis cap.3. n.8. sententia est, species impressas Angelorum fluere effectiuè ab ipsorum natura, siue dicendæ sint, siue non proprietates naturales. Denique Bartholomæus Medina 3.p.q.2.art.5.ad 5. Scripsit si Deus separaret miraculosè ab Anima Christi intellectum, tunc illam per se immediatè prodituram in intellectionē; & in alio ordine rerum non repugnare substantialem creaturam immediatè actiuam, defensare licet per recentissimum Thomistam Ioannem Martinez de Prado 2.p. Metaphysicæ controuersia 9. art. & §.3. Is Author art.4. §.2. num.59. & sequentibus labefactare conatur argumentum desumptum paulò antea à nobis ex actiuitate immediata substantiæ Angelicæ in cognitionem sui intuitiuam. Sed dum negat substantiam Angelicam influere tunc immediatè, rogandus est, quidnam sit illud, quod influit immediatè per modum obiecti? Et dum rursus in aliam partem se vertens, ait, non esse inconueniens, quòd substantia habeat immediatam efficientiam obiectiuam, vrgendus est, vt dicat cur non sine inconuenienti, habebit immediatam efficientiam per modum potentiæ? Pleraque saltem argumenta aduersariorum contra posteriorem hanc efficientiam patiuntur instantiam, aut eliduntur in priori illa. Quam substantiæ Angeli cogniti, penetrati cum cognoscente quidditatiuè, Thomistæ negare solent ea de causa inter alias, quòd substantia non sit operatiua ad extra; vnde ipsimet parem agnoscunt vtramque efficientiam, licet non seruent consequentiæ tenorem, qui Angelo Raphaeli tribuunt efficientiam obiectiuam suæ cognitionis, & eidem adimunt obiectiuam efficientiam cognitionis elicitæ à Gabriele indistante, aut penetrato.

41 Tertiò, substantia est sufficienter approximata sibi ipsi, vt constat; aliunde est satis proportionata productioni suarum proprietatum. Si enim vnum accidens est satis proportionatum ad productionem alterius æqualis sibi in perfectione, immeritò negabitur substantiæ proportio ad productionem accidentis superati ab ipsa imperfectione. Experimur etiam ad substantiæ præsentiam resultare, ac fieri proprietates ipsius. Ergo productio proprietatum iniuriè tribuitur alteri agenti. Quando enim commodè fieri potest, conuenientius recurritur ad principium internum, quàm ad externum: & substantiæ conceptui non repugnat vis effectiua, vt patet in Deo. Cui hæc ratio nullatenus placuerit, nullam inueniet ad probandum, entitates creatas gaudere vi effectiua. Quartò, operationes proprietatum tribuuntur substantiæ, vt primæ radici, & principali efficienti. Ast non, quia recipit proprietates; alioqui aquæ effectæ calore tribuerentur huius operationes: neque quia exigit proprietates; alioqui materiæ tribuerentur operationes non solum formarum substantialium materialium; sed etiam spiritualium vt talium, cùm has exigat quatenus disposita ad ipsas. Ergo ideo tribuuntur, quia efficit proprietates. Confirmatur, vt aliquis effectus tribuatur alicui entitati vt primæ radici, & principali causæ agendi, debet prouenire à tali entitate saltem mediatè, quatenus immediatè causet talis entitas aliam supplentem sui vices. Nam si hoc pacto res non se habeat, quo iure prior illa entitas vendicabit sibi nomen & dignitatem primæ radicis, & principalis causæ agendi? Explico exemplo materiæ, quæ vocatur primum subiectum: nam licet in communi opinione non recipiat immediatè omnia accidentia, recipit tamen immediatè quantitatem, in qua immediatè recipiuntur alia accidentia. Ergo vt igni v. g. tribuatur calefactio ligni tanquam primæ radici, & principali causæ agendi, debet saltem ignis efficere calorem immediatè in se, & mediante ipso calefactionem ligni. Confirmatur deinde, proprietates Metaphysicæ concipiuntur trahere ortum ab essentia immediatè. Ergo proprietates physicæ, quarum instar illæ aliæ apprehenduntur, ducunt immediatè veram, & propriam originem realem ab eadem essentia, si creata sit.

42 Quintò, aqua separata ab igne recuperat amissam frigiditatem. Sed talis recuperatio satis Philosophicè refertur in ipsam aquam denuò efficientem frigiditatis, neque enim datur aliud agens, in quod commodè referatur, maximè quando aer ambiens non habet tantam frigiditatem, quanta est ea, quam habet aqua. Dices, species vini in Eucharistia recuperare pristinū frigus, si fortè calore fuerint affectæ, & tamen eam recuperationem non prouenire à substantia vini, cum ibi non existat. Respondetur cum Suario tom.3. in 3.p.d.57.sect. 1. v. *vltimo*, & Cardinali Lugo d.9. de Eucharistia sect. 2. n. 21. suppleri à Deo efficientiam formæ vini; vt sic occultet mysterium. Quòd si in casu nostri argumenti recurras ad Deum, vt ad causam producentem adæquatè frigiditatem, quo fundamento negabis, Deum efficere adæquatè calorē, quem præsente calore ignis applicati experimur in ligno? Nec philosophicum est recurrere ad causam vniuersalem, nisi manifesta ratio ad id cogat ob defectum, aut improportionem causæ particularis secundæ. Dices rursus, frigiditatē aquæ fieri ab occulta quadā qualitate, sicut, extrinseco impedimēto amoto, fit descensus grauium per qualitatē grauitatis, & non immediatè per formā substantialem lapidis v.g. cui tam cōnaturalis est descensus, quam aquæ frigiditas. Sed contra, quia occulta illa qualitas cōmentitia est; & Philosophis persuasum habent sibi, frigiditatem in aqua esse vnam ex primis qualitatibus quæ aliā non supponat. Præterea fieret ne à solo Deo vel etiam à forma aquæ ea qualitas? Si à solo Deo, fiat & ab ipso solo frigiditas titulo conseruantis aquam, nam in hoc titulo non fundatur minus ius ad effectionē frigiditatis, quàm in titulo producendi primitus. Si etiam à forma aquæ, iam admittis, formā aquæ esse in se immediatè operatiuam; quo admisso, fatere mecū, producere immediatè in se frigiditatem, quin ad occultam qualitatem appelles. Et rogo iterum, an ea qualitas esset ingenita aquæ, vel tunc primum adquireretur, quando ignis separaretur? Si esset ingenita, cur occultam aliam qualitatem innatam non constituis in Angelo, & anima rationali ad productionem potentiarum intelligendi ac volendi, & ad recuperationem ipsarum, si fortè aliquando deperdantur diuinitus? vt omittam, miram esse qualitatem, quæ inuariabilis sit in aqua, nec intensioni, & remissioni sit subiecta. Si tunc primum adquireretur. Ergo similiter casu, quo Angelus

amiſſam diuinitùs potentiam intellectiuam recuperaret, adquirenda etiam eſſet occulta quædam qualitas, à qua oriretur potentia intellectiua. Et hæc ſatis contra merum figmentum eius qualitatis cui non fauet exemplum grauitatis; tum quia hæc forſàn non diſtinguitur à forma lapidea, & denſitate; tum quia eſto diſtinguatur, vt mihi probabilius eſt, arguitur minus aptè ex qualitate nota ad ignotam. Dices vlterius, frigiditatem aquæ cauſari ab huius actione generatiua manente virtualiter in aqua ipſa tãquam in termino producto; ea namque actio, ſublato impedimento prorumpit incunctanter in frigiditatem. Sed contra, tum quia deficiente termino actionis, nequit vllatenus manere actio, quæ debet eſſe vltima determinatio ad exiſtentiam termini, & eſſentialiter connexa cum exiſtentia ipſius; tum quia illa actio tranſiuit formaliter, ac realiter, vt fateris. Ergo cum cauſetur de nouo frigiditas, debet dari noua actio formalis, ac realis, per quam fiat, & non ſufficiet virtualis. Poſtremò dices, manere ſemper in aqua diminutam aliquam frigiditatem, per quam illa reſtituitur integram anteà habitam. Sed contrà, quia alioqui vbicumque fuerit vnus frigiditatis gradus, ibi ad ſummam vſque ſemper vnietur, & quodcumque calidum igne fiet neceſſariò, producente primo gradu ſecundum, & ſecundo tertium, ſicque de reliquis, ſi deficiat impedimentum præualentis contrarij.

43 Sextò, probant alij, quia nulla eſt ſubſtantia creata, quæ alicuius accidentis non ſit immediatè paſſiua. Ergo & nulla erit, quæ alicuius accidentis immediatè effectiua non ſit. Septimò alij, quia ſubſtantialium formarum perfectio dignoſcitur ex proprietatibus earum. Vnde quò perfectiores conſtar eſſe proprietates, eò formas perfectiores indicamus. Sed ſi hæ non efficerent illas, leue eſſet indicium, quandoquidem materia, vnio, & actio exigant formam ſubſtantialem, compoſitum, & terminum, paruæ tamen ſint perfectionis. Octauò ijdem, quia accidens efficit ſuas proprietates. Ergo & ſubſtantia ſuas, ne accidens antiſtet ſubſtantiæ in dominio phyſico erga proprietates, & ne imperfectior actus eſſendi ſuperet perfectiorem in operatione. His argumentis ego non vtor. Nam ſextum inſtatur in materia, quæ & ſi paſſiua ſit formarum ſubſtantialium, actiua tamen non eſt. Ergo ſicut à virtute paſſiua materiæ in formas ſubſtantiales non valet illatio ad effectiuam, eo quòd hæc maiorem perfectionem exigat, quàm illa, ſic neque valebit à virtute paſſiua ſubſtantiæ creatæ reſpectu propriorum accidentium ad virtutem actiuam reſpectu eorundem, niſi aliud addatur. Ad ſeptimum dici poteſt, ex perfectione proprietatis exactæ deduci perfectionem formæ exigentis independenter ab efficientia, vti independenter ab hac perfectior cenſebitur ea materia, quæ determinatè exigat perfectiorem formam ſubſtantialem. Sunt quidem aliquæ entitates, in quibus exigentia aliarum non arguit magnam perfectionem ob prædicata alia imperfecta, quæ ſimul important. Sed & illæ eò erunt nobiliores, quò nobiliores fuerint entitates exactæ. Ad octauum reſpondebitur, vel negando Antecedens, nam vbicatio in accidentibus (idem de duratione, ſi diſtinguatur ab ipſis, & coexiſtenti inſtanti) erit eadem naturaliter, ac in ſubſtantia, aut eandem cauſam ſortietur. Neque dantur aliæ proprietates communes omnibus accidentibus. Qualitates verò ſecundas oriri efficienter ex primis, & ſecundas aliquas ex alijs ſecundis, ſiue in elementis, ſiue in mixtis, inficiantur complures. Quod autem accidens ſit operatiuum ad extra, non conuincit debere pariter eſſe operatiuum ad intra; ſiquidem modus operandi ad intra, ſeu immanenter ſit ex genere ſuo perfectior modo operandi ad extra, ſeu tranſeunter; & à minori ad maius non conficitur efficax argumentum. Vel reſpondebitur permittendo Antecedens & negando conſequentiam, cum enim conſtet, accidentia eſſe operatiua in ſubiecto extraneo, idque non conſtet de ſubſtantiis creatis, apparet ixinde aliquod diſcrimen vt accidentia præ ſubſtantiis creatis ſuas producant proprietates, in quas magis propendent, quam in effectus communicandos extraneo ſubiecto ad ſpeciei propagationem, quia per illas perficiuntur intrinſecùs, & in ſua entitate, proſpiciuntque propriæ ſuæ conſeruationem.

44 Obiectant frequenter Thomiſtæ. Primò, ſubſtantia creata non eſt operatiua in ſubiecto extraneo. Ergo neque in ſe ipſa. Secundò quantitas, quæ eſt materiæ proprietas, non producitur ab ipſa materia. Ergo neque aliæ proprietates à ſuis naturis ſubſtantialibus. Tertiò, ſi quæuis ſubſtantia creata produceret ſuas proprietates, viueret per illas; cauſatas quidem immanenter, & ab intrinſeco. Quartò, gratia habitualis ſanctificans, non efficit immediatè reliquos habitus ſupernaturales, etiam ſi in ordine ſupernaturali ſe gerat per modum naturæ, & ſubſtantiæ. Quintò, qui dat formam, dat conſequuta ad illam. Ergo proprietates non cauſantur à ſubſtantia, quam ſubſequũtur, & afficiunt ſed à generante ipſam. Sextò, niſi proprietates fierent à generante, ſequeretur, nullius actionis naturalis poſſe dari duplicem terminum, alium primarium, alium ſecundarium. Septimò, grauia & leuia localiter mouentur, illa deorſum, hæc ſurſum, non à ſe, ſed à generante. Ergo ſimiliter ſubſtantiæ non à ſe, ſed à generante prorumpunt in productionem ſuarum proprietatum. Octauò, calor, qui eſt proprietas ignis præcedit vt diſpoſitio ad introductionem huius in ligno. Ergo oriri nequit ab igne, alioqui ſimul præcederet pro priori, & ſubſequeretur pro poſteriori, intercederetque mutua cauſalitas in eodem inſtanti inter ipſum, & ignem.

45 His citiſſime me expedio. Ad primum, nego antecedens. Et eo conceſſo, nutat conſequentia; tum quia vt ſubſtantiæ creatæ operentur in ſubiecto extraneo, gaudent accidentibus tanquam vicariis, & inſtrumentis non verò vt operentur in ſe ipſis ſuas proprietates; tum quia ſubſtantia Angelica, aut Animaſtica rationalis debet ob ſpeciales rationes eſſe immediatè operatiua actuum vitalium in ſe, etſi concedatur inſtructam eſſe potentiis diſtinctis ad agendum extra ſe. Secundi argumenti antecedens admittitur à Vaſquio, Pereira, & Petro Hurtado; ſed conſequentiùs negatur à nobis, cum materia ſit perfectior quantitate, & ſufficienter applicata ipſi, aliundeque nulla ſe offerat ratio, ob quam carere debeat vi effectiua eius. Quòd enim dicatur potentia pura paſſiua, ſatis non eſt. Nam hoc nomen idemne præſtat, ſi materia careat tum actu formali, tum actu primo effectiuo formarum ſubſtantialium; nec nemini potentiæ puræ paſſiuæ tanta religio debetur, vt eius de cauſa, & ad maiorem incolumitatem omnis actiuitas excludenda ſit à materia. Quòd autem materia non conſtet partibus, ſecus quantitas, ſatis etiam non eſt, etſi primum mihi non probetur. Deus

namque

namque partium expers causat quantitatem effectiuè, & ipsa materia causat saltem materialiter iuxta aduersarios. Ad tertium respondeo, proprietates non esse extra statum integrum, & naturalem substantiæ, ideoque hanc non viuere per productionem illarum. Argutiæ aliæ de requisitis ad vitam dissimulandæ mihi videntur hoc in loco, & tempore. Ad quartum, gratiam habitualem esse solum modò naturam, & substantiam per imitationem, quatenus eam comitantur reliqui habitus supernaturales, vti essentiam proprietates. Si enim gratia esset rigorosè natura, subiicientur in illa supernaturales habitus, & esset stricta substantia, quemadmodùm est stricta substantia quicquid in ordine naturali est natura. Ripalda disp. 121. de ente supernaturali sect. 3. à n. 12. Granadus 1. 2. controu. 4. d. 4. n. 3. & controu. 8. tract. 4. d. 3. defensant, gratiam effectiuè producere reliquos habitus supernaturales; insinuaturque id à S. Thoma 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. Extricat ingeniosè Ouiedus controu. 3. de Iustificatione punct. 1. quicquid vulgò opponitur contra eam gratiæ actiuitatem, quæ si vera esset, nostram probaret sententiam. Ad quintum, qui dat formam, dare mediatè consequuta ad illam, quatenus actio producens formam infert actionem huius in proprietates consequutas. Vnde vtraque actio reputatur moraliter vna & indiuisibilis, vt iam monui in n. 39. Explicandumque pariter est illud aliud axioma, *quod est causa causæ, est causa causati*, &c. Ad sextum, proprietates esse terminum secundarium actionis, per quam producitur substantia, eo quòd talis actio connectatur ex natura rei cum subsequuta alia actione producente passiones. Et quidem cum materia, aut forma substantialis Empyrea possit diuinitùs produci, & conseruari sine quantitate, aut luce, & per creationem producatur, & conseruetur materia, quantitas verò per generationem, infertur optimè, diuersam esse realiter actionem productiuam, & conseruatiuam materiæ, aut formæ substantialis à productiua, & conseruatiua quantitatis, aut lucis. Quippe, vt rectè docet Gerardus Senensis in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. v. *Illud*, terminis separabilibus realiter, & præsertim vni creabili alteri generabili debent saltem ex natura rei respondere diuersæ actiones. Imò si materia quantitatem aut forma substantialis præcedat lucem, vt causa materialis, repugnabit omnino, vt non respondeant actiones diuersæ. Nam si materia vt causa materialis præcedit pro priori quantitatem, necesse prorsus est, actionem productiuam materiæ præcedere etiam pro priori actionem productiuam quantitatis. Proindeque vnam distingui ab alia. Neq; euades difficultatem dicendo, hinc tantùm conuinci distinctionem inter actionem productiuam quantitatis, & passionem materiæ ab ipsa quantitate. Etsi enim gratis conniuerem distinctione actionis eductiuæ à passione, tamen non possum non censere impossibile, vt actio eductiua præcedat pro priori passionem, cum manifestissimè repugnet quantitatem, pro vno priori existere vt generatam seu vt eductam ex potentia materiæ, quin pro eodem priori existat vt recepta, ac sustentata in materia; quæ hoc ipso patietur quantitatem; & cum non minus apertè repugnet, quantitatem existere, aut intelligi existentem, quin sit, aut intelligatur causata adæquatè. Ad septimum respondeo, grauium, & leuium motum non prouenire immediatè, & proximè à generante, sed ab ipsis grauibus & leuibus: tribui tamen generanti; tribui, inquam, physicè mediatè, & moraliter immediatè. Pro qua sententia fideiussor sit eximius Doctor Suarez d. 18. Metaphysicæ sect. 7. à n. 21. Replicabis, saltem motus grauium, ac leuium non oritur immediatè physicè ab ipsis substantiis grauibus, ab leuibus, sed à distinctis qualitatibus grauitatis, ac leuitatis. Fateor. At grauitas, & leuitas oriuntur immediatè physicè à substantiis, quas afficiunt. Quidni ergo & aliæ proprietates? Quod verò motus grauium, & leuium non fiat à substantiis, probat vt summùm harum proprietates habere etiam effectiuam suam vim erga alia, sed vis ea, neutiquam à me negatur. Ad octauum dico, Thomistas non auersari mutuam vnius in alterum causalitatem, si vnum causet materialiter, vel quasi materialiter & alterum efficienter. Ast quia mutua hæc causalitas mihi non arridet, ideo meliùs dixerim, calorem in instanti, in quo est dispositio ad ignem, non produci efficienter ab ipso, secus in sequentibus instantibus, si perseueret idem numero calor. Nam in aliis instantibus non præoccupatur ignis ab alio agente, neque dependet pro priori naturæ à calore tanquam à dispositione, sed pro posteriori naturæ tanquam à pura proprietate. Inquies ad conseruationem ignis præcedit materia pro priori naturæ, vt disposita per calorem exigentem conseruari ignem. Sed contra, quia non præcedit nisi materia secundùm se, quæ eo ipso quod in instanti antecedenti possederit formam igneam & nunc non detur præualens contrarium, postulat naturaliter ratione formæ anteà habitæ permanentiam eiusdem. Verùm tamen accidentia, quæ sint puræ proprietates alicuius substantiæ, vt lux respectu formæ substantialis Empyreæ, oriuntur tam in primo instanti, quàm in sequentibus à tali substantia. Pro huius Digressionis doctrina consulatur sectio. 5. Exercit. 8. vbi probaui, naturam creatam producere efficienter connaturalem sui subsistentiam.

REGRESSIO.

Lux Empyrea efficitur à forma substantiali Empyrei.

46 DEducitur necessariè ex dictis. Mirabitur quis existere in rerum natura perfectam adeò formam substantialem; quæ innata actiuitate producat proximè & immediatè tam eximiam qualitatem in tanta intensione, quantam ostendent duæ sequentes sectiones. Ergo demiror non tam id, quam Numinis magnificentiam in construenda Regia, vbi amicos suos in æternum beatificet quo ad Animam & corpus. Certè

Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse palatia Regis.

Semel autem supposita cognitione finis, quem in Empyrei structura præfixit sibi Deus, non adeò mira mihi videtur tanta lucis copia effluens naturaliter ex huius cæli forma.

SECTIO VIII.

An lucis Empyreæ intensio sit tanta, vt ad eam non perueniat actu aliud corpus, nec peruenire possit ex lege ordinaria Dei.

47 COmmunis omnium Christicolarum existimatio est, superari ab Empyreo in splendore ignem, firmamentum, stellas & solem. Vnde S. Petrus

apud S.Clementem Romanum lib.1.Recognitionum inquit de cælesti Hierusalem, *super splendorem solis fulgebit in habitatione sanctorum.* Argentinas in 2.dist.2.art.1.asserit, *Empyreum in omni sua parte lucere sicut Sol, vel sicut clarissima Stella.* Ioannes Iustus Lanspergius serm.5.in festo S.Barbaræ, Bustus p. 2. Rosarij serm.19. titulo de *tertio gaudio* paradisi: *si omnes stellæ firmamenti haberent lumen solis, nihil fore incomparatione splendoris, & lociditatis cæli Empyrei.* Brulefer in 2. dist.14.q.1. *quamlibet partem Empyrei esse lucidiorem in centuplum sole.* Ea existimatio fundatur tum in iis, quæ de claritate cælestis ciuitatis denuntiat S.Ioannes in Apocalypsi; tum in loci dignitate. Si enim hæc suadet, locum, in quo Beati commorantur, debere esse lucidum, suadebit vna, illum esse fulgentissimum inter cuncta vniuersi corpora. Id ipsum probo philosophicè. Intensa lux est proprietas Empyrei cæli ratione exigentiæ stantis ex parte formæ substantialis Empyreæ. Ergo cum hæc sit perfectior formis corporum, quorum modò memini, perfectiorem lucis exigit, & obtinet intensionem. Oppones, formam noctilucæ nobiliorem simpliciter esse, quàm formam Empyrei; nec tamen intensiorem lucem exigere, aut habere. Respondeo primò, excellentiam formæ noctilucæ non consistere præcipuè in exigentia lucis, sed in facultate vitaliter operandi, ideòque non debere superare in luce formas alias, quibus penes facultatem illam tantùm est nobilior; ast non apparere, in quo forma Empyrea superet intrinsecè siue simpliciter, siue secùndùm quid lucidorum omnium corporum formas, nisi in exigentia plenioris lucis. Secundò, constitutioni, siue temperamento noctilucæ fore nociuam tantam lucem, quantam habet Empyreum, ideoque ex hac parte minui exigentiam, quæ ex latere maioris perfectionis, quasi debuisset excrescere. At non est cur Empyreo nocumentum afferat plenitudo lucis. Vnde deficit caput, ex quo decrescat exigentia illius.

48 Si Empyreum comparetur cum corporibus glorificatis, persuadebit sibi aliquis cum Ægidio Romano in 2.dist.& quæst.2.art.3. in resolut. dubij v. *Redeamus*, & v. *Ad maiorem*, corpora saltem Christi, & Deiparæ excedere illud in claritate. Nam cuiusuis gloriosi corporis claritas erit maior, quàm solis, vt sentiunt SS.Ephræm in oratione de iudicio, Anselmus in elucidario, & in lib. de similitudinibus cap.59. Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis cap.23. Thomas in 4.dist.48.quæst.2. art.3. Maior inquam, quàm solis, quando, vt præcinit Isaias, cap.3.v.26. *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Quæ verba intelliguntur à Patribus, & Theologis de incremento lucis in sole, & luna post diem Iudicij. Videantur S.Basilius in Psal.44. S.Anselmus vbi suprà. Et notetur S.Methildem lib.4. spiritualis gratiæ cap.7. *agnouisse à Domino, quòd in resurrectione futura corpus septies sole clarius erit, & anima septies clarior corpore, velut vestimentum corpus suum reincludens per omnia membra corporis, velut sol per Crystallum lucebit.* Rursus notetur, Alberto Magno in 4. dist.48. art.4. & ex modernis nostro Ioanni Phelippæo in cap.1. Oseæ v.9 non improbabile apparere, quòd lux solis minorata sit post hominis peccatum; indeque infert, lucem, tunc addendam, fore septies maiorem, aut æqualem habitæ in sex primis diebus. Si ergo tanta est lux in quolibet Beato, quanta erit in Christi Domini, & Matris sacratissimæ corporibus? De Christo ait Venerabilis Pater Ludouicus de la Puente lib.5. in Canticum Canticorum exhortatione 30.§.3. *Fulgere millies plusquam sol.* Antisiodorensis lib.4. summæ titulo de sensibus spiritualibus esse in infinitum sole lucidiorem. Viegas in cap.21. Apocalypsis commentario vltimo sect.4. num. 2. expendens illa verba, *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus* scribit, *Ex hoc loco obiter collige, excellentem humanitatis Christi splendorem, & præstantiam, siquidem cum lucerna dicatur comparata fulgentissimo soli diuinitatis; nihilominus instanti solis præsentia fulget: quod sanè mirum videri debet. Quis enim lucernam soli oppositam vidit vnquam splendescere? Quare non immeritò Ioannes ad Christi; quatenus homo est splendorem exaggerandum, cum præmisisset claritas Dei illuminabit eam, videlicet Sol ipse diuinitatis; continuò subiunxit, Et lucerna eius est agnus, vt intelligeremus Christum, vt homo est, tanti esse splendoris, & excellentiæ, vt etiam Deo comparatus, claritatem, splendoremque retinere videatur.* Ioachimus Abbas in cap.1. Apocalypsis v.13. inquit Christum *positum in regno diuinitatis suæ tanta præeminere claritate, tanta maiestatis gloria super Angelos fulgere, qui quondam propter homines ab Angelis extiterat minoratus, vt sicut in eo aliquando diuinitatis suæ gloriã occultabat humanitas, ita nunc humanitatis eius abiectio exinanita à maiestatis suæ gloria, & ab splendore summæ lucis velut absoluta esse videatur. Vt enim aliquando semet ipsum exinaniuit formam serui accipens, ita nunc forma ipsa seruitutis à maiestate gloriæ exinanita est, vt nihil in eo suspicionis remaneat, quo verus Dei filius minus esse credatur.* S. Vincentius Ferrer in serm. 2.pro Sabatho Domin. 1. Quadragesimæ animaduertit, dici de Christi facie in Transfigurat. resplenduisse, sicut Sol, non *quãtum, sol, quia sine comparatione facies Christi plus resplenduit; sed quia in hoc mundo nihil est clarius sole, ideo Euangelista comparãuit eam luci solis.* Eadem ferè est obseruatio Remigij apud Cathenam S.Thom. c.17. Matthæi v.2. *Si facies*, inquit, *Domini resplenduit sicut sol, & sancti sicut sol fulgebunt; nunquid erit æqualis claritas Domini, & seruorum? Nequaquam. Sed quia nihil lucidius inuenitur sole, idcircò ad manifestandum exemplum futuræ resurrectionis, & facies Domini resplendere, & iusti fulgere dicuntur, sicut sol.* Christi corpus post resurrectionem visum à Paulo tantam spargebat lucem, vt splendorem solis vinceret, & in meridie, vti ipse Apostolus testatur Actor.22.v.6. & 26. v.13. obscuratio solis, & lunæ relata Matthæi 24.v.29. & indicata Isaiæ 24.v.23. Ioelis.3.v.15. tribuitur à multis Patribus apud Suarium tomo 2.d.56. sect.3. Maldonatum in Matth.24.v.29. Barradam tomo 3.in Euangelia lib.9 cap.10. Castro in cap.3. Ioelis v.15. Pereyram in 6. Apocalypsis d.29. Escobarem volumine 5. in Euangelia temporis pag. 5. aduentui secundo Christi; ex cuius claritate sic orbis fulgebit, vt nec Solem nec Lunam apparere, aut lucere sinat. Hinc Victor Antiochenus in cap.13. Marci v.24. ait id (nempe *sol contenebrabitur*) *non ita accipiendum est quasi lampas illius extinguatur, aut secundùm se lucere desinat; sed quòd immenso aduentus Christi splendore superatus lucis radios claré, vt ante, non diffundat.* Eusebius etiam Gallicanus in catena S.Thomæ ad c. Lucæ 21.v.25. *Cum vero corruptibilis consummatio agetur, & secundùm Apostolum species huiusmodi transibit, & nouum succe-*

det

det sæculum, in quo vice sensibilium luminarium ipse Christus fulgebit, quasi iubar, & Rex noui sæculi tanta erit eius. Numinis virtus & gloria, vt sol, qui nunc radiat, atque Luna, & cætera sydera aduentu maioris luminis occultentur. Thacophylactus ibidem adductus ad v.27. tradit, Christum in Iudicio ampliùs, quàm sol, radiaturum, eaque de causa interalias cognoscendum ab omnibus: & de quouis Beatorum cogitat S. Chrysostomus homilia de præmiis sanctorum internosci posse in cælo ex fulgore supernè accepto. quasi lux in tanto, vel tanto cumulo sit signum, & tessera, vt discernatur inter vnum Beatum & alium. Qui cum Petro Hurtado d.48. de Incarnatione sect. & subsect.2. d.148. de charitate §.10. Sandæo in Theologia Iuridica comment.48. Augustino Bernal. d.30. de Incarnatione s. 3. gratiam habitualem Christi infinitam intensiuè autument, idem forsitam iudicabunt deluce, quæ gratiæ, & gloriæ animæ respondet, vt communis est Theologorum persuasio. Sed ego non sequar Hurtadum, Nam Clemens VI. Pontifex Maximus in Bulla, seu Epistola ad Patriarcham Armenorum datam apud Villanouam Auennionensis Diæcesis 18. Kalend. Octobris, anno sui Pontificatus 10. qui fuit Christi 1351. & exarata ab Abrahamo Bzobio in Annal. Eccle siast. anno isto 1351, n.21. proponit ipsi credẽdum *beatitudinem creatam, qua Christi anima est beata, infinita perfectione non exedere beatitudinem Angelorũ, vel beatitudinem animarũ.* Si autem visio beata non est intensiuè infinita in anima Christi, neq; gratia habitualis, cui proportionatur ex æquo visio, infinitam habebit intensionẽ. Sed licet finita affirmetur lux, indicium est infinitæ propè superior calculatio. De Virgine Matre asserit Dionysius Richel lib.4. laudum eius art.7. *fore clariorem, candidiorem, speciosiorem sole etiam innouato, & eius comparatione nec stellas fulsuras.* Ob id fortè à S. Damasceno in oratione de Natiuitate Virginis, & à Chysippo. S. Ephræmo, ac Gregorio Thaumaturgo in aliis de Deipara vocatur *fons lucis, lumenque lucidissimum, quo mundus illustratur.* Et Petrus Damiani in serm. de Assumptione inquit, *Sicut sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.* S. Bernardinus Senensis tom.4. serm.3. de nomine glorioso, Virginis art. & cap.3. pag.104. *electa est vt sol ad irradiandam totam multitudinem spirituum beatorum:* Ipsum Mariæ nomen sonat idem *ac illustrata, illuminata*, vt docent S. Epiphanius in oratione de laudibus Virginis, & S. Thomas opusculo 8. vbi notat, significare etiam idem, *ac illuminatrix*, quod & à SS. Gregorio Taumaturgo serm. 2. in Annuntiatione S. Mariæ, Hieronymo in lib. de Nominibus Hæbraicis fuerat prænotatum. Authores, qui post Suarium, Henrriquez, Barradam, atque Spinellum apud Sherlogum volumine 2. in Canticum Canticorum, Vestigatione, ac n.11. Thomam Maffutium lib.8. de Cælesti conuersatione cap.3. num. 2. Potræum in Corona Virginis tract.1. cap.6. tract.2. cap.10. non sine exemplo antiquorum de quibus Elias à S. Thæresia lib.2. legationis Ecclesiæ triũphantis c.10. n.19. & Anton. de Quintana Duennas in lib. de Nomine Sanctissimo Mariæ p.350. volunt existere in Virginis anima plures gradus gratiæ, quàm erunt in reliquis cælicolis, excepto Christo, satis consequenter & piè dicere poterunt, in corporis claritate eosdem superare. Sicque dicitur à S. Bernardino Senensi tomo illo 4. serm. de Assumptione Virg. Mariæ art.3. cap.1. pagin.157. *lux corporis gloriosa Virginis Mariæ maior est quàm futura sint omnia corpora Beatorum simul sumpta, dempto glorioso corpore Iesu Christi.* Asseritur etiam ab innominato quodam Authore apud Eusebium Nierembergium lib. de affectu, & amore erga Deiparam cap.17. & ipse Nierembergius in cap.18. putat, Virginem Matrem ornari cumulatiori gratia habituali, quàm quæ vnquam communicata fuit, & distribuetur omnibus puris creaturis collectiuè sumptis, imò & quàm quæ daretur cunctis hominibus si perseuerasset innocentiæ, iustitiæque originalis status. Addit Cornelius in cap.8. sapientiæ v.26. Incrementum impendiò maius. His tamen adhuc non admissis, ingens fundamentum est ad credendum, gloriosissimam Dominam excedere in claritate Empyreum. Relinquo aliis rem istam profundiùs meditandam.

49 Hactenus de prima parte sectionis. Vt secundæ satisfaciam, dico, verisimile mihi esse, tanta lucis copia exundare Empyreum, vt non sit producibilis ex lege ordinaria Dei forma substantialis exigens maiorem vt sui proprietatem. Ita apud me statuo, dum considero attentè, quantam deceat esse dignitatem loci, in quo Deus se facie ad faciem exhibet videndum. Etenim in nullo alio elucescet magis illis præstantia, quam in eo, quòd gaudeat forma, vltraquam non sit possibilis ex ordinaria lege Dei alia postulans maiorem intensionem lucis.

SECTIO IX.

Sitne tanta lucis Empyreæ intensio, vt nec naturaliter, nec diuinitùs possit augeri per gradus superadditos?

50 Asseto primò, non posse esse naturaliter maiorem. Non probo, ex eo quòd Empyreum habeat limitatam virtutem susceptiuam. Etenim ratio hæc est inefficax, si causa materialis præstare non debeat actiuum aliquem influxum. Imò etsi præstare, deberet, non video, cur maior virtus requiratur in aere v.g. ad suscipiendum nouem gradus lucis (suppono dici octo gradus lucis esse intensionem, quà maiorem non potest sustentare naturaliter aër) quàm ad suscipiendum simul octo gradus lucis, & sex caloris, quos simul coniunctos experimur. Inquies, subiectum quod cum vna vbicatione habet virtutem ad recipiendum octo gradus lucis, & sex caloris, caret virtute ad recipiendum octo gradus lucis cum duplici vbicatione. Ergo ex virtute aeris ad recipiendum cum octo gradibus lucis alios sex caloris non rectè arguitur virtus recipiendi simul cum octo gradibus lucis nonum alium. Sed contra, quia subiectum neque cum vno solo lucis gradu habet virtutem naturalem ad duplicem vbicationem in diuersis locis. Ergo sicut hinc non inferes, non habere virtutem ad duos gradus lucis, ita neque hinc ostendes defectum virtutis, ad nouem gradus lucis, concessa virtute ad octo lucis, & sex caloris. Contra iterùm absolutè, quia cum nobis constet experientia non posse idem corpus existere naturaliter in duplici loco adæquato, consequenter deducimus entia creata carere virtute naturali ad recipiendum simul duas vbicationes respondentes duobus

duobus locis adæquatis, idque independenter à receptione plurium, vel pauciorum aliorum accidentium. At nihil est, vnde colligamus, deesse vires aeri ad sustentandum nouem gradus lucis, quin potiùs ex ratione indicata, & alibi magis ex professo euoluenda colligitur oppositum.

52 Probo itaque assertionem; quia si lux Empyrea posset naturaliter intensior produci à forma substantiali Empyrea, esset actu producta, nisi intercesserit miraculum, siquidem forma non impedita miraculosè, neque retardata ex contrarij resistentia operetur quantùm potest, vtpotè agens necessarium. Forma autem Empyrea non est impedita miraculosè à Deo, vt producat in se totam lucem, quantam potest, neq; habet contrarium retardans ipsam. Ergo non gaudet virtute producendi in se alium gradum lucis præter eos, quibus de facto ornatur. Si roges, an ex parte etiam graduū lucis detur terminus intrinsecus intensionis, vti datur ex parte caloris recepti in aere? Respondeo, non dari. Cur enim octo gradus lucis respuerent nonum, à quo perficerentur sine dispendio aliquo, aut damno sui, si talis gradus eis adiungeretur? Neque ex parte caloris datur terminus intensionis, nisi quatenus calor ex natura sua est dispositio ad ignem; dispositio verò ad ignem debet esse in tali intensione, & non maiori, cum debeat esse in ea quam ignis valeat effectiuè conseruare, aut restaurare, si aliquis gradus amiserit ex pugna agentium circunstantium. Cæterùm hic terminus intensionis est non intrinsecus calori, sed potiùs extrinsecus per ordinem ad ignem non valentem eleuare suum influxum vltra octo gradus. Colludit ex integro nostra hæc doctrina cum ea, quam tradit Auersa quæst. 39. Philosophiæ sect. 1. & ex parte cum ea, quam Ouiedus controu. 4. de Generatione puncto 3. §. 2.

53 Assero secundò, intensionem lucis Empyreæ posse esse supernaturaliter maiorem. Assentient huic asserto, quotquot infinitum in intensione non repugnare affirmant; imò & deberent assentire, quotquot negant, vt præclarè conuincit Auersa q. 24. Philosophiæ sect. 4. Probari posset, quia sol habet de facto lucem secundùm terminum maximum lucis sibi connaturaliter possibilis. Et tamen in mundi renouatione accipiet supernaturaliter incrementum lucis. Ergo qualitates ordinis naturalis non habent intensionis terminum, vltra quem repugnet augeri diuinitùs. Consequentia est legitima, Minor sacratur Patrum, & Theologorum consensu. Maior pro se habet naturæ iura, quæ tandiu violanda soli dicetur improbabiliter, vt ex S. Thoma, & Soto notat Suarez tomo 2. in 3. p. d. 58. sect. 2. v. *Addo præterea*. Non insisto huic probationi, quia erit, qui dicat, formam solarem post diem extremi iudicij fore perfectiorem substantialiter, & ab ea orituram lucem cumulatiorem, vt proprietatem connaturalem.

54 Sit prima nostra ratio; nullus est possibilis numerus, vltra quem non possit alius maior superaddi intra lineam finitæ multitudinis. Ergo similiter, cum essentiæ perfectionesque creatæ habeant se instar numerorū, nullus erit possibilis gradus lucis Empyreæ, vltra quem nequeat perfectior alius produci intra lineam etiam finitæ perfectionis. Sicut enim quilibet numerus est capax incrementi, quia finitus est, ita gradus quilibet eadem de causa. Antecedens, cuius probatio iam est insinuata, illustratur authoritate S. Augustini lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 18. S. Damasceni in Physica c. 11. aientiū certissimū esse numeros infinitos esse, potestate scilicet, seu syncategorematicè; quod docetur etiam ab Aristotele in 3. Physicorum libro c. 7. textu 68. Secunda ratio sit, repugnat moles quantitatis finitæ, quà maiorem non possit Deus facere per quantitatem siue æquè perfectam, siue perfectiorem præexistentem. *Quis enim Catholicus audeat dicere, esse posse corpus finitum tanta magnitudinis, vt Deus non possit facere maius?* Suarij sunt hæc verba. d. 30. Metaphysicæ sect. 17. n. 20. post S. Thomam dicentem 3. p. q. 7. art. 12. ad 1. *Cuilibet finita quantitati potest fieri additio, quia ex parte quantitatis finita non est aliquid, quod repugnet additioni.* Ergo pariformiter repugnat intensio finita, quam augere Deus sit impotens, siue gradus intensionis debeant esse perfectiores præexistentibus, siue æquè perfecti. Tertia ratio, producto octauo gradu lucis Empyreæ non exhauritur diuina omnipotentia, de qua inquit S. Dionysius Areopagita c. 4. de diuinis nominibus §. 2. *posse innumerabiliter infinitas potentias producere, & infinitas infinito numero productas potentias nunquam posse, supra quam infinitam potentia eius potentifica effectionem hebetare.* Ergo exerceri potest omnipotentiæ actiuitas in productione alterius gradus, qui sit nonus, & perfectior. Confirmatur, gradus octauus distat à Deo per infinitum interuallum in perfectione. Ergo non est, cur alius, & alius perfectior superaddi ei nequeat, nullus namque assignabitur, qui ad Dei accedat perfectionem. Certè si Deus potest producere octauum illum gradū, quia est finitæ, & limitatæ perfectionis, distansque infinitè ab ipso Deo, cur hic non poterit producere nonum? Qui etsi haberet maiorem perfectionem, quàm octauus, non tamen omnem possibilē, quin potiùs esset finitę, & limitatæ perfectionis, distásq; infinitè à Deo. Confirmatur rursus, quia cū quilibet gradus sit finitus, valebit Deus cuilibet gradui designabili alium, & aliū adiicere, à quo magis, & magis in infinitū participetur. Alioqui praticipabilitas diuina, quæ infinita est, exhauriretur participatione finita, qualis esset cuiusuis gradus designabilis. Alioqui etiam gradum, supra quem producere non posset alium perfectiorem non excederet infinitè: infinitus enim excessus postulat infinitum interuallum, infinitam distantiam, & infinitos gradus intermedios. Confirmatur vlteriùs, calor v. g. qui pro disputatione fingatur infinite intensus, posset, quantùm ex se est producere plures, & plures perfectiores gradus caloris in subiecto extraneo, nullus enim gradus esset determinatè assignabilis, supra quem non existeret alius perfectior habensque maiorem actiuitatem in calore infinitè intenso. Ergo respectu Dei, cuius perfectio est simpliciter infinita, continensque eminenter cum infinito excessu intensionem quamcumque caloris, nullus gradus huius poterit determinatè assignari, vltra quem possibiles non sint alij crescentes in perfectione. Sit quarta ratio, si intensio vt octo esset suprema, & finita alia maior esset impossibilis, sequeretur, intensionem vt nouem (quam mente cogitemus, nequæ enim id non licebit) euasuram infinitam ob additionem vnius tantum gradus, nempe noni; cum tamen finitum additione finiti nequeat cōcipi euadere infinitū; & perfectiones, quæ diuisæ sint finitæ, nequeant, si mente coniungātur, perfectionē vnam infinitā constituere, *nam quod ex finitis conflatum est, sine vlla controuersia finitum est*, teste S. Damasceno suprà. Adde, octauum gradum distare magis à primo, quàm ab octauo nonus

concipia

concipiatur distare. Sed octauus distat finitè à primo. Ergo ab octauo nonus finitè distans concipietur. Quare intensio vt nouem neutiquam euadet infinita. Quinta ratio, calori, vt calori non magis repugnat quantacumque intensio, quàm extensio, sicut enim saluabitur essentia caloris sub qualibet extensione, ita etiam sub qualibet intensione. Ergo quemadmodùm calor potest habere saltem diuinitùs maiorem, & maiorem extensionem, sic etiam & intensionem. Quòd si ex parte subiecti detur aliquid speciale in intensione, poterit vtique superari à Deo producente calorem vltra virtutem naturalem receptiuam, vel vltra exigentiam naturalem illius. Sexta ratio, possibiles sunt plures, & plures in infinitum durationes lucis intensæ: igitur & intensior in infinitum lux. Vltima ratio, si admittatur gradus aliquis intensionis, vltra quem non possit Deus efficere alium, deficiunt argumenta contra Abaelardum arbitrantem lib. 3. Introductionis ad Theologiam n. 5. ***Deum posse id solum facere, quod quandoque facit.*** Sed resipuit Abaelardus dicens in Apologia, seu confessione sua, ***Deum multa facere posse, quæ numquam faciet.*** Nec minus desunt contra Caluinum lib. 3. Institutionum cap. 23. comitem Abaelardi in errore, sed non in resipiscentia. Item contra Ioannem Hussium damnatum in Concilio Constantiensi sessione 15. asserentem, non posse à Deo fieri animas vltra eas, quæ fuerunt, sunt, & erunt, seu vltra certum numerum, mundumque à Deo non posse maiorari, vel minorari. Deficiunt itidem ad probandum, repugnare multitudinem Angelorum v. g. segratadim excedentium in perfectione, vltra quam multitudinem nequeat Deus alium Angelum producere continentem eminenter perfectionem illius. Talis autem multido repugnat, vt contra Aureolum Bachonem, & Durandum sentiunt communiter Theologi videndi apud Connimbricenses lib. 3 Physicorum cap. 8. q. 3. art. 2. Fassolum 1. p. q. 7. art. 3. ad 4. dubio 11. n. 14. Recepitum lib. 4. de Deo q. 8. cap. 4. n. 12. Marchinum. 1. p q. 25. art. 6. d. 53. sect. 1. licet illorum antiquorum opinationem emortuam iam, & sepultam, & quam Bañez vt hæreticam, Henriquez vt parùm tutam, & periculosam traducunt, extumulare tentent Arriaga d. 13. Physicorum. sect. 3. Bassonus allegatus ab Auersa q. 24. Philosophiæ sect. 4. nec non Theodorus Smising. tomo de Deo vno, tract. 3. d. 7. q. 5. n. 72. & hic quidem à n. 78. præfigit Deo terminum essentialem in productione intensionis, vti præfixerat in productione quo ad species substantialium creaturarum; consequentiùs in vtroque, quàm veriùs.

54 P. Franciscus Alfonsus d. 2. de Generatione sect. 9. singulariter inter modernos nostros tuetur, qualitatem ordinis naturalis nec diuinitus posse intendi vltra connaturalem terminum intensionis siue intrinsecum, siue extrinsecum. Ita expressè n. 110. & probat à n. 101. eodem argumento, quo infinitum actu in intensione repugnare. Argumentum est huiuscemodi. Intensio infinita vel constaret gradibus naturalibus, vel supernaturalibus? Si primum, daretur substantia naturalis petens per se gradus illos. Etenim naturales gradus debent per se consequi ex natura rei ad substantiam aliquam naturalem; eo autem ipso hæc illos exigeret, cum substantia petat ex natura rei illas qualitates, quæ per se consequuntur ad ipsam. Si secundum, existeret entitas creata continens in se infinitam, & illimitatam perfectionem essentialem. Cum enim vnus gradus intensionis superet alium in perfectione essentiali, quilibet gradus designabilis in intensione infinita superaret infinitos alios in perfectione essentiali, proindeque esset infinitæ, & illimitatæ perfectionis. Confirmat primò, qualitas intensa infinitè haberet infinitos gradus perfectiores, & perfectiores essentialiter. Ergo esset infinitè perfecta. Secundò, eo ipso quòd aliquod ens sit ab alio, quælibet eius perfectio debet esse finita essentialiter in serie sua; sicut eo ipso quòd Deus sit ens à se, necesse est, quòd quælibet eius perfectio sit infinita essentialiter in sua serie. Terriò, substantiæ naturali creatæ non potest conuenire per se qualitas infinitè intensa. Ergo repugnat qualitas creata constans infinitis gradibus intensionis subordinatis inter se. Non enim minorem connexionem habent gradus intensionis subordinati inter se cum qualitate ex illis resultante, quàm habet qualitas naturalis cum substantia naturali, ad quam per se consequitur. Ergo sicut repugnat substantia naturalis, ad quam per se consequatur qualitas aliqua infinitè intensa, ita repugnabit qualitas constans infinitis gradibus subordinatis inter se. Cum ergo ob hæc persuadeat sibi Alfonsus, repugnare infinitum actus in intensione constante gradibus inæqualibus penes perfectionem, persuadet etiam sibi, qualitatem naturalis ordinis habere terminum intensionis, vltra quem repugnet augeri adhuc de potentia absoluta Dei. Nam si posset augeri in infinitum, non esset, cur nequiret habere actu infinitum augmentum. Et licet nequiret habere, nihilominus sequeretur, Deum cognoscere extra se speciem aliquam inter creaturas infinitæ perfectionis essentialis, siquidem cognosceret vnam qualitatem possibilem constantem infinitis gradibus possibilibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum. Ne ergo id sequatur, præfigendus est terminus qualitatis naturalis intensioni, quæ iuxta hunc Authorem resultat ex gradibus inæqualibus in perfectione.

55 Argumenti nouitas me cogit, vt in eo extricando plus solito spatier. In primis, gradus intensionis infinite possent esse naturales. Neque facilè ostenderetur repugnare substantiam naturalem exigentem infinitos gradus intensæ qualitatis, siue æquales, siue inæquales in perfectione, naturales tamen. Sicuti vnio Hypostatica, quæ in ordine supernaturali est inter creatas perfectissima entitas, exigit, potiturque in humanitate Christi infinitis gradibus supernaturalis gratiæ habitualis, vt nonnulli Theologi citati in n. 48. volunt. Deinde substantiæ illius concessa repugnantia: gradus infiniti inæquales in perfectione essent naturales? quia licet tota ipsorum collectio superaret exigentiam cuiusuis substantiæ naturalis; non tamen quilibet sigillatim; gradus enim nonus, v. g. caloris, qui superaret exigentiam ignis præsentis, fortè non superaret exigentiam alterius ignis creabilis à Deo. Vlterius gradus intensionis infinitæ possunt esse super naturales. Nam admisso gratis, quemlibet gradum excedere infinites alios in perfectione, id satis non est, vt quilibet sit illimitatæ perfectionis; quippè ita superares, vt supra ipsum gradum essent alij perfectiores, & vt superati sint perfectionis finitæ. Hinc si Deus non haberet omnem perfectionem possibilem, non esset infinitus secundùm essentiam ex eo præcisè quòd præemineret in perfectione creaturis omnibus. Si intensio constet infinitis partibus proportionalibus, instatur clarè ratio Alfonsi in intensione penes duos gradus, quia si omnes

omnes partes gradus primi sunt inequales, Ergo secundus excedens omnes illas excedit infinitas partes inter se inæquales, quin tamen sit infinitè perfectus per hunc Authorem, cui sententia Aristotelica de compositione continui non displicet in disp. 25. Physicorum, & conuenienter ad eam docet disp. 2. de Generatione sect. 5. n. 52. partes cuiusuis gradus esse dissimiles, & inæquales in perfectione.

56 Ad primam confirmationem respondeo per instantiam in collectione, numerove substantiarum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum, quæ tamen non est infinita per essentiam. Dicit Alfonsus in collectione substantiarum, superior neque formaliter, neque eminenter deberet continere perfectionem inferioris; at in collectione graduum qualitatis intensæ per additionem vnius, resultat qualitas speciè perfectior præ excellente & includens formaliter omnes gradus. Vnde si isti sunt perfectiores, & perfectiores in infinitum, resultabit ex illis vna qualitas, quæ intrinsecè & essentialiter includat infinitam perfectionem. Contra, tum quia estò gradus quilibet superadditus includeret formaliter perfectiones infinitorum aliorum, adhuc non esset infinitus secundum essentiam, cum perfectiones aliorum sint limitatæ. Tum quia quilibet gradus superadditus habet in se finitam perfectionem. Quare sicut ex infinitis gradibus æqualibus præditis perfectione finita, non potest resultare perfectio simpliciter infinita; ita neque ex infinitis inæqualibus, dummodò quilibet in se seorsim non includat infinitam perfectionem. Tum quia perfectio qualitatis intensæ est dispersa per singulos gradus, & ex illis omnibus conflatur. Vnde si octo gradus (finge esse summam intensionem possibilem in calore respectu ignis) sint in se finiti, cur euadet infinitus secundùm essentiam alius gradus, quem ego contendo posse superaddi illis octo? Ad secundam respondeo per instantiam in infinito secundùm extensionem, & in infinito secundùm intensionem per gradus æqualis perfectionis. Quare sicut non est contra rationem entis ab alio infinitudo in serie quantitatis extensæ, & qualitatis intensæ per gradus æquè perfectos; sic neque erit per gradus inæquales. Et quidem sicut qualitas intensa resultat ex gradibus æqualibus, quin euehatur ad sphæram infinitæ simpliciter secundùm essentiam; sic ex inæqualibus. Nam infinitum simpliciter secundum essentiam est illud, quod gaudet omni perfectione simpliciter simplici. Ea autem non gauderet infinitum coalescens ex infinitis gradibus multiplicatis in infinitum. Ad tertiam respondeo, æqualem vim habere contra intensionem infinitam ex gradibus non subordinatis. Æquè enim videtur repugnare substantia naturalis creata, cui conueniant per se infiniti gradus non subordinati, ac subordinati. Si gradus subordinati infiniti, debeant esse supernaturales, in promptu est assignare repugnantiam substantiæ naturalis, cui conueniant per se: nihil enim supernaturale potest per se consequi ad entitatem naturalem, vt quid exactum ab illa; vt suppono ex conceptu entis naturalis, & supernaturalis. Licet autem substantia naturalis exigens gradus infinitos supernaturales inuoluat contradictionem, non sic ipsi gradus, vt patet. Si gradus subordinati sint naturales, non illicò apparet repugnantia substantiæ naturalis, quæ exigat gradus infinitos, vt dixi in n. 55. & repetam in n. 58.

Hæc pro enodando Alfonsi argumento, quod etsi vim haberet ad probandum intensionis infinitæ actualis repugnantiam, non video, quam habeat ad probandum octo gradibus (in quibus consistat summa intensio connaturalis) non posse diuinitùs superaddi alium perfectiorem, & his alios perfectiores, & perfectiores finitos in infinitum. Legatur Auersa 24. Philosophiæ sect. 4. ostendens, ex possibilitate maioris & maioris intensionis sequi vt summùm contradictionis implicantiam in intensione infinita actuali. Sed reuera solummodò sequitur, repugnare gradus intensionis, siue finitos, siue infinitos, siue æquales siue inæquales in perfectione vltra quos non sint possibiles alij, & alij; quæ consequutio est apud me verissima; nec enim minus repugnat qualitas intensissima omnium possibilium, quam substantia creata omnium possibilium perfectissima. Quod additur ab Alfonso de cognitione diuina terminata ad qualitatem constantem infinitis gradibus possibilibus, perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, patitur manifestam instantiam in cognitione etiam diuina terminata ad collectionem, aut numerum substantiarum possibilium perfectiorum, & perfectiorum in in infinitum, manetque abundè dilutum ex præcedentibus vt & plura alia similia, quæ afferunt non nulli Scotistæ, vt Smising, suprà, & Franciscus Felix tract. de Incarnatione cap. 11. difficultate 3. ac 4 Franciscus del Castillo in eodem tract. d. 11. q. 5. post Subtilem suum Doctorem in 3. & in Reportatis dist. 13.

57

58 Assero tertiò, etsi mihi manifestè non constet de repugnantia formæ naturalis substantialis, quæ exigeret infinitos actu gradus lucis; sed tamen eius conditionis non esse formam substantialem Empyream. Quia licet ex hinc magnopere commendaretur, id nihilominus est supra, & contra Philosophorum, ac Theologorum existimationem, fundatam in illis verbis sapientiæ cap. 11. v. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Et cunctis quidem statuunt, aut supponunt, non existere qualitatem naturalem infinitè intensam; præsertim ex formæ substantialis, & naturalis exigentia. *Multum autem dare solemus*, & debemus, *præsumptioni omnium hominum, veritatisque argumentum est, aliquid omnibus videri.* Vt instruimur à Seneca epist. 118. Petrus Hurtadus d. 13. Physicorum sect. 3. §. 62. Roderic. Arriaga disp. etiam 13. sect. 4. n. 48. & Balthasar Tellez parte 2. Philosophiæ d. 31. sect. 1. num. 6. tradunt, impossibilem esse substantiam naturalem creatam, cui competeret naturaliter intensio infinita alicuius qualitatis, alioqui ea substantia esset infinita penes essentiam. Sed hanc rationem nihil habere debent, qui vnioni hypostaticę respondere aiunt gratiam habitualem infinitè intensam tanquam proprietatem; & qui sentiunt, non repugnare lumen gloriæ infinitè intensum, proindeque connexum suapte naturâ cum visione Dei intensa infinitè, quam connaturaliter efficeret. Nec desunt, qui vnioni hypostaticæ tribuant efficientiam gratiæ habitualis in Christo. Sanè exigentia natiua, & efficientia alicuius, quod infinitum sit in aliquo tantùm genere, & se gerat, vt proprietas, non arguit infinitudinem simpliciter & in omni genere, sed infinitudinem secundùm quid, & in aliquo tantùm genere respectu rei gaudentis tali exigentia, atque efficientia; quæ posterior infinitudo non superat sphæram creaturæ. Angelus postulat naturaliter æternam, & infinitam durationem à parte post, ita vt æuiternitas

nitas sit eius proprietas connaturalis. Non pauci, nec vulgaris notæ Authores iudicant, possibilem esse Angelum, qui naturaliter peragat vbicationes simultaneas ad immensum, infinitumque spatium. Dices, virtutis finitæ subiectum, vti deberet esse entitas postulans qualitatem infinitè intensam, tanquam sui proprietatem affectiuam, non posset hanc naturaliter sustentare. Contra, quoniam minor perfectio requiritur ad sustentandum, quàm ad efficiendum. Cum ergo non repugnet creaturæ potestas connaturalis effectiua intensionis infinitæ repugnabit multò minus sustentatiua virtus. Et vtraque erit simpliciter finita, tametsi secundùm quid infinita. Omitto, nullam ad sustentationem materialem requiri virtutem, quæ propriè sit actiua ex parte subiecti sustentantis, vt tenet Arriaga, ex quo accepta est replica. Dices rursus, subiectum limitatum, qualis est omnis forma creata comparata ad suas proprietates accidentales, debere esse limitatè perfectibile. Si verò exigeret qualitatem infinitè intensam vt proprietatem, esset illimitatè perfectibile ex sua natura. Contra, quia tametsi esset illimitatè perfectibile ab ea qualitate; ast ex multis aliis capitibus esset suaptè naturà limitatè perfectibile, & ab ipsa qualitate perficeretur limitatè, non quidem penes numerum graduum, sed penes imperfectionem accidentis.

SECTIO X.

An lux Empyrea accipiet augmentum in mundiali renouatione? & an Empyrei concaua superficies reddetur lucida, conspicieturque à rediuiuis pueris, qui cum peccato originali decesserunt?

59 Irrefragabilis Doctor Alexander Alensis 2. part. summæ Theologiæ q. 47. membro 3. Vincentius Bellouacensis lib. 3. speculi naturalis cap. 89. Pelbartus lib. 2. Rosarij Theologici verbo *Cælum* §. 23. aiunt (quod & innuit Glossa super Psal. 101. v. 27.) Empyreum secundùm se totum in maiorem lucem innouandum, cum reliquæ orbis partes in die iudicij renouentur. Negant id, & meritò Suarez tom. 2. in 3. p. d. 58. sect. 2. v. *Ex quibus*. Thyræus de iucidaria Christi apparitione cap. 22. n. 29. Nam cum Empyreum fuerit ab initio summè lucidum, vt in sect. 8. visum est, & tradit Bartholomæus Anglicus lib. 8. de proprietatibus rerum cap. 3. excogitaretur sine fundamento sacræ scripturæ, aut Patrum accepturum diuinitus nouam lucis accessionem. Et testimonia quidem scripturæ sacræ, quæ syderibus pleniorem lucem tribuendam significant, transferrentur ad Empyreum absque exemplo Patrum. Confirmatur primò, quia sicut Beatorum corpora statim habent omnem perfectionem internam gloriæ, quin ea, consistens præcipuè in luce, accipiat incrementum; ita decet Empyreum, quod peculiariter dicatum est statui Beatitudinis corporalis habere ab initio nobiliorem suam perfectionem consistentem in luce, quin hæc aliquando augeatur. Confirmatur secundò, quia Empyreum non purgabitur, vt ostendam in sect. 2. Exercit. 12. Ergo neque innouabitur per maius lucis augmentum. Recipiet quidem nouum aliquem decorem, sed qualem, disce ex Iunilio Episcopo Africano lib. & cap. 2. de partibus diuinæ legis; *Quædam decorem suum in futurum recipient, vt corpus incorruptionem, & mortalia immortalitatem, & cæleste regnum habitationem sanctorum*, quatenus non iam paucorum, sed omnium Beatorum hominum glorificata corpora excipientur in Empyreo. Et de hac immutatione potest intelligi Rupertus lib. 1. de victoria Verbi Dei, c. 25. dum inquit: *Isti duo cæli, medium, & infimum* (id est firmamentum, & aër) *comparatione illius tertij* (id est Empyrei) *terra sunt, quia terrenis conspiciuntur oculis; illud autem, quod terrenis non conspicitur oculis, priùs quàm immutetur per gloriam resurrectionis, dicitur cælum cæli iuxta illud Dauidicum, cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

60 De Empyrei pauimento, quod nunc est opacum consentienter ad scripta in sect. 3. censeo cum Molina d. 3. de opere sex dierum v. *Ad tertium.* Aliisque recentioribus laudatis n. 11. reddendum transparens, & diaphanum, proindeque immutandum accidentaliter. Nam si elementis omnibus addenda est eximia quædam claritas, & quod mirabilius est, terra, etsi nunc opacæ, redderetur lucida, & peruia, sicut vitrum, vt dicam loco iam promisso in n. 22. multò potiùs illuminabitur, fietq; peruium Empyrei pauimentum. Et id rectè fieri potest sine mutatione substantiali; non aliter ac sine ea euadent pellucida, & transparentia corpora glorificata non obstante natiua, quam nunc habēt, opacitate. Fieri etiam potest sine rarefactione, vt ex eodem exemplo liquet, & ex priori alio terræ. An tunc inferiores sphæræ cælestes, & elementares illuminandæ sint ab Empyreo? vide in Exerc. 16. Rursus an pueri, qui cum solo peccato originali decesserunt, & rediuiui habitabunt, non sub terra, sed supra, vt ex multorum sententia referemus in sect. 10 exerc. 24. vel in loco subterraneo sed pellucido instar Crystalli, & illuminato vt probabilius videtur P. Arriag. tom. 1. in 1. 2. d. 52. sect. 2. P. Thyræo tract. de gloriosa Christi apparitione c. 22. n. 67. intuituri sint lucem Empyreã? non tractatur à Doctoribus.

61 Et ex vna quidem parte ablato impedimento opacitatis, quid in causa erit, ne conspiciatur? Ex altera autem parte intuitio lucis Empyreæ origo esset ingentis tristitiæ ob simul consideratam priuationem tantæ fœlicitatis; cum tamen pueros illos nulla tristitia afficiendos credant cōmuniter Theologi apud Salam 1. 2. tract. 13. d. 11. sect. 6. q. 2. Aluaresium lib. 11. de auxiliis diuinæ gratiæ d. 114. Montepilosum tom. 3. part. 2. Theologiæ d. 143. Azorium p. 1. Institutionum Moralium lib. 4 c. 33. q. 2. Franciscum Amicum tom. 3 Cursus Theologici disp. 25 sect. 5. n. 133. Iacobum Gordonum lib. 1 Theolog. Moral. q. 14. c. 5. n. 31. Dionysium Carthusianum in 2. dist. 33. q. 2. apud quem veluti ex condicto plerique Theologi veteres conspirant. Prætereà sicut nunc Empyrei lux occultatur terricolis, *Ne quis fortè indignus habitationē cælestium, & Dei ipsius sedē videret, quæ his solis, qui mundi sunt corde, videnda praparatur*, vt inquit S. Petrus teste S. Clemente Romano lib. 3. Recognitionum; ita æquū apparet, ne posteà eadē lux cernatur à paruulis illis exclusis Dei regno propter peccatū originale. Fauetq; similitudo petita ex dānatis existentibus in orco, quibus lux Empyrea manebit occulta vt scribā in exerc. 24. Hæc quæstio ex eis est, in quibus secundùm Richard. Victorin. lib. 2. de Emmanuele, c. 1. *Multò tolerabilius est dubitare de veritatis assertione, quā falsa confidēter astruere.* Et in quibus iuxta Volusianum epistola ad Augustinum: *Tunc magis ignoratur veritas, postquam præsumptum est*, quòd

quòd possit agnosci. Sed ne quæstionem indifinitam relinquam, propendeo magis in priorem partem, quia miracula non sunt præsumenda, nisi probentur, vt est in parœmia Theologica, pro qua Ferdinandus de Castro Palao 3 p. operis Moralis tract. 17.d.1.puncto 10.n.3. citat nonnullos Theologos. Miraculum autem esset, si præfati pueri non conspicerent Empyream lucem. Et cur huius intuitu erunt indigni, qui cælitum frequentibus visitationibus oblectabuntur, vt Catharinus in libello de ipsorum statu coniectatur? Vlteriùs in extremo iudicio conspicient gloriam Christi, vt docet S.Thomas in 4.dist.47.q.1. art.3. quæstiuncula 1. ad 3. Tostatus in cap. 25. Matthæi q.313. Suarez tomo 2. in 3.p. disp. 53. sect.6. Granadus controu.13.de Nouissimis p.2.tract. & d.4. sect.2. Quidni ergo siue tunc, siue post videbunt lucem Empyrei? Tristitia ob priuationem cælestis aulæ non aliter impedietur ac tristitia ob *Iudicis respectu eorum sententiam mediam inter præmium, atque supplicium*, vti loquitur S.Augustinus lib.3.de libero arbitrio cap. 23. & ob priuationem beatæ visionis, cuius notitiâ non omnino carebunt. Inquies ex Thoma in cap. 1. Apocalyps. v.7. Paruuli etsi videbunt Christum in Iudicio, non tamen cognoscent, nam *si aliter viderent, cognoscerent suum damnum, & dolerent, & sic haberent pœnam materialem, quod non est verum*. Ergo similiter quamuis videant lucem Empyream, saltem non cognoscent eam esse loci deputati ad præmium Beatorum. Difficile mihi est, Christum vt Iudicem non cognoscendum à paruulis; sed qui secus putet, poterit consequentiam concedere Hominum in vita mortali, & damnatorum in Inferno diuersa valdè conditio ab statu illorum paruulorum notabile offert discrimen, vt diuerso modo discutiatur circa visionem Empyreæ lucis.

De qua cum iam sat multa tractarim, superest, vt cum Boetio lib.3. de consolatione, metro 9. diuinum Numen sic deprecer:

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem.
Da fontem lustare boni, da, luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus,
Dissice terrena nebulas, & pondera molis;
Atque tuo splendore mica; tu namque serenum:
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Propheta Baruch cap. 5. v. 9. prænuntiat, *Deum adducturum Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia & iustitia, quæ ex ipso est*. S.Iob cap.36. v.33. ait: Deum *annuntiare de ea* (idest luce) *amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere*. Vtinam sim ego ex amicis, & electis, quibus Empyrea lux, vt possessio perfruenda indulgeatur; & quibus ascensus in fulgentissimam lucem concedatur ob Christi seruatoris merita, & Deiparæ Mariæ patrocinium! O me nimium felicem, si non in tenebras exteriores proiiciar, sed in lucem sanctam perducar, si me non locus horroris, & caliginis, sed

——— Stellantis Regia cæli
Accipiat securum! ———

EXERCITATIO VNDECIMA.

De immobilitate & loco Empyrei Cæli.

AB immobilitate Empyreum sortitur tantam dignitatem, *vt ens diuinum* nuncupetur à S.Thoma in 2. d.q.& art.2. ad 4. vbi ita fatur: *Alio modo dicitur naturale secundum quòd diuiditur contra ens diuinum, quod abstrahitur à materia, & motu: & sic naturale dicitur illud solum, quod mouetur, & est ordinatum ad generationem & corruptionem in rebus. Et hoc modo cælum Empyreum non est ens naturale, sed diuinum, quod ordinatum est ad gloriam Beatorum, nec materiam habet determinatam ad motum, sed ad finem suum.* Eodem nomine *Diuini* insigniunt Empyreum Ægidius Romanus in 2. dist. & q.2. in resolutione art.2. v. *Ad* 3. Franciscus Georgius Venetus in harmonia mundi cantico 1. tomo 3. concentu 6. Franciscus Iunctinus in sphæram Ioannis de Sacrobosco pag. 548. Tam nobili ergo proprietati huiusce cæli impendemus non immeritò aliqualem operam.

SECTIO PRIMA.

An Empyreum sit corpus immotum?

APud Theologos res est extra diffidium. Ex Patribus contestantur quieti Empyrei S.Nazianzenus, Procopius, Beda exarati in exercit. 2. sect.3. necnon S.Theresia à Iesu, vt retulimus. s.4. n.79. Ad eam comprobandam vtitur Ioannes de S.Geminiano lib. 1. summæ de exemplis cap. 32. authoritate S.Basilij aientis homilia 2. in Exameron, *Sicut damnati in tenebras exteriores abiguntur, ita remuneratio pro dignis operibus restauratur in ea luce, quæ est extra mundum, & ibi quietis domicilium sortietur*. Proponit eadem verba S.Thomas 1. p.q. 66. art.3. in corpore. Sed alij textum Græcum Basilij sic vertunt. *Qui dignè egerunt voluntate diuina, nimirùm hos in lumine supercælesti suam habere requiem constat*. Ex qua versione nihil pro quiete Empyrei firmum habetur.

Sacris in litteris non leue habet fundamentum Empyrei

Empyrei quies: Nam in eis illud vocatur sæpe sæpius terra vt Ps. 26. v. 13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Ps. 141. v. 6. *Portio mea in terra viuentium.* Isaiæ c. 38. *Dixi non videbo Dominum Deum in terra viuentium.* Matth. 5. v. 4. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* In quibus verbis alludit Christus ad illa Ps. 36. v. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis,* & in v. 9. dixerat Regius vates: *Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.* Frequentissimumque est apud Patres Ecclesiæ intelligere nomine terræ in his locis cælestem patriam, vt citatis multis obseruat Sylueira ad c. 5. Matth. v. 4. legatur nominatim S. Gregorius Nissenus oratione 2. de Beatitudinibus. Ideo autem Empyreum sic appellatur, quia sicut sola terra inter elementa est immobilis, ita inter cælos solum Empyreum. Incognitus in Ps. 150. v. 2590. super illud *laudate eum in firmamento virtutis eius* v. 1. scribit ex Nicolao de Lyra: *Hic vocatur firmamentum cælū Empyreum eo quòd est immobile, & firmum, & sic magis aptum diuinæ contēplationi, & eius laudi.*

3 Trahi huc potest S. Paulus in epistola ad Hæbræos c. 12. v. 28. dum concludit, *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam.* Sed de lege Euangelica magis genuinus est sensus litteralis eo loci. Aptiora sunt sunt alia verba eiusdem epistolæ c. 8. v. 1. & 2. *Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.* Hisce in verbis denotatur tabernaculum cæleste, cuius minister, & Pontifex sit Christus; illudque tabernaculum non ab homine, sed à Deo opifice stabilium. Ergo cælum volubile longè abest, vt sit illud tabernaculum, de quo Gentium Doctor sermonem habet. Illationem hanc natiuam agnoscunt Cornelius, & Ribera, ac Iustinianus; concinitq; animaduersioni Theophylacti dicentis. *Ecce maius quiddam, & certius tabernaculum cælum habemus: nam vetus illud nostrū hoc nouum perfigurabat. At primum illud manibus fuerat hominum fixum, vt de Moyse fertur, & aliis, ad verò nouum Deus perfixit. Hinc autem intelligi potest, quemadmodum & Basilius sentit, nec mobile esse cælum, nec circulare.* Sentiunt id ipsum S. Athanasius, S. Chrysostomus, Theodoretus, & Procopius adducti à Sixto Senensi in Bibliotheca sancta lib. 5. annotatione 3. ac. 9. nec non 14. & 80. libro etiam 6. annotatione 335. à Molina d. 3. de opere sex dierum v. *secundò ex illo Psalmo,* à Connimbricensibus lib. 1. de cælo c. 5. q. 1. art. 2. Si respondeatur, hos Patres, vt & alios, quos refert Pereyra lib. 2. in Genesim n. 37. & S. Dionysium Areopagitam c. 4. de diuinis nominibus §. 4. ex interpretatione S. Maximi, Gregoriique Pachymerij, S. Cæsarium dialogo 1. ac. 2. Oecumenium in Ps. 103. v. 3. loquutos de toto corpore Cælesti, quod immotum censuerunt, & in sydereo moueri astra, non vt gemmam in annulo, sed vt aues in aëre; quæ est etiam opinio multorum Astrologorum hac tempestate. Fateor ita quidem opinatos fuisse patres illos. Sed hinc potius infertur, mirandum non esse si Christiana Philosophia agnoscat immotū cælum Empyreum cui apprimè quadrant verba S. Pauli, quicquid sit de sydereo. Videantur alia sacræ paginæ testimonia in sect. 2. exercit. 2. Omitto verba Psal. 32. v. 6. Prouerbior. 3. v. 19. vbi cæli dicuntur firmati, & stabiliti verbo, & prudentia Domini. Nam non sunt specialia pro Empyreo; Et qui cum Aristotele sydereum cælum moueri putant, sic ea accipiunt, vt motui cælorum non incommodent. Non tamen omittam quædā S. Ambrosij verba in lib. de Noë. c. 7. *Addidit illic* (in arca veteris testamenti) *supportatoria immobilia esse, quòd sanctorum status stabilis, & firma sit, quia vitæ probabilis tramitem virtutis ductu secuti sunt, corruptelæ declinantes consortia.* Sic S. Ambrosius, qui paulò antea dixerat, arcam illam fuisse *imaginem imitatricem intelligibilis mundi.*

4 Pro quiete Empyrei suppetunt nobis rationes non incongruæ. Prima, Beatorū status est liber ab omni mutatione. Ergo oportet, vt eorum domicilium sapiat status beatifici conditionem in immobilitate. Confirmatur ex Durando in 2. d. 2. q. 1. n. 6. Empyreum est ordinatum, vt sit sedes Beatorū existentium in plena fruitione quietante appetitum rationalis creaturæ. Ergo est immotū; sic enim intercedet similitudo inter locatos, & locū. Secunda, Empyreum est speciale Dei domicilium. Ergo magis assimilabitur Deo in actu secundo immanente quietis, quàm in trāseunte motus. Par autem est, vt quoad possit, assimiletur Deo suum domicilium. Et deducet quidem locum, qui præcipua Dei sedes sit perpetuus motus, vt expendit Pineda in c. 1. Eccles. v. 4. n. 2. Physic. dogmatū. Hinc Homer. canit de Olympo, Deorum, quos venerabatur, domicilio.

..... *Sedes diuum dicitur esse*
Immota.

Et Lucretius in l. 3.

Apparet diuum numen, sedesque quieta.

Reliqua vtriusque Poëtæ habes n. 7. exercitationis præcedentis. Tertia, corpus aliquod motu absolui, est magna perfectio. Ergo cum Empyreū sit corpus adeò excellens, occuperque supremum locum in mundo, tanquam sibi naturalem, & proprium, erit omnino liberū à motu locali. Quarta, in die extremi Iudicij cessabit motus cæli syderei; quia tunc deficiet omnis generatio, & corruptio, quibus nunc deseruit motus ille. Sed Empyreum non deseruit generationi, & corruptioni rerum sublunariū, aut saltem hunc in finem non est conditū. Ergo semper immotum stat. Et id quidem congruit, vt quietis aliorum cælorum esset exēplar vti notat Sotus in 4. dist. 45. q. & art. 1. v. *dicitur ergo.* Confirmatur, corpora posita in suo centro, quiescunt ibi perpetuò, nisi bonum alterius, ad quod sunt destinata, aliud exigat, tunc enim mouentur vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Sed Empyreum conditum est à Deo in suo centro, vt & reliqui cæli; & præterea vniuersi bonum non exigit eius motum, cum factum non sit propter conseruationem rerum corruptibilium sed propter perfectionem vniuersi ad finem supernaturalem. Ergo quiescit permanenter in suo centro; non secus ac expleto prædestinatorum numero, quiescet cælum sydereum multò conuenientius, quàm si moueretur; nam vt sapienter ait Fonseca 5. Metaph. c. 4. q. 2. sect. 7. *Magis consentanea est, & naturæ cælestium corporum, & liberæ, beatæq; intelligentiarum motricium conditioni, & futuro item huius inferioris mundi statui perpetua cælorum quies, quàm motus.*

5 Vincentius Bellouacensis lib. 3. speculi naturalis cpa. 89. addit quintam hanc rationem. Nullum vniforme omnino circulare habet rationem inceptionis sui motus in vna parte potiùs quam in alia quare cum vbiq; nequeat incipere, nusquam incipiet. Sed Empyreū est corpus vniforme, & omnino circulare. Ergo, &c. Huius argumenti maior esset vera, si corpus vniforme omnino circulare mouendum esset ab intrinseco, secus si ab extrinseco. Tunc enim ratio inceptionis motus in vna parte

potius, quàm in alia desumeretur ex libito mouentis ab extrinseco. Empyreum autem si esset mobile, esset quidem ab extrinseco motore, vt de aliis cælis communiter existimatur. Vel saltem inceptio motus ex vna parte potius, quàm ex alia proueniret a diuina determinatione. Minor eiusdem argumēti, quoad secundam partem negatur à pluribus. Imò aliqui ex eo, quod figura Empyrei sit quadrata secundùm conuexam superficiem, conantur suadere ipsius quietem. Nam figura quadrata aptior est ad quietem, quàm ad motum, vt probat Aristot. lib. 2. de Cælo c. 4. Præterea si Empyreum quadratum moueretur, fieret, vt spatium semel occupatum relinqueret vacuum. Sed neq; istud argumentum est efficax, vt dicam in exerc. & n. 13. gratis etiam admisso, conuexam superficiem Empyrei non esse circularem.

6 Authores Moderni exinde frequenter probant, Empyreum non moueri, quia alioqui Beatorum corpora essent in perpetuo motu, ni miraculosè impediretur, ne ea secū raperet. Vanè ad continuum miraculum adstringeres Deum, si potuit, vt debes fateri, condere cælum immotum. Quòd si Deus fundauit orbē terræ immobilem, vt cōmodè in eo habitarent mortales, quidni architectatus fuerit immobile Empyreū? vt sic corpora, reddita immortalia, aut continuò non circumuoluerentur ex natura rei, aut non starēt, nisi perenni miraculo. Nec sufficit respōdere, fore, vt post extremi iudicij diem stet immotum cælū sydereum, ac proinde vt Beatorum corpora locata in illo non cieantur continuo motu, quin miraculo sit opus, & quin sequatur aliquid indecori. Nam contra est, quia modo existunt in cælo corpora Christi Domini, ac Deiparæ, multorumq; aliorum: quare modo debent existere in cælo, quod sit immotum. Nihilominus eneruari aliunde posset Modernorum argumentū, quia etsi glorificata corpora existerēt in cælo circumuoluto, non ideò mouerentur ex natura rei, neq; enim ibi grauitarēt. Et quamuis, quantùm ex se est, grauitarent, tamen per dotem permanentem agilitatis impedirent Beati grauitationem suorum corporum; quæ dos, etsi sit supernaturalis, pertinet tamen ad glorificationis corporalis statum. Quo supposito non esset nouum miraculū impeditio grauitationis facta à Beatis. Legesis n. 7. exerc. 14. & exerc. 18. Itaq; sicut Angelus motor sphæræ solaris non trahitur ab ea, sic neq; traherentur corpora glorificata à cælo sydereo circumacto, in quo existerent. Sed his non obstantibus, nescio quid indecentiæ appareret in eo, quòd Beatorū immota adhuc corpora existerēt, vt inordinatio domicilio in quadam velut rota (quæ apud Hispanos *Grua* nominatur) continuè gyrata. Hinc Aristoteles ignarus cæli immoti locauit beatas intelligentias extra vltimam sphæram mobilem, vt patet ex lib. 1. de cælo c. 9. text. 100. cum tamen sciret eas posse stare, licet existerent intra sphæram circumuolutam; quia nimirum alienam putauit à beatitatis statu motionem perpetuam domicilij. Video dici posse, fore contra decentiam status Beatifici, si beati agitarentur ad motum sui domicilij. Vnde Tullius lib. 1. de natura Deorum, sermonem habens contra quosdam Philosophos antiquos, qui Deū non distinguebant à mundo, prout comprehendente tam cælos, quam reliqua sublunaria, differit optimè his verbis. *Quæ vero vita beata attribuitur isti rotundo Deo? nempè vt ea celeritate contorqueatur, cui par nulla, ne cogitari quidem possit. In qua non video, vbinam mens constans, & vita beata possit insistere.* Cæterùm si non agitentur non fore contra decentiam. Nam Angeli motores cælestium sphærarum beati quidem sunt, & Deus ipse est maximè beatus, existūt tamen ipsi affixi sphęris motis, & Deus in toto vniuerso, quòd penes maiorem partem tot subit mutationes. Ob hæc nimis non contendam pro cōiectura, seu imaginatione superiori. Ostendi iam in sect. 6. exerc. 2. inualidas rationes naturales, quibus veteres aliqui theologi necessariam esse in vniuerso existentiam cæli cuiusdam immoti comprobare intendebant; ideoque eas prætermitto.

SECTIO II.

Insignis difficultas contra quietem Empyrei.

7 EAm sic propono. Primum mobile est contiguum Empyreo, corpori solido penes concauam saltem, & conuexam superficiem, Ergo secum rapit illud, quemadmodum citissimo suo motu rapit inferiores cælos. Cum enim gyramus rotā aliquam, illa non solùm circumfert inferiora solida sibi contigua, sed etiam exteriora; si vero exteriora solida non possit circumferre, neq, à nobis poterit gyrari, dum contigua sit. Quare si Empyreum nequit circumuolui à primo mobili, hoc non mouebitur nec à se, neque ab intelligentia assistente, nec à solo Deo. Vrgetur difficultas, si aliquid esset impedimento, ne Empyreum moueretur à primo mobili sibi contiguo maximè vel grauitas, vel corpus exterius, vel centri possessio. Sed primo Empyreum caret grauitate non minus, quàm cæteri cæli; deinde motui circulari ipsius nullum corpus obsistet; cum nullum sit extra ipsum. Denique Empyreum ex motu circulari non amittet suum centrum; vti non amittunt alij cæli. Ergo illud mouetur ad motum primi mobilis.

8 P. Ferdinandus de Salazar commentariis in Prouerbia tum cap. 8. n. 28. tum cap. 21. num. 1. coactum se fatetur hoc argumento, vt inter primum mobile, & Empyreum collocet corpus quoddam liquidum, in quo quasi frangatur, & hebescat motus rapidissimus illius, haud secus ac frangitur motus orbis lunaris in igne, aut aëre, aliter secum terram abriperet. Istud corpus liquidū sunt supercælestes aquæ passim decantatæ sacris in oraculis. Cornelius in cap. 8. Prouerbiorum non improbat discursum Ferdinandi. Laudandus est tantus hic vir, quod rem sacram ratione Philosophica curarit constabilire. Diuinæ quidem litteræ expressis adeò verbis aquas supercælestes contestantur, vt nisi Philosophia videretur contradicere, quisque Catholicus ea testimonia familiari in sensu intelligeret, ac interpretaretur. Ego tamen etsi Philosophiā inimicam haberem, dicerē cum S. August. lib. 2. de Genesi ad litteram c. 5. *Quoquomodo, & qualeslibet aquæ ibi sint, eas esse ibi minimè dubitamus. Maior est quippè scripturæ huius authoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.* Vnde meritò scripsit Hieronymus ab Oleastro annotationibus in c. 1. Genesis, *Controuertunt hîc aliqui, an vera sint aquæ supra firmamentum, seu extensionem? Et cum scriptura vbique clamet, eas ibidem esse, malunt multi Theologi cæcos Philosophos sequi, quam scripturæ authoritatem, qui si authoritati eiusdem scripturæ* (addi id potest ex S. Augustino lib. 11. de Ciuitate Dei c. vltimo) *subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent.*

conferent. Acerbius loquitur Beda quæstionibus in Genesim, *Tandem* (ita ille) *infamre desinant Hæretici, atque confusi cognoscant, quia qui cuncta potuit creare, potuit & illarum aquarum naturam glaciali soliditate stabilire in cœlo.* Salianus in Annalibus, die mundi secundo, affirmat Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani epistolam recitatam in sexta Synodo Generali act. 11. & approbatam tanquam orthodoxam act. 13. referre inter Origenis errores, *quod supercælestium aquarum creaturam improbarit*, & tradit Salianus; *quod non solum faciunt qui eas in Angelos commutant.* (vt Origenes refutatus à S. Basilio homilia 3. in Exameron. S. Epiphanio in epistola ad Hierosolymitanum Patriarcham Ioannem. S. Hieronymo in epist. ad Pammachium. Ruperto lib. 1. de operibus sanctissimæ Trinitatis cap. 23. Procopio Gazæo in cap. 1. Genesis, & ab aliis Patribus) *sed etiam qui pro supercalestibus aquis subcælestes inuehunt nubes.* Neque silendum est, positionem de aquis, quæ super cælos sunt, habitam quasi ratam, & constantem in quinta synodo Generali & in epistola Iustiniani Imperatoris ad Mennam. Transcripsi synodi, & epistolæ verba in exercitat. 6. n. 13. Ascanius Martinengus in Glossa magna litterali ad c. 1. Genesis v. 6. à pag. 637. vsque ad 652. numerosissimum omnium ferè Patrum Ecclesiæ profert syllabum in fauorem prædictarum aquarum, & non temerè pronuntiat, *Accedit sanctorum Patrum authoritas, qui mihi certè œcumenici ferè cuiusdam concilij speciem, ac maiestatem præse ferre videntur. Et quidem si Ecclesia ea Patrum tempestate ad hanc decidendã litem conciliũ iussu Papa coegisset, nec aliud profectò ipsi definiissent. Nec possum non vehementer mirari, quòd sententia ista per mille ducentos, & amplius annos frequentioribus calculis recepta & sancita, nunc ita facilè contemptui habeatur.* Hucvsque Martinengus, cui cõsonant Delrius de opere secundæ diei n. 42. Nicolaus Cabeus in Meteorologicis lib. 1. text. 4. q. 2. text. 72. q. 2. & Robert. Bellarminus in Ps. 148. v. 4. Vnde repurgandus est Matthæus Boroaldus, dum lib. 2. Chimici c. 5. ineptit, vocans somnia aquas collocatas supra firmamentum Crystallinum. Etsi autem apud Patres fuerit adeò perpetua, & firma opinio de existentia verarum lympharum super cælos mobiles; desudarunt tamen in reddenda ratione, & fine, quo illic positæ à Deo. Varij varias designarunt causas parum conformes Philosophiæ; non pauci se inscios confessi, Deum, qui locauit, nouisse, satis esse responderunt pro syncera in diuinas litteras intellectus obedientia. Ast iam apparet causa satis plausibilis; nimirum vt in eis hebesceret motus primi mobilis, & sic staret immotum Empyreum, quod alioqui moueretur, si esset contiguum primo mobili.

9 Dices primò, negotium superesse admissis adhuc naturalibus aquis supra primum mobile: nam illæ non sunt fluentes, aut extensæ in vapores, sed glacie concretæ, & instar Crystalli condensatæ. Negare non possum, sic nonnullos Patres putare, verumtamen plures sunt, qui fluidas aut in vapores redactas autumant; & ex primis iam vnum, iam aliud significant aliqui. Sequor eos, qui in nebulæ speciem illas adstruunt videndi apud Martinengũ à pag. 656. vsque ad 660. & quamuis summam ibi seruent frigiditatem, si tamen gaudeant humiditate propè summa, glaciales non erunt, cum gelu non oriatur è sola summa frigiditate, sed etiã ex siccitate: quippe experientia teste per humiditatem dissoluatur. Dices secundò, vt ex vnius corporis motu moueatur aliud contiguũ, opus est, quòd vnum veluti conetur alterum è loco exturbare, ne suum motum vlteriorem impediat; nam cum in eodem loco nequeant simul stare, si corpus *A* non expellat corpus *B*. sistet profectò corpus *A* aut retrocedet, aut verget in latus. Ast primum mobile non conaretur occupare locum Empyrei, etsi esset ei contiguum, tum quia non leuitat; tum quia ipsius motus est in suo centro: si verò conaretur ascendere in locum Empyrei, ageret contra innatam inclinationẽ in suum centrum. Ergo etsi primum mobile esset contiguum Empyreo, non ideò cieretur istud ex motu illius. P. Eusebius Niérembergius in curiosa Philosophia lib. 6. c. 12. & lib. 2. historiæ naturæ c. 5. & 6. ac 7. Ouiedus etiam contr. vnica de Cælo puncto 4. 7. contendunt simili discursu contra recepta Astronomiæ principia, nequire primum mobile ferre secum inferiores orbes sibi contiguos. Si obiiciatur hominem ferri à naui, etiamsi hæc non decertet cum illo quò ad locum; nihil refert, etenim homo grauitat in naui, impeditque aliquatenus motum illius; ideo nauis multum onerata tardius mouetur. Vna autem sphæra non grauitat in alia; nec ex vnius pondere retardatur motus alterius. Ad hæc: nauis leuitat, ne mergatur, homo grauitat, vt mergatur; vincit tamen impulsus nauis, quia fortior, ideoque cedit homo, & se ferri patitur. Ast neque primum mobile grauitat, neque leuitat inferior sphæra; quare inter vtrumque nullus erit impulsus, proindeque neutrum mouebitur ab alio. Si obiiciatur rursus, quando situla agitur in gyrum, rapit suo motu, si velox sit, aquam intus inclusam contra ipsius etiam grauitatem. Multò ergo meliùs vnus globus cælestis rapiet alium carentem grauitate, per quam reniratur. Neque id refert; nam potius grauitas aquæ contentæ intra situlam est in causa, vt ad motum situlæ moueatur aqua; quia nimirum vinci non potest illius grauitas, quin & huius grauitas, vincatur, medio motu, vel impulsu. Qui totum istum discursum censuerit obtinere intentum, habebit & inerme argumentum Salazarij, saluaq; perstabit Empyrei quies, etsi inter ipsum & primum mobile non intercedat corpus aliquod fluidum, quales sunt supercælestes aquæ. Nullus tamen inficiabitur, eo discursu non improbato, ruere funditus antiquam Astrologiam, multos dominatam per annos. Quare qui hanc indemnem seruare in animum induxerit, eneruet, necesse est, eum discursum, & confugiat ad aquas supercælestes, ne primum mobile rotet Empyreum sicut rotat subiectas sphæras. Mihi quidem cum liberto Fromondo lib. 1. Meteorologicorum c. 2. art. 6. probabilissimum est; & ex simili principio in n. 6. dixi, corpora glorificata non mouenda, quamuis existerent in cælo, quod moueretur.

SECTIO III.

An Empyreum possit moueri?

10 Ex antiquis Ægidius Romanus in 2. dist. & q. 2. in resolutione articuli 2. v. *ex hoc autem* Argentinas ibidem art. 1. v. *est tamen.* Durand. q. 1. n. 5. Mayro in 2. dist. 14. q. 3. Ioannes Neapoli q. 31. p. 5. ad 4. Herueus quodlib. 10. q. supponunt posse moueri, quod tamen relinquit sub dubio Aureolus in

X 3

in 3. dist. 12. art. 2. Ex Modernis Bartholom. Amicus tract. 8. Physic. q. 11. dub. 4. art. 3. n. 8. Suarez lib. 1. de opere sex dierum c. 3. n. 5. Fonseca 5. Metaphysicæ c. 4. q. 2. n. 17. Iosephus August. in 1. p. q. 7. art. 3. n. 19. affirmant, non minus naturaliter mouendum, quàm modò quiescat. Auersa q. 27. Philosophiæ sect. 8. negat posse moueri naturaliter si sit quadratum penes partem conuexam, vel concauam. Ita etiam Barthol. Amicus tract. 21. Physicorum q. & dub. 2. n. 9. Rubius lib. 2. de cælo c. 5. quæst. 3. tradit Empyreum esse localiter immobile suapte naturâ, neque posse moueri virtute naturali Angelica Vorrillong. Author vetustus in 2. dist. 24. admittit, Empyreum esse de se immobile per naturam. Annuit cum Ioanne de S. Thoma Didacus Ortiz tract. 7. Physicorum, conferentia & §. 2. n. 570. Recensebo posteà cæteros Authores, qui de motu possibili Empyrei sermonem habuerunt. Quid ego iudicem, variis propositionibus declaro.

PROPOSITIO. I.

Potest operante Deo supernaturaliter, dimoueri Empyreum à suo centro.

11 PRobatur primò, quia Ecclesiastici 16. v. 18. dicitur: *Ecce cælum, & cæli cælorum [illegible] in conspectu illius* (nempe Dei) *commouebuntur.* Quæ verba non ineptè in hunc sensum queūt verti, licet alios admittant, non secus ac illa Iacobi cap. 9. vers. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* & cap. 26. vers. 11. *columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Quo etiam loquendi modo vsi sunt vates prophani, vt Homerus 1. Iliad, & cum ipso Virgilius 9. ac. 10. Æneyd.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Sic de Ioue Ouidium, Lucanum & Catullum dedit Octauianus Tufus ad c. 16. Ecclesiastici vers. 18. Probatur secundò authoritate Æneæ Gazæi in Theophrasto, vbi ait: *Nihil earum, quæ videntur, rerum, fixum, ac firmum existimo, siquidem id Deus loco suo mouere velit.* Præterea inter articulos dānatos Parisiis anno 1226. continetur hic, referturque in eandem rem à Dionysio Cistercienſi 1. sententiarum d. 8. q. vnica art 3. solutione argumenti 2. *Quòd Deus non potest mouere cælum motu recto, & est ratio, quia tunc relinqueret vacuum.* P. Moncæus in selectis d. 1. c. 7. præsumit sine fundamento solam rationem damnari. 3. Empyreum est corpus habens quantitatiuam molem, finitam in loco finito. Ergo potest diuinitus fieri propinquius, vel remotius ab aliis corporibus, tam secundùm aliquas sui partes, quàm secundùm omnes. Quarto, Elementa possunt virtute diuina extrahi à suo centro. Ergo & Empyrei cæli machina.

12 Argumenta, quæ Aureolo ingessere difficultatem erga motum possibilem Empyrei, isthæc sunt. Primū immobilitas est in Empyreo negatio. Secūdum, motus violentus non est sine naturali, hic autem non competit Empyreo. Sed ad primum negatur, immobilitatem in Empyreo esse negationem, non enim est nisi priuatio: & licet esset negatio, posset vinci à Deo, quia est carentia motus in subiecto obedientialiter saltem apto moueri. Ad secundum negatur, non posse Empyreo secundùm se competere naturaliter aliquem motum, de quo in tertia propositione. Et quamuis non posset naturaliter competere aliquis motus, non inde sequitur, neque violenter posse. Quandoquidem terra moueri valeat violenter, quin tamen ei competat motus naturalis in centro.

13 Patri Monzæo supra probabile videtur, non posse mundum totum à Deo moueri sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum. Recentiores aliqui apud Vasquium tom. 1. in 1. p. d. 29. cap. 5. n. 24. asseruerant id ipsum, sed impugnantur acriter à Vasquio, à Petro Hurtado d. 14. Physicorum sect. 3. §. 24. sect. 6. §. 82. ab Arriaga d. 14. Physicor. sect. 4. n. 78. ab Auersa in 1. p. q. 8. sect. 4. Præcipuus inter illos Recentiores est Bañez, qui in 1. p. q. 8. art. 2. v. *circa tertium,* inquit, non posse totum mundum motu recto moueri à Deo, nisi creato nouiter corpore aliquo, per quod si esset contiguum, vel ad quod, si esset distans, moueretur mundus. Monzeo autem probabile apparet, producto nouiter alio corpore, si esset distans, fore, vt non posset moueri mundus versus illud, quia motus in vacuo, & per vacuum vniuersim repugnet. Attamen, iudice S. Thoma ac multis aliis, quos refert, & sequitur Tellez p. 2. Philosophiæ d. 32. sect. 5. n. 8. non solùm repugnat de potentia absoluta, sed naturaliter etiam posset in tempore per vacuum dari motus corporis existentis infra orbem lunæ prouenien s, vel ab extrinseco motore, vt ab Angelo, vel ab innata grauitate, aut leuitate; & supra Empyreum posset dari naturaliter primo modo, licet non secundo ob defectum grauitationis, & leuitationis ibi, vt notat Franciscus Alphonsus d. 23. Physicorum sect. 4. n. 24. addens in n. 25. posse hominem, si poneretur supra Empyreum mouere se naturaliter progressiuè versus quamcumque partem illius spatij imaginarij. Sed de hoc puncto iterum agemus in exercit. 18. Dominicus Bañez, & Philippus Monzæus deuenerunt in eam mentem, vt occurrerent cuidam argumento pro existentia Dei in spatio imaginario vltra Empyreum. At neque verum est, Deum in tali spatio non existere, neque, etsi verum esset, respondent sic argumento, benè, & sufficienter, vt perspicuum erit legenti Authores præcitatos, Thomamque Pium 1. p. quæst. 8. art. & dub. 2. num. 18.

PROPOSITIO II.

Empyreum extractum è suo centro moueretur propria virtute ad aliud, si relinqueretur sua natura.

14 PRæiuere expressè Salas in sect. 2. tract. 2. d. & sect. 14. num. 101. Ioannes Gonsalius Martinius lib. 2. Physicorum d. vnica quæst. 1. ad tertium. Franciscus Alphonsus dist. 9. Physicorum sect. 2. n. 14. & quo ad alios cælos tum ipse Alphonsus d. de cælo sect. 9. n. 106. tum Ouiedus controu. 4. Physicorum puncto 2. n. 7. Mendoza in Viridario lib. 4. n. 229. Didacus Ortiz lib. 2. Physicorum cap. 5. n. 48. Bartolomæus Amicus tract. 8. Physicorum q. 11. dub. 4. art. 5. n. 20. Auersa quæst. 34. Philosophiæ sect. 4. cum Marsilio Ficino, compluresque alij contra Cælium Rodiginum lib. 1. lectionum antiquarum, cap. 12. Rubium lib. 1. de cælo cap. 2. q. 3. & alios, quibus fauet S. Thomas lib. 1. de cælo in calce lectionis 5. Moueor à paritatibus tum terræ, tum aliorum elementorum, tum omnium essentiarum. Nam etsi terra sit ex se immobilis, si tamen à Deo extra suum centrum poneretur, rediret ad illud propria virtute, vt obseruarunt Fonseca 5. Metaphysicæ c. 4. q. 2. sect. 5.

v. ad

v. *ad primum.* Connimbricenses lib. 2. Physicorum cap. 1. q. 2. art. 3. v. *Si tamen.* Alia etiam elementa mouentur per intrinsecam virtutem in suum centrum, siue motus tribuendus sit principaliter grauitati, vel leuitati ipsorum, siue tribuendus sit generanti ipsa. Denique cunctæ essentiæ, si denudentur suis proprietatibus, & posteà non impediantur, recuperant illas ab intrinseco, vt aqua frigiditatem.

15 Oppones primò, in corporibus cælestibus non datur leuitas, neque grauitas; daretur autem, si Empyreum rediret ab se in suum centrum. Secundò, non potest vni simplici corpori competere nisi vnus motus ex Philosopho lib. 1. de cælo c. 2. textu. 7. Si verò futurum est, vt aliquis motus competat Empyreo, erit circularis. Oppones tertio, corpus elementare, aut mixtum eleuatum ad cælum, vel supra Empyreum, non inde descenderet, etsi relinqueretur suæ naturæ, & extrinsecùs non impediretur. Ergo multo minus descenderet Empyrei pars leuata sursum. Respondetur ad primum, virtutem illam motiuam Empyrei in suum centrum non dici leuitatem, neque grauitatem, quia non oritur ex temperamento primarum qualitatum. Ad secundum, casu, quo Empyreum moueretur circulariter, fore vt ei ab intrinseco non conueniret talis motus; vni autem simplici corpori rectè conuenire potest duplex motus, vnus ab intrinseco, alter ab extrinseco, vt patet in igne, qui ex se inclinatur ad motum sursum, & ad locum superiorem, simulque in sua sphæra circumuolui putatur à globo Lunæ. Respondetur deinde: Estò proprior esset Empyreo motus circularis in suo centro, quàm motus tendentiæ ad illud non esset, cur vni simplici corpori non valeat conuenire duplex motus diuisiuè; & vnus quidem in casu magis extraordinario, seu potiùs in casu violento. Affunditur lux vtrique responsioni exemplo grauium, & leuium; illa enim aguntur sursum, & hæc deorsum ad impediendum vacuum in vniuerso; aguntur, inquam penes aliquos ab intrinseco, & penes alios ab extrinseco. Ad tertium conceditur antecedẽs conuenienter prælibatis in n. 6. & negatur consequentia: quia si aqua, aut lapis descenderet, prouenirct id ex grauitate, cum tamẽ grauitatio non incipiat, nisi à globo lunari. At descensus partis Empyreæ non nasceretur ex grauitate, sed ex inclinatione ad suum locum naturalem. Negarunt aliqui, locum, in quo existit cælum, esse ei naturalem; sed refelluntur rectè à Bartholomæo Amico in art. præcitato; nam connaturale cælo est occupare locum, in quo omnibus emineat.

PROPOSITIO III.

Tam naturaliter, attenta præcisè Empyrei natura, & abstrahendo à fine suæ conditionis, potest ipsum moueri circulariter, quàm modò naturaliter mouetur cælum sydereum.

16 Sit prima ratio, Astra postdiem Iudicij magni quiescent naturaliter, si spectentur ex se tantùm, atque ex intimis suis principiis. Ergo è contra Empyreum mouebitur naturaliter, si Deus velit. Tam propria namque Astrorum videtur esse mobilitas, quàm Empyrei propria asseritur immobilitas. Quare sicut Astra absolutè non sine miraculo quiescent, non quia quiescere sit supra naturam cæli in se atque ex intimis suis principiis spectati, sed quia inductio talis quietis immutabit (quod solius diuinæ virtutis est) vsitatum rerum cursum, & extinguet seriem generationum, & corruptionum mundi sublunaris, quæ motu cæli continuato, si res suæ naturæ relinquerentur, perennis esset, & in omnem æternitatem duraret, vt optimè inquiunt Connimbricenses lib. 1. de cælo c. 2. q. 5. art. 4. Ita Empyreum absolutè non sine miraculo moueretur, non quia moueri esset supra, vel contra naturam Empyrei, sed quia non esset secundùm eius finem; *seu secundùm legem ordinariam, & totius vniuersi ordinem,* vt loquitur Suarez lib. 1. de opere sex dierum c. 8. n. 5. Antecedens, quoad quietem Astrorum, post diem iudicij inuariato Theologorum omnium roboratur consensu. Quoad cessationem verò non violentam, sed naturalem à motu traditur à S. Thoma in 4. dist. 48. q. 2. art. 1. & 2. q. etiam 5. de potentia art. 5. ad 12. Argentinensi in 2. dist. 14. art. 1. & in 4. dist. 48. art. 4. Gabriele in 2. dist. 14. q. vnica art. 3. dub. 2. Suario tomo. 2. in 3. p. d. 58. sect. 3. v. *quinto finita.* Fonseca 5. Metaphysicæ c. 4. q. 2. sect. 7. v. *Demum.* Serario in c. 10. Iosue q. 14. Raynaudo in disciplina morali dist. 2. q. & art. 1. n. 14. Bartholomæo Amico tract. 8. Physicorum q. 11. dub. art. & conclus. 4. Salas in 1. 2. tract. 3. d. 2. sect. 1. n. 4. Petro Hurtado d. 2. de cælo sect. 4. §. 50. Tellez p. 2. Philosophiæ d. 40. sect. 3. n. 4. Auersa q. 34. Philosophiæ sect. 7. Connimbricensibus vbi suprà, aliisque innumeris, tam vetustis, quàm recentibus. Ex hinc validissimum consurgit argumentum contra eos, qui asserunt, astra moueri ab intrinseco. Cum enim astrorum motus non sit duraturus in æternum, sed aliquando cessaturus, vt quid ea condiderit Deus cum exigentia connaturali, & ab intrinseco motus æterni? Quando quidem sic potuerit condere, vt sine virtute motiua, sibi intrinseca; solúmque cum indifferentia ad motum ex impulsu intelligentiæ assistentis, vel solius Dei circumuoluerentur perpetuò, vt primum extitissent, vsque ad diem Iudicij. Certè status violentus astrorum per totam æternitatem non congruit cum ordine diuinæ sapientiæ disponentis omnia suauiter, neque cum perfectione, & melioratione cælestium corporum post diem iudicij. Sed his relictis.

17 Secunda ratio sit, Empyreum per motum circularem non priuaretur perfectione aliqua sibi debita, siquidem non extraheretur à suo centro. Ergo motus ille non esset contra naturam Empyrei. Confirmatur, ignis si in sua sphæra rotetur à globo lunæ, non mouetur contra suam naturam, quia per talem motum non priuatur perfectione aliqua sibi debita, & quia alioqui aliquid violentum esset perpetuum contra effatum Philosophi lib. 1. de cælo c. 2. textu 15. Ergo similiter dicendum est de Empyreo. Antecedens admittitur à Fonseca 5. Metaphisicæ cap. 4. q. 2. sect. 7. v. *si quis.* Suario d. 43. Metaphysicæ sect. 4, n. 13. Molina 1. p. q. 12. art. 2. disp. 2. v. *ad primum ergo.* Connimbricensibus lib. 1. de cælo cap. 2 q. 3. art. 2. v. *Igitur.* Quare sicut motus circularis est præternaturalis igni, quia non fit ab intrinseco, neque ex inclinatione, neque contra inclinationem ignis, ita motus Empyrei in suo centro esset præternaturalis. Id ipsum concedunt de motu circulari Astrorum Petrus de Aquila in 4. dist. 47. & 48. q. 3. art. 4. Noysse in resolutione Theologorum tract. 7. parte, & q. 2. Angles in 1. dist. 14. q. 1. difficultate 5. Iunctinus in sphæram Ioannis de Sacrobosco pag. 590. Pereyra

lib.2.in in Genesin n.24.allegans Auicénam, Albertum, Scotum, Durandum. Item Petrus Hurtadus d.2.de cælo sect.1.§5. sect.4.§.48. & duobus sequentibus. Arriaga d.de cælo sect.5.n.58. & 63. Franciscus Alfonsus d.9.Physicorum sect.3. n.42. d.de cælo sect.9.n.110.Cabæus lib.3. Meteorologicorum textu 3.q.2. Auersa q.34 Philosophiæ sect.7.Raynaudus in disciplina morali dist.2.q. & art.1.n.5.aliique cóglobati à Bartholomæo Amico dub.4.art.2.n.4.Dices. Cũ Connimbricensibus loco præcitato, astra non habere principium internum inclinans ad alium motum, vti illud habet ignis Contra,illuminatio facta per motum alterationis est aeri præternaturalis, ex eo quòd non sit ab intrinseco, neque iuxta, neque contra exigentiam aeris, etiam si hic habeat inclinationem ad alios motus. Ergo inclinatio in igne ad motum sursum non impediet, ne sit præternaturalis circumuolutio ipsius à globo Lunæ.Ergo è contrario defectus inclinationis ad alium motum in astris non impediet, ne præternaturalis sit ipsorum in centro conuersio. Ratio à priori est, quia neque habent inclinationem ad motum conuersiuum, sed potentiam tantùm neutram,seu indifferentem æquè ad motum,ac ad quietem.Quo autem pacto motus astrorum sit nihilominus naturalis, & esset etiam motus Empyrei respectu principij passiui: explicui n.13. Exercit.9. consentiente Bartholomæo Amico dub.& art.4.n.15.

PROPOSITIO IV.

Si per Deum liceret, posset Empyreum moueri circulariter ab aliquo Angelo valdè perfecto.

18 ETenim Empyreum ex se tam est aptum moueri,quàm astra,vt stabiliui in propositione superiori. Aliunde Empyrei magnitudo, etsi excederet virtutem aliquorum Angelorum,non est cur omnium, ita vt in cætu Angelico nullus sit spiritus, qui quantùm ex se est, non habeat sufficientes vires ad mouendum Empyreum;quippè Angeli, de facto mouentes astra, non sunt omnium perfectissimi.Quare excessus magnitudinis Empyreæ præ primo mobili, aut maiori astro compensabitur excessu perfectionis,quem habent Seraphini præ virtutibus, à quibus mouentur astra, vt indicat. Origenes Commentario in Math.24. & putat S. Thomas lib.3.contra Gentes cap.80.& opusculo 10.articulo 17.nec non opusculo 11.art.4. Timebit quis, mouendum aliquando Empyreum si in aliquo Angelo dentur ad id vires. Deponet tamen metum, si consideret in Angelis esse vires ad faciendum vacuum in rerum natura, vt sentiunt Suarez d.35.Metaphysicæ sect.6.n.27.Theophylus Reynaudus in Theologia naturali dist.& q.4. art.2.n.274.Franciscus Alfonsus d.23.Physicorum sect.2.n.11.Auersa q.27.Philosophiæ sect.8.Ioannes Gonsalius Martinius lib.4.Physic pag.362.& 366.impediri tamen ab Authore naturæ ob huius bonum, quemadmodùm impediuntur, ne moueant primum mobile ab occidente in oriens, cum tamen polleant eadem potestate qua ab oriéte in occidens, & ne essent à mouendo illo, aliisque cælis. Lege Serarium in cap.10. Iosue q.16. Quo in sensu fortè dicitur à Deo apud Iobum c.38.v.37. *Concentum cæli quis dormire faciet?* Dæmones etiam ligantur à Deo, ne plura damna faciant, quæ possent cum magno vniuersi detrimento, vt occidere animalia, eradicare arbores, transferre montes. Videantur Suarez lib.4.de Angelis c.27.n.6. Alarcon 1.p.tract.6.d.7.c.& n.2. & credatur firmissimè cum S. Augustino lib. & c.18. de Ciuitate Dei, Dæmonem, seu Angelum nihil operari, secundùm naturæ suæ potentiam, nisi quod Deus permiserit.

PROPOSITIO V.

Si per Deum liceret, posset Empyreum moueri circulariter vel ab imperfectiori Angelo.

19 PRopositio hæc conformis est doctrinæ Vazquij 1.p.disp.188 cap.5.num.21.& Suarij lib.4.de Angelis c.32.n.2.ille nanque ait, si *quodlibet corpus caleste mouere potest Angelus inferioris gradus, & ordinis, vt omnes fatentur, poterit etiam quodlibet aliud mouere corpus.* Hic verò ex eo, quòd corpora cælestia non resistant motui,neque fluida sint,neque ex natura rei scindi apta, infert inesse virtutem cuiuis Angelo ad mouendum quodcumque cælum possibile maioris magnitudinis. Vazquio colludit Martinius Delrius lib.2. disquisitionum Magicarum q.8.& Suario consonant Franciscus de Lugo d.3.de Angelis c.3.n.14. Hieronymus Columbus lib.1.de Hierarchia Angelica, atque humana c.39 n.2.Explano rationem indicatã à Suario,& simul fulcio propositioné si. Empyreum, etsi inmẽsam penè molem habeat, caret tamen grauitate, ita quidem vt pondus arenulæ tenuissimæ maius sit, quàm pondus ipsius: imò ipsius nullum est pondus.Prætereà non est fluidum, neque scindibile secundùm partem concauam,& conuexam. Ergo cum aliunde mobile sit,poterit quilibet Angelus rotare ipsum, vel leuissimo impulsu. P.Petrus Hurtadus d.12. Metaphysicæ sect.2.§.7. eodem ferè argumento ductus inquit,etsi fingeretur cælos moueri ab aliquo viuente corporeo, non ideò hoc defatigatum iri, irrequieta circumuolutione.Nam *cum cæli neque graues sint,neque leues, minore resistentia mouentur, quàm palea ventis, imò nulla.* Hæc ibi;quæ tamen non cohærent cum dictis ab ipso in d.2. de cælo sect.5.§.51. vbi probarat, rem corpoream non posse mouere cælos; quia si esset viuens,defatigaretur agendo;probarat etiam, neque animum rationalem posse, quia non habet tantam vim impulsiuam.

20 Respondent primò Connimbricenses lib.2. de cælo c.5.q.8.art.2.v *Pro explicatione*, Murcia lib. 1.de cælo d.2.q.1. in Empyreo non esse renitentiam ad motum interuentu qualitatis, quæ in contrariam partem impellat; esse tamen aliam renitentiam consistentem in improportione quadam penes magnitudinem, ratione cuius Empyreum requirit validum impulsum, vt moueatur. Refelluntur exinde,quod magnitudo Empyrei no affert secum maius motus impedimentum,quàm paruus scrupulus; imò reuera minus affert, cum nullam habeat qualitatem resistentem motui; secus scrupulus. Efformetur globus ingens ex papyro: mouebitur vel habitu,si in aere pendulus sit. Ergo improportio penes magnitudinem in causa non erit,ne possit ab Angelo circumagi Empyreum.

21 Respondet secundò, Auersa q.34. Philosophiæ sect.7. vastitatem Empyrei fore in causa, ne moueatur à quouis Angelo. Nam cum vna pars Empyrei non possit moueri sine motu totius,opus est virtute valde magna, vt diffundatur impetus in totam

totam illam vastitatem, etsi in tota illa non sit resistentia grauitatis. Sic lux non inuenit resistentiā in aere, & tamen parua candela diffundit lumen per breue spatium. Reiicitur. primò, si Empyrei partes penetrarentur diuinitus, & redigerentur in magnitudinem cuiusdam Astrolabij, posset Empyreum sic contractum moueri ab Angelo quolibet diffundente motum per illud totum. Ergo & modo poterit, si quidem modò non est in Angelo defectus virtutis motiuæ habendæ tunc in illo casu, neque modò existit in Empyreo ratione extensionis aliqua resistentia, aut grauitas, qua careret in statu illo contractionis, seu penetrationis. Secundò, cum Empyreum non grauitet vlla ratione, si quis homo locaretur à Deo proximè infra illud, sustineret maiori facilitate vastitatem totius corporis Empyrei, quàm ego nunc substineam lapillum, aliquatenus grauitantem. Ergo similiter Angelus maiori facilitate diffundet impulsum per totam Empyrei vastitatem carentem grauitate, quàm per quoddam Astrolabium, quod aliquatenus est ponderosum. Si enim ob vastitatem non crescit sustentandi difficultas, dum vastitati non coniungitur grauitas; neque ob eandem crescet difficultas mouendi, dum deficit ponderositas. Tertiò, si solari globo vniatur continuatiuè trabs aliqua, circumuolueretur cum ipso ab Angelo. Ergo similiter si trabi, dum gyratur ab Angelo, vniatur corpus Empyreum, rotabitur vnà. Et hoc quidem sine vehementiori impulsu, quando quidem nullum nouum pondus accrescat ex vnione Empyrei; aliquale verò accrescat globo solari ex vnione trabis. Quartò etsi impulsus non sit effectiuus alterius impulsus, nec desineret ex eo, quòd paulatim superetur à grauitate corporis proiecti, aut moti; ac proinde non haberet contrarium, vt vult Auersa q. 40. Philosophiæ sect. 6. tamen negare non potest, grauitatem corporis reluctari impulsui in locum alienum, quandò primum imprimitur. [illegible] cum è contrario aër non obsistat receptioni lucis. Ergo etsi possibile sit corpus perfectè sphæricum, quod ob sui vastitatem grauitati coniunctam moueri non possit à quouis Angelo, aut si possit moueri, non nisi remissè; nihilominus non erit possibile corpus grauitate carens, in cuius omnes partes ob vastitatem præcise nequeat quilibet Angelus assistens aliquibus partibus diffundere qualitatem impulsiuam; quæ, si libet Auersæ, paulatim posteà corrumperetur, nisi adesset Angelus ipsam conseruans. Quartò id, quod reluctatur impressioni impulsus, est grauitas corporis proiiciendi, aut mouendi. Ergo cum in mole maxima Empyrei non reperiatur grauitas, producet Angelus tam facile impulsum in illa, quàm in alia minori, quæ grauitatem haberet v.g. in sphærula lignea. Hinc emergit disparitas inter impulsum, & lucem. Nam respectu illius datur aliquid, quod resistat impressioni saltem; cum tamen respectu huius nihil detur, quod resistat introductioni in aere. Agentia autem quæ operantur per qualitates expositas resistentiæ, non habent per se limitatam actiuitatis sphæram, si desit resistentia; ideo ab vno igne totus calefieret aër humiditate priuatus. Quæ verò agentia operantur per qualitates non expositas resistentiæ, habent per se limitatam spæram actiuitatis; ideo corpus immutat visum per species intentionales in certa distantia. Et idem est de luce. Et vt appareat huius sphæram dimetiendam esse diuersimodè, ac sphæra impulsus, finge corpus paruum, quod nunc à me mouetur occupare posteà virtute diuina tantùm spatij, quantum sol: finge etiam, aerem occupantem spatium, quod nunc illustrat lux candelæ, dilatari posteà in spatia, quæ luce solari perfunduntur. In primo casu poterit æquali facilitate moueri à me corpus illud; quin in secundo possint illa spatia illustrari à candela. Ergo impulsui non obest quantitas spatij, si ab sit grauitas magna; obest autem luci.

22 P. Arriaga d. 4. de Generatione n. 129. videns ex nostro argumento sequi vel à musca mouendum Empyreum, si imprimeret impulsum, conatur eneruare illud exinde, quòd si ponatur vna sphæra maxima, & ponderosa, non mouebitur à musca per eam saltante. Ex quo infert, aliquam requiri virtutem ad mouenda corpora perfectè sphærica. Sed retorquemus telum, si musca salter per sphæram maximam, quæ tamen ponderosa non sit, mouebit illam æquè facilè, imò & faciliùs, quam globulum laneum aliquid ponderis habentem. Ergo ad mouenda corpora perfectè sphærica grauitate carentia, non est necessaria maior virtus, quàm muscæ. Patri Recupito lib. 2. de Deo vno q. 12. c. 2. n. 5. incredibile videtur immensum propè cæli corpus moueri posse à quantocumque motore corporeo. *Qualis enim, aut quantus hic Gigas qui non vt Atlas humeris sustinere (quæ inquit Aristoteles 2. textu 4. antiquorum est fabula) sed digito cælum posset, vel calce propellere?* Sic Recupitus, sed & Lessio lib. 11. de perfectionibus diuinis c. 8. n. 46. ac Bonartio in c. 16. Ecclesiastici v. 26. difficile apparet, tam ingentis vastitatis corpus moueri posse etiam ab Angelis. Verumtamen si imaginatio ratione corrigatur, non solùm secundum, sed neque primum iudicabitur incredibile.

23 Insurges primo, vt quid ergo vtitur Deus ministerio Angelorum ad mouenda astra, si vel ex leuissimo impulsu possunt ea gyrari? Secundo vt quid etiam Angeli sunt perperuò affixi astris circumuoluti, si impulsus semel impressus nequit deficere, neque retardari ex occursu contrarij? Tertiò cur vel imperfectior Angelus non valebit mouere totam terram? Primo quæsito obuiam eo dicens, Angelis à Deo commissum esse mouere astra, vt quemadmodùm sublunaria per cælestia reguntur, ita regantur cælestia per spiritualia: hoc enim pacto rectus euadet ordo gubernationis inferiorum per superiora. Eusebius Nierembergius in curiosa Philosophia lib. 6. cap. 31. putat satis esse ad prædictum ordinem, si astris assistant Angeli tutelares, vt assistunt elementis; & mixtorum speciebus secundùm illud S. Augustini lib. 83. quæstionum quæst. 79. *vnaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis diuina scriptura testatur.* Vnde Origenes homilia 8. in Ieremiam non aliter loquitur de præsidentia Angelorum ad astra, quàm ad reliquas res visibiles, *Intelligamus*, inquit, *omnibus rebus Angelos præsidere tam terræ, & aquæ, quàm aeri, & igni, & hoc ordine peruenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra cælestia.* Sed contra; nam cum astra sint ab agentibus creatis incorruptibilia iuxta Peripateticos, in cassum demandata esset à Deo Angelis cura arcendi ipsorum damna. Si autem corruptibilia sint, in eisque motum non efficiant Angeli, erit nulla, vel modica subiectio ad Angelos ex eo, quòd tantùm arceant corruptionis pericula, quæ remotissima esse tot sæculorum

sæculorum series apertissimè nos edocet. Adde, conuenientissimum esse, vt Angelis, quæ sunt substantiæ inter creatas perfectissimæ, committeretur administratio substantiarum inter non viuentes primatum obtinentium; respectu quarum habeant se Angeli, proportione seruata, sicut spiritus animales respectu hominis, cui deseruiunt ad motum. Ob has, atque alias, quas prætereo, rationes, & præcipuè ob verbum Iobi cap. 9. v. 13. *Sub quo curbantur, qui portant orbem*, intellecta à nonnullis de Angelis, & orbe cælesti, ait S. Bonauentura in 2. dist. 14. art. 3. q. 2. *positionem*, quòd corpora cælestia moueantur ab Angelis, *Magistrorum esse tam in Theologia, quam in Philosophia, quia concors pietatis, fidei, & rationi plurimùm esse videtur* S. etiam Thomas opusculo 10. art. 3. scribit, *Cælestia corpora à spirituali creatura moueri à nemine sanctorum, vel Philosophorum negatum legisse me memini.* Rursus 1. p. q. 110. art. 1. in corpore. *Omnia corporalia regi per Angelos, & hoc non solùm à sanctis Doctoribus poni, sed etiam ab omnibus Philosophis, qui incorporeas substantias posuerunt.* Et quod plus est q. 6. de potentia. art. 3. in corpore decernit: *Fidei sententiam esse, quòd non solùm corpora cælestia, suo imperio moueant localiter Angeli, sed etiam alia corpora Deo ordinante, & permittente.* In censura tamen hac non fuisse semper S. Thomam inserebam n. 18. Exercit. 6. quod hic adnotatum volo in gratiam Lessij, & Nierembergij, ne eorum opinationes audiant malè, dum primus asserit, astra moueri à Solo Deo (quod & asseruere Augustinus Sreuchus in Cosmopæia ad cap. 1. Genesis, Zara in Anatomia ingeniorum sect. 1. membro 3. pag. 267. pluresque recensi à Conimbricensibus lib. 2. de cælo cap. & q. 5. art. 2.) dumque secundus affirmat, moueri intrinsecè à sua forma; in qua sententia fuere Philoponus lib. 1. de mundi creatione c. 12. Parisiensis secundæ partis de vniuerso p. 2. cap. 9. Didacus de Zuñiga lib. 4. Physicæ cap. 1. alijque indicati à Cælio Rodigino lib. 1. lectionum antiquarum cap. 19. & collecti ab Auersa q. 34. Philosophiæ sect. 7. item à Francisco Alfonso d. de cælo sect. 9. n. 98. & hanc sententiam non vulgari eruditione liberat ab omni calumnia Balthasar Tellez p. 2. Philosophiæ d. 44. sect. 4. videturque ex parte placuisse sapientissimo Alfonso Salmeroni tom. 2. Prologomeno 10. can. 6. p. 173. vbi sic fatur. *Assignauit autem Deus pro sua sapientia proprium Angelum motorem, quo inclinationem talium corporum* (id est, orbium Planetarum) *ad talem motum perficerent, veluti si quis graue deorsum, & leue sursum impelleret, coadiunando, & dirigendo motum.* In quibus verbis significat, astra moueri à se ipsis, licet simul etiam partialiter moueantur ab Angelis. Vtramque illam opinationem reputat pro abilem Araujus 1. p. q. 50. art. 1. posteriorem verò Martinus Bresserus lib. & c. 1. de conscientia n. 6.

24 Ad secundum quæsitum respondeo, impulsum esse forsan qualitatem pereuntem absque vllo cõtrario, postquam durauit per aliquod temporis spatium. Ita Rubius lib. 8. Physicorum tract. de impulsu q. 3. n. 85. Arriaga d. 4. de anima num. 114. Ouiedus contro. 20. Physicorum punct. 2. n. 80. Alfonsus d. vltima Physic. sect. 4. n. 48. Tellez p. 2. Philosophiæ d. 38. sect. 1. n. 9. Franciscus de Mendoza lib. 4. viridarij n. 225. Auersa q. 40. Philosophiæ sect. 6. Quæ sentẽtia, si vera sit, cessaret motus astrorum, Angelis non conseruantibus impulsum, sed quia cum hac sententia stat, etsi Angeli separarentur ab astris per breue tempus, permansurum impulsum. Ideo aio secundò, Angelos se ipsis immediatè absque qualitate impulsiua restare astra, vel talem esse qualitatem, quam imprimunt, vt petat non conseruari ex natura rei, nisi sint præsentes Angeli. In primum propendet magis Suarez d. 35. Metaphysicæ sect. 6. n. 25. & lib. 4. de Angelis cap. 31. n. 10. Et secundum explicatur à Mendoza supra n. 193. ac 195. post Vazquium, aliosque, quos citat, exemplo qualitatis obsistiuæ, qua lapsis in aere pendulus detineretur ab Angelo ne descenderet: hæc namque qualitas resistens grauitati lapidis conseruari nequit naturaliter in absentia Angeli. Sed quia multi dicunt, Angelum in eo casu detenturum lapidem in aere, quatenus vel conseruaret vbicationem productam in lapide, vel efficaciter applicaret potentiam suam motiuam & per eam resisteret grauitati lapidis, ideo libètiùs acquiesco Suario; quin ideo vniuersim negem, Angelum posse imprimere qualitatem impulsiuam; quando istud scilicet in locum distantẽ esset proiiciendum ab Angelo immoto. P. Iulius Cæsar Bulengerus lib. 1. de licita, & vetita Magia c. 19. Probat, Angelum non posse impulsione mouere corpus, quia alioqui moueretur, & occuparet locum, è quo truderet corpus impulsum: sic autem moueri non potest, cum incorporeus sit. Debilis ratiuncula, si quidem ad impellendum corpus necessaria non est vlla ipsius Angeli, vt nec Dei motio localis, neque quæ fieret ad existendum definitiuè in loco impulsi corporis, argumentum esset corporeitatis in Angelo.

25 Tertio quæsito occurro inquiens, nullum fieri argumentum ex cælis ad terræ elementum; hoc enim habet maximam grauitatem, illi autem nullam. Et ideò *fortassè non potest Angelus totum elementum terra sursum mouere, non solùm ex generali lege prouidentia, vt est indubitatum, sed etiam ex defectu propria potestatis propter nimiam terra resistentiam.* Quæ sunt verba Suarij lib. 4. de Angelis cap. 32. n. 2. cum ergo virtus motiua Angeli sit finita simpliciter, tanta potest esse grauitas elemẽti terrestris, vt resistentia, qua renitatur motui sursum sit maior actiuitate potentiæ motricis Angeli cuiusuis de facto existentis. Sed tamen S. Anselmus, cum in Elucidario dixisset, *Sanctorum* (in corpore glorificato) *talem forè valentiam, vt si montes, & omnem molem terra vertere vellent, valenter possent* (quod etiam repetit in lib. de similitudinibus cap. 52.) addit, *Nemo enim dubitat, Angelos hoc posse, quibus æquales dicuntur esse:* nisi hæc per exaggerationem scripta interpretetur quis, vt quando ipse S. Anselmus in Elucidario ait, *Beatorum tam efficax erit potentia, vt si aliud cælum, & aliam terram facere velint, potenter possint* Suarius d. 35. Metaphysicæ sect. 6. n. 26. & 27. Concedit cuiuis intelligentiæ, spectata sola natura, potestatem eleuandi totam terram vsque ad cælum Spina quæstione de strigibus cap. 5. & 7. fatetur id ipsum, & impugnatur à Theophylo Raynaudo dist. 4. Theologiæ naturalis q. & art. 3. num. 248. quia indicium petitum ex motu cælestium sphærarum ab intelligentiis infimi ordinis leue admodùm sit!, cum cælestes sphæræ careant grauitate resistente. Do S. Thomam tanquam iudicem arbitrum, qui in opusculo 10. articul. 16. rogatus *an Angelus possit mouere totam molem terra, & vsque ad globum Luna, licet nunquam moueris, vel moturus sit?* Respondet: *naturali sua virtute hoc non posse, quia nulla virtus*

multa virtus creatura potest immutare ordinem principalium partium vniuersi, ad quem pertinet, quòd terra sit in medio locata. Videtur tamen mihi, contrarium posse tolerari absque fidei periculo, si tamen quis referat intensionem suam ad ponderis quantitatem. non ad prædictum ordinem vniuersi. Certum est enim, quòd naturali sua vertute Angelus potest alicuius ponderis terram mouere: sed vsque ad quanti ponderis quantitatem mouere possit, non potest à nobis determinari. Hactenus Angelicus Doctor; & conuenienter ad eius resolutionem explicari potest Firmilianus, ac S. Gregorius Magnus, dum primus epistola 75. inter alias S. Cypriani inquit, *Non quod Demoni tanta esset potestas, vt terram mouere, aut elementum concutere nisu valeret* & dum secundus lib. 2. Moralium cap. 15. *Quia enim notum est, quòd absque superno nutu moueri elementa non possunt, latenter infertur, quod ipse* (nempè Deus) *contra illum* (idest. Iobum (*elementa mouerit, qui moueri permisit, quamuis Satan a Domino semel accepta potestate ad vsum suæ nequitiæ etiam elementa concutere præualet.* Redeo ad S. Thomam, qui in opusculo 11 art. 5. & q. 16. de Malo art. 10. ad 8. eadem propè habet quæ in illo opusculo 10. vbi adijcit: *Si autem quæritur de motu circulari, per quem prædictus ordo non variatur* (& cui non resistet grauitas terræ, cum in suo centro non grauitet *(videtur, quòd naturaliter terra quiescat, vt vult Philosophus in libris de cælo.* Sic S. Præceptor. Vnde quemadmodum Angelus non potest ignem priuare calore (*nemo enim*, ex doctrina S. Ambrosij serm. 19. de Epiphania, *potest mutare naturam, nisi qui Dominus est naturæ*) ita neque poterit Angelus priuare terram quiete excludentre motum circularem penes omnem sui molem; neque item poterit facere leui quodam impulsu à se exhibito trepidet, vt tota terra? quod tamen non ab Angelo solùm, verùm etiam ab homine, imo & à culice fieri posse, excogitauit Archimedes Mathematicæ disciplinæ consultissimus, assensitque P. Vazquez 1. 2. d. 18. cap. 2. à n. 20. contra quem ingeniosè disputant Mendoza lib, 4. viridarij problemate 45. Petrus Hurtadus d. 3. de opere sex dierum sect. 5. subsect. 2.

Ast hinc impetum aliquis in nos faciet; nam si terra moueri nequit circulariter ab vno, aut à pluribus Angelis, dedita opera in id incumbentibus, neque ad hunc motum gaudent ipsi naturalibus viribus, cur idem non dicemus de motu circulari Empyrei cæli? quod non minus, quàm elementum terræ, vocatur à Theologis immobile, nec minus naturà sua videtur petere perpetuam quietem, vtpote congruentiorem fini, ob quem est creatum. Respondemus, dummodò Empyreum stet actu immotum, satisfieri fini suæ à Deo creationis: & exemplum aliorum cælorum habentium potentiam neutram ad motum manu ducere nos vt idè affirmemus de Empyreo.

SECTIO IV.

An Empyreum sit in loco reali extrinseco.

26 Difficultas hæc purè vocalis discutitur acri contentione ab antiquis, licet illi non loquantur de Empyreo, sed de primo mobili, quod putabant, aut permittebant, esse vltimam sphæram cælestem. Si priùs à nobis explicetur, quid sit locus realis extrinsecus, breui elucescet, quid sit quæstioni respondendum: quippè *definitio res singulas breuiter semper absoluit*, Censore Cassiodoro lib. de Anima cap. 11. & Galenus lib. 1. Methodi suadet, vt in quauis quæstione, *de notione priùs conueniat; cum sine hac proposita rei substantiam inuenire non liceat; ipsam verò notionem, quæ ab omnibus in confesso sit, sumendam* ducit Medicorum Princeps, cuius iudicium maximè probamus.

DIGRESSIO.

Definitur locus realis extrinsecus.

27 Ab Aristotele sic lib. & cap. 4. Physicorum textu 41. *Eius, quod continet, extremum est immobile, primum.* Ex quibus verbis conflata est familiaris hæc definitio: *Est superficies corporis continentis prima, & immobilis.* τὸ *superficies* significat terminum, seu extremitatem corporis, siue in eo detur distincta superficies terminatiua indiuisibilis in profunditate, siue non. τὸ *Corporis continentis* innuit distinctionem inter locum, & locatum, & excludit à ratione loci vltimam superficiem corporis contenti. Dictio *Prima* denotat illam solam superficiem corporis continentis pertinere ad locum, quæ immediatè attingit locatum. Hinc aer, & non cælum est locus immediatus, & proximus mei corporis. Vox *Immobilis* traxit Aristotelicos in non leuem curam. Etenim vas est locus aquæ, transferturque simul cum illa ex vna parte ad aliam. Prætereà turrim immotam circundant diuersæ superficies aeris agitati, quin turris acquirat diuersa loca. Sed tamen prima ratio nec difficilem reddit mentem Philosophi, nec mouere debet ad discedendum ab ipso; cum ipse dicat expressè, vas non esse locum inibi definitum, seu non esse locum naturalem. Quare ex eo, quòd moueatur vas, non sequitur locum naturalem esse mobilem. Perpendantur iustè verba hæc Philosophi textu 41. *vt autem vas & locus qui potest transferri ita & locus vas est immobile. In eo itaque, quod mouetur, cum aliquid mouetur, id quoque, intus & locum mutat veluti in flumine nauigium, vt vase potiùs, quam vt loco, eo quod continet, vtitur. Locus enim immobilis vult esse. Quocirca vniuersum flumen magis est locus, quoniam vniuersum est immobile. Quam ob rem locus eius, quod continet, extremum est immobile primum.* Huc vsque ille. Secunda etiam ratio retunditur ex appositis verbis, exemploque lembi decurrentis per flumen. Vt enim non pars vndæ sed totum flumen est locus lembi; ita non vna pars aëris, sed totus aer est locus turris. Totus autem aer est immobilis, quatenus persistit semper in suo centro, quin ad aliud spatium feratur motu recto, seu lationis. Explicationem traditam mentis Aristotelicæ prosequitur latè Pereyra lib. 11. Philosophiæ cap. 3. indicauitque aliquatenus Arriaga d. 14. Physicorum sect. 1. n. 2. dum dixit, definitam solummodò ab Aristotele terram, in qua immobiliter locantur omnes aliæ res. Nihilominus etsi terra sustentet ea, quæ in ipsa immediatè locantur, tamen non continet, seu ambit; & prætereà Aristoteles definiuit locum amplè comprehendendo omnia elementa, & orbes cælestes, vt constat ex cap. 4. & 5. sed præcipuè notentur hæc verba in textu 46. *Atque ob hanc causam terra in aqua est, hæc in aëre; hic in æthere, æther in cælo, cælum non vlträ in alio.*

28 Verùm vt loquamur cum pluribus, etsi sentiamus cum paucis, dicimus, Definitionem Aristotelicam

licam congruere non solùm loco naturali, corporum simplicium, & elementorum, sed etiam omni loco vniuersim, & simpliciter. Ad cuius declarationem aduertimus, locum quem libet extrinsecum realem constitui tum ex superficie, tum ex tali distantia ipsius superficiei à reliquis corporibus, vel ab aliquo puncto fixo. Etenim sola superficies non debet esse immobilis, vt patet in aere, & aqua maximè mobilibus. Sola etiam distantia superficiei non censetur locus realis extrinsecus. Cum ergo distantia superficiei non possit aliò mutari, ideò locus assoritur, & est immobilis ratione ipsius. Replicabis, ergo eadem ratione erit immobile locatum. Respondetur, hoc non includere essentialiter tantam, vel tantam distantiam, nisi sumptum reduplicatiuè vt locatum; ast locum vel specificatiuè sumptum importare essentialiter talem distantiam, & consequenter affixas spatio imaginario vbicationes, quibus extensa superficies ambit, circumdatque locatum: quippe si partes superficiei essent penetratæ non continerent illud. Constituitur itaque locus pro materiali per superficiem, & pro formali per distantiam, eo quidem pacto, vt hic numero locus dicat determinatè talem distantiam, non verò hanc superficiem numero, nec speciè, sed hanc, vel illam numero, aut speciè; ac proinde nec hanc numero, aut specie vbicationem, sed hanc, vel illam. Hinc turris immota, etsi variis agitetur ventis, aut etsi modo circumdetur aqua, modo aere, perseuerat in eodem loco numericè, vti perseuerat idem numericè compositum, etsi varietur vnio substantialis inter materiam, & formam eandem iuxta scripta in n.72. Exercitat. 7. In hoc modo dicendi assignatur aliquod constitutiuum determinatè requisitum ad locum, licet enim non sit de essentia huius indiuidui loci hæc numericè, aut specificè superficies, & vbicatio, secus hæc distantia; quam quia non seruat aqua inclusa vase translato ex vna in aliam partem, ideo non perseuerat in eodem loco reali extrinseco, Et huic ea de causa immobilitatem attribuit Aristoteles; quia cùm corpora moueantur ad adquirendum ipsum, necesse est, vt sit aliquid fixum, & stabile, ne frustrà quæratur. Consule Balthasarem Tellez p. 2. Philosophiæ d. 32. sect. 1. & aduerte, dum res dicitur existere in loco, intelligendum esse de loco pro materiali, qualis est superficies, non autem de loco pro formali, qualis est distantia, neque enim res existit in vbicationibus superficiei, sed in superficie ipsa includente determinatas vbicationes, quà induit loci denominationem.

REGRESSIO.

Empyreum non est in loco reali extrinseco,

29 PRobatur, locus realis extrinsecus est superficies immobilis, & prima corporis continentis. Sed respectu Empyrei nulla datur superficies immobilis, & prima corporis, quod contineat ipsum. Ergo respectu Empyrei nullus datur locus realis extrinsecus. Nam, vt inquit Aristoteles cap. 5. textu 43. *Id corpus in loco est, extra quod aliud corpus est, quod ipsum contineat, illud vero non est, extra quod nullum est.* Vnde in textu. 45. concludit, *cælum autem, vt diximus, nusquam est totum, neque vllo in loco, siquidem nullo corpore continetur.* Et textu 46. *vniuersum autem alicubi non est, quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & aliud, in quo continetur, oportet esse; extra vniuersum, at totum nihil est.* Denique in fine huius textus affirmat, *cælum non esse vltra in alio.* quemadmodùm terra in aqua, hæc in aere, hic in æthere, æther in cælo. Omnia hæc Aristotelis testimonia cum ritè, atque attentè consideraslet Sextus Empyricus lib. 9. aduersus Mathematicos titulo de loco, non temerè adiudicauit Philosopho opinionem de non existentia cæli in loco. Sed non etiam putabit aliquis, aut Aristotelem sibi contrarium, aut nos ei. Nam lib. 4. cap. & textu 1. ait: *Ea, quæ sunt alicubi esse, omnes existimamus.* textu 13. *Corpus omne in loco est.* & cap. 4. textu 32. *Nam & cælum in loco esse, ob id maxime arbitramur, quod semper motu creatur.* Vlteriùs in lib. 3. cap. 5. textu 54. dixerat. *omne corpus, quod sub sensum cadit, in loco est* Respondemus sigillatim ad authoritates adductas. In prima loquitur Aristoteles, vel de iis tantùm, quæ sunt infra vltimam sphæram, vel iuxta vulgarem existimationem; vel de loco sumpto pro spatio imaginario. Quem sensum seruat in secunda; nisi mauis loqui dubitando, & inquirendo; vt colligit ex contextu Auersa q. 27. Philosophiæ sect. 4. In tertia fatur ex populari persuasione; ideoque S. Thomas legit, *Propter hoc maximè opinamur aliqui* &c. In quarta sermonem tantùm habet de corporibus subcælestibus, vt ex contextu cônstat. Similiter intelligendus est Plato, quando in Timæo parte 3. scribit; *Asserimus, necessarium esse, vt quicquid est, alicubi sit locatum, regionemque aliquam occupet. Quod vero nec terra, nec vllo vniuersi situ comprehenditur, haudquaquam esse arbitramur.* Et in eodem sensu accipiendus est S. Augustinus, cum in epistola 57. ad Dardanum pronuntiat *spatia locorum tolle corporibus, nusquã erunt, & quia nusquã erunt nec erunt.* Item S. Fulgentius dum cap. 4. contra sermonem Fastidiosi ait) vt & Beda, aut Honorius Augustodunensis lib. 1. cap. 21. de Philosophia. Cleomedes etiam lib. & cap. 1. de contemplatione orbium cælestium(*In loco est omne corpus.*

30 Assertioni nostræ, & probationi fauet S. Claudianus Mamercus lib. 3. de statu animæ cap. 3. percontans Faustum Reyensem. *Quomodò corporeus mundus localis est, & in loco non est? Quod si mundum in loco esse responderis* (ait ille) *nihilo segnius quæro, locus, in quo est mundus extra mundum, an ne de mundo sit: si de mundo non illo in mundo, sed in alio ipse cum mundo est. Si extra mundum, rursus, quæro, vtrùm locus, in quo est mundus, in loco sit? Aut igitur loca, hoc est corpora infinita fateberis; itaque Deo, qui solus infinitus est corpus æquabis, aut mundum non in loco esse concedes.* Eundem arguendi tenorem habet Gilbertus Porretanus in l. sex principiorum cap. 5. & ob id pro hac assertione citatur ab Auersa supra, vt permulti alij; præsertim S. Thomas opusculo 52. de natura loci. & op. 70. sed. 52. non est S. Thomæ in enumeratione S. Antonini 3. p. historiali tit. 18. cap. 11. §. 2. Ferdinandi del Castillo lib. 3. Chron. Prædicadicatorij ordinis cap. 31. Possenini in apparatu; & qnamuis esset S. Thomæ, vt putat Ioannes Garzonius in eius vita, non stat ibi pro nobis; in 70. autem nihil ad rem habet. Quare securiùs addo Argentinensem in 1. dist. 44. artic. 4. ad 8. rursus in 4. dist. 50. art. 3. Scotum in 4. dist. 49. q. 16. ad 1 & q. 11. quodlibetica Alanum lib. 1. de Eucharistia cap. 38. Curielem lia. 1. Controuersiarum 5. in ordine art. 4. n. 27. Murciam lib. 4. Physicorum d. de loco q. 5. Iulium Cæsarem Scaligerum de subtilitate ad Cardanum exercit. 5. Molinam 1. p. q. 52. art. 1. d. vnica membro 1. §. *Esse in loco.* Dandinum lib. 1. de Anima digressione 8. Bartholomæum

lomæum Amicum tract.20. in 4.Physicorum q.5. dub.2.num 5.& sequentibus, Iacobum Gretheserum tomo 2. defensionis controuersiarum Bellarmini col.230. Thomam Giannnium lib.8. Philosophiæ cap. 17. Suarium d. 51. Metaphisicæ sect.2.num.8.& lib.4. de Angelis c.1. num.8.c.8. num.12. Albertinum tom.2.in Prædicamento vbi d.vnica quæst.1.num.30.Præpositum 1.p.quæst.8. à 2.num.10 Fassolum ibidem, art.& dubitatione 2.n.13.Rubium lib.4.Physicorum tract.de natura loci q.4.Caberum Cisterciensem tract.4.Phys.d.1. duc.2.n.4. Arriagam d.14.Physicorum sect.1.n.4. & omissis compluribus passim obuiis, tres Eminentissimos Cardinales Toletum lib.4. Physicorum cap.5.q.7. Bellarminum lib.3. de Eucharistia c.5.& 6.ac 7. Lugum disp.5.de Eucharistia sect.4. num 81. Nec aduersantur S.Iustinus Martyr, in libro de reprehensione aliquorum dogmatum Aristotelis,in quæst.130.ad Orthodoxos, S.Augustinus in lib.2. de sermone Domini in monte, & Alcuinus in lib.2. de Thrinitate cap.5. Etsi enim dicant,cælum existere in loco,videntur loqui non de extrinseco reali,sed imaginario, nisi magis placeat interpretari S.Iustinum, S.Augustinum, & Alucimum, quatenus per existentiam cæli in loco denotent ipsum non esse immensum, sed circunscriptum potiùs, & terminatum. Hinc quia è regione Deus est immensus, frequentissimum est apud Ecclesiæ Patres affirmare, Deum non existere in loco. Legatur Receptius lib.4. de Deo vno q.13.

Excluduntur varij modi defensandæ existentiæ Empyrei in loco reali extrinseco.

31 THemistius 4. Physicorum textu.45. Iauellus lib.4.Physicorum q.13.& Fonseca 5. Metaphysicæ cap.13. q.9. sectio 4. volunt supremam sphæram esse in loco ratione superficiei cæli immediati inferioris.P.Arriaga videtur transtulisse id ad Empyreum, dum inquit num.4. *Potest autem ea parte,quà ad terram respicit, dici esse en loco iuxta alios cælos.*Sed contra primò, quia cælum inferius continetur à superiori,locaturque in eo. Ergo non continet,nec locat superius; nam vnum corpus nequit esse contentum, & continens, locatum,& locus respectu alterius, in quo contineatur, & locetur; neque item vnum corpus habet duplicem locum. Secundò, Philosophus non ait, cælum esse in æthere, ætherem in aere, aerem in aqua,aquam in terra,terram non vltra in alio; sed è contra: Ergo superiora corpora non locantur in inferioribus, sed potiùs inferiora in superioribus. Adde ex Toleto,fore,vt terra non esset in loco, si sphæræ superiores locentur in inferioribus.Quare Authores illi incidunt in inconueniens, quod fugere cupiebant. Tertiò, vnum ex attributis loci iuxta Aristotelem cap.40. textu 30.est, quod æquet locatum,seu non excedatur à locato. Inferius autem cælum inæquale est superiori, & ab hoc exceditur. Quartò,locus debet continere locatum,& id,*quod continet,eo,quod continetur, maius esse debet*,vt inquit S.Irenæus lib.2. aduersus hæreses cap.1. Ergo superius cælum non potest contineri tanquam à loco ab inferiori, quod quantitate molis minor est.

32 Pereyra lib.11. Philosophiæ cap.9 & Andreas Cæsalpinus lib.3. quæstionum Peripateticarum q. 3.& alis apud Connimbricenses lib.4.Physicorum cap 5.q.2.art.1. adstruunt, vltimam sphæram esse in loco ratione centri, circa quod mouetur. Cæterùm id traduci nequit ad Empyreum, vtpote immotum. Deinde centro, siue sit punctum aliquod fixum in media mundi vniuersitate situm, siue sit tota terra,non conuenit, esse superficiem, quæ contineat vltimam sphæram. Videantur Cõnimbricenses præcitati,& Auersa q.27.sect.4. qui multis aliis ex rationibus impugnant hanc sententiam.P.Tellez parte 2. Philosophiæ d.32. sect. 2.n.7. testatur, esse opinionem aliquorum, quòd suprema sphæra existat in loco per vltimam sui superficiem. Reiicit tamen ipsos, & benè, quia necesse, vt locus sit extrinsecus, ideoque debet esse superficies distincta à corpore contento.

33 Thomistæ, & ex nostris Connimbricenses vbi suprà asserunt, extremam sphæram non esse actu in loco simpliciter, & per se, seu secundùm se totam, secus potestatiuè ratione suarum partium. Aiunt itaque, primum mobile existere in loco ratione partium,quia dum circulariter mouetur,vna pars succedit in locum alterius. Sed cum partes sint continuatæ, possint verò saltem diuinitus scindi, ideò ratione eorum est solùm potestatiuè in loco. Et id videtur intendisse Aristoteles cap.5. à textu 43. vsque ad 46. inclusiuè. Ast Toletus in commentario textus 43.censet, hanc expositionem reuera non esse admodùm consonam contextui: & posteà approbat expositionem Simplicij,Themistij, & Alberti intelligentium per *Totum*, & *cælum* mundum vniuersum, qui secundùm se totum in loco non est. sed secundùm partes. Etenim mundus vniuersus non mouetur secundùm se totum, vt mutet locum; mouetur autem secundùm partes, secundùm quasdam quidem circulariter,& non sursum, nec deorsum; secundùm alias verò sursum, & deorsum, vt secundùm elementa leuia, & grauia. Transcripsi ferè Toleti verba,omissis Aristotelicis,pro quorum intelligentia altercatur. Connimbricensibus in art.2. displicet proxima expositio; tum quia Aristoteles in tractatione de loco, nullam sphæram cælestium, neque elementarium inferiorum mentionem fecit; tum quia dixit de partibus cæli, esse quodammodò in loco;inferiores autem sphæræ sunt simpliciter,& absolutè in loco; tum quia partitio præsentiæ localis in potentialẽ,& actualem non aliò tendit, nisi vt constet, partes supremæ sphæræ non esse actu, sed potentia præsentes loco. Contra tum quia cælestium, & inferiorum sphærarum sublunarium meminit Philosophus dum dixit: *Atque hanc ob causam terra in qua est, hæc in aere, hic in æthere, æther in cælo, &c.* tum quia eatenus scripsit *omnes partes quodammodò esse in loco*, quatenus τὸ *quodammodò* debeat cadere supra omnes partes; ita vt sensus sit, omnes ferrè partes vniuersi esse in loco; quia vna tantùm illius pars nempè suprema sphæra non est in loco;tum quia illa partitione vtitur solummodò,vt ostendat, mundum esse in loco; secundùm partes, non potentia, sed actu. Id ex contextu patere asseuerat Toletus, qui paulò anteà animaduerterat, si Aristoteles per *totum* vltimam sphæram significare vellet, non diceret, moueri sursum, aut deorsum.

34 Quicquid sit de interpretatione verborum Aristotelis, existentia in loco ratione partium attributa primo mobili non potest accommodari Empyreo, cum hoc cælum non moueatur. Si tamen Thomistæ velint aptare, quatenus

præcisè vna pars Empyrei ambiatur ab alia suo modo, seu quatenus quælibet pars est contenta inter alias. Refellendi sunt primo, quia si ego idipsum conarer de corpore Christi existente, vt iudicat S.Thomas,supra Empyreum,nimirum esse in loco continente, quatenus vna pars corporis arbitur ab alia suo modo, seu quatenus quælibet pars est contenta inter alias, audiendus non essem ab eis, vtpote contrarius Angelico Præceptori,qui 3.p.q. 57.art.4.ad 2.docet. *Nihil prohibere corpus Christi esse extra totam continentiam cælestium corporum, & non esse in loco continenti.* Quòd si S. Thomas non transtulit ad Christi corpus doctrinam de existentia primi mobilis in loco continenti secundùm partes, neque ipsi transferant ad Empyreum. Secundò quia iuxta Philonem libr. de somniis, Achillem Tatium in Isagoge ad Arati phænomena cap. 5. Georgium Pachymerum in cap. 14. S. Dionysij de Hierarchia cælesti, S. Hilarium in Psalm. 2. *Ab eo, quod terminatur,id,quod terminat, differt; neque id ipsum est finitum esse, atque finire:* & penes S.Damascenum lib.1. de fide Orthodoxa cap.16. *Locus corporalis est eius terminus,quod continet, ei, quod continetur, attiguus, vt aer continet corpus; sed non omnino continens aer locus est contenti corporis; sed terminus aëris continentis contiguus corpori contento; & omnino quodcumque est continens,non in eo est,quod continetur.* lib.2.cap.8. *Est cuiusque corporis locus eius continentia.* Similia habent S.Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in opusculo de Cherubinis à Moyse factis n.8. Nemesius de natura hominis c.3.Hugo Ethetianus de animarum regressu ab inferis c.6. Præterea ex S.Gregorio Magno lib.2.Moralium c.12. Petro Damiani in opusculo 36. de diuina omnipotentia,Beato præfatione in titulumApocalipsis, *Id, quod interiùs concluditur, à concludente exteriùs continetur.* Insuper penes S.Claudianum Mamercum lib.& cap.3. de statu Animæ, *Notum est, corpore contineri nihil corporeum posse, nisi quod continet,exterius sit, & quod continetur, interius.* Et Lucretius lib.1.de rerum natura dixit,

Extremum porro nullius posse videtur
Esse,nisi vltra sit quod finiat.

Tertiò vna pars Empyrei vnitur per continuationem alteri. Ergo vna non est in alia vt in loco; locus enim debet esse non vnitus per continuitatem rei locatæ,vt tradit Aristoteles cap.4. text.30. & 34. nec non 44. Pro quo loci attributo multus est Auersa in sect.3. Quòd diuisibilitas,& discontinuatio partium Empyrei penes diuinam omnipotentiam,satis est,vt illud sit potestatiuè in loco ratione partium, satis etiam erit circunscribi posse alio corpore, vt sit potestatiuè in loco secundùm se totum,vt obseruat Meratius tract.de Angelis disp.19. sect 2. Refellendi tandem sunt, quia existentia in loco ratione partium communis esset omnibus corporibus positis infra ambitum vniuersi. Ergo cum ea præ Empyreo aliquid speciale habeant,quoad locum extrinsecum realem definitum ab Aristotele, illud maximè erit,quòd ambiatur superficie prima,& immobili corporis alterius: & in hac continentia, vel in eius defectu consistet existentia in loco, vel defectus existentiæ in loco. Hinc inferes, licet Beatorum corpora reciderent supra Empyreum, tamen hoc nec partialiter exiturum in loco reali extrinseco; non enim contineretur ab ipsis instar superficiei; vt nec nos sic continemus terram quam calcamus.

SECTIO V.

An Empyreum sit in loco imaginario extrinseco.

35 PRobaui, Empyreum non existere in loco reali extrinseco. Progredior modò ad discutiendum,an existat in loco imaginario extrinseco?Huius explicatio prius est præmittenda.Et mirum est, quam variè,& caliginosè se gerant Moderni in definitione loci imaginarij. Aliorum imaginationes, quibus is locus humanæ menti redditur propè inaccessibilis, cum tamen, ni fallor, facilis valdè sit, non curabo. *Nam terendum tempus non est in earum discussione causarum, quæ suapte natura tam claræ sunt,vt obscurari potius disputatione minuta videantur.* Ita admonet S.Claudianus Mamercus lib.de statu animæ cap.3.

DIGRESSIO.

Quid sit locus imaginarius extrinsecus?

36 MEa mens est,illum consistere in carentia loci extrinseci realis, seu in carentia superficiei, quæ sit immobilis, & prima corporis potentis rem aliam continere, aut terminare. Cum autem sola superficies nō sit locus realis extrinsecus, sed vlterius constituatur hic ex tali distantia superficiei à reliquis corporibus,vel ab aliquo puncto fixo;sola carentia superficiei non erit locus imaginarius;sed præterea constituetur hic ex carētia superficiei taliter distantis ab aliis corporibus possibilibus, vel ab aliquo puncto fixo possibili, aut existenti. Suadetur explicatio hæc primò, quia vacuū definitur ab Arist.lib.4.Physic.c.7.text.57.locus,in quo nullum est corpus,seu locus carēs corpore. Ergo aptè definitur à simili spatiū imaginarium per carentiā corporis continentis,aut terminātis. Et illud quidem discrimen versabitur inter vacuum,& spatium imaginarium, quòd ex superficiei carentia constituatur in recto imaginariū;sed vacuum cōstituatur in recto ex superficie ipsa. Est & aliud discrimen, quòd vacuum importet aptitudinem,vt repellatur à corpore solo imaginariū autem,vt contineat,aut terminet siue corpus,siue spiritum. Hinc Aristoteles, cui consentit Achilles Tatius in Isagoge ad Arati Phœnomena c.8. cum aliis apud Rhodigin. lib.1.lectionum antiquarū c.7.& apud Gianninium lib.8.Philosophiæ c.29.ac 30. inficiatus est vacuū extra vniuersum ob naturalem saltē incapacitatem corporis aduentitij; etsi supra vniuersum constitueret intelligentias beatas spirituales;Pythagoricos verò,ac Stoicos, qui vacuum ibi agnoscebant, ea cura solicitabat, vt præfatam incapacitatē conuellerent.Sic Cleomedes lib.& c.1.de orbium cælestium contēplatione,Lucretius lib.3.& 5. de rerum natura.Confirmatur,quia spatium imaginariū vocari consueuit vacuum negatiuum,cui vsui conformis est nostra explicatio.Secundò,eo ipso,quòd produceretur à Deo superficies corporis alicuius contigua Empyreo v.g. continensq; ipsum vndequaque, eo ipso Empyreum desineret formaliter esse in spatio imaginario, in quo antea existebat. Ergo spatium illud consistebat formaliter in carentia loci realis extrinseci, cum destruatur formaliter per huius positionem. Tertiò, si corpus gloriosum Christi Domini eleuetur, vt potest, supra Empyreum, ibique se moueat, acquiret

acquiret per motum noua, & diuersa spatia imaginaria inadæquata. Ast non alia ratione, nisi quia comparabit nouas, & diuersas carentias loci realis extrinseci. Ergo sicut in earum diuersitate formaliter consistit diuersitas vnius spatij imaginarij inadæquati ab alio, ita in eis consistet formaliter essentia spatij imaginarij adæquati. Maximè cum spatium imaginarium debeat adquiri per motum tanquam terminus ipsius motus. Quartò, de spatio imaginario sic declarato verificantur omnia vulgò dictitata de eo, scilicet esse æternum, cum ea carentia detur ab æterno: esse infinitum, & constans fixis punctis, cum componatur ex infinitio immobilium, negatiuéque extensarum carentiarum aggregato, aut numero: esse tandem mensuram vbicationum; cum per carentiam superficiei, vt taliter distantis, valeamus metiri rerum existentium vbicationes. Quintò S.Thomas 1.p. q.46. à 1. ad 8. hæc habet, *Cum dicitur supra cælum nihil est, ly suprà designat locum imaginatum tantùm, secundùm quò possibile est imaginari dimensionibus cælestis corporis dimensiones alias superaddi*, ex quibus verbi colligitur, dimensiones, seu superficiem, quæ possit, Empyreo superaddi, & cuius carentia detur actu, esse spatium imaginarium, ita vt hoc in recto, constituatur ex carentia, & in obliquo ex dimensionibus, seu superficie possibili superaddi.

37 Hactenus de spatio imaginario secundum se. de eo, vt à nobis imaginatione concipitur, pauca restant dicenda. Imaginamur itaque illud, vt sapienter notant Hemelman in disputatis ad 1. p. titulo 10. d. 6. cap. 2. & Franciscus Alfonsus d. 22. Physicorum sectio 3: num. 18. ad modum extensæ substantiæ tenuissimæ admittentis faciliter suum intra sinum corpus quocumque, vel spiritum ad illud se mouentum. Prætermitto obiectiunculas nonnullas, quæ contra spatium imaginarium, vno, vel altero modo declaratum solent efformari: Si quid verò specialiter vrgeat contra definitionem imaginarij spatij à nobis propositam dissoluetur in decursu Exercitationis.

REGRESSIO.

Empyreum existit in loco imaginario extrinseco.

38 Pleramque consentient quotquot Empyreo negant omnino locum realem extrinsecum, vel ratione partium; & quotquot concedunt Deo existentiam in spatio imaginario supra Empyreum. Astipulatur expressè Auersa q. 27. Philosophiæ sect. 4. nec non Tellez parte 2. Philosophiæ d. 32. sect. 2. n. 10. vbi quæstionem de existentia supremi cæli in loco dirimit asserendo, illud esse in loco, non quidem vero, sed imaginario, quatenus circumscribitur superficie, non quidem corporis ambientis, sed superficie imaginaria. Vnde ignoro, qua consequentia in d. 38. sect. 2. n. 10. neget, mundum esse in aliquo spatio imaginario, affirmetque, esse in se ipso. Probatur primò, spatium imaginarium est carentia primæ, & immobilis superficiei corporis potentis rem aliam continere, aut terminare. Sed Empyreum existit in tali carentia. Ergo existit in spatio imaginario. Secundò, si produceretur à Deo corpus aliquod ambiens totum Empyreum, existeret hoc in loco reali extrinseco illius. Ergo de facto, existit in spatio, quod illi respondet: spatium verò, quod illi respondet, est imaginarium extrinsecum. Tertiò, simili modo se habet præsentia ad spatium, ac se habet duratio ad tempus. Sed Empyreum antequam moueretur primum mobile, erat durans in tempore imaginario. Ergo modo est præsens spatio imaginario; cùm modò non detur locus realis extrinsecus, in quo cōtineatur vti datur mobilis primi motus, qui est mensura durationū illius; proindeque tempus reale extrinsecum illius. Quare deficiente tali motu post diem extremū Iudicij, redibit Empyreum ad tempus imaginarium. Quartò, quod actu est, non potest, ex natura rei saltem, nullibi esse. Ergo cum Empyreum actu sit, alicubi, est (alicubi enim, aut *ibi non dicimus, nisi cum specialiter locum designamus*, vt ait S. Odilo Abbas Cluniacensis serm. 1. de Natiuitate Domini) Ast non in loco extrinseco reali, vt constat ex sectione præcedenti. Ergo in imaginario. Nec valebit respondere, Empyreum esse alicubi ratione extensionis suarum partium, vel ratione situs, seu vbi intrinseci subsequuti iuxta aliquos necessariò ex tali extensione. Etenim ipsa extensio partium alicubi est (idem de situ, seu vbi intrinseco) cum non sit nullibi; & cùm sit hic, & non alibi extensio, vbi posset poni à Deo sursum mouente Empyreum. Sed non est alicubi loci realis extrinseci; Ergo alicubi loci imaginarij.

39 P. Vazquez st. p. d. 29. n. 114. manifeste inficiatur existentiam Empyrei in spatio imaginario, idque docendum esse ab omnibus, qui præsentiam Dei in spatio imaginario non admittunt, aduertit Ouiedus controuers. 15. Physicorum puncto 3. n. 5. Hinc Moncæus in selectis d. 1. c. 7. Granadus in 1. p. controu. 1. Generali tract. 3. d. 3, sect. 4. n. 26. Iosephus Augustinus in 1. p. q. 8. art. & difficult. 2. num. 40. & alij cum negent existentiam Dei in spatio imaginario vltra Empyreum, & ambitum vniuersi, negant etiam mundi totius in eodem spatio præsentiam; quod nihil aliud est, quàm inficiari existentiam Empyrei in illo spatio. Ex quibus Authoribus argui sic potest contra nostra sententiam, primò, spatium imaginarium est quid fictium, & chimericum. Ergo nequit in illo existere Empyreum; alioqui posset æquè dici, existere in chimera. Et vt ait S. Claudianus Mamercus lib. 3. de statu Animæ cap. 5. *Quod nihil est, recipere aliquod non potest*. Nec minus S.Thomas in dist. 37. quæst. 2. art. 3. in argumento. *Sed contra. In quocumque est aliquid, illud oportet esse. quia in nihilo nihil omnino est*. Secundò, coexistere est simul existere. Ergo cum spatium imaginarium non existat, non potest Empyreum illi coexistere, & consequenter neque existere in illo. Vtrumque hoc argumentum imbelle censebitur, si attendatur explicationi spatij imaginarij à me traditæ. Quare ad primum nego, spatium imaginarium esse quid fictitium, & chimærium; est enim carentia quædam, quæ etsi non sit quid reale positiuè existens, aut possibile, non est tamen quid fictum. Sic vacuum, tametsi essentialiter importet in obliquo carentiam corporis contenti intra superficiem, & latera corporis alterius, non ideò est quid fictum. vel inadæquatè ratione carentiæ corporis contenti. Replicas: Ergo si in carentia loci extrinseci realis locatur Empyreum, cur non locabitur in aliis carentiis? Sed rogo ego, & peto à te, cur primū mobile sit in Empyreo vin loco reali extrinseco, non sic verò in diuina

immensitate? Respondebis, quia Empyreum habet superficiem corpoream, non verò Deus. Ego similiter tibi respondeo, nimirum non quamcumque carentiam aptam esse, vt in illa locetur Empyreum: sed eam, quæ sit carentia superficiei corporeæ. S. Claudianus Mamercus, & S. Thomas sic intelligẽdi sunt, vt quod nihil est, non possit per modũ entis positiui, & loci realis recipere aliquid; secus per modũ entis negatiui, & loci imaginarij. Ad secundum dico, spatium imaginarium existere instar entis negatiui; & Empyreũ ipsi coëxistere non vt enti positiuo, sed vt negatiuo. Sic Deus coëxistit nunc negationi Antichristi, & priuationi, quam formæ sublunaris habet materia cælestis. Vrgebis, carẽtia loci realis extrinseci, est non esse huius loci. Ergo Empyreum existere in tali carẽtia erit idem ac existere in non esse loci illius. At existere in non esse loci est non existere in loco. Si dicatur, esse non existere in loco reali extrinseco, non autem in imaginario. Premes etiã num, quia existere in loco imaginario, idẽ est, ac existere in non reali; sic verò existere est absolutè non existere in loco. Sed respondeo, esse absolutè existere in loco vt imaginario, qui non est carentia loci omnis, sed loci solius realis. Facem hæc præferebant ad defensandã expeditè præsentiã Dei ab æterno in spatio, quod nunc occupatur ab vniuerso, & in eo, quod supra Empyreũ concipitur longè, lateq; imò, & in infinitum patere. De qua præsentia S.P. Ignatius lib. Reuelationum suarũ c. 34. apud Andream Lucam lib. 6. vitæ Gloriosissimi Patriarchæ societatis Iesu c. 6. post S. Dionysium Areopagitam c. 3. de diuinis nominibus §. 1. aliosque Patres, sed nolim falcem in alienam messem mittere.

40 Solummodò adnotarim duo; quorũ primum sit, sicut non est negandum, Deum existere in loco reali extrinseco, etsi hic definiatur, quatenus sit superficies corporis continentis prima, & immobilis; ita negandum non esse, Deum existere in spatio imaginario, licet hoc definitum à me sit, quatenus sit carentia loci realis extrinseci, seu carentia primæ, & immobilis superficiei corporis potẽtis rem aliam continere, aut terminare. Aderit itaque Deus intimè præsens cuius loco extrinseco reali, & cuius etiam imaginario, quin ab vllo contineatur, aut terminetur: secus est de corporibus, quæ à loco extrinseco reali indistanti continentur, ac circunscribuntur secus etiam est de spiritibus creatis, qui à determinato loco extrinseco reali, vel imaginario terminantur, & finiuntur, existentes quidem in reali per intrapositionem, seu per intimam, ac penetratiuam cum ipso coëxistentiam, & non per extrapositionem, seu per positionem extra situm ipsius, hic enim modus existendi proprius est, & connaturalis corporibus. Secũdum sit, Deum in mundo corporeo condito non existere vt in spatio imaginario, neque item sic extiturum in vacuo, quod fieret intra limites mundi: nam cum spatium imaginarium consistat in loci realis extrinseci carentia, & hæc in mundo corporeo non detur, neque daretur etiamsi intra eius limites fieret vacuum, sequitur, Deum in mundo pleno corporibus non existere, neq; extiturum in parte aliqua illis vacua, tanquam in spatio imaginario, sed tanquam loco reali extrinseco pleno, aut vacuo. Cæterum in vastitate, quæ respondet mundo corporeo condito, & in ea, quæ supra Empyreum protenditur, existebat Deus ab æterno tanquam in spatio imaginario; quia in vtraque vastitate fuit ab æterno loci realis extrinseci carentia, quæ in posterior nunc perseuerat, neque enim spatium imaginarium requirit omnino, vt nihil existat in eo; sed tantum, vt nihil existat, quod corpus sit, faciatq; locum realem extrinsecum ratione suæ quantitatis extensæ. Et quoad hoc conuenit spatium imaginarium cum vacuo, quod saluum permanet, dum non repletur corpore extenso. Hæc adnotasse oportuit, ad pleniorem superiorem elucidationem.

SECTIO VI.

An Empyreum sit in loco reali intrinseco?

41 VOco *locum realem intrinsecum* eam formam, qua res formaliter constituitur hîc, vel alibi, seu qua alligatur determinato spatio; non secus ac forma, per quam res coëxistit tempori extrinseco labenti, nuncupatur tempus intrinsecum reale Appellationem illam reputant valde probabilem Toletus 4. Physicorum cap. 5. q. 8. & Suarez disp. 51. Metaphysicæ sect. 2. n. 4. Ioannes Gonzalius Martinius 4. Physicorum in illustratione quinque priorum capitum. Erit itaq; locus intrinsecus vbicatio seu præsentia rei ad spatium. Num ea gaudeat Empyreum? Examino. Et ne aliquis putet, extra cancellos tractari à me de vbicatione, sciat Patrem Suarez vbi supra sect. 2. n. 21. & frequenter alios ex nostris, argumento desumpto ex Empyreo, reiicere plurium Thomistarum sententiam de essentia, & constitutiuis vbicationis; cui argumento conantur occurrere ipsi Thomistæ, vt videre licet in Ioanne Sanchez Sedeño lib. 6. Logicæ q. 10. & in quibusdam nuperis zelatoribus eorundem Thomistarum. Vt veritas exertius appareat, opus est multiplici digressione.

DIGRESSIO I.

Locus intrinsecus, seu vbicatio non est locus extrinsecus denominans rem vbicatam.

42 ITa communiter nostri Theologi, & Philosophi. Fulcitur primò, quia existere corpus vbicatum non potest esse mera denominatio à loco extrinseco proueniẽs. Nam si locus sit imaginarius nequit communicare denominationem realem, qualis est denominatio vbicati; si verò locus sit realis, nequit eam cõmunicare se solo, vti vna albedo denominat aliam sibi similẽ, vbicunq; existat alia. Quare corpus existens Romæ denominaretur à loco Vallisoletano vbicatũ Vallisoleti. Præterà variato loco extrinseco reali, immoto tamẽ persistẽte corpore, daretur variatio vbicationũ, & præsentiarũ in corpore. Et deficiente loco extrinseco reali circumscribente corpus, persisteret hoc nullibi præsens, etsi à Deo conseruaretur, vti anteà erat in rerum natura. Deniq; locus ipse realis debet esse vbicatus, & præsens ibi, vt contineat aliud corpus, alioqui aqua modò continens piscẽ, contineret hunc existens vbilibet. Ergo deueniendũ est necessariò ad aliquod corpus, quod non sit præsens per denominationem à loco reali extrinseco. Fulcitur secundò, possunt coëxistere Petrus, & talis locus extrinsecus, quin Petrus sit vbicatus in tali loco. Ergo esse vbicatum in tali loco, nõ est denominatio proueniẽs præcisè ex coexistẽtia Petri, hoc etiã existente à parte rei: rursus separabile realiter est à Petro cõtineri in gymnasio, hoc etiam existente à parte rei. Ergo gymnasium continere

continere Petrum, & Petrum contineri à Gymnasio distinguitur realiter ab vtriusq; existentia, & coexistentia Ergo vbicatio, seu denominatio Petri vbicati in gymnasio non refunditur in illũ ex gymnasio præcisè. Cõfirmatur iterùm, in instanti *A*, existebant à parte rei Petrus & gymnasiũ, quin ille vbicaretur à parte rei in hoc. Ergo vbicati in hoc à parte rei in instanti *B*, prouenit ab aliquo de nouo supperaddito, distinctoque ab vtroque, ratione cuius resultet in gymnasium denominatio realis vbicantis, & in Petrum vbicati. Germano argumento probaui in Exercitatione 7. à n. 2. vnionem non esse denominationem realem prouenientem præcisè ex coexistentibus extremis mutuò separabilibus realiter. Quòd si illud causa cadat, deerit fundamentum ad distinguendam actionem ab agente, & termino nec non cognitionem ab intellectu, & obiecto cognito, quando neque agens connexum est termino, nec terminus agenti: & quando neque intellectus essentialiter petit cognoscere obiectum, nec obiectum cognosci ab intellectu. Vnde rursus confirmatur, intentionalis præsentia obiecti ad intellectum indifferentem, seu non determinatum essentialiter, vt cognoscat, non est præcisè ipse intellectus denominans obiectum sibi præsens. Ergo similiter physica præsentia corporis ad locum extrinsecum, cui non sit essentialiter alligatum, non erit præcisè ipse locus denominans corpus sibi præsens. Fulcitur tertiò, si existat locus, non potest non ipsi esse præsens Deus non ob aliam rationem, nisi quia præsentia Dei ad locum est denominatio resultans præcisè ex hoc in illum. Ergo si præsentia Angeli v.g. ad locum sit denominatio resultans præcisè ex loco in Angelũ, idem de eo dicendum esset ac de Deo. Quare Angelus intra vniuersum nequiret occupare modò spatium maius, modò minus, requiret absolui ab omni spatio reali; imò nequiret non esse præsens omni spatio tam reali, quam imaginario, quod coexisteret ipsi. Dices, Deum ex se ipso habere exigentiam existendi in omni loco; Angelum autem ea carere. Fateor, & hinc instauro vires argumenti. Nam si neque Angelus exigit ex se existere intra Empyreum coexistens sibi in rerum natura; neque aliunde Empyreum exigit includere intra se Angelum coexistentem sibi in rerum natura. Ergo Angelum esse præsentem Empyreo addit aliquid aliud præter denominationem resultantem præcisè ex vtriusque coexistentia in rerum natura.

43 Si opponas primò Angelicum Doctorem dicentem lib. 2. contra Gentes c. 13.. *Denominatur aliquid ab eo, quod est extra ipsum, vt à loco dicitur aliquid esse alicubi.* Respondeo, vel probatiores Thomistas non conuinci hac authoritate, vt affirment, prædicamentum vbi esse puram denominationem extrinsecam. Legantur Capreolus in 2. d. 2. & 6. q. 1. art. 3. Soncinas 5. Metaphisicæ q. 41. Atauio 5. Metaphysicæ, q. 7. art. 1. Albelda 1. p. q. 10. d. 22. ad 3. Astudillus lib. 3. Physicorum q. 1. Sensus S. Thomæ est, rem denominari alicubi existentem à loco non vt à forma intrinseca præsentiæ, sed vt à termino. Et quidem S. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. & quæstiuncula 1. in corpore docet conceptis verbis, vbi non esse locum, sed quid ex eo in subiecto relictum: atque id ipsum lego traditum anteà ab Hugone Etheriano lib. 3. de hæresibus, quas in latinos Græci deuoluunt, c 8. Scio Hispalensem in 2. dist. 6. q. 1. art. 3. in 2. notabili mordicùs eniti, vt prædicamentum vbi sit pura denominatio extrinseca ex placito Angelici Doctoris, & art. 4. ad Argumenta Gregorij contra 1. conclus. protũpere in hæc verba; *Nusquã S. Thomas docuit, aut sensit, quod vbi sit aliquod accidens formaliter inhærens mobili secundum locum, neque ipsi locato, sed esse accidens extrinsecum, & ab extrinseco denominans ipsum, licet Ioannes Capreoli cum nonnullis aliis non certè mentem Philosophi, & S. Doctoris capientes opinentur, vbi esse accidens intrinsecum formaliter inhærens rei locatæ.* Hactenus Archiepiscopus Hispalensis, vt videas quam oppidò iurgentur Thomistarum summates circa Præceptoris mentem.

44 Si oppon as secundò, locum fieri præsentem corpori est denominatio ab hoc prouenicns. Ergo & è conuerso. Respõdeo, vt corpus fiat loco præsens debere fieri aliquam mutationem, aut præsentiam fit autem in corpore aptiùs, quàm in loco, cum hic sæpe perseueret immobilis; & cum locus imaginarius sit incapax patiendi mutationem, aut præsentiam realem. Eo verò ipso, quod permutationem, aut præsentiam superadditam sit præsens loco corpus, redditur locus præsens corpori; quemadmodùm eo ipso, quòd obiectum sit cognitum, est potentia cognoscens. Aduertendum autem est cũ Emin. Cardinali Lugo d. 5. de Eucharistia sect. 5. n. 143. denominationem corporis præsentis loco extrinseco reali cõstitui ex vtriusque præsentiis ad spatium imaginarium, haud secus ac denominatio vtriusque coexistentis constituitur ex vtriusque existentiis. Cogita me immoto manente, destrui à Deo hoc cubiculum, tunc quidem non essem in hoc cubiculo, neque ipsi præsens essem, non quia subirem mutationem aliquam intrinsecam, seu aliquid intrinsecum amitterem, vel acquirerem de nouo; sed quia deficeret huius cubiculi præsentia, ex qua partialiter constituebatur denominatio mei præsentis ipsi cubiculo.

45 Si opponas tertiò, corpus esse præsens loco, nihil aliud est, quàm esse indistans ab illo; sed constituitur indistans per carentiam distantiæ. Ergo præsentia ad locum nihil aliud est, quàm denominatio resultans ex loco in locatum cum carentia distantiæ inter vtrumque. Respondeo, corporis præsentiam ad locum non esse formaliter, sed illatiuè indistantiam illius ab hoc, si indistantia sit carentia, vt supponit obiectio. Vnde etsi constituatur indistans per carentiam distãtiæ, debet præsupponi præsens per aliquid positiuum. Quod sic ostendo ex superioribus. Possunt coexistere corpus, & locus quin sint indistantia; ergo vt ex loco in corpus resultet illa carentia, debet superaddi coexistentiæ vtriusque aliquid aliud, quod quidem est præsentia quam intendo. Rursus, corpus est indifferens, vt sit distans, vel indistans ab hoc loco. Ergo vt sit indistans per carentiam distantiæ, debet determinari ab aliquo præuio ad illam carentiam, connexoque cũ illa; vti determinatur ab aliquo positiuo vt sit distans. Consideretur, claritatis gratiâ, Angelus (idem quoad hoc de corpore) pro primo signo, quo est creatus, tunc erat indifferens ex se, sicut & posteà pro aliis signis conseruationis, vt haberet aut carentiam distantiæ à cælo Empyreo, aut distantiam. Rogo ergo cur potiùs pro sequenti signo habuerit carentiam distantiæ, quàm distantiam? Sanè ratiò habendi carentiam distantiæ non potuit esse realis actio terminata, immediatè ad ipsam carentiam; nulla enim actio realis valet terminari in mediatè nisi ad ens reale. Nec item potuit esse actio creatiua Angeli, neque præterea

huius existentia; quandoquidem tam actio creatiua Angeli, quàm existentia sint indifferentes aut ad carentiam distantiæ, aut ad distantiam. Denique non potuit esse ipsum Empyreum, nam hoc existente liberum erat Deo producere Angelum vel in terra, vel in spatio imaginario, vel nullibi existentem. Assignanda igitur est in Angelo aliqua forma, siue realis, siue modalis, ratione cuius habeat pro sequenti signo carentiam distantiæ ab Empyreo potiùs, quam distantiam. Quare sicut carentia corporeitatis fundatur in entitate physica Angeli, per quam est formaliter spiritualis, ita carentia distantiæ ab Empyreo debet fundari in aliqua entitate physica superaddita, per quam sit potiùs præsens illi; quàm alibi, vel nullibi existens.

DIGRESSIO II.

Locus intrinsecus, seu vbicatio est forma intrinseca & positiua superaddita rei vbicatæ.

46 EOsdem habet Patronos hoc assertum, quos superius. Roboraturque primò ex ipso: vbicatio non est præcisè entitas locatæ rei, neque denominatio conflata ex re locata, & loco, neque aliqua forma negatiua: Ergo est forma aliqua intrinseca, & positiua superaddita rei locatæ, & loco. Tres antecedentis partes manent probatæ in proxima digressione. Consequentia rectè infertur. Secundò, Petrus existens in hoc loco habet aliquam denominationem intrinsecam, qua carebat dum existeret in alio loco. Ast ea denominatio non constituitur præcisè ex loco, in quo existit, & ex ipso Petro. Ergo constituitur ex forma intrinseca superueniente, ne detur noua denominatio intrinseca, absque aduentu nouæ entitatis intrinsecæ, & ne perierit pristina denominatio intrinseca absque amissione pristinæ entitatis intrinsecæ. Tertio, Deum esse præsentem vbique, est intrinsecum ipsi. Ergo Petrum esse præsentem alicubi, est intrinsecum ipsi; sed Petrus non variatur in se, variata præsentia ad aliquem locum. Ergo præsentia ad illum est forma intrinseca superaddita Petro; non tamen Deo ob rationem dictam in secundo fulcimento proximæ digressionis. Quartò, potest corpus existens in loco *A.* poni simul diuinitus in loco *B*, vel circumscriptiuè, vel definitiuè; sed tunc deberet habere aliquid in *B*, quod non habet in *A*, si enim haberet idem in *B*, quod in *A*, non esset magis extra *A*, quàm anteà: Ergo haberet nouam formam intrinsecam affigentem ipsum loco *B*. Nec sufficit mera coexistentia ad locum *B*, nam suppono coextitisse in rerum natura huic loco, dum erat in solo loco *A* adæquato. Confirmatur, vt Petrus sit in hoc cubiculo potiùs, quàm in platea, vbi anteà erat, debet habere aliquid nouum. Id autem nouum non potest esse aliud, quàm noua vbicatio producta per motum localem, siue hic distinguatur ab illa, siue non. Confirmatur iterùm, vt corpus existat in loco non est satis coexistentia vtriusque; alioqui non posset dari vlla diuersitas in modis præsentiæ ad locum respectu eiusdem corporis, vel diuersorum: vti quia vt corpus duret in instanti satis est coexistentia corporis, & instantis, durare non potest corpus diuerso modo in instanti *A*, ac in *B*, & duo corpora durare nequeunt dissimili modo in eodem instanti *A*, vel *B*, atqui vnum corpus potest esse circumscriptiuè præsens vni loco, & simul definitiuè præsens alteri, idemque est de diuersis corporibus. Ergo diuersitas ista prouenit ex diuersitate præsentiarum, quatum vna sit circumscriptiua, altera definitiua, & illa faciat partes corporis præsentes distinctis partibus loci, hæc vero eidem parti. Hinc corpus Christi est circumscriptiuè in cælo; quia ibi extensionem habet partium ad partes loci, est autem definitiuè in hostia consecrata, quia per præsentiam quandam superadditam respondent cunctis partibus, & cuilibet parti hostiæ omnes partes illius. Nec sufficeret formalis negatio distantiæ ab hostia, tum quia nihil positiuum aufertur à corpore Christi, ex quo positiuo resultet illa negatio; si autem aliquid positiuum additur est præsentia intenta, ex qua resultaret illa negatio: tum quia si corpus Christi nullibi existeret (vt potest diuinitùs) haberet formalem negationem distantiæ ab hostia, & cæteris rebus omnibus, & tamen non esset adhuc localiter definitiuè præsens hostiæ. Neque item sufficeret negatio extensionis localis, nam hac sublata, aut non data intelligimus solummodò corpus non esse circumscriptiuè in loco; non verò communicari ei præsentiam definitiuam cum alia re respectu eiusdem spatij.

47 Probatur sextò, quando res aliqua mouetur, datur aliquid distinctum à loco, & re, quæ mouetur, scilicet motus localis, qui est intrinsecus rei motæ. Tunc sic: motus localis est actio, quæ neque rem locatam, neque locum extrinsecum producit, vt compertum est, siquidem res, & locus extrinsecus realis præexistant motui; imaginarius autem sit improducibilis. Ergo ea actio vel producit terminum aliquem extrinsecum distinctum à se, vel indistinctum? Si distinctum; in ipso consistet vbicatio, si indistinctum, ipsamet actio grammaticalis erit realiter vbicatio: induetque localis motus denominationem vbicationis, quando res medio ipso perseuerat in loco, quiescitque in eo, non tamen denominationem motus, quia ad hanc requiritur præcessisse priuationem in instanti immediate antecedenti, cum igitur in instanti antecedenti non præcedat priuatio præsentiæ, inde est, non manere motum sub ratione, & denominatione talis, quando res medio ipso perseuerat in loco. Itaque distinguetur vbicatio à motu locali, quatenus hic connotat priuationem, secus illa: haud aliter ac eadem actio, quæ est primò productiua, & conseruatiua, prout est primò productiua distinguitur inadæquatè à se ipsa vt conseruatiua; nam vt primò productiua connotat non esse sui, aut termini in instanti immediate præcedenti, non autem vt conseruatiua. Ex quo infertur pereunte motu locali in ratione actionis, & motus perire etiam vbicationem, non vero pereunte in ratione motus: proindeque perseueraturum motum in ratione actionis rem præsentem constituentis immediatè, vel mediatè vsque dum ab aliqua causa destruatur. P. Franciscus Alfonsus d. 22. Physicorum sect. & n. 3. contendit vbicationem distingui realiter à motu, quia perseuerat deficiente illo. Quare sicut colligimus calorem distingui realiter ab actione productiua sui, quia persistit deficiente agente, & cõsequenter actione, per quam fuit productus, ita similiter. Et addi potest pro distinctione motus ab vbicatione, quam producit, quia vbicatio ad spatium *A.* v.g. est eadem, siue producatur per motum sursum, siue per motum deorsum: & quia difficulter intelligitur actio, quæ terminum

terminum distinctum non sortiatur, & causet. Hæ tamen rationes supponunt motum non esse se ipso vbicationem; qua suppositione non egemus impræsentiarum. Supponunt etiam motum producere vbicationem, cum nihilominus nonnulli velint, hanc produci à corpore moto habente se vt conditione necessaria, & determinatiua ipso motu, qui sit per se alligatus isti loco, Et hinc rogati, cur cum corpus sit ex se indifferens ad hanc vbicationem in isto loco, vel illam in alio, producat potiùs hanc, quam; illam? Respondent; id prouenire ex determinatione motus. Rogati rursus, cur euanescente motu, maneat corpus in isto loco, & non in alio, in quo erat anteà quàm moueretur? siquidem pereunte motu, & termino illius, debet se habere corpus sicut anteà, quàm fuisset, si per motum non produceretur vbicatio in isto loco. Respondent, manere corpus in isto loco, quia ex motu excitatur necessariò corpus ad productionem vbicationis in isto loco. Qui sic discurrunt non infitentur vbicationem distinctam intentam à nobis; sed absque necessitate abeunt per deuia, & prærupta loca. Si enim motus producit terminum distinctum, cur ipsi functionem vbicationis adhibere recusant? Si motus est per se alligatus isti loco, cur ab eo, aut eius termino distinguunt vbicationem, multiplicantque entitates? Ad hæc: si daretur aliqua actio noua, per quam res transiret formaliter ab vno instanti ad aliud in actione illa tantùm aut eius termino poneretur conceptus durationis. Ergo cum ipsi assignent actionem, per quā res transeat ab vno loco ad alium; in tali actione, aut eius termino conceptum vbicationis agnoscere satius erit, quàm nouas inuehere entitates. Quod si corpori quiescenti post motum velint communicare productionem vbicationis, dicant, hanc productam anteà à motu, conseruari posteà per nouam actionem ortam à corpore. Nam etsi causæ primò productiuæ non debeat denegari conseruatio effectus, si illa existat; secus si non existat. Præterea velim, edisserant, quemnam terminum distinctum, & productum habeat motus lationis. Excepta namque semel vbicatione, nullus alius inter prædicamenta assignari commodè potest, nisi vt summùm relatio, quæ si sit rei locatæ ad locum, erit eo ipso vbicatio. Tandem, quamnam functionem obiret ille terminus? Cur talis esset naturæ vt transacto motu euanesceret illicò? Dicere in eum finem præcisè existere, vt terminet actionem, nugatorium prorsus est.

48 Inquies primò, præsentia non producitur per motum, vt patet in Angelo, qui absque motu locali habuit primam præsentiam; & in Empyreo, quod à sui conditione est in loco, quin habuerit motum localem. Si respondeatur, præsentias Angeli, & Empyrei comparari potuisse per motum, vel præsentias adquisitas per motum, produci per ipsum, & inde à paritate deduci, quamlibet præsentiam ad locum esse entitatem distinctam. Contra assurges, motus localis est ratio, per quam Petrus transit à loco *A*, ad locum *B*, sed per hanc rationem non producitur præsentia. Nam Petrus per productionem præsentiæ in loco *A* non transit ad locum *B*. quippè præsentia ad locum *A* est illi essentialiter affixa; nec item transit per productionem præsentiæ In loco *B*. Etenim productio præsentiæ in *B*. non pendet à Petro, vt est in *A*, neque à Petro vt sic, quia vt sic est indifferens ad hanc, & illam præsentiam. Ergo pendet à Petro, vt determinato ad locum *B*. Ergo ante productionem præsentiæ in loco *B*, est Petrus in illo. Ast non potest esse in *B*, nisi transierit ab *A* ad *B*. Ergo transitus ab *A* ad *B*. est prior naturà, quàm productio præsentiæ in *B*. Ergo per talem motum non producitur præsentia in *B*. Quare motus localis erit actio grammaticalis, cuius primarius effectus erit reddere subiectum aptum ad respondendum successiue loco, & effectus secundarius erit successiua correspondentia proueniens non à forma intrinseca, sed extrinseca. Diruitur moles huiusce Argumenti, dicendo, productionem præsentiæ in loco *B* pendere à Petro vt determinato negatiuè ad locum *B*, pro priori illius instantis, in quo producitur præsentia ad locum *B*. & vt præexistente positiuè in loco *A* proximo pro instanti immediatè antecedenti. Clarescet id in n. 50. Neque premes, si replices, eo ipso quòd vbicatio sit forma distincta, debet vbicatio ad locum *B* existēs pro priori expellere vbicationem ad locum *A*, sicut calor priùs naturà introducitur in passo, quàm expellatur frigus. Etenim non omnia, quæ opponuntur, se gerunt eodem modo, ac calor, & frigus. Est id perspicuum in amore, & odio eiusdem obiecti. Inquies secundò, Ideo præsentia est forma distincta, quia Petrus per illam se habet diuersimodè, ac anteà. Hoc autem est falsum, cum in primo instāti, in quo res producitur, sit præsens loco, quin se habeat intrinsecè diuerso modo, ac anteà. Fingis hostem, quem ferias. Diuersitas illa conuincit vt summùm, præsentiam comparatam per motum esse entitatem distinctam. Stet itaque, vbicationem, & præsentiam creaturæ in loco esse formam intrinsecam, positiuam superadditam, siue distinguatur, siue non distinguatur à motu locali, quando hic interuenit. Abstinui ab ea probatione vbicationis superadditæ desumpta exinde, quòd externis sensibus percipiātur vbicationes suorum obiectorum, tum quia aduersus Arriagam disp. 3. Animastica, sect. 1. subsect. 6. impugnatur efficaciter istud principium à Cardinali Lugo d. 5. de Eucharistia sect. 4. ex n. 86. vsque ad 100. tum quia etsi percipiatur vbicatio sensibus, non tamen ipsi discernunt, aut intellectui ministrant ansam diiudicandi, an distincta, an indistincta sit ab obiecto, & spatio; sicut licet duratio, vel saltem existentia non lateat eosdem sensus, nihilominus distinctio, aut indistinctio existentiæ ab essentia, & durationis à re, & tempore coexistente manet occulta.

49 Contra assertum huius digressionis arguitur primò ex authoritate S. Thomæ. Scribentis 1. p. q. 110 art. 3. in corpore, ***Mobile secundùm locum non est in potentia ad aliud intrinsecum, in quantum huius modi; sed solùm ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum.*** Quibus verbis videtur docere præsentiam non esse quid intrinsecum, distinctumque à repræsenti. Cæterùm si Doctoris animus tantùm est, mobile non esse in potentia ad aliquid intrinsecum per quod mutetur secundum esse reale perfectum, vel per quod disponatur ad generationem, aut corruptionem substantialem. Deducit id ex inde, quòd iuxta Aristotelem 8. Physicorum cap. 7. textu 59. & 60. motus localis sit perfectio inter omnes corporeos: quia, ***quod mouetur minimè omnium motionum latione ab essentia abscedit; hac enim sola nihil, quod insit, mutatur; quomodo eius, quod alteratur, qualitas; eius, quod augetur, & decrescit, quantitas.*** Hunc in modum interpretanda sunt alia S. Thomæ testimonia collecta à Capreolo in 2. dist. 6. q. vnica, art. 3. in fine responsionis ad argumenta contra secundam conclusionem; item

S. Damasceni in physica c. 6. quædam verba desumpta ex Aristotele, vt & pleraque alia suæ Physicæ.

50 Secundò arguitur, Petrus est prius naturâ, in hac aula, quàm producat vbicationem distinctam in ea. Ergo superfluit vbicatio distincta. Probatur antecedens. causa efficiens cum omnibus requisitis antecedit effectum prioritate naturæ. Sed vnum ex requisitis ad producendam vbicationem in aula, est existentia in ea. Ergo &c. Suadetur minor, Petrus est indifferens ad producendas vbicationes in locis *B* & *C* & *D* ergo vt producat vbicationem in loco *B* aulæ, indiget determinatiuo aliquo; hoc autem determinatiuum est existentia Petri in aula præcedens proprioti naturæ. Respondeo, vt Petrus producat primam sui vbicationem, opus esse existentia in loco, non quidem positiua, sed negatiua; seu opus esse carentia vbicationis constituentis Petrum distantem. Hæc ergo carentia est determinatiuum ad producendam primam vbicationem. Si verò vbicatio in aula non sit prima, sed supponat aliam in atrio v. g. tunc quidem existentia negatiua in aula non est determinatiuum ad producendam vbicationem in ea, sed existentia positiua in atrio proximo Vt enim per motum acquirat Petrus nouum locum aulæ, debet præsupponi proximus ipsi, ac proinde vbicatus in loco proximo. Hinc si effectus aliquis, puta Angelus, produceretur à Deo solo, erit pro priori naturæ indifferens ad quemcumque locum, cum neque ex parte ipsius, neque ex parte Dei detur determinatio ad certum locum. Effectus verò, qui producatur à causis creatis erit pro priori naturæ determinatus negatiuè ad locum, in quo producitur; cum causæ creatæ determinatis alligentur locis. Hinc præterea effectus, cuius præsentiam ad locum impedisset Deus, determinaretur ab hoc, si posteà constituendus esset alicubi præsens, vt potius in vno loco, quàm in alio produceret vbicationem sui. Ita Franciscus Alfonsus d. 22. Physicorum sect. 4. n. 48. Inferet aliquis: ergo Petrus, vt producat effectum aliquem in extraneo subiecto, non indigebit præsentia positiua in loco, si vt producat primam vbicationem sui, non indiget præsentia positiua in loco. Sed malè; plura enim requiruntur, vt agens operetur in alio, quàm vt operetur in se. Vnde si essentia actualis distinguatur ab existentia, vt essentia Angelica producat sui existentiam, non indiget præcedente existentia pro priori; secus vt producat alios effectus extra se. Subsistentia etiam est conditio præuia ex multorum sententia ad effectus producendos ab agente in subiecto extraneo, non tamen ad productionem sui in ipso agente. Certè si vt Petrus produceret sui præsentiam in loco, opus esset præexistentia positiua in loco, daretur in eodem instanti reali duplex præsentia, scilicet præuia illa pro priori naturæ, & ea, quæ causatur pro posteriori. Vlteriùs, Petrus est indistans à se ipso sufficienterque determinatus, vt si se moueat à loco *A*. ad *B*. producat in se præsentiam ad locum *B*. determinatus, inquam, ex præsentia ad locum *A*. non quidē vt existente in instanti motus sed vt præexistente in instanti anteriori. Quare non est necessaria præexistentia positiua ad locum *B*. in instanti, in quo mouetur ad illum. Quæ omnia non militant respectu Petri vt operantis in extraneo subiecto, ideòque indigebit præexistentia positiua in loco, vt extra se operetur.

51 Ex hinc fit contra Arriagam d. 7. Physicorum sect. 6. subsect. 4. & tomo 2. in 1 p. d. 15. n. 18. d. 18. n. 11. præsentiam, & approximationem localem esse necessariam ex natura rei, saltem per modum conditionis antecedentis, vt ignis calefaciat lignum v. g. vti intentionalis approximatio voluntatis ad obiectum media cognitione est conditio præuia, vt voluntas amet illud, Et quidem ideo ignis calefacit lignum, quia huic approximatur, & non ècontra. Ergo si quia ideo amamus, quia cognoscimus, & non è conuerso, cognitio est conditio præuia ad amorem, erit ob eandem rationem localis approximatio ignis ad lignum conditio præuia ad calefactionem. Vrgeo, ex duobus extremis, illud est prius naturâ, quod ab alio non dependet in sui existentia, & illud est posterius, quod dependet. Sed approximatio ignis, non dependet in sui existentia, etiam connaturali à calefactione, secus prima huius existentia ab illius approximatione. Ergo &c. Confirmatur, quia approximatio non est causa calefactionis: deinde non est conditio subsequens, non enim, vt existat supponit calefactionem. Rursus non est conditio comitans, cum possit persistere naturaliter calefactio quin coexistat ipsi approximatio, & hæc queat sic existere, quin coexistat illi; vel potius quia nulla assignabilis est ratio, ob quam simul naturâ, aut comitanter se habeant. Ergo est conditio antecedens, ac præuia. Quòd si vt animal moueat localiter corpus extraneum prærequiritur ex natura rei præsentia animalis tanquam conditio antecedens effectionem motus; prærequiritur etiam agentis creati præsentia, vt moueat per alterationem, & per generationem substantialem passum extraneum. Sed dicit Arriaga, vt animal moueat corpus extraneum, non prærequiritur huius approximatio ad illud in instanti motus, siquidem per motum comparetur vbicatio corporis, & in ea vbicatione consistat partialiter approximatio. Ergo similiter vt ignis calefaciat lignum, non prærequiretur approximatio ignis ad lignum. Hoc argumentum iudicio tanti viri est euidens. At enim si quemadmodùm per motum corporis producitur aliquid, ex quo constituitur ipsius, & mouentis approximatio, ita per calefactionem fieret quidpiam, ex quo conflaretur ignis, & ligni approximatio, non dissentirer. At cum falsum sit id posterius, non possum non dissentiri, & negare consequentiam, admisso antecedente. Nec mirum est, non prærequiri approximationem ad producendum constitutiuum aliquod approximationis; prærequiri verò ad producendum id, quod nullatenus pertinet ad ipsam approximationem. Si Arriaga vellet non prærequiri approximationem ignis ad calorem, qui producitur in ligno, euidens proculdubio esset eius argumentum, & exemplum optimum, quo vtitur.

52 Tertiò arguitur, si res existat in loco per formam intrinsecam superadditam, sequeretur posse diuinitus existere simpliciter, & absolutè, quin alicubi existeret. Non enim est cur detur tanta connexio inter actionem productiuam rei, & productiuam vbicationis, vt posita existentia illius, nequeat pro posteriori suspendi existentia huius siuè in fieri, siue in conseruari. Atqui rem existentem absolui ab vbicatione in omni loco, repugnat non minus, quàm absolui à duratione in omni tempore. Respondeo primò, posse diuinitus produci, aut conseruari rem creatam sine omni vbicatione; ita quidem vt à mundo esset distans negatiuè, non verò positiuè; & ita etiam vt mundo esset præsens negatiuè, non autem positiuè. Quare haberet negationes

tiones distantiæ,& præsentiæ;quarum prima negatio non est formaliter approximatio,nec necessariò connectitur cum ea ; & secunda negatio non est formaliter distinctia , nec necessariò connectitur cum ea.Et difficile cogitatu non est,rem non fore distantem positiuè , neque præsentem positiue mundo;non enim opponuntur contradictoriè distantia,& præsentia positiuæ,sed distantia , & non distantia, præsentia , & non præsentia Vnde sicut penes Cardinalem Lugum d. 12. de Incarnatione sect.7.n.93.Franciscum Alfonsum d.8.Physicorum sect.7.n. 74. & complures alios datur medium inter existere per se positiuè, & existere in alio positiuè,nimirùm existere negatiue neque in se,neque in alio , & ideo non repugnat existere rem sine subsistentia propria , & aliena;ita dabitur medium inter esse distantem positiuè,& præsentem, seu indistantem positiuè ; & ideo non repugnabit rem absolui ab omni distantia , & præsentia positiua. Ita multi, quos sileo , & ab re hic exoluerem implicantias , quas oppositum sentientes excogitarunt,quasque infringere operosum non est,si consideretur res pro propriori ad vbicationem in loco reali,vel imaginario ; nam in eo statu debent fateri Aduersarij , rem neque distantem positiuè,neque præsentem positiuè loco considerari , sed præcindentem à distantia positiua , & à præsentia positiua , siue vbicatio sit forma intrinseca superaddita , siue denominatio mera ex re , & loco proueniens. Vt ergo Angelus v. g. pro priori ad vbicationem in mundo , vel extra mundum præcindir à distantia , & à præsentia respectu mundi , sic poterit diuinitus existere realiter, quin sit distans positiuè,& quin positiuè sit præsens respectu eiusdem. Et sanè Angelus non magis exigit vbicationem definitiuam , quàm corpus circunscriptiuam: corpus autem potest diuinitùs priuari vbicatione omni circunscriptiua,& extensione locali;quapropter, docente Lugo disp. 5. de Eucharistia sect. 8. etsi Deus denegaret Corpori Christi Domini vbicationem circunscrietiuam in Empyreo,non idcirco desineret esse in Eucharistia. Præterea substantia materialis potest diuinitus conseruari sine omni quantitate, ita vt reducatur ad punctum, vel ad exiguam partem spatij , vti inter alios probant Auersa quæst. 22. Philosophiæ sect. 1. Nicolaus Cabeus lib. 4. Meteorologicorum textu 9. q. 4. circa finem. Ergo & possunt tam substantia materialis , quàm spiritualis priuari omni vbicatione, non enim magis videntur connecti cum vbicatione , quàm substantia materialis cum quantitate. Mihi quidem probabilissimum est, nullam entitatem creatam , excepta actione , connecti posse essentialiter , saluo Dei Dominio perfectissimo, cum alia entitate creata (etiam indeterminatè) subsequuta pro posteriori. De quo in n. 37. & 38. Exercitationis sequentis. Absolutionem existentis rei creatæ à duratione propositam in argumento concedat quisque , aut neget possibilem prout de distinctione, aut indistinctione durationis ab existentibus re , ac tempore decreuerit, nisi fortè distinctione etiam admissâ militet peculiare inconueniens contra creaturæ à duratione absolutionem , quòd scilicet creaturam sine duratione existentem non posset Deus vllatenus destruere ; nam posse destruere aliquid , est posse præstare,vt aliquando, seu immediatè post non existat, quod extitit aliquando , seu immediatè anteà , in quo inuoluitur duratio. Cum igitur repugnet creatura indestructibilis à Deo , vt dicemus in sect. 4. Exercitationis proximæ, implicabit etiam contradictionem creatura existens , & non durans. Sic discurrunt subtiles Recentiores, qui dum addunt, posse diuinitus carere duratione creaturam existentem , cui in aliquorum sententia competeret essentialis indestructibilitas, aut inconsequenter procedunt , aut discursus sui acumen retundunt. Posse namq; Deum producere creaturam est æquè posse præstare vt quod aliquando , seu immediatè anteà non existit , aut potuit non existere, existat, positiuè existere aliquando , seu immediatè post, in quo includitur duratio. Respondeo secundò, rationem essentialis connexionis inter actionem productiuam rei, & actionem productiuam alicuius vbicationis, desumi ex contradictionibus,quæ videntur relucere in eo, quòd res existat. Nam etsi ego tales contradictiones non dispiciam , nolim tamen litem de distinctione vbicationis ad has angustias reuocare. Qui distinctionem vbicationis detrectant , & simul iudicant entitatem creatam non posse non existere alicubi , nonobstante indifferentia ad hunc , vel illum locum , vocantur procul dubiò in eandem curam , ac nos , quibus distinctio vbicationis arridet. Motiuum enim assignandi tam strictam connexionem rei cum denominatione præsentiæ ad aliqualem locum , si efficax sit , sufficiet ad concludendam non minus strictam connexionem cum productione vbicationis respondentis loco alicui.

53 Contra idem assertum multa alia conglomerantur argumenta ; quæ omnia diluuntur feliciter, & expeditè à Cardinali Lugo d.& sect. 5. de Eucharistia, vbi Ægidij Conink 3. p. quæst. 75. art. 4. dub.1. conclus.2. & 3. oppositos edidit conatus, eademque manu eneruat quicquid ex Toleto lib. & cap.3. Physicorum q.3. conclus. 2. lib. etiam 4. cap.5.q.4. conclus. 3. Fonseca lib. 5. Metaphysicæ cap. 15. quæst.7.sect.3. ac 5. Valentia tom.1. d.4. quæst.3. punct.2. Fallolo 1.p.q.12. art.2. dub.7. in responsione ad obiectionem 6. Præposito 1. p. q.8.art.2. & q.52. art.1. dub.2. à n.12. Vuadingo tract. de Incarnatione D.proœmiali de modis,Augustino Bernal. disp. 11. de Incarnatione sect. 5. n.57. d.20. sect 3. §.2. n.27. adiici, & obiici posfit. Sed nouissimè P.Franciscus Amicus tomo de Angelis d.5. sect. 2. videtur discordare à nobis, dum adstruit, corpora non existere in loco, nisi per solam extensionem localem ; & spiritus etiam non existere in loco nisi per solam locabilitatem respondentem corporum locabilitati , quæ est illa extensio localis resultans naturaliter ex quantitate, cum tamen locabilitas, seu extensio, non formalis , sed virtualis creatorum spirituum dependeat liberè à voluntate ipsorum quantùm ad occupandum hoc, vel illud spatium,& modò maius, modò minus, inuariata semper locabilitate, seu extensione virtuali ; ratione cuius proximè occupatiui sunt spatij. P. etiam Ioannes Martinon tract. de Angelis d.42. sect.5. & 6. tract. de Incarnatione d.5.sect.6. tract.de Eucharistia d.32. sect. 7. n.37. multò magis discordat, quippe qui omnino amplectatur sententiam Ægidij Conink reputans inexpugnabile hoc argumentum. Posita in existentia creaturæ in spatio vero, vel imaginario, & quouis alio, re , vel ratione , seu toto , creatura verè, & realiter est illi præsens ; & ista intima inexistentia non posita , quicquid aliud ponatur non est præsens. Ergo fit præsens formaliter per eam solam intimam inexistentiam.

Verùm

54 Verùm enim verò, quà attinet ad Martinonum concedo integrum enthymema confectum ab ipso. Intima tamen ea inexistentia est vbicatio distincta, quam contendo. Nam cum possit existere Angelus, & simul cælum Empyreum v. g. quin ille habeat inexistentiam intimam in hoc, sequitur, talem inexistentiam esse quid distinctum ab existentia simultanea illius, & huius. Et id sit satis aduersus Martinonum, etsi enim ipse nullum non moueat lapidem, vt vbicationem distinctam exterminet, nihil tamē affert, quod facili negotio dissolui nequeat ex dictis tū in duabus his digressionibus, tum quando haberē sermonem de vnione, & subsistentia. Qua attinet ad Amicum, fatetur, extensionem formalem localem in corporibus esse formam intrinsecam superadditam, vt & extensionem virtualem localem in spiritibus creatis; primamque illam extensionem non discriminat ab vbicatione circum scriptiua, vt nec secundam à definitiua. Concordat itaque nobis absolutè quo ad distinctionem formæ, per quā res creata existit in loco; ideòque nunc breuissimè aduersus eum decertabimus. Et in primis nisi admittat, variari formalem corporis extensionem localem, quoties ex vno loco mouetur ad alium, existere eandem extensionem iam in vno loco, iam in alio non potest non prouenire ex aliquo, quod superueniat extensioni. Indicat Amicus prouenire ex eo, quòd eademmet extensio connotet iam hoc spatium, iam illud. Sed contra, quia connotatio iam huius spatij, iam illius oriri debet ex entitate aliqua superaddita extensioni, nam si existente spatio *A*, & *B*. & inuariata corporis extensione, connotabatur anteà spatium *A*, & posteà non spatium *A*, sed *B* connotatur, defectus connotationis prioris arguit desitionem alicuius entitatis, vt & alicuius nouam positionem aduentus posterioris connotationis. Deinde idem corpus seruata eadem extensione partium potest diuinitus existere in duplici spatio adæquato. Ergo existentia in vtroque addet quidpiam vltra extensionem. Tam hoc, quàm prius illud argumentum proponitur à nobis, vt validum solummodò ad hominem, qui non distinguens vbicationem circumscriptiuam ab extensione formali, & actuali corporis in ordine ad locum, tradit simul extensionem istam non variari quoties corpus mutat locum, neque variandam, seu nouam super addendam, quando idem corpus constitueretur circum scriptiuè per diuinam virtutem, in duplici loco adæquato. Re autem ipsa conuenimus cum Amico in non distinguenda vbicatione circumscriptiua à prædicta extensione; siquidē eo præcisè, quòd corpus habeat partes, extra partes ita quidē vt totum sit in toto spatio, & pars in parte spatij, intelligitur, & existit vbicatum circumscriptiuè. Sed contra Amicum addimus, variari extensionem actualem, & nouam superaddi in casibus propositis. Affinxit, ni fallimur, Author ille extensioni actuali, quæ pro pria sunt extensionis aptitudinalis, hæc enim perseuerat eadem, siue cum corpus mouetur ex vno loco; in alium, siue cum diuinitus constituitur in duplici loco adæquato circumscriptiuo. Hæc aptidudinalis extensio competit corpori ratione suarum partium exigentium naturaliter illam aliam actualem, quæ negari potest à Deo in vno loco, & non in alio; in quo existat corpus, vt de corpore Christi Domini constat habente in cælo extensionem actualem non sic in speciebus Sacramentalibus: potest etiam à Deo multiplicari, vt contingeret, quando idem corpus collocaretur circum scriptiuè in duplici spatio adæquato; potest prætereà non solum ipsa, sed & omnis alia præsentia ad locum negari à Deo iuxta dicta in n. 52. Reclamant nonnulli, quia implicat contradictionem, quòd corpus non sit extensum, aut inextensum. Si extensum, gaudebit præsentia circumscriptiua, si inextensum, partes illius erunt penetratæ in eodem loco; gaudebunt que proinde præsentia definitiua. Nutat hoc dilemma; etsi enim corpus non possit non habere extensionem aptitudinalem; at potest non habere extensionem actualem positiuam, & inextensionem actualem positiuam, manens extensum negatiue tantùm, & inextensum etiam tantùm negatiuè, existensque proptereà sine aliqua vbicatione: nam extensio purè negatiua non est vbicatio; nec etiam est vbicatio inextensio purè negatiua; quandoquidem circumscriptiua vbicatio debeat esse extensio actualis positiua, & vbicatio definitiua debeat esse inextensio actualis positiua. Partes illius corporis orbati omni vbicatione non essent positiuè intra alias eiusdem corporis, neque essent positiuè extra; & inter illud corpus & aliud corpus & aliud vbicatum, ac circumscriptiuum neque posset interijci positiuè; neque posset non interijci positiuè quantitas bipalmaris v. g. Quod tradit Amicus de illa inuariabili locabilitate Angelorum, non magis firmum est, quàm fundamentum, cui innititur de inuariabili extensione actuali corporum. Idem iudicium ferendum est de Raynaudo, qui in Theologia naturali dist. 4. q. 3. art. 1. n. 197. & sequentibus præluxerat Amico.

DIGRESSIO III.

Locus intrinsecus, seu vbicatio est entitas realis, vt distincta à modali.

55 Ita Arriaga d. 14. Physicor. sect. 2. subsect. 7. Cuius opinatio censetur non improbabilis ab Ouiedo contron. 4. Metaphysicæ puncto, & n. 6. Suadere quis posset ex eo, quòd producatur per actionem distinctam, si quidem perseueret destructo, vel separato motore, à quo producitur, indifferensque sit ad varias causas efficientes primò productiuas? quæ enim comparatur per motum, potuit & sine motu, vicecque versa. Ergo cum de conceptu modi sit habere identificatam sibi actionem, per quam causatur, vbicatio non erit modus. Non acquiesco, cum vnio materiæ, & formæ producatur per actionem distinctam ab ipsa, vt sect. 4. Exercitat. 7. promoui. Sit tamen modus; & in sententia Francisci de Zuñiga d. 1. de Trinitate, actus intellectus ac voluntatis creatæ fiunt per actionem distinctam, & produci possunt à solo Deo efficienter; nihilominus sunt modi intellectus, ac voluntatis à quibus vt à subiectis, & causis materialibus dependent essentialiter penes Zunigam. Quare Balthasar Tellez p. 3. Philosophiæ d. 44. sect. & n. 1. non benè infert, doceri à Petro Hurtado d. 14. Physicorum sect. 4. §. 29. vbicationem distingui realiter à re vbicata, quia ibi doceat, fieri per actionem distinctam. Meliori iudicio ipse Tellez n. 2. censet valdè probabilem nostram sententiam. Quæ efficaciùs suadetur primò, quia illæ solùm formæ sunt affixæ essentialiter subiectis, ac Proinde modi vniti per se ipsos, quæ si indigeant affixione, seu vnione distincta, itur in infinitum. Hac ratione colligimus, actionem, passionem, & vnionem esse modos. Vnde dum Ioannes Martinez de Prado 1. p. Metaphysicæ

ficæ contr.10.art.4.§.2.n.58.scripsit, se non videre firmum vllum fundamentum, quo probetur essentialis alligatio modorum ad res, quarum sunt modi non penitus introspexerat horum essentiam, neque discerneret grauiter abentitatibus absolutis, quarum plures non possunt non naturaliter alligari subiectis. Ast ex eo, quòd vbicatio indigeat affixione, seu vnione distincta ad rem vbicatam, non itur in infinitum vbicationum, neque vnionum. Etenim actio productiua vbicationis, & vnio ipsius ad rem vbicatam non egebunt vbicationibus distinctis à se, coexistent namque essentialiter vbicationi, & consequenter spatio imaginario illius; & præterea vnio vbicationis non desidarabit aliam sui vnionem. Secundò, quemadmodùm sine necessitate non debent admitti entitates creatæ, quas Deus se solo non possit efficere, ita neque debent admitti entitates, quas separatas ab aliis nequeat Deus se solo conseruare. Sed nulla est necessitas adstruendi vbicationes creatas tam arctè affixas rebus vbicatis, vt sine his non valeant à Deo conseruari. Minor huius rationis constabit ex solutione earum, quæ adducuntur ab aduersariis. Tertiò. non est, cur potiùs vbicatio sit modus, quàm quantitas. Sed quantitas est res, vt omnes supponunt, & patet ex mysterio Euchatistiæ, vbi conseruatur sine subiecto. Ergo &c. Quòd si à paritate quantitatis inferimus, alias entitates esse separabiles à suis subiectis, ni detur specialis ratio, quæ aliud conuincat, vt in actione, passione, & vnione; cur cum hæc ratio non appareat in vbicatione, vt visum est dudùm, non extendemus illationem ad eam? Euoluatur Exercitationis 8. sectio 4. in qua de absoluta subsistentiæ entitate defensandam prouinciam suscepi.

56 Dices primò, vbicatio est saltem spatio imaginario affixa essentialiter. Ergo est modus. Contra à paritate cognitionis, quæ essentialiter est affixa exprimendæ priuationi, aut negationi, Chymeræve alicui, quin habeat rationem modi, eo quòd desit ratio ad affigendam ipsam essentialiter potentiæ cognoscenti, seu subiecto, & ad istud affixio, quæ sit vnio requiritur ad conceptum modi, alioqui Angelus foret modus diuinæ omnipotentiæ, à qua prorsus est inseparabilis. Dices Secundò, munus vbicationis est determinare rem indifferentem ad locum, modus autem est ille, qui determinat indifferentiam rei seu subiecti. Definitur namque à S. Thoma opusculo 40. *determinatio adiacens rei*. Contra, non est cur vbicatio sit per se solam determinatio actualis, satis est si sit determinatiua ex se, actu quo determinet, accedente vnione: vti satis id ipsum est cognitioni, & vti albedini satis est, si me, qui sum indifferens vt sim albus, aut non albus, determinet adiectu vnionis distinctæ. Ipsa vbicatio non per se, sed per actionem inter mediam determinatur ad hoc agens, potius quàm ad aliud, à quo posset produci in sententia arguentis. Ergo pariter per intermediam vnionem poterit determinari ad hoc subiectum præ illo. Dices tertiò, vbicatio nihil aliud præstat, quàm determinare rem ad locum. Non ergo est res absoluta, cui debet competere munus distinctum à determinatione. Erit igitur modus, qui definitur, *Alicuius indifferentiæ determinatio, tanquam vltimum exercitium actuale relatium*. Contra, quia sufficit vbicationi, quòd per se sit in actu primo determinatiua rei ad locum, neque opus est tribuere ipsi soli munus determinationis actualis, vt iam explicui. Dices quartò, non est potior ratio ad affigendum essentialiter vbicationem huic spatio, quàm huic subiecto. Rursus si per vnionem distinctam alligatur subiecto vbicatio, cur per eamdem, aut aliam distinctam non alligabitur spatio? Contra, nequit dari vera, & physica vnio ad spatium imaginarium, cum hoc sit mera carentia, potest autem dari ad subiectum, quin sit ratio, quæ suadeat, talem vnionem debere esse indistinctam ab ipsa vbicatione. Quare vt hæc præstet suum munus, neque debet habere imbibitum conceptum vnionis physicæ ad spatium imaginarium, neque debet importare illam, vt appendicem. Vnio verò physica vbicationis ad spatium reale, etsi non repugnet, frustrà poneretur, siue distincta, siue indistincta, vt vbicatio exequatur suum munus. Etenim vbicationes, quæ communiter dantur perseuerant eædem, etsi varietur spatium reale, vt ex veniente digressione perspicuum erit. Patet iam, cur vbicatio affigatur essentialiter determinato spatio imaginario, cum impossibilis sit vnio physica, vi cuius vniantur huic potiùs, quàm alteri. Est & alia ratio, quia nimirùm nisi vbicatio hæc responderet essentialiter huic spatio, opus esset vlteriori vbicatione, vt responderet: quare vel sequeretur processus infinitus vbicationum, vel deueniendum tandem esset ad aliquam affixam essentialiter huic spatio. Si autem aliqua concedatur sic alligata, quid causæ est ne prima? Hinc colligitur, vbicationem adstrictam essentialiter vni spatio non posse contingenter constitui in altero, quatenus cum altero vniretur physicè. An autem sine physica vnione ad spatium posset diuinitus fieri ei præsens, interueniente alia superaddita vbicatione sibi vnita, respectu cuius haberet se vt extremum, & non vt vbicatio? Non video apertam repugnantiam, neque contra talem replicationem vbicationis militant quæ Eminentissimus Cardinalis Lugus d.5. de Eucharistia sect. 3. sapienter proponit aduersus vbicationem, quæ sub ratione vbicationis fieret præsens alij spatio, vltra illud, cui essentialiter respondet. Reperies in n.65. exercit.8. quædam exempla, ex quibus capies coniecturam vbicationis, cum qua tanquam cum extremo vniatur diuinitùs alia vbicatio.

57 Dices quintò, modum vnionis v. g. ad materiam, & formam habere vbicationem, ac propterea hanc recipiendam in illo, id autem videtur absurdum, cum vbicatio si sit accidens reale superet in perfectione modum vnionis. Contra, tum quia non omne accidens superat in perfectione modum, maximè substantialem, qualis est vnio inter materiam & formam, tum quia materia recipit formas substantiales, à quibus superatur in perfectione. Dices Sexto, vbicationem habere durationem distinctam, & durationem vbicari etiam, rursusque vbicationem hanc durare, quare incurritur processus infinitus. Certè idem argumentum efformare licet, siue vbicatio sit modus, siue non. Ego, qui durationem à re durante, & tempore coexistente non distinguo, non curo illud. Qui durationem vbicationis constituunt in actione, per quam producitur, dicent illam per se essentialiter esse affixam spatio, in quo producit vbicationem; ideoque non egere distincta vbicatione. Qui durationem vbicationis constituunt in entitate hanc subsequente, dicent, durationem vbicari per vnionem ad vbicationem, & hanc durare per vnionem ad illam, vt expendit Arriaga. Dices septimò, si vbicatio affigeretur subiecto per vnionem distinctam, ipsa hæc vnio esset formaliter vbicatio, tum ne sequatur processus infinitus

finitus vbicationum, tum quia ex vi illius connexæ essentialiter cum tali vbicatione determinaretur res locata ad hoc spatium, ita quidem vt ipsa vnio esset per se adstricta huic spatio, immobilisque ab eo; imo per illam primò esset res alligata spatio. Et hinc discriminabis cognitionem ab vbicatione, quippe cognitio non affigitur intellectui per vnionem, quæ habeat formaliter munus repræsentandi. Contra, quia tu ipse admittis vbicationem produci per actionem distinctam; in qua rationis positæ infringitur robur. Respondebis, non infringi, quia vt res vbicetur, opus non est produci vbicationem per talem actionem, cum per vbicationem creatione productam vbicaretur æquè bene: opus tamen est vniri per talem vnionem. Ergo si hæc imbibit in se adstrictionem ad spatium, superfluet subsequuta vbicatio. Contra, vt res vbicetur, non magis est requisita hæc vnio, quàm hæc actio. Quare si vbicatio *A* potest terminare diuersas actiones, ita etiam diuersas vniones; quia & vniones, quarum vna generetur, alia creetur, si modus capax sit creari in subiecto siue extraneo, siue connaturali, vt de tuo modo vbicationis concedis. Eadem itaque sit causa actionis, & vnionis, quibus producitur, & vnitur vbicatio; quas esse vbicationes sui, non autem rei ad locum euincit tua ratio. Ne id miteris, vtor exemplo actionis producentis vnionem substantialem inter materiam, & formam, quæ est vnio sui ad alterutram, vel ad vtramque; nec ideo vt superflua repudiabitur subsequuta vnio. Vnde sicut per actionem causatiuam vnionis radicaliter solummodò vniuntur materia, & forma, ita per productionem, & vnionem vbicationis non amplius, quàm radicaliter vbicabitur res; siue productio vbicationis affigatur spatio huius, siue alteri: vt posset si actio motiua recipiatur in mouente extrinseco, aut anima rationalis per actionem in capite efficeret vbicationem in pede. Ideo autem vnio cognitionis ad intellectum nec radicaliter est repræsentatio obiecti; quia vt vniat, non debet se ipsam repræsentare: vti actio productiua subsistentiæ, siue hæc sit modus siue res, non debet esse subsistentia sui. Si rem radicaliter vbicari per vnionem non approbes, eo quòd vnio sit posterior natura, quàm vbicatio. Saltem non est posterior natura, quàm denominatio, & formalis effectus rei formaliter vbicatæ; cum talem effectum intrinsecè constituat; rem quidem ad locum determinans non vt quòd, neque tanquam forma, & ratio primaria; sed vt quò, & tanquam communicatio formæ, ratioque secundaria; quo pacto se habent vniones omnium aliarum formarum non modalium. Et hinc, quicquid sit de radicali vbicatione rei per vnionem, constat hanc non esse illius sufficientem determinationem ad locum. Est autem sui determinatio, ne si alia determinatione sit opus, abeatur in infinitum. Sic vnio hypostatica Verbi ad humanitatem Christi est communicatio sanctitatis increatæ, & simul in plurium sententia est sanctitas creata. Sic rursus visio Dei est via ad beatitudinem obiectiuam, simulque est beatitudo formalis. Quòd verò cognitio vniatur intellectui per nexum, qui nullatenus exerceat functionem repræsentandi, ideo est, quia eius functionis nulla necessitas assignari potest in nexu cognitionis ad intellectum.

58 Dices octauò, vbicationem esse modum, vt enim se habet calefactio ad calorem, ita vbicatio ad vbi; & quemadmodùm calefactio est actio, per quam ignis producit calorem, adiungitque sibi; sic vbicatio est coniunctio, siue vnio rei cum suo vbi: quod fateris, esse accidens absolutum. Contrà, quia desciscis à communi vsu non distinguente inter vbicationem, & vbi: *Omnia autem periclitabuntur, aliter accipi, quàm sunt, & amittere, quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter, quàm sunt, cognominantur. Fides nominum salua est proprietatum.* Vt inquit Tertullianus l. de carne Christi cap. 13. Contra rursus, quoniam tu ipse absolutum accidens vocas durationem, non verò actionem, per quam producitur, sic appellas. Et quidem si non vbicationis, sed vbitatis nomine vtamur, iam tuum argumentum nullum est, deficit namque vbicationis cum calefactione consonantia, ex qua illud duxisti. Præterea si actio per quam producitur vbi, sit vbicatio rei toties res diceretur habere diuersam vbicationem, quoties varietur ea actio: quod etiam est alienum ab illorum mente, qui sentiunt, vbi fieri per actionem distinctam. Vlteriùs si ex eo quòd actio producens calorem vocetur calefactio, infers, actionem producentem vbi appellandam vbicationem: ego quoque inferam, nuncupandam substantiationem eam actionem, quæ sit causatiua substantiæ; aut quòd dissonantius est, actionem effectiuam lucis nominandam lucefactionem, ridererque meritò, si hoc nomen vsurparem, quia nimirùm non vult vsus; quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi. Addo, ignem non adiungere sibi calorem per quamcumque calefactionem, nam calefactio producens calorè in passo extraneo, non adiungit nunc igni, aut calori existenti in igne ipso. Dices nonò, si vbicatio materiæ, aut formæ substantialis sit accidens reale, manebit destructo pane in Eucharistia, siquidem perseuerent omnia accidentia realia panis. Arriaga d. 5. Metaphysicæ sect. & subsect. 1. n. 4. lubens admittit, manere vbicationem materiæ habentis sibi identificatam quantitatem, ratione cuius vbicationis Sacramentales species gaudent impenetratione, & extensione actuali non minus, quàm antea. Reclamant Ouiedus controu. 7. quia motis localiter speciebus Sacramentalibus destruetur vbicatio, quæ respondebat materiæ; non enim est transferibilis de loco ad locum. Sed poterit dicere Arriaga, produci tunc à Deo vbicationem, quæ competeret materiæ, si hæc existeret. In sententia apud me probatiori distinguente quantitatem à materia, & ad vbicationem quantitatis post consecrationem non deficientis reuocante impenetrationem, & extensionem actualem specierum Sacramentalium fortè aliquis, & si vbicatio materiæ sit accidens reale, non verebitur negare, quòd post consecrationem perseueret. Idem de vbicatione substantialis formæ panis, & vini. Suarius namque tomo 3. in 3. p. d. 56 sect. 1. Granadus tomo 5. controu. 6. tract. & disp. 3. Amicus tomo 7. d. 23. sect. 1. Gaspar Hurtadus d. 7. de Sacramentis difficult. 1. censent, non esse decretum fide Catholica, manere in Eucharistia omnia accidentia realia panis, & vini, sed ea tantum, quæ sensibus sunt perceptibilia siue vt sensibilia particularia, siue vt communia; cuius generis non erunt vbicationes materiæ, ac formæ substantialis. Addit non esse accidentia realia inuariabilia, de quibus videntur intelligendæ sanctiones Conciliorum, dum

dum tradunt, persistere accidentia panis & vini consecratione peracta. Nihilominus quia Vazquez tom 3. in 3. p. d. 194. cap. 1. Meratius tomo 3. d. 27. Cardinalis Lugus d. 10. de sacramentis sect. 1. fide catholica ratum & fixum volunt, realia quæcumque accidentia perstare, & quia saltem conformius id est doctrinæ Conciliorum, sauctorum, ac Patrum iudice Suario, aliisque supra citatis; ideò securius est, fateri permanentiam vbicationum materiæ, & substantialis formæ panis, ac vini, si sint accidentia realia, & non modi, vt pro virili defensauimus huc vsque. Casu autem, quo Sacramentales species moueantur localiter, incongrua non est responsio, quam pro Arriaga excogitauimus. Neque argueteris, mansuram in Eucharistia existentiam, & subsistentiam panis, ac vini, si perseurat vbicatio; nam cum hæc sit accidens, & illæ sint substantia (vt taceam existentiæ ab essentia indistinctionem) lippis, & tonsoribus innotescit disparilitas.

DIGRESSIO IV.

Locus intrinsecus, seu vbicatio habet respectum essentialem ad spatium imaginarium, & non ad reale.

59 Sic inter alios ingeniosissimè Cardinalis Lugus. d. 5. de Eucharistia sect. 5. à n. 104. Probatur primò, quia etsi Angelus motor primi mobilis sit in eo vt in loco extrinseco realiter terminante, moueaturque successiuè primum mobile, & modò secundùm vnam partem respondeat Angelo, modo secundum aliam, adhuc Angelus conseruat eandem vbicationem, & situm, vt cum Aristotele docet S. Thomas 1. p. q. 51. art. 3. ad. 3. Et idem esset de corpore contento in alio, quod gyraretur motu circulari intra idem spatium. Sed non conseruarent eandem vbicationem & situm, si hic, & illa respicerent essentialiter spatium reale; si quidem variarentur vbicatio, & situs ex variatione successiua primi mobilis, alteriusue corporis circulariter moti intrà idem spatium. Secundò, quando mouetur homo obsessus à Dæmone, aut vas, continens aquam, transfertur ex vna parte ad aliam, Dæmon, & aqua retinent eandem indistantiam ab homine, & vase, in quibus sunt vt in loco reali extrinseco; & tamen non retinent eandem vbicationem; alioqui vbicatio esset mobilis, & transferibilis de spatio ad spatium; aut alioqui homo, & vas retinerent eandem vbicationem; quod est apertè falsum, cum cernantur oculis moueri, & cum debeant habere nouum aliquid, ratione cuius sint, vbi anteà non erant: id autem nouum nequit aliud esse, quàm noua vbicatio producta per motum localem. Tertiò, si Deus destrueret Empyreum immoto Angelo, vel corpore Christi, adhuc Angelus, & corpus Christi retinerent eandem vbicationem, non tamen eundem locum extrinsecum realem. Rursus si Deus ad motum Angeli, vel corporis Christi, moueret sursum Empyreum, adhuc Angelus, & corpus Christi conseruarent eundem locum extrinsecum realem, non tamen eandem vbicationem. Ergo cum hæc non varietur, variato loco extrinseco reali, neque permaneat, permanente illo, sequitur non hbere respectum essentialem nisi ad locum extrinsecum imaginarium.

60 Probatur quarto, quia Angelus, vel corpus glorificatum, si eleuentur à Deo supra conuexam Empyrei superficiem, poterunt habere distantiam ab alio Angelo, vel corpore glorificato eleuatis supra eandem superficiem; & brachium corporis glorificati distabit à pede: poterunt etiam mouere se localiter; & corpus glorificatum poterit mouere manus, palpebrasque oculorum. Ergo gaudebunt vbicatione nullam habente dependentiam à loco extrinseco reali, sed ab imaginario. Confirmatur in ipsis Angelis, qui potuerunt produci à Deo ante mundum corporeum; & tunc potuisset Gabriel esse intimè præsens Raphaeli, & distans à Michaele, quin intima præsentia ad Raphaelem, & distantia à Michaele esset penes locum extrinsecum realem. Quintò, denominatio Angeli, aut corporis intimè præsentis Empyreo præsupponit Angelum, aut corpus ibi esse, vbi est Empyreum vti denominatio Angeli coexistentis alteri Angelo in duratione, præsupponit Angelum existere, quando existit alter Angelus. Ergo existentia Angeli, aut corporis ibi, vbi est Empyreum, idest, vbicatio Angeli, aut corporis in Empyreo, non dicit respectum intrinsecum; & essentialem, nisi ad locum extrinsecum imaginarium, in quo ipsum est: quemadmodùm existentia Angeli, quando existit alter Angelus, non dicit respectum intrinsecum, & essentialem ad alterum Angelum, Sed ad instans imaginarium, in quo existit alter Angelus. Confirmatur, duratio Angeli, aut corporis non habet intrinsecum, & essentialem respectum ad instans reale, sed ad imaginarium: quippe potuit produci Angelus, aut corpus, & durare ante omne instans reale, & potest permanere cessante omni instanti reali. Ergo idem censendum est de vbicatione Angeli, aut corporis, cum hoc solùm discrimine, quòd vbicatio præter coexistentiam Angeli, aut corporis, & loci imaginarij addat entitatem quandam positiuam, duratio verò nihil addat præter coexistentiam Angeli, aut corporis, & instantis imaginarij, vt notabam. Quare apposita confirmatio meliùs efformatur sic in nostris principiis. Denominatio Angeli, aut corporis durantis in instanti absolutè, non constituitur ex instanti reali, sed ex imaginario. Ergo similiter vbicatio Angeli, aut corporis absolute, non exigit locum extrinsecum realem, sed imaginarium; licet illum exigat denominatio Angeli, aut corporis vbicati in tali loco extrinseco reali, vt obseruabam in n. 44. Vltimò probatur, quia si vbicatio Angelica haberet respectum intrinsecum, & essentialem ad locum extrinsecum realem vt sibi coexistentem; esset materialis; siquidem physicè, & vt à termino intrinseco, cui essentialiter affigeretur, dependeret à re materiali, nempe à loco extrinseco reali. Vnde sicut modus creatiuus accidentium materialium in Eucharistia; & modus creatiuus materiæ extra eam materiales sunt, quia per se pendent physicè à quantitate, & materia tanquam à termino intrinseco; sicut esset materialis vnio animæ rationalis ad corpus, etsi in anima adæquatè reciperetur, quia physicè penderet à corpore velut à termino intrinseco; ita pariter &c. Hoc argumentum efficax erit saltem apud eos, qui nobiscum sentiunt, dependentiam determinatam physicam, & non purè intentionalem à materia, aut quantitate satis esse ad materialitatem rei dependentis. Nec proderit, si respondeas, Angelum posse se absoluere naturaliter ab omni vbicatione ad locum realem extrinsecum. Hinc enim tantùm præcauetur spiritualitati Angeli, non verò vbicationis. Sic ex eo, quòd anima rationalis queat

naturaliter existere separata à corpore, arguitur quidem spiritualitas animæ, non verò vnionis, qua coniungitur corpori, dum ipsum informat. Addes, etiamsi Angelus non posset existere naturaliter, quantùm ex se est, quin esset præsens huic, vel illi loco extrinseco reali, non ideo sequeretur esse materialem. Ergo neque sequeretur esse materialem vbicationem, qua præsens est determinato loco extrinseco reali, quamuis ea vbicatio dependeat a tali loco. Nego antecedens, & quidem in tractatu de Angelis exinde confirmaui Angelos posse naturaliter, quantùm ex se est, existere extra mundum corporeum, quia alioqui sequeretur esse materiales. Quam rationem indicat Arrubal tom. 2. in 1. d. 155. cap. 2. d. 156. cap. 2.

REGRESSIO.

Empyreum est in loco intrinseco reali.

61 DEducitur ex dictis; Nam defectus loci extrinseci realis non est impedimento, ne sit in loco intrinseco, seu ne habeat formam intrinsecam absolutam, quæ ipsum affigat formaliter alicui spatio imaginario. Confirmatur primò, Empyreum modò est hic, & non alibi, cum tamen possit à Deo alibi supra, vel infra poni; destructis reliquis sphæris vniuersi. Ergo habet nunc aliquam intrinsecam vbicationem, quam potest non habere; cum habeat aliquid, ratione cuius affigatur, vt existat hic, & non alibi. Secundò, si supra Empyreum produceretur à Deo alia mobilis, vel immobilis sphæra, quæ ipsum contineret; retineret eandem præsentiam, seu eandem distantiam, aut indistantiam à reliquis corporibus inferioribus, qua nunc gaudet: Ergo nunc gaudet vbicatione intrinseca, quæ faciat ipsum præsens spatio imaginario, & distans, aut indistans à cæteris corporibus.

62 Confirmatur tertiò, si Empyreum disiunctum ab aliis orbibus eleuaretur à Deo sursum, non existeret, vbi nunc est, nec haberet distantiam à me, quam nunc habet. Ergo pateretur aliquam mutationem: sed non extrinsecam. Ergo intrinsecam consistentem in acquisitione loci noui intrinseci, seu vbicationis. Minor subsumpta stabilitur, tum quia moueri localiter, est aliter intrinsecè se habere; siquidem moueri localiter, est verè mutari; verè autem mutari, est aliter intrinsecè se habere, vel intrinsecè recipiendo formam anteà non habitam, vel abiiciendo formam anteà intrinsecè habitam. Ergo cum in illo casu Empyreum moueretur localiter haberet se aliter intrinsecè, ac proinde pateretur mutationem intrinsecam. Tum quia Theologi ea ratione inter alias probant, Deum non posse moueri localiter, quia alioqui subiret mutationem intrinsecam. Tum quia Empyreum existere alicubi, est quid ipsi intrinsecum, Ergo non potest non subiacere mutationi intrinsecæ, dum desinit existere illic, vbi antea erat, & incipit existere hic. Tum quia diuersæ denominationes reales nequeunt consurgere nisi ex præuia rei alicuius intrinseca mutatione. Ergo cum ex motu Empyrei sursum consurgant diuersæ denominationes reales Empyrei distantis, propinquiue ad alia corpora, debet præire intrinseca aliqua mutatio. Ast non in spatio imaginario, vt constat; nec in reali, cum Empyreum eo careat, neque in aliis corporibus; supponitur enim alia omnia quiescere. Ergo talis mutatio intrinseca debet præire in ipsomet Empyreo, Et licet mutatio, quæ ex motu sursum obueniret Empyreo, esset extrinseca, tamen non posset dari, nisi per alicuius extrinseci variationem; quæ tunc quidem non interueniret.

63 Frustra dices ex Thomistis, Empyreum esse in loco extrinseco reali secundùm sui partes, ac proinde sine necessitate recurri ad hæc de loco intrinseco, seu vbicatione respondente spatio imaginario. Frustra, inquam ob scripta in numer. 34. & quia Empyreum secundùm se totum existit, vbi nunc est. Ergo ei penes se totum debet respondere locus intrinsecus, seu vbicatio. Ergo præter vbicationem potentialem in loco reali extrinseco penes partes debet ei penes se totum concedi alia non resultans ex circumscriptione loci realis extrinseci, quandoquidem ei penes se totum concedatur non respondere locum realem extrinsecum. Ast inquis quæ sunt intra Empyreum, vt Angeli, & homines glorificati existunt in loco reali extrinseco. Ergo partes saltem interiores ipsius Empyrei existent etiam in loco reali extrinseco. Nego consequentiam, quia interioribus partibus Empyrei non respondet superficies immobilis, & prima corporis distincti circumscribentis, vel terminantis, vti respondent hominibus glorificatis, & Angelis commorantibus intra Empyreum.

64 Obiiciet quis, quando rei debet resultare ex incidentia temporis, & relatio prædicamentalis in fundamento ex positione termini, Ergo, similiter vbi rei debet resultare ex circumscriptione loci. Ergo Empyreum in circumscriptum a loco extrinseco carebit vbicatione. Admitto ex abundanti, durationem resultare ex tempore, & relationem prædicamentalem ex termino, dico, vbicationem resultare ex circunscriptione loci extrinseci, siue realis, siue imaginarij. Quare dummodò Empyreo coexistat locus imaginarius etsi absit realis, erit vbicatum. Vbi resultantiam ex loco extrinseco nec capio, nec probo. Eam latè impugnatam videbis in Suario d. 51. Metaphysicæ sect. 1. n. 19. Opponet vlteriùs, licet vbicatio sit quid intrinsecum rei vbicatæ, debet tamen esse quid intrinsecum impotens inueniri sine loco extrinseco. Adducetque S. Thomam 10. Metaphysicæ sect. 12. sic concludentem *Erunt igitur tria genera entis, in quibus potest esse motus. quæ sunt qualitas, quantitas & vbi: loco cuius ponit locum, quia nihil aliud significat esse vbi, nisi esse in loco; & moueri secundum locum nihil aliud est, quàm moueri secundum vbi.* Respondeo primò, S Thomam fortè intelligendum de loco imaginario, sine quo saltem nequit inueniri vbi. Secundò, de vbi terminatiuè, quod in omnibus corporibus, excepto Empyreo, est indistinctum à loco reali extrinseco. Potest præterea obiici S. Th. dum 1. part. quæst. 8. art. 4. in corpore ait, *granum milij esset vbique, supposito quòd nullum aliud corpus esset.* Nam cum iuxta S. Thomam tale granum in eo casu non existeret vbique loci imaginarij, sequitur extiturum vbique loci realis, etiamsi non contineretur immobili, & prima superficie corporis alterius. Ergo de facto Empyreum existet etiam in loco reali, quin obstet defectus

primæ

primæ, & immobilis superficiei corporis alterius, à quo contineatur. Imò existet vbique loci realis vniuersum, etsi *non primò quia non totum est in quolibet loco, sed secundùm suas partes; nec iterum per se, quia si ponerentur aliqua alia loca, non esset in eis.* Quæ sunt verba eiusdem S. Doctoris in solutione ad 3. Explico S. Thomam, quatenus granum milij in eo casu præsens loco imaginario faceret locum realem, vltra quem non esset alius realis locus, sed imaginarius. Eodem forè modo exponenda sunt posteriora verba. Et ex prioribus infert Arrubal tom. 2. in 1. part. dist. 153. cap. 1. numer. 4. sensisse Angelicum Præceptorem. Vbi in corporibus non dependere à loco reali extrinseco. Sed & vbi in Angelis independens etiam esse, colligere licet ex Aristotele lib. 1. de cælo cap. 9. textu 100. Nam loquens de beatis intelligentiis, & existentibus super extimam lationem, inquit, non esse in loco, nimirum reali, esse tamen illic; quod intelligi nequit absque vbi. Quare hoc in Angelis stare poterit sine loco reali extrinseco.

66 Obiici denique potest, eo ipso quòd existat Empyreum, deficit spatium imaginarium, siquidem deficiat loci realis extrinseci carentia, in qua per me consistit spatium imaginarium. Non ergo in hoc existet Empyreum per vbicationem suam intrinsecam. Respondeo, eo ipso quòd existat Empyreum extensum deficere carentiam loci realis extrinseci respectu aliorum, non verò respectu sui. Premes, Ergo vbicatio aliorum in Empyreo non dicet respectum intrinsecum, & essentialem ad spatium imaginarium, si existente Empyreo extenso deficiat carentia loci realis extrinseci in ordine ad alia locabilia ibi, vbi existit Empyreum. Quæ illatio est contra doctrinam Digressionis 4. Pater Franciscus de Lugo lib. de Deo vno disputat. 18. cap. 4. numer. 22. Laborat in huius replicæ enodatione, nec quid respondeat, capit benè mei ingenij exilitas. Dico breuiter, & dilucidè, vbicationem Christi verbi gratia in Empyreo habere intrinsecum, & essentialem respectum ad carentiam possibilem loci extrinseci realis; quæ carentia possibilis est spatium imaginarium possibile; nec respectus ad carentiam actualem loci extrinseci realis, est intrinsecus, & essentialis illi vbicationi; quin potiùs cuicumque per accidens est, quod carentia sit actualis; & proinde quòd actuale sit spatium imaginarium. Doctrina digressionis quartæ accipienda est de respectu vbicationis intrinseco, & essentiali ad spatium imaginarium possibile; vel si mauis, vt præscindens ab actuali, & merè possibili, seu ad spatium imaginarium secundum se. Vrgebis iterum: spatium debet simul existere cum entitate, quam circumscribit, vel terminat, quando quidem capacitas debeat simul esse cum re circumscripta, vel terminata. Ergo non eo ipso quòd existat locus realis extrinsecus, deficiet spatium imaginarium in ratione continentis, vel definientis actualiter entitatem respondentem loco illi reali extrinseco, qui nouiter adueneric: vt si Empyreum fuisset productum in spatio imaginario terminante Angelos, qui creati essent ante mundum corporeum, non idcirco desineret tale spatium sub ratione terminantis actualiter Angelos, vti terminabat ante Empyrei productionem in ea suppositione conficta de anterioriori creatione Angelorum. Verùm hæc replica destruit, seu recantat, quod principalis obiectio permittebat nostræ sententiæ. Iuxta quam respondeo, negando antecedens de spatio, quod actuale non sit formaliter. Et ad probationem dico, adueniente loco reali extrinseco non debere cum re circumscripta, aut terminata existere simul capacitatem consistentem in spatio imaginario actuali; sufficit, si sit, & intelligatur ea capacitas, quæ consistit in spatio imaginario secundùm se. Nec de istis plura, ne nimis spatietur calamus per imaginarium spatium, cui præter modum multi operam prolixam nauant, non tam exercentes intellectum quam defatigantes imaginationem.

EXERCITATIO DVODECIMA.

De incorruptibilitate Cæli Empyrei.

ARISTOTELES libr. 5. de partibus Animalium cap. 5. Cælos sydereos vocat diuinam mundi partem, eo quod immortales sæculis omnibus sint. Quantò securius nuncupationem illam deuoluere possimus ad Empyreum, fiet planum in præsenti Exercitatione.

SECTIO I.

An Empyreum æternabit incorruptum substantialiter, vti creatum est?

1 ITa quidem. Si ab authoritate præsidium cupis? Præsto sunt Sanctus Clemens, Sanctus Hilarius, Venerabilis Beda, & Procopius, quos legere poteris in sectione 3. Exercitat. 2. Addo Sanctum Damascenum lib. 2. de fide orthodoxa capit. 10. vbi loquens de terra elementari ait: *Minor est longè, multoque minor cælo est, vt punctum quoddam in eius medio pendula, & ipsa pertransibit, & alterabitur. Beatus autem est, qui mitium terram hereditabit. Nam quæ sanctos*

sanctos susceptura terra est, immortalis est. Ad stipulantur cuncti Theologi quin vllum dissentientem inuenerim. Si à ratione?

2 Prima fit ex S. Thoma 1.p. quæst.66. art.3. in corpore, oportuit, corporalem gloriam, ratione cuius Beatorum hominum corpora erunt incorruptibilia, inchoari in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit, & maneat semper absque seruitute corruptionis. Secunda ex Durando in 2.d.2. quæst. 1. numer. 5. Empyreum est conditum à Deo, vt in illo Beati æternitatem participent. Ergo congruum est, conseruari illud incorruptum in æternum. Confirmatur, beatitas mentium, & glorificatio corporum erit æterna, nesciens corruptionem. Ergo & locus eis destinatus.

3 Tertia ratio, Sedes Dei est cælum, & maximè Empyreum. At sedes Dei est in sæculum sæculi iuxta Regium Vatem Psalm. 44. vers. 7. Ergo saltem per æternitatem consistentem in permanentia sine sustantiali corruptione. Confirmatur ex eodem Regio vate canente de cælis cælorum Psalm. 148. vers.6. *Statuitos in æternum, & in sæculum sæculi*: ex Christo etiam Domino apud Lucam cap.16. vers.9. vocante Empyrei *tabernacula æterna.* Præterea ex S. Paulo 2. ad Corint. 4. vers. 18. dicente, *quæ videntur temporalia esse, quæ autem non videntur, æterna esse.* In his autem includitur regnum cæleste, vt ex contextu patet. Confirmatur rursus, quia Empyreum est præcipuum domicilium Dei; huic autem, cum sit immortalis, conuenit domicilium numquam interiturum. *Vniuersi enim*, scribit Aristoteles lib. 1. de cælo cap. 3. textu 22. *qui Deos esse putant, tam Græci, quam Barbari ipsum supremum locum Diis tribuerunt, propterea quòd immortale ad immortale est accommodatum.* Vnde Sybilla apud S.Theophylum Patriarcham Antiochenum lib.2. ad Autolicum canit.

Quæ enim caro potest cælestem, & verum
Oculis cernere Deum, immortalem qui habitat
vrbem?

Cælius Rhodiginius lib.1. lectionum antiquarum c.13. refert ex Plotino, cælum esse immortale, quia locus Dei immortalis. Quarta, Tanta est puritas Empyreæ, ciuitatis, *vt non transibit per eam pollutum, neque intrabit in eam aliquod coinquinatum*, quemadmodum dicitur Isaiæ 35. vers.8. Et Apocalypsis 21.v.27. quibus verbis insistens S.Chrysostomus homilia 12. in Matthæum appellat cælestem ciuitatem *regionem, quæ omnino in via corruptioni permaneat.* Ergo par etiam est, vt ipsa in se libera sit à substantiali corruptione. Missam facio quintam rationem deductam ex Ecclesiaste cap.3. vers.14. aiente. *Didici, quòd omnia opera: quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum*; quæ videlicet fecit Deus se solo sine concursu causæ secundæ; quorum operum vnum est Empyreum. Nam illorum verborum variæ sunt interpretationes videndæ in Lorino, & Pineda. Non tamen omittam verba tum Christi Domini dicenda in die magni iudicij: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Tum Pauli, dicta ad Corinthios: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Vtraque enim aptè intelliguntur de Empyreo, vt & ea alia Christi apud Matthæum cap.6. vers.20. Lucam cap.12. vers. 33. *thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo, neque tinea demolitur, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

4 Oppones, immutandum Empyreum substantialiter in fine saltem mundi. Et huc trahes non pauca sacrarum litterarum testimonia, in quibus de cælo, & cælis vniuersim id innuitur, & præsertim illud Apocalypsis in cap.21. v.1. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam; primum enim cælum, & prima terra abiit*: In quo alludere videtur S.Ioannes ad Cælum, & terram quæ Genesis cap. & v.1. dicuntur creata à Deo in principio: cælum autem in principio creatum, vel est vnicè Empyreum, vel comprehenditur principaliter sub cæli voce. Respondeo, testimonia scripturæ non percipienda de cælo Empyreo, sed vt summum de sydereo. Ita ex doctrina S. Petri obseruantissimus discipulus S. Clemens lib.2. & 3. & 8. Recognitionum, cuius verba dedi in Exercitat. 2. sect. 3. locus Apocalypsis etsi indicaret aliquam mutationem in Empyreo, non tamen substantialem, sed accidentalem. Imò nec vnam, nec aliam indicat; nam dici cælum, quod abiit, esse primum, non est allusio ad cælum, vel cælos omnes initio creatos, sed ad statum, qui proximè antecessit mutationem in cælo innouato sydereo. Et non dissimili sensu prædixerat Euangelicus Propheta cap.65. vers. 17. *Creandos cælos nouos, & terram nouam, & non fore in memoria priora*, Scripsi sacræ paginæ testimonia intelligenda, vt summum, de cælo sydereo, sciens, sic frequenter explicari ab interpretibus Biblicis, & Theologis, vt ex eis non patiantur deduci, sydereum cælum substantialiter corrumpendum. Cæterum S.Petri testimonium in 2. epist. cap.3. v.7. & 10.ac.12. magni semper est ponderis in contrarium. In eo discriminat cælum ab elementis, proindeque non de aëreo, sed de stellato ait, arsurum, & dissoluendum. Hæc autem loquutio denotare videtur introducendam in materia illius cæli formam igneam, & antiquam cælestem deperdendam. S.etiam Clemēs, cuius testimonium est expressum, haberi debet, vt interpres sui Magistri. Vlterius diuinæ litteræ innuunt maiorem innouationem faciendam in cælo sydereo, quàm in corporibus resurgentium: ideoque illa videtur fore substantialis, cum hæc sit futura tantùm accidentalis. Ad hæc, cælum stellatum, & sydera donanda sunt post diem iudicij cumulatiori luce, proindeque perfectiori forma substantiali, à qua dimanet, vt proprietas, ne lux ea per miraculum æternet. Sileo alias rationes, & Patrum suffragia, ne extra metam diuaget. Consulantur Salmeron tomo 1. Prologomeno 8.pag 103. & in locum præcitarum S. Petri, nec non in epistolam ad Hæbræos cap. 1. v. 11. Molina disp.3. de opere sex dierum Serarius in 2. S.Petri cap. 3. Antonius Zara in Anatomia ingeniorum sect.4. membro 12. à pag.563. rursusque à pag. 585. Becanus in explicatione operis diei secundi n.5. Petrus Hurtad. d.1. de cælo sect.5 §.49. & 50. Franciscus Alphonsus d. de cælo sect. 3. si fortè placeat renouatio cæli syderei in fine mundi per adquisitionem nouæ formæ substantialis, & amissionem antiquæ. Hac in re parum curandum esse quid Philosophi dicant, notant Emmanuel Sà super 2. S. Petri; & Maldonatus super illud Christi apud Matthæum cap. 24. v.29. *stellæ cadent de cælo.* putans, stellas verè casuras, inquit, *Magis Christo id affirmanti, quam Aristoteli neganti fieri posse, credendum esse, arbitror.* Adamus Contzen similiter ibidem ait, *Nec audio hic*

hic Aristotelem, cui cælum ideo est incorruptibile, quia ingenerabile. Si factum esse mundum intellexisset, etiam corrumpi posse docuisset. Miror sanè, quosdam Philosophorum illi tam firmiter inhærere, cum rationes eius necessariò refutare oporteat. Gordonus non patitur in verbis Christi de stellis casuris discedi à proprietate sermonis. Cerda in aduersariis sacris c. 154 n. 21. scribit: *Cur opere tanto institerint Philosophi in probanda incorruptibilitate Cæli, diu hæsi. Et quidem dispicere, inquantum possum, nulla alia eos res mouet quam saluum,& integrum Aristotelem præbere. Egregia quidem laus illum anteponere tot cælestibus* (idest, Patribus Ecclesiæ.) *Ego nihil ambigo, eum errasse, & quotquot eius sententiam defendunt.*

SECTIO II.

An Empyreum æternabit incorruptum accidentaliter, uti creatum est.

5 IN fine mundi non corrumpendum accidentaliter, nec alterandum, vt purgetur, vti corrumpentur accidentaliter, & alterabuntur elementa tradunt S. Thomas in 2. Petri cap. 3. v. 12. Hugo de S. Charo ibidem, Paludanus in 4. dist. 49. q. vnica art. 3. Sotus in 4. dist. 48. q. 1. art. 3. in 1. conclusione Argentinas in 4. dist. 47. art. 4. Vuendelinus in 4. dist. 47. q. art. & conclus. 2. Ioannes Altestaing in lexico verbo, *cælum.* Ferdinandus Vellosillus in aduertentiis ad 8. tom. 5. Augustini q. 12. Suarez tom. 2. in 3. p. d. 58. sect. 2. v. *Ex quibus*, & alij recentiores. Probatur primò, quia nec cælum sydereum sic est corrumpendum, & alterandum, vt communiter censetur. Secundò, quia Empyreum nullas affectiones, & sordes extraneas materiales vnquam contraxit, aut contrahet ex inferioribus corporibus, aut ex eis, quæ illud inhabitent ante finem mundi. Cum autem ex sua creatione purissimum sit, non apparet, cur indigebit purgatione. Tertiò, beatæ animæ, & corpora glorificata indiga non sunt lustrationis. Ergo neque Empyreum, quod statui beatitudinis spiritualis, & glorificationis corporalis dicatum, ac paratum est à constitutione mundi. Si opponas, Angelos peccasse in Empyreo; ideoque illud desiderare purgationem. Respondeo non peccasse in Empyreo, vt contendam in Exercitationis 20. sect. 2. cuius num. 10. omnino videatur. An verò Empyreum innouandum sit aliquatenus per lucis accessionem? tractaui in exercit. 10. sect. 10.

6 Empyreum satis frequenter corrumpendum accidentaliter quoad vniones partium quantitatis, negari nequit in sententia, quæ illud penetrabile, & fluidum asserit. Eam nos approbauimus in Exercitat. 14. sect. 1. vbi ex hac accidentali corruptione substantialem non timendam, fier perspicuum. Moderni aliqui eam excellentiam tribuunt Empyreo, vt inibi nullum accidens corruptioni subiaceat; ideoque dicunt, esse incorruptibile modo superiori ad reliquos cælos, in quibus producuntur lux, motus, & aliæ qualitates, mediis quibus defertur influxus in corpora sublunaria. Lux verò & cætera enumerata, sunt accidentia, quæ corruptionem subeunt. Si obiiciatur ipsis, in Empyreo saltem produci, & corrumpi species impressas emissas è corporibus Beatorum, & ex eodemmet Empyreo. Respondent, nihil causæ esse, ob quam tales species prius producantur in Empyreo, tanquam in vehiculo & medio præsertim cum communicentur modo supernaturali, & initio beatitudinis comproductæ habeantur à cælicolis. Tribuitur Empyreo ea excellentia sine fundamento, & contra veritatem. Nam in sensibus externis, & internis glorificatorum hominum existentium intra ipsum, multi actus subibunt corruptionem, & dum vnus beatus homo moueatur ibi, destruetur vbicatio materialis præcedens; varij etiam soni producentur, & deficient, dum loquatur. Præterea linguæ glorificatæ indet Deus iam hos, iam illos sapores, destructis prioribus; eritque vicissitudo odorum, quos exhalabunt corpora glorificata, nisi dicatur cum Arriaga tomo 2. in 1. part. dist. 57. numer. 10. odorem semel exhalatum permansurum perpetuò ob carentiam contrarij; quod etiam indicatur à Tanero tomo 2. dist. 1. quæst. 3. dub. 4. numer. 37. Omitto diffusionem lucis in Empyreo à corporibus glorificatis; quia poterit responderi, non causandam naturaliter in ipso, vtpote summè lucido. Superiora illa de speciebus impressis excogitantur gratis. Cur enim Deus, impediet miraculosè lucem Empyrei, & corporum glorificatorum, ne emittat species sui, & ne transmittat per medium aptum? Cur species omnes sensuum externo-infusæ sint? Et cur omnes simul ab initio glorificationis corporum inditæ sint? Frustra tot miracula fierent à Deo, cum tam facilè sit ipsis beatis hominibus in Empyreo comparare species ab obiectis.

SECTIO III.

An Empyreum sit incorruptibile substantialiter à causis secundis? Et quomodo conciliandα sit substantialis incorruptibilitas Empyrei cum eius materia, corruptibilium formarum capaci?

7 QVoad primam tituli partem conueniunt cuncti Theologi, Empyreum esse incorruptibile substantialiter à causis secundis; idque nulla ratione negari posse, pronuntiat Tannerus tomo 1. distinct. 6. quæst. 2. dub. 6. numer. 10. post Suarium dist. 13. Metaphysicæ sect. 1. numer. 13. Si cælum sydereum sit eo pacto incorruptibile, vt Peripateticæ scholæ consensus communis profitetur, vno adstipulante S. Dionysio Areopagita cap. & §. 4. de diuinis nominibus, vel altero ex antiquioribus Patribus, vrget à fortiori ratio pro Empyreo. Sed quia illud cælum non esse eo pacto incorruptibile, innuunt cum Magistro Carthusianus in 2. dist. 14. q. 2. Florianus Nannius in catena argentea ad cap. 1. Genesis v. 6. conclus. 3. Martinengus in Glossa magna litterali pagin. 476. & 605. ac. 666. Catharinus verò in cap. 1. ad Hebræos & in 2. Petri cap. 3. Salmeron vtrobique, & tom. 1. prolog. 8. pag. 103. Hieronymus Magius lib. 2. de mundi exustione cap. 6. ac. 7. Valles cap. 89. Philosophiæ sacræ, Delrius in cap. 1. Genesis Petauius tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de opificio sex dierum c. 12. n. 19. Franciscus Resta lib. & tract. 1. Meteoro

Meteorologiæ cap. 10. & 11. Ioannes Mariana lib. 2. de morte, & immortalitate cap. 1. libertus Fromondus lib. 3. Meteorologicorum cap. 2. art. 6. Recupitus lib. 2. de Deo q. 12. n. 15. Ioannes Ludouicus de la Cerda in aduersarius sacris cap. 154. n. 21. Clauius in cap. 1. Sphæræ. Nietembergius cap. 13. de stellarum vita, & in historia naturali lib. 2. cap. 10. & 11. ac. 13. nec non lib. 3. cap. 8. Tellez p. 2. Philosophiæ d. 40. sect. 1. referens multos alios tam externos, quam è nostra societate, tradunt apertè, esse corruptibile vi agentium naturalium, non secus ac corpora elementaria: ideò recurrendum est ad speciales rationes adductas in sect. 1. quæ præsenti instituto æquè deseruiunt. Et videtur Empyrei dignitas postulare, vt illi concedatur incorruptibilitas similis ei, quam habent Angelus, anima rationalis, & materia prima, quæ nullius causæ secundæ naturalis actiuitate natiua destrui possunt. Cumque non repugnet corpus substantiale completum, compositumque ex materia, & forma; quod suapte natura sit incorruptibile substantialiter à causis creatis, tale profectò Empyreum de facto, creditur à Theologis sufficientissimo, & optimo iure.

Quoad secundam tituli partem libero fidem datam in n. 51. Exercit. 5. proponam prius, & refutabo varios conciliandi modos, & postea probatiores duos producam, obiectionibusque, quibus patent, obuiabo.

Varij modi conciliationis referuntur, & reiiciuntur.

8 PRimus sit, redigens Empyrei à causis secundis incorruptibilitatem substantialem in expletionem materiæ per formam substantialem, quam habet. Illum attigit, & repudiauit Auersa q. 33. Philosophiæ sect. 6. Repudiatur etiam à me. Primò, forma rationalis, cum sit perfectior, quàm Empyrea, explebit magis capacitatem materiæ, eius quæ appetitum exsatiabit abundantius; & tamen vi agentium naturalium expelli potest à materia possessa. Secundò, satietas materiæ ex forma Empyrea non impediet, ne patiatur accidentia elementaria aduentitia. Ergo saltem erit Empyreum accidentaliter alterabile per qualitates sublunares primas, & secundas. Tertiò si forma Empyrea explicat magis appetitum materiæ, hæc existens sub forma elementari à vidius appetet formam Empyream. Ergo facile pateretur alterari à qualitatibus Empyrei; esseque proinde forma Empyrea generabilis naturaliter, quantùm ex se est à causis secundis. Quartò, etsi forma Empyrea explicat potentiam materiæ, non est, cur ex abundanti non reciperet hæc formam elementarem, si inter vtramque non sit contrarietas. Sic aër recipit lucem ex abundanti, propriis qualitatibus alioqui contentus. Sic etiam hic numero actus naturalis productus ab habitu dependet ex abundanti ab eo: nam quantum ex se est, non indiget habitu, vt fiat absolutè & simpliciter, & deficiente habitu conseruaretur sine iuuamine alterius comprincipij supplentis vices illius. Loquor non de actione, qua producitur intellectio, aut volitio; quippe ea actio in singulari exigit per se, & essentialiter habitum, sed de termino per talem actionem producto. Huic ego innixus rationi dicebam, posse non solum diuinitus (quod iam fatetur recentissimus Thomista Ioannes Martinez de Prado p. 2. Metaphysicæ controu. 16. art. 3. §. 5. contra suorum consuetum dogma) sed etiam ex natura rei, ni lex diuina obstet, duplicem causam adæquatam concurrere ad eundem effectum. Si enim potest ex natura rei concurrere causa aliqua partialis ad effectum, ad cuius existentiam non sit simpliciter, & absolutè necessaria ipsa, neque alia supplens vices ipsius, cur non & adæquata? Eadem est vtrobique difficultas, & argumenta contra adæquatá intenta retardátur ex obiectu inadæquatæ. Superfluitas vnius actionis adæquatæ in præsétia alterius morari neminem debet: nam licet reliquæ præter vnam superfluant actionem respectu effectus, non tamen respectu exigentiarum in causis; quarum concurrentia est per accidens, & non per se. Quare sicut natura permittit monstra debita per accidens titulo exigentiæ causarum, ita permittet duplicem actionem totalem. Satis sit delibasse hæc; quæ vt curent Petrus Hurtadus d. 16. Animasticæ sect. 7. Auersa, & alij negant habitibus naturalibus influxum effectiuum in actus. Verumtamen adhuc instaurari posset argumentum. Nam si naturaliter præcedere potest vt conditio ad actus intellectus, & voluntatis aliquid non requisitum ad illos, sed habens se tantum ex abundanti. Ergo similiter potest naturaliter, siue adæquatè, siue inadæquatè influere actiuè in effectum entitas, cuius influxus habeat se solùm ex abundanti. Vt omittam, nunquam commodè explicari, quo pacto minuatur conatus potentiæ ex præsentia habitus facilitátis, nisi hic simultaneè influat actiuè. Scripsi supra: *Ni lex diuina obstet*, vbi obstat, ne causæ secundæ reproducant suos effectus, quorum tamen iterata productio esset omnino naturalis in quotidiana sententia, si Deus vellet causis secundis largiri concursum ad illam. Naturalis etiam prorsus foret plurium effectuum prima productio, quæ nihilominus nunquam existet, quia Deus sic decreuit. Quod addo propter Pradum præ allegatum, reprehendentem ibi, aut alibi quemdam ex nostris ob eamdem, aut similem restrictionem; quasi id omne, cui obstat lex diuina, debeat quantùm de se est, non posse euenire ex natura rei.

9 Secundus sit, Empyream quantitatem esse specie diuersam ab elementari, eo quòd accidentia Empyrea, & elementaria exigant talem diuersitatem in subiecto, in quo sunt recipienda adæquatè. Quare cum accidentia elementaria non possint recipi in quantitate Empyrea, neque eam destruere, sequitur Empyreum fore incorruptibile accidentaliter, & exinde substantialiter: nam nequit naturaliter introduci noua forma substantialis, neque expelli antiqua, nisi nouiter disponatur materia. Contra primò, quia si vt defendatur incorruptibilitas Empyrei, confugitur arbitrariè ad diuersitatem specificam quantitatis; satius erit, & conformius antiquorum, & recentium Philosophorum menti confugere ad diuersitatem specificam materiæ. Secundò, saltem ab alio cælo erit corruptibile Empyreum, ni etiam quantitas huius constituatur specificè diuersa à quantitate cuiusuis alterius cæli. Tertiò, Empyreum posset corrumpi ab agente naturali, quod sine introductione accidentium sublunarium destrueret vnionem partium materiæ, & quantitatis inter se, ita vt diuideret in partes, in quibus separatis ab aliis nequiret naturaliter conseruari forma Empyrea. Quartò fortè erunt possibilia naturalia aliqua accidentia, quibus receptis in quantitate Empyrea, destruantur alia ipsius Empyrei. Quintò, compositum substantiale

stantiale Empyreum, vt distinctum à quantitate, debet esse magis incorruptibile, quam elementate; non vero esset, si incorruptibilitas proueniat præcisè ex diuersitate quantitatis. Sextò, lux Empyrea non exigit quantitatem Empyream potius, quàm sublunarem. Ergo neque alia accidentia exigunt vnam quantitatem potiùs, quam aliam. Videatur Exercitationis 13. sectio 1 in qua probo, quantitatem Empyream esse eiusdem speciei cum sydera, & sublunari. Neque hic vocandum est in litem, an quantitas sit subiectum adæquatum aliorum accidentium materialium?

10 Tertius sit, nudans Empyreum omni dispositione accidentali præter lucem. Quare etsi in eo agentia naturalia introducerent qualitates elementares, non expelleret formam Empyream, quia forma substantialis non deturbatur, nisi media destructione suarum dispositionum, quippe substantiæ non contrariantur immediatè. Impugnatur primò, quia non prospicitur in alterabilitati Empyrei, per qualitates elementares; nec incorruptibilitati per diuisionem partium; quam tamen incorruptibilitatem adstruunt plures. Secundò, si forma Empyrea non afferat accidentia, quæ aliis omnino præcludant aditum, consociabuntur in eadem materiæ parte forma Empyrea, & elementaris producta ab applicato agente. Nam materia, quantùm est ex se, capax est multiplicis formæ, etsi vna indeterminatè solùm indigeat. Ideò verò non recipit simul duas formas substantiales numero tantùm diuersas, quia vna præstaret quicquid alia. Sed de hoc alibi. Tertiò, parùm philosophicè negantur corporibus cælestibus accidentia, quibus ornentur, & agant. Corporum, quæ non habebant multa accidentia, nullam hucusque fecit experientiam Philosophia. Et incredibile est, tam diuersas operationes astrorum non fundari in diuersis proprietatibus, & accidentibus. Quartò, cur pars aliqua Empyrei non poterit ita rarefieri ab aliquo naturali agente, vt lucem non emitteret? Quo casu interiret forma Empyrea ob exigentiam tantæ luminositatis, qua carent reliqua corpora cælestia.

11 Quartus sit, Ideo Empyreum esse substantialiter incorruptibile quia eius dispositiones non sunt contrariæ elementaribus. Vnde licet hæc introducerentur in Empyreo ab aliquo agente naturali non expellerent illas, ac proinde non sequeretur destructio formæ Empyreæ. Nam vltima dispositio ad destructionem non esset solùm calor vt octo v.g. introductus ab igne, sed etiam expulsio dispositionum formæ Empyreæ, quas non remouebit calor vt octo, cum non contrarietur eis. Hunc modum reputat probabilem P. Suarez disp. 13. Metaphysicæ sect. 11 num. 16. refellit tamen exinde, quod iam agens naturale posset alterare Empyreum. Fatentur vltrò nonnulli defensores modi huiusce; alij respondent, non posse, quia Deus negabit concursum, ne agens naturale producat superfluè qualitates, quæ aliis expellendis deseruiturae non sint. Ergo sic contra insurgo primò, quia per hunc modum non prospicitur Empyrei naturali incapacitati qualitatum sublunarium. Secundò, si dispositiones cælestes, & sublunares non sunt contrariæ, & incompossibiles, non afferent formas incompossibiles; neque impedient illæ introductionem formæ substantialis elementaris. Quare materia eadem recipiet formam elementarem simul cum Empyrea. Si verò impediunt, erunt inter se pugnantes. Ex hinc enim collegit Philosophia repugnantiam dispositionum inter se. Tertiò, si qualitates Empyreæ non sunt contrariæ sublunaribus, poterit Empyreum suas diffundere qualitates in orbes cælestes inferiores: nam potiore iure non erunt contrariæ qualitates Empyrei, & sphærarum mobilium. Rursus poterit sphæra lunæ suas diffundere in elementa. Gratis dices, impediri perpetuò à Deo. Nam licet non conducerent ad introducendam formam cælestem, prodessent tamen ad perficiendum insigniter elementa. Quapropter non esset superflua coexistentia qualitatum cælestium, & elementarium. Nec te protectũ putes exemplo agentium similium, quibus, si conueniant propè idem passum, denegat Deus concursum ad producendum in eadem parte passi qualitates duas numero tantum distinctas. Ideo enim denegat, vel quia passi potentia est limitata, ad recipiendam vnicam qualitatem vnius speciei, vel quia vna numero qualitas non communicat effectum formalem notabiliter distinctum ab alia numero tantum diuersa. Quartò, ni dispositiones cælestes, & sublunares sint incompossibiles, agens cæleste, & sublunare applicata materiæ priuatæ omni forma producerent in ea simul suas qualiates, & ad vtrasque sequeretur ex natura rei forma substantialis cælestis, & sublunaris, vel vtrumque agens efficeret alterutram ex illis, vel neutram. Quæ omnia non carent absurdo. Quintò, quamuis dispositiones elementares non sint expulsuræ Empyreas, non est cur agenti elementari negaret Deus concursum ad productionem illarum. Nam ne superfluæ sint, satis est, quod possent absolutè deseruire ad introductionem formæ elementaris. Sic etsi Deus decreuisset ab aliquo corpore nunquam separare rationalem animam, adhuc ignis applicatus produceret calorem in tali corpore; nam ex vno miraculo non teneretur Deus ad aliud. Præterea si corpori diuinitus orbato omni qualitate contraria igni, applicaretur hic, non desineret calefieri. Ergo si ignis applicetur Empyreo, non desinet hoc calefieri ex eo, quòd caret naturaliter qualitatibus oppositis cum calore.

12 Quintus sit, ideo Empyreum esse incorruptibile substantialiter intrinsecus, quia habet dispositiones inuincibiles omnino ab agentibus creatis. Eum approbat Arriaga d. 2. Physicorum n. 160. Nobis non placet primò, quia Empyreæ dispositiones erunt saltem vincibiles à Deo per vires potentiæ ordinariæ; ac proinde Empyreum non erit secundùm suam naturam indestructibile saltem respectu Dei. Secundò, admissa contrarietate, & mutua pugna inter dispositiones Empyreas, & sublunares, poterit intra naturæ limites adeo crescere harum efficacitas, vt illarum vincat resistentiam. Quare Empyreum non erit simpliciter incorruptibile, si ad vires agentis alicuius naturalis creabilis à Deo attendatur. Sine fundamento excogitaretur resistentia finita naturalis, quæ à nulla actiuitate naturali producibili à Deo posset superari. Hinc puto, fore, vt posset destrui materia ab aliquo agente naturali, si ea esset capax contrarij fore etiam, vt ab agente aliquo naturali obtineretur duarum partium quantitatis penetratio; si agens naturale posset inire pugnam pro illa penetratione. Hinc præterea censeo, nullum esse possibilem Angelum tantæ resistentiæ ad obfirmandum se in loco, & tantæ vis ad se mouendum, vt nequeat ab alio superiori creabili à Deo propulsari ex loco, & detineri in eo. Tertiò, Empyreum debet adstrui non solum substantialiter

tialiter incorruptibile, sed etiam accidentaliter per qualitates primas, & secundas elementares. Certè qui Peripateticam propugnant sententiam, æquè conantur vtramque incorruptibilitatem in corporibus cælestibus. Arriaga verò illam tantùm tectam, sarramque curat, oblitus huius. Nam inuincibilitas cælestium dispositionum aditum non prohibet qualitatibus elementaribus, quæ ipsis non afferant interitum. Quartò, esto Empyreæ dispositiones debellari non valeant ab elementaribus, cur non ab aliis cælestibus? Cur etiam illæ nequeant triumphum reportare ex his, quæ vincibiles sunt à suis contrariis? Si autem queant, erit Empyreum generabile naturaliter à causis secundis; nam in corpore elementari propinquo, introducta vltima dispositione Empyrea, sequeretur naturaliter forma similis. Inquies, formam Empyream non esse actiuam alterius, vt videmus in multis formis sublunaribus, quæ aliarum similium non sunt productiuæ; & experientiâ ipsâ edocti, Scimus. formas eò esse minus actiuas, quò maiorem habent resistentiam, ne à materia expellantur per alias contrarias. Quicquid de hoc vltimo sit, si forma Empyrea queat vincere dispositiones aëris v.g. proximè applicati, introducendo suas vsque ad vltimam, sequetur naturaliter productio formæ alterius Empyreæ in materia aeris, siue vna forma aliam produxerit immediatè, siue solus Deus ad exigentiam introductarum dispositionum: quod posterius & absurdum est. & nobis sufficit contra aduersarios.

13 Sextus sit, ideo Empyreum gaudere intrinsecus incorruptibilitate substantiali, quia de facto nullum existit, neque inposterum existet agens naturale, cuius actiuitas valeat spoliare formam Empyream materia possessa, seu potiùs materiam forma suscepta. Displicet & iste modus primo, quia huius impotentiæ inuestigatur ratio, si ex parte materiæ non sit incapacitas formæ aduentitiæ substantialis. Secundò, saltem respectu Dei esset Empyreum suapte natura substantialiter corruptibile, si ex parte ipsius non sit aliquid repugnans destructioni formæ habitæ. Tertiò, si incorruptibilitas Empyrei reducitur in defectum virtutis agentium naturalium, quæ actu existunt, & existent in præsenti ordine vniuersi, illud non erit absolutè, & simpliciter indestructibile ab agentibus naturalibus secundis, cum possent alia à Deo produci, quæ vim haberent naturalem ad destruendam formam Empyream. Quartò, si Deus igni valenti ex se destruere formam Empyream denegaret concursum, ea non esset ab intrinseco incorruptibilis. Ergo modò non erit sic incorruptibilis; si impotentia destruendi sit solùm penes agentia secunda existentia, & extitura.

Probatiores alij modi adducuntur in medium.

14 POsset in primis dici, incorruptibilitatem Empyrei prouenire ex aliqua qualitate naturali exacta ex natura rei à forma Empyrea; quæ qualitas in reliquis præter supernaturalitatem similis sit qualitati, per quam beatorum corpora reddantur impossibilia, habeatque repugnantiam naturalem cum omni alteratione destructiua sui compositi: vti eam habet cum lumine, & speciebus visibilibus opacitas terræ; & vti per Patrem Suarium 3.p. quæst 54. art. 3. in commentario v. *Secundò posset*, indiuisibilitas corporum cælestium prouenit fortasse ex vi alicus qualitatis naturalis repugnantis partium discontinuationi. Qualitas præfata exacta naturaliter à forma Empyrea talis erit conditionis vt resistat cuicumque causæ secundæ, ne vllas introducat dispositiones in corpus Empyreum, a quibus ipsum alteretur, & disponatur ad corruptionem substantialem; vt resistat, inquam, *non per contrarietatem formalem, sicut calor obstat impressioni frigoris; nam vnum contrarium non impedit omnino impressionem alterius, imò admittit, quia circa idem subiectum successiuè versari possunt; sed per modum naturalis impotentiæ.* Ita Salas loquutus 1.2. tract.2. d.14. sect 17. n.143. de qualitate reddente impassibilia corpora glorificata. Quæ verba non ineptè ad illam alteram qualitatem transferri possunt. Quod si alicui difficile videatur, qualitatem naturalem habere explicatam vim resistendi sine pugna, seu sine actione, & repassione, & se extendere ad arcendas tam varias qualitates, notet, Salam supra non inuenire repugnantiam in qualitate, quæ licet non sit connaturalis corpori humano, sit tamen entitatiuè naturalis, & efficaciter resistat omni læsioni humani corporis; notet etiam, Recupitum lib.6. de Deo vno quæst.3. cap.4. n.5.. dicere, si possibilis sit qualitas corporea reddens corpus humanum impassibilem arcendo omnem actiuitatem contrarij, non apparere repugnantiam, cur impossibile sit corpus, cui talis qualitas corporea possit esse connaturalis. Et addit: *Imò de facto multi putant, cælum esse corpus alterius rationis habens qualitatem restitiuam, per quam arcendo actiuitatem ignis contigui sibi, reddatur impassibile a contrario, & inalterabile.*

15 Deinde dici potest, ideo Empyreum esse incorruptibile substantialiter, quia eius dispositiones ita adhærent ipsi, vt semel acquisita possessione præcludant aditum alis aduentitiis, sine actione quidem, & repassione. Sic semel existens vnio hypostatica in humanitate Christi Domini, & visio Beata in intellectu, nequeunt saltem ex natura rei amitti per peccatum in instantibus sequentibus. Sic Deus, & in sententia S. Thomæ Angelus sunt immutabiles in decretis liberè cum perfecta deliberatione habitis, licet diuina, & Angelica voluntas non sit ex se determinata ad illa habenda. Modum hunc breuiter attingit Ouiedus disp. de cælo puncto & n.1. Copiosiùs Franciscus Alfonsus d. de cælo sect. 1. num.17. & est Neothericis familiaris, nobisque gratior, quàm præcedens, vt qui sine necessitate adiiciat qualitatem illam specialam, & expositus sit difficultati declarandi, quid eueniret casu quo Deus de potentia absoluta orbaret Empyreum qualitate illa? Maneret ne Empyreum substantialiter incorruptibile? Si affirmatiuè respondeas; addidisti frustrà qualitatem illam; si negatiuè, non adeò digne cogitas de incorruptibilitate Empyrei, qua est præcisè compositum substantiale coalescens ex materia, & forma substantialibus.

Satisfit nonnullis argumentis.

16 COntra modum præhabitum obiicies primò, dispositiones cælestes deiicere dispositiones elementares aquæ, quando ex huius materia educta fuit forma cælestis. Ergo & dispositiones elementares poterunt eiicere ex materia sphæræ lunaris dispositiones cælestes. Secundò, sphæra Lunaris introducet suas dispositiones in igne contiguo

tiguo, ac proinde erit generabile cælum. Tertiò, ignis elementaris destruet virtute sua naturali in fine mundi dispositiones cælestes. Ergo hæ non exigunt ita firmiter adhærere materiæ, vt nunquam abea possint expelli naturaliter. Quartò, pro signo aliquo priori secundi instantis conseruationis cæli præscinditur à dispositionibus cælestibus; cum pro priori aliquo signo sit Deus indifferens ad eas conseruandas, vel non conseruandas. Ergo pro illo priori non postulant; ne introducantur dispositiones elementares. Ergo si in illo priori secundi instantis applicaretur ignis cælo, produceret in eo suas dispositiones, proindeque igniret ipsum. Quintò, Materia cælestis in primo instanti productionis formæ cælestis pro signo, quo ab hac præscindebat, fuit indifferens ad recipiendam formam cælestem, vel elementarem; & reciperet in posteriori signo hanc, si Deus illam ipsi non communicaret. Ergo ita similiter contingit in secundo instanti, & continget in reliquis aliis. Tum quia in secundo instanti potest Deus pro sua libertate habere se quo ad conseruationem formæ cælestis eodem modo, ac in primo instanti, quo ad productionem, & sicut potest liberè ipsam conseruare, vel destruere, ita potest expectare, an agens aliquod naturale elementare introducat, vel non introducat suas dispositiones in materia. Tum quia si forma cælestis non fuisset producta in instanti *A*: posset primitùs produci, vel non produci in instanti *B*, dependenter ab eo, quòd materia haberet dispositiones cælestes, vel elementares. Sed præcedens productio formæ cælestis non determinat Deum, neque materiam ad conseruationem formæ cælestis. Ergo &c. Tum quia Deus potuit decernere primam productionem formæ cælestis ex mero suo libito independenter ab omni dispositione præuia, & fortassis ita de facto decreuit, vt multi volunt. Ergo potest etiam decernere destructionem formæ cælestis ex mero suo libito naturali, quin vllum habeat respectum ad præexistentes dispositiones cælestes.

17 Respondetur ad primum, non aliter se habere dispositiones cælestes; postquam receptæ sunt in materia, quàm se habent vnio hypostatica, & visio beata, postquam vel per vnum instans extiterunt in humanitate, & intellectu. Quare sicut vnio hypostatica & visio beata non possunt deperdi per peccatum, expellerent tamen illud, si aduenirent naturæ, quæ antea peccasset: ita pariter &c. Ratio est, quia dispositiones elementares non exigunt, ne deturbentur per cælestes, aut quasuis alias: econtra verò dispositiones cælestes exigunt non deturbari per alias, quatenus petunt, ne Deus in præsentia ipsarum præstet concursum agenti alicui creato ad operãdum in materia possessa ab ipsis. Ad secundum, corpora cælestia non posse in contiguis, siue cœlestibus siue sublunaribus producere effectus similes effectionibus sibi cõnaturalibus, & insitis, si sola lux excipiatur Plura existunt entia creata, quæ in passo sibi proximo non valent producere qualitates similes iis, quibus ornantur. Ad tertiũ, cælum sydereũ in fine mundi nihil passurum ab igne, vel si passurum sit, destruendas ab igne dispositiones cælestes, siue quia Deus nolens exigentiæ ipsarum iura connaturalia seruare, præbebit concursum calori, & siccitati ignis, vt operetur in materia cælorum; siue quia subtrahet conseruatiuum influxum in dispositiones cælestes ad præsentiam ignis, qui ex nullius contrarij retardatus oppositione citissimè comburet cælum sydereum, & posteà Deus producet perfectiorem formam cælestem substantialem.

18 Ad quartum dicitur, etsi in priori aliquo signo secundi instantis conseruationis cæli præscindatur à dispositionibus cælestibus, vt conseruatis, non tamen vt habitis in primo instanti; idque sufficere vt in priori illo signo intelligatur exigentia, ne introducantur in materia dispositiones elementares, quatenus dispositiones cælestes vt existentes in primo instanti postulabant, ne in secundo pro vllo signo pateret aditus elementaribus. Sic Angelus vt existens in primo instanti petit, ne à Deo destruatur in sequenti; & pro priori signo quo Deus est absolutè indifferens ad conseruandum, vel non conseruandum, Angelum, intelligitur exigentia conseruationis. Sed neque hæc exigentia, neque illa formæ cælestis, cum sint tantùm naturales, & non essentiales, necessitant Deum ad conseruandum Angelum, & ad impediendam introductionem dispositionum elementarium. Alliciunt itaque solum modò, vt Deus tanquam Author naturæ decernat conseruare Angelum, & impedire introductionem dispositionum elementarium. Vnde ignis applicatus materiæ cælesti pro priori illo signo secundi instantis non introduceret in ea calorem, siquidem proxima potentia ignis ad operandum requirit volitionem Dei applicatiuam omnipotentiæ ad operandum; quæ volitio non intelligitur pro illo priori, quinpotiùs intelligitur exigentia, & quædam naturalis quasi determinatio, vt Deus nolit concurrere cum igne, si se gerat velut Author naturalis: nolente autem Deo concurrere cum igne, iam hic erit positiuè impotens operari in materia cælesti. Replicabis in priori illo signo non existunt, neque concipiuntur conseruatæ dispositiones cælestes, Ergo nequeunt esse impedimentum; ne introducantur elementares; nihil enim potest esse, aut concipi impedimentum, ne præualeat aliud contrarium, nisi existat, aut concipiatur existens. Fateor, dispositiones cælestes pro illo signo non esse impedimentum proximum, sed remotum; nam proximum est defectus volitionis diuinæ præparantis omnipotentiam ad concurrendum cum dispositionibus elementaribus, vt operentur in materia præocupata à cælestibus. Et quidem in priori illo signo non intelligitur volitio diuina applicans omnipotentiam ad concurrendum, sed, vt iam dixi, intelligitur exigentia, & quædam naturalis quasi determinatio fundata in præexistentia dispositionum cælestium, vt Deus seruans naturæ iura, velit non expedire seu nolit expedire omnipotentiam ad concurrendum cum dispositionibus elementaribus.

19 Ad quintum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, cuius prima probatio est inefficax. Nam quamuis Deus tam possit absolutè in secundo instanti conseruare, vel non conseruare formam cælestem, quam potuit in primo producere, vel non producere; nihilominus vt Author naturalis tenetur in secundo instanti conseruare formam cælestem, quin expectet, an agens aliquod naturale elementare introducat suas dispositiones in materia; quæ obligatio Dei vt Authoris naturalis fundatur in iure ante habitæ existentiæ à forma cælesti. Probatio secunda est etiam inefficax, cum constet ex dictis, præexistentiam cælestis formæ quasi determinare Deum vt Authorem naturalem ad eius conseruationem. Tertia probatio non continet

tinet maiorem vim, siquidem Deus vt Anthor naturalis teneatur seruare iuta formæ, ac dispositionum cælestium præexistentium, postulantiúmque naturaliter, vt conseruentur à Deo. Quapropter diuersa omnino est ratio inter primum, & secundum instans. Etenim pro priori signo primi instantis, seu pro signo indifferentiæ diuinæ ad productionem formæ cælestis nulla intelligitur exigentia ex parte huius; secus pro priori signo secundi instantis, seu pro signo indifferentiæ diuinæ ad conseruationem. Hinc fit, materiam, quæ in primo instanti receptionis formæ cælestis pro signo, quo ab ea præscindebat, capax fuit recipiendi formam cælestem, vel elementarem, non habere in secundo instanti capacitatem proximam recipiendi elementarem; quia ad talem capacitatem proximam opus esset, non præcessisse immediate formam cælestem. Scripsi *immediatè*, nam si forma cælestis non præcessisset immediatè, sed fuisset iam deperdita, nullam fundaret exigentiam, vti nullam fundauit in instantibus præuiis ad sui productionem, & in instanti etiam ipso suæ productionis pro signo indifferentiæ diuinæ ad productionem, vel non productionem.

Gemino exemplo vnionis hypostaticæ, & visionis Beatæ inamissibilium per peccatum elucidatur præscripta doctrina.

20 Clarescunt hæc omnia exemplo vnionis hypostaticæ, quæ vt summè, & infinitè sanctificans humanitatem Christi in genere sanctitatis participabilis à creatura rationali petit, ne in sequentibus ad primum instantibus amittatur per peccatum. Sed aduertendum est contra Petrum Hurtadum d. 60. de Incarnatione sect. 4. id speciale in vnione hypostatica, quòd non tantum naturaliter, sed etiam essentialiter exigat non amitti per peccatum. Ita Suarez, Vazquez, Ragusa; Moncæus, Meratius, Lugus; Bernal, Martinonus, Gaspar Hurtadus, & Franciscus Amicus in tract. de Incarnatione. Quorum sententiam subsidiario isto argumento desumpto ex doctrina præcedenti, aliquando confirmabam: sanctitas diuini verbi communicata humanitati superior est, ac potentior summè, & infinitè quouis peccato. Ergo per nullum superari, & amitti potest etiam de potentia absoluta; ita vt peccatum gerat se velut contrarium, vi cuius deperdatur ab humanitate sanctificatio participata ex diuino verbo. Consequentia rectè deducitur, quia summa, & infinita superioritas ac præpotentia est insuperabilis, vtpote importans summam, & infinitam resistentiam. Antecedens suadetur, quia verbi sanctitas communicata humanitati est summa, & infinita; ergo quouis peccato superior est, ac potentia summè & infinitè; quia de ratione summæ, & infinitæ sanctitatis est summa, & infinita oppositio cum quouis peccato. Hæc autem oppositio exigit summam, & infinitam superioritatem, ac præpotentiam, ratione cuius non solùm sit incompossibilis essentialiter aliquo peccato, sed ab aliquo etiam essentialiter inexpugnabilis. Vnde sicut non esset summa, infinita sanctitas, si stare posset simul cum peccato; sic nec esset summa, & infinita, si vinci posset à peccato.

21 Hoc argumentum eò pluris est hebendum, quò maius, & altius habet in Ecclesiæ Patribus fundamentum. Nam S. Cyrillus Alexandrinus lib. aduersus Antropomorphitas cap. 23. ait, ideo *verbum humanam naturam gestasse, vt eam quam ab Adam acceperat imbecillitatem, in se validam, ac peccato superiorem declararet.* Idem S. Cyrillus lib. de recta fide ad Theodosium scribit de Christi anima, quòd postquam verbum reddidit illam sibi propriam per hypostaticam vnionem *sua natura firmitate, ac immutabilitate, per inde ac vellus colore imbuit, peccatoque superiorem efficit.* Et paulò post de Christi carne, quòd *posteà quam verbi viuificantis caro effecta est, è vestigio statum firmum, ac omnibus modis stabilem, peccato que, quod olim tyrannidem in nos exercebat multo potentiorem nacta est.* Origenes lib. 2. Peri archon cap. 6. inquit. *Ferrum naturâ sua capax est caloris, & frigoris, si tamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici poterit incapax frigoris. Sic Beatissima Christi anima, in Deo semper existens quicquid agit, quicquid intelligit, Deus est, & ideo inconuertibilis est, & immutabilis, quam inconuertibilitatem ex diuini verbi vnione indeficienter ignita possedit.* Et non multò post addit: *Ita humanitatem diuinitatis igne requieuisse, vt nullum prorsus peccati frigus potuerit sentire: in quo anima Christi præstat cæteris sanctis, ad quos non ignis ipse diuinitatis, sed eius calor aliquis peruenit.* S. Augustinus lib. 2. de Incarnatione verbi postquam dixisset eadem ferè, quæ Origenes, subiungit *sicut vas ipsum, quod substantiam continet vnguenti, nullum genus aliud potest recipere liquoris, ita anima Christi velut vas, in qua inerat substantia vnguenti* (nimirùm Deitatis) *impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem*, En S. Cyrillus satis clarè docet, sanctificationem humanitatis à verbo potentiorem esse, ac superiorem omni peccato. Origenes, comparat eam sanctificationem cum calore, seu potiùs ignitione ferri ab igne; & sicut ferrum secundùm se est capax frigoris, si tamen sit ignitum, præcludit aditum frigori, neque ab hoc superari potest: ita humanitas, quæ secundùm se est capax peccati, tamen post acceptam sanctificationem à Verbo, potiam, qua data ruat peccatum, præcludit, manetque insuperabilis ab ipso peccato, Et notare oportet in Origene discrimen, quod assignat inter ignitionem humanitatis à Verbo, & calorem aliorum iustorum à gratia habituali; nam hunc dicit posse superari à frigore peccati, non verò illam. S. Augustinus vtitur aptissima comparatione, vt declaret, sanctificationis à Verbo odorem inuincibilẽ esse per contrarium odorẽ peccati.

22 Illustratur, & roboratur vis argumenti. Si humanitas Christi redderetur immortalis per assumptionẽ à Verbo, sicut redditur sancta, nõ posset vlla ratione subire mortẽ physicã, qua deperderet immortalitatẽ, quia immortalitas cõmunicata haberet summã, & infinitam repugnantiã cum morte physica, essetq; superior, & potẽtior quouis agente etiam, quod fingamus intentaturũ ipsi interitum. Ergo cum verè reddatur sancta per assumptionẽ à Verbo, repugnabit æquè, vt per peccatũ amittat sanctitatẽ communicatam ex Verbo. Rursus si anima Christi redderetur intelligens per sapientiã increatã verbi, vt affirmarunt antiqui nonnulli, tunc per actum falsum, & erroneũ non posset deperdere summam, & infinitam sapientiam increatam communicatam sibi in exercitio. Vel ergo aduersarij retractent

quæ

quæ dicunt de sanctificatione humanitatis, à verbo, vel nobiscum sentiant; eam sanctificationem esse prorsus inamissibilem per peccatum. Roboratur vlterius idem argumentum. Si (vt potest) verbum assumeret humanitatem, quæ in instanti proximè antecedenti extitisset fœdata peccato actuali, vel habituali, impediret eo ipso ineuitabiliter continuationem peccati actualis, vel maculam peccati habitualis. Nam si non impediret; fieret consociari cum verbo in humanitate assumpta peccatum actuale, vel habituale. Ergo similiter non potest non ineuitabiliter in humanitate suscepta impedire peccatum de futuro, ita vt nec à peccato expugnari queat, neque cum peccato queat fœderari. Si enim ob summam, & infinitam superioritatem, ac præpotentiam ad peccatum non posset non sequi huius expulsio, non poterit non ob eandem arceri, ne humanitatem inuadat; si quidem vnum contrarium præualens summè; & infinitè quoad expellendum aliud contrarium ab humanitate, debet etiam esse præualens summè, & infinitè quoad arcendum ab ipsa. Roboratur denique idē argumentum, etsi peccatum læthale non adeo deturpet animam meri hominis, quam vnionis gratia sanctificat humanitatem Christi, tamen vinci non posset, nisi à bonitate Dei infinita, vel infundente gratiam habitualem, vel condonante extrinsecè solùm sine infusione gratiæ habitualis. Ergo vnionis gratia vinci nullatenus poterit per vires alicuius finiti agentis, qualis esset humanitas peccans; neque enim Deus potest esse agens, quod peccet, neque quod eleuet humanitatem ad peccandum, ita vt Deus sit agens principale peccati.

33 Cardinalis Lugus disp 16. de Incarnatione sect. 5. n. 70. addit humanitatem in primo etiam instanti assumptionis non potuisse pro aliquo priori signo demereri assumptionem ad vnionem per aliquod peccatum. Non assentior, quia vnio non potest esse, neque intelligi superior, & potentior peccato, nisi existat realiter, aut nisi intelligitur extitisse in humanitate immediatè anteà; superioritas enim, & præpotentia vnius contrarij aduersus aliud debet fundari vel in existentia præsenti contrarij superioris, vel potentioris, vel in existentia immediate præcedenti. Neutro autem modo se habet vnio pro priori signo instantis primi. Vnde sicut tradidi, materiam in primo instanti receptionis formæ cælestis pro signo quo ab ea præscindebat, capacem fuisse recipiendi formam cælestem, vel elementarem; ita sentiendum est, humanitatē in primo instanti assumtionis pro signo præcindente ab vnione potuisse esse indifferentem ad demerendam vnionem per perccatum. Rem declaro exemplo formarum aliarum, quæ habent incompossibilitatem physicam, siue, naturalem, siue essentialem; naturalem quidem vt frigus vt octo, & calor vt octo; essentialem, vt amor efficax & odiūe eficax eiusdē obiecti. Nam pro priori signo ad primā introductionem frigoris in subiecto, indifferenti æquè ad frigus, & calorem nequit dari exigentia fundata in frigore, ne introducatur calor: quippe non entis nullæ sunt proprietates: & quemadmodùm pro eo signo priori non datur exigentia productionis frigoris, sic nec datur exigentia non productionis caloris oppositi ipsi frigori.

34 Sed, relictis exemplis, argumentor ad hominem contra Lugum. Humanitas, quæ in instanti *A*, habuisset vnionem hypostaticam, & amissura eam esset ex mero libito diuino, quin in instanti *B*, ornanda esset per vnionem, posset in hoc instanti pro signo priori ad subsistentiam creatam gaudere potentia proxima peccandi, & peccare. Ergo multò melius poterit vtrumque in casu, de quo controuertitur. Etenim in proposito casu deficeret titulus existentiæ anterioris in vnione; qui titulus non deficeret in casu antecedentis, esset tamen in sufficiens. Si dicas, in casu antecedentis non coniungendam vnionem cum potentia proxima peccandi, secus verò in casu consequentis. Nam nego intercedere hoc discrimen; sed nullum apparet inconueniens in admittenda coniunctione vnionis cum potentia proxima peccandi; imò nostra ratio haud leuiter probat, non posse non coniungi in casu consequentis. Et ad rationem desumptam ex summa & infinita sanctificatione humanitatis, respondetur, impossibilem esse sanctificationem comparabilem primò per operationem liberam creaturæ, quin talis sanctificatio sit impedibilis per operationem peccaminosam, quantùm est ex parte creaturæ operantis, & ex parte sanctificationis. Quare etsi in primo instanti vnio hypostatica compossibilis sit cum potentia proxima peccandi non ideò amitte primatū sanctificandi summè, &, infinitè in cōceptu sāctitatis participabilis, & adquisibilis primò per liberam humanitatis operationem. Quòd autē naturaliter in primo instanti secū nō pariatur potentiā proximā peccandi, non prouenit præcisè ex cōceptu sanctitatis, sed ex eo, quòd sit sanctitas, quæ naturaliter pro priori debet præcedere operationes, vtpotè quæ sit vnio subsistentiæ. Vnde si diuinitus contraueniatur huic debito, nihil deperdet perfectionis in conceptu sanctitatis, si cōniungatur cum potentia proxma peccandi. Si dicas iterùm, nos etiam admittere humanitatem, quæ in instanti *A*, habuisset vnionem, & vltra non habitura esset ex mero libito diuino, posse pro priori signo instantis *B*, gaudere potentia proxima perccandi & peccare, quin tamen admittamus, posse peccatum impedire conseruationem vnionis in instanti *B*. Ita quidem est. Sed nos titulum anterioris existentiæ in vnione assignamus; quem titulum assignando non sunt aduersarij.

27 Quæ de forma cælesti scripsimus, elucidantur etiam exemplo visionis beatæ, cuius conseruatio impediri nequit naturaliter per peccatum; & planius esset exemplū, si, vt plures putant, nec diuinitùs queat impediri, simulque verum sit in primo instanti, quo quis sit beatus, posse diuinitùs pro signo aliquo priori ad visionis productionem dari potentiam proximam peccandi, & per peccatum impediendi primam existentiam visionis. Inueniri namque posset saltem diuinitùs in visione, quod naturaliter contingere posse in forma cælesti statuimus, vt scilicet semel existens in materia nequeat naturaliter expelli per formam elementarē, licet in primo instanti potuerit naturaliter impediri eius productio per introductionē formæ elementaris in eadem materia. Et verò, quòd visionis conseruatio non possit diuinitùs deperdi per peccatum, probatur ab aliquibus, quia summa fœlicitas visionis debet esse superior, & potentior, quàm miseria peccati. Ergo sicut summa sanctitas vnionis hypostaticæ est omnino inamissibis per pecatum, ita similiter erit inamissibilis summa fœlicitas visionis. Præterea quòd in primo instanti cum visione stare valeat diuinitus potentia proxima peccandi, probatur

probatur ab iisdem, quia non implicat contradictionem, vt in eodem instanti sit meritum visionis, ortum non ex fide, sed ex scientia aliqua infusa, & simul detur ipsa visio sicuti in eodem instanti existit meritum gratiæ habitualis, & collatio ipsius gratiæ. Neque est inconueniens, quòd in eodem instanti pro diuersis signis existat quis in via, & simul in termino; vti non est inconueniens, quòd existat quis per contritionem in via ad iustificationem, & simul in termino iustificationis per gratiam habitualem intuitu contritionis collatam in eodem instanti. Si autem in primo instanti visionis potest dari meritum illius, cur non poterit dari demeritum per culpam? Vt si alicui Deus imponeret operis meritorij præceptum, quod si in instanti *A*, adimpleret, donaret Deus visionem, si non adimpleret, negaret. Imò si præceptum esset putè negatiuum vt non furandi, posset in instanti *A*, per furtum impediri donatio visionis, & per omissionem furti non meritoriam non impediri.

26 Posteriorem hanc partem non approbo, quantum ad vim impediendi in primo instanti visionem per peccatum. Quia cum visione nequit componi iudicium, quo voluntas relinquatur indifferens ad peccandum. Visio enim iudicat nullam esse rationem, qua Deus possit offendi ab habente ipsam, quia videt infinitam bonitatem per essentiam. Iudicium autem indifferens iudicat Deum, vt possibilem offendi ab habente ipsum, aut propter bonum vtile, vel delectabile creatum, aut propter difficultatem placendi Deo in omnibus. Hæc incompossibilitas cum potentia proxima ad peccandum non resplendet in visione ratione sanctitatis (etiam si gratis concederetur esse sanctitatem) sed ratione modi tendendi repræsentatiuè erga Deum. Vnde non licebit inferre contra me, vnionem hypostaticam cedere in perfectione sanctitatis visioni, si hæc non possit in primo instanti componi cum potentia proxima ad peccandum, possit verò illa, *qua in rebus per tempus ortis noua maior gratia*, vt celebrat S. Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 19.

27 Dixi supra; *quantum ad vim, &c.* quia quantùm ad impediendum collationem visionis per actum, vel per omissionem actus sine peccato, approbo posteriorem partem. Arridet & mihi prior pars de inamissibili cõseruatione visionis per peccatum, quia iudicium indifferens requisitum ad potentiam proximam peccandi stare nequit cum conseruatione visionis. Sed ratio, qua mouentur illi Authores, neruosa non est; nam iuxta ipsos visio est eius conditionis fœlicitas, vt componi queat de potentia absoluta cum miseria peccati habitualis, cum qua miseria incompossibilis est sanctitas vnionis. Ergo paritas ab vnione ad visionem non admodùm vrget. Hinc qui volunt conseruationem visionis impedibilem esse per peccatum, respondebunt visionem esse summam creaturæ rationalis fœlicitatem; non ratione sui præcisè, sed ratione etiam carentiæ peccati, & potentiæ proximæ ad illud, quas carentias non essentialiter, sed naturaliter tantùm importet; vti gratia habitualis, si compossibilis sit cum peccato lethali, non erit ratione sui præcisè sanctitas creaturæ rationalis, sed ratione etiam carentiæ peccati, quam carentiam naturaliter inferat. Inquies, cur de sanctitate verbi communicata humanitati Christi non possit affirmari id ipsum, quod de visione responderi posse notaui? Dico, affirmari non posse, quia in præsentiarum supponitur vnionis gratiam incompossibilem esse essentialiter cum peccato quouis tam habituali, quàm actuali; & quia cum verbi sanctitas sit infinita in se simpliciter, & in se essentialiter illatiua carentiæ peccati, non potest non, eo ipso, quòd communicetur humanitati, inferre essentialiter in humanitate carentiam peccati, cum quo componeretur, & à quo expelleretur semel communicata. Et hæc satis de vnione hypostatica, ac de Beata visione; quæ si longa videantur, dabit veniam lector, si aduertat, nec vulgaria esse, nec breuiùs explicari potuisse, nec inutilia esse ad illustranda scripta de forma cælesti. Est qui obiiciat non debuisse nos exemplis præfatarum supernaturalium formarum comprobasse incorruptibilitatem formæ Empyreæ naturalis, & compositi resultantis ex ipsa, atque ex materia capaci corruptibilium formarum; nam supernaturales illæ inuertunt plerumque naturæ ordinem. Sed respondetur, supernaturales formas conuenire in multis cum naturalibus, vt in exigendo subiectum capax, vnionemque ad ipsum & in contrariando aliis, etiamsi disconueniant in communicando effectu formali super, vel contra naturã. Non igitur extra chorum afferuntur ea exempla. Et cedo mihi, si in ordine supernaturali dantur aliquæ formæ supernaturales, quæ præcludunt aditum contrariis, etiamsi communicet aliæ in eodem numericè vel specificè subiecto non gaudeant tali vi, cur naturalis ordo non habebit etiam formas aliquas naturales valde perfectas informantes inamissibiliter subiectum, quod aliæ minus perfectæ informent amissibiliter? Cur ex vno ordine non discurremus appositè ad alterum?

SECTIO IV.

An Empyreum sit incorruptibile substantialiter à causa prima agente per potentiam absolutam.

28 Etsi in præcedentibus sæpe repetitum sit, Empyreum posse substantialiter destrui à Deo, si hic vtatur sua absoluta potestate, operæ pretium erit veritatem hanc altius comprobare. Quæ est de fide chatholica, si humana adhibeatur Pereytæ lib. 2. in Genesim num. 5, Suario d. 21. Metaphysicæ sectio 1. num. 6. & lib. 1. de Angelis cap. 9. num. 5. Vazquio tomo 2. in 1. p. d. 181. cap. 2. n. 7. Arrubali 1. p. d. 151. cap. 1. num. 5. & 6. Tanneto 1. p. d. 5. quæst. 1. dub. 3. num. 15. Præposito 1. p. quæst. 9. art. 2. Ripaldæ tomo 1. de ente supernaturali d. 59. sectio 1. num. 7. lib. 1. contra Baium disp. 12. sect. 13. num. 149. Petro Hurtado disp. 54. de Incarnatione sect. 6. subsect. 3. §. 91. Francisco de Lugo disp. 2. de Angelis cap. 3. num. 9. Ouiedo controuers. 7. de Anima puncto 1. §. 4. num 21. rursus controu. 3. de Beatitudine puncto 3. n. 28. & 13. Nicolao Ysamberto 1. p. ad quæst. 50. disp. 2. art 3. Montesino in 12. disp. 7. quæst. 2. num. 37. vt omittam alios Theologos, qui pronuntiant, rem esse omnino certam, nec existere, neque possibilem esse creaturam indestructibilem essentialiter à Deo. Stabilitur primò ex verbis epistolæ 1. ad Timotheum

Timotheum cap. 6. v. 16. *Qui solus* (idest Deus) *habet immortalitatem.* Ea enim sic intelliguntur à Patribus, vt significent Deum solum esse, cui competat non posse vllo modo desinere seu in nihilum redigi. Huc faciunt, quæ Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 9. art. 2. congerunt, vt ostendant ex sacris, litteris & Patribus immutabilitatem essentialem deesse ad non esse ita specialiter Deo conuenire, vt nulli creaturæ competere queat. Videantur Fassolus ibi, & Gillius, estque eruditione ex promptè parabilis.

29 Stabilitur secundò ex testimoniis sacræ scripturæ, quibus ipsi Theologi cum ipsomet S. Thoma 1. p. q. 104. art. 1. ostendunt, rem quamlibet creatam non posse habere nisi ex Dei conseruantis manu permanentiam in sui esse. Etenim ea testimonia sic percipiuntur à Patribus, & Theologis, taliaque sunt, vt apertè denotent. rem quamcunque creatam conseruari à Deo libere, habituramque in nihilum, si Deus, vti potest. manum substraheret. Sapientiæ 11. v. 26. dicitur: *quomodò posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* 2. Machabæorum 8. v. 18. *Potest* : : : : *vniuersum mundum vno nutu delere.* Apocalypsis 4. v. 11. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Colossensium 1. v. 16. & 17. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Circa quæ vltima verba notare oportet hæc S. Chrysostomi; *Quod verò dicit, in ipsum, quid est? hoc scilicet, in ipsum pendet omnium hypostasis. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc, vt essent, produxit, sed idem ipse nunc quoque ea conseruat, ac tuetur, ita vt si ipsius curâ destituerentur, mox perirent, & corrumperentur. Sed non dixit, conseruat, quod crassius fuisset, sed quod subtilius est, nempe, quod omnia in ipsum pendent. Dumtaxat ad ipsum annuere, & inclinari, satis est ad conseruandum, & constringendum.* Consonat S. Anselmus ibi dicens: *Omnia in ipso constant, quia sicut omnia creauit, ita omnia continet, & regit: omnia in ipso constant, quia secundùm immensitatem incircumscriptæ, & conprehensæ diuinitatis eius omnia sunt intra ipsum, & ne in nihilum redeant, per eum constituunt.* Ipse S. Anselmus explicans illa ad Hæbræos cap. 1. vers. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ, ait. Sursum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertantur, vnde creata ab ipso fuerant, & sustentat ea, non labore, nec difficultate, sed verbo virtutis suæ, id est, imperio suæ potentiæ, hoc est, sola voluntate sua; quæ in eo virtus, est, & omnipotentia.* Legantur idem S. Anselmus cap. 1. de Diaboli casu, Iunilius l. 2. de partibus diuinæ legis c. 3. Primasius in locum præcitatum ad Hæbræos. S. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram. cap. 12. lib. 5. cap. 20. S. Gregorius Magnus lib. 16. Moralium cap. 18. alijque adnotari Patres à Petauio tom. 1. Theologicorum Dogmatum lib. 8. cap. 2. à Raynaudo in discussione nouæ libertatis p. 2. cap. 4. à n. 8. vsque ad 12. rursusque n. 22.

50 Stabilitur tertiò ex patribus Ecclesiæ. Ducat chorum antiquissimus Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. inquiens: *Quæcumque initium sumpserunt, & dissolutionem possunt percipere* S. Athanasius oratione 2. contra Arrianos. *Reliqua omnia* (extra Deum) *vt quæ facta sunt, nihil simile habent ratione substantiæ cum suo creatore, sed extra eum sunt gratia, & voluntate per verbum eius condita à Deo, vt rursus possint desinere vbi ille, qui fecit, voluerit*, In oratione Contra Gentes: *creatarum rerum natura, quia ex nihilo constat fluxa, imbecillis; & mortis obnoxia est per se indicata.* In epistola ad Africanos *Quæ creata sunt* : : : : *neque omnipotentia, & immutabilia esse queunt, nam alterius potestate continentur, & natura sunt mutabilis, vt sacræ litteræ testantur.* S. Hieronymus in quadam ad Damasum epistola incipiente. *Quoniā vetusto &c. Potest rursus non esse quod non fuit.* Et in c. 3. ad Ephæsios. *Fuit tempus, quando vniuersa non fuerunt, & rursum si voluerit, in nihilum reuertentur.* S. Augustinus lib. de natura boni contra Manichæos cap. 1. *Solus Deus immutabilis: omnia, quæ fecit, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt.* lib. 12. de ciuitate Dei cap. 1. *Immutabile non esse nisi vnum Deum vere beatum; ea verò, quæ fecit, bona quidem esse, quòd ab illo, verum tamen mutabilia, quòd non de illo, sed de nihilo facta sunt.* Lib aduersus Felicianum Arrianum cap. 7. *Creatura ex eo, quòd non est, in id quod est: quo ostenditur, quia ex nihilo prolata est: & propterea quantum ad se attinet, ex eo, quod est, in id, quod non est, in nihilum nisi perpetua gratia fecerit, natura sua qualitate vertenda est.* Author de cognitione veræ vitæ cap. 7. *Omne, quod ex nihilo esse cæpit, in nihilum redigi poterit.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. thesauri cap. 2. *Omnia, quæ ex nihilo producta sunt, possunt etiam, si creator voluerit, ad, nihilum deuenire.* Et pauló post. *Etsi Angelus immortalis quædam res est, propter voluntatem, & gratiam Saluatoris, sed tamen quoniam ortum habuit, & esse cæpit, occidere quoque potest, & non esse. Nam quæ naturis præcipuè in sunt, ea respectu creatoris Dei, nihil sunt. Quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non Deo: sic & Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Solus enim Deus propriè immortalis est, qui naturaliter id habet; cætera per gratiam, vti creaturæ.* Lib. de recta fide ad Theodosium. *Deus quidem in bonis est, quæ commutari nequeunt, creatura autem sunt in conuersione, & mutatione, & in foribus habent corruptionem.* S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. *Ideo naturæ à Deo factæ proficere possunt, quia esse cæperunt, ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis; ad profectum vero pronebit operatio creatoris.* S. Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus, Dialogo de Manicheorum hæresi, & lib. 1. de fide cap. 3. *Entia creata omnino mutari queunt, quorum enim esse à mutatione incepit, ea mutationi prorsus subiacere, necesse est.* Et addit posteà. *Mutabilia igitur entia sunt omnino, quæ creata sunt.* lib. 2. cap. 3. *Omne creatum vertibile; solum autem increatum inuertibile.* Et inferiùs. *In mortalis Angelus non natura, sed gratia; nam omne, quod cepit, desinere suapte natura potest.* cap. 3. Physicæ *Quandoquidem igitur materia ex nihilo in ortum producta est, prorsus quoque perfectæ corruptioni subiecta sit, necesse est; etiam si alioqui optimus Deus opificium suum non in nihilum redigat, sed in præstantiorem potius statum immutet.* S. Epiphanus hæresi 76. *Quicquid habet principium; finem etiam habebit, si ei libuerit, qui ei, quod initium accepit, vt esset, tribuit.* Nicetas lib. 2. thesauri cap. 40: *Quicquid creatum ? idem & mutabile est. Increatum solum est immutabile* : : : *Quicquid cepit, idem & natura desinit, & ad interitum tendit.* S. Anastasius Synaita oratione

oratione 1. *Omne quod ex nihilo factum est, vim habet, vt ad nihilum rursus redeat.* Richardus de S. Victore lib. 1. de Trinitate cap. 4. *Omnia, quæ ceperunt esse ex tempore, pro beneplacito conditoris possibile est esse, possibile est non esse.* Digitum intendam sect. 6. in alios Patres, apud quos familiare est dictitare neque Angelos, neque animos rationales, neque cælos esse incorruptibiles, nisi ex gratia seu priuilegio Dei; & in hoc loquendi modo, vt minimùm significant, nullam creaturam talem esse, quam Deus nequeat destruere; Patrumque complurium verba, & rationes comprehendunt non solùm creaturas existentes, sed quascũque alias possibiles.

31 Stabilitur quartò etiam ex Patribus; nam S. Basilius in Psal. 114. scribit. *Omne compositum dissolui est aptum* S. Gregorius Nazianzenus. Oratione 2. de Theologia. *Eo ipso, quòd substantia coalescit, ex multis, non repugnat dissolui.* Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 28. inter opera S. Augustini: *Omne quod partibus constat, dissolui poterit.* Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitate cap. 17. *Quod ad ex pluribus compositum est, naturaliter* (id est quantùm ex se) *diuisibile*, est S. Anselmus c. 3. de Incarnatione verbi. *Omne compositum necesse est, aut intellectu posse disiungi, aut re ipsa.* Intellectu quidem si sit compositum metaphysicè; re ipsa si physicè sit compositum. Zacharias Mytilenensis lib. de mundi opificio: *Compositum omne ex natura sua est dissolubile.* S. Gregorius Taumaturgus, vel S. Maximus Martyr in disputat. de Anima, ad Tatianum. *Quod multarum est partium, diuisibile, ac dissolubile est.* S. Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animæ c. 17. *Quicquid partem habet, potest vtique diuidi.* Paræmia hæc videtur à Patribus deprompta ex Platonis Timæo, vbi habetur: *Omne colligatum solui potest.* Cum ergo Empyreum compositum sit ex materia, & forma substantialibus per se, & intrinsecè, non repugnabit disiungi hanc ab illa, siue vtraque siue neutra, siue alterutra manente in rerum natura; proindeque non repugnabit corrumpi substantialiter Empyreum. Adi Suarium lib. 1. de Essentia Dei cap. 4. n. 6. vbi exinde probat, Dei substantiam non esse realiter compositam, quia alioqui non esset omnino necessaria, & ita ab intrinseco immutabilis substantialiter, vt ex vi sui esse, implicet contra dictionem non esse; adducitque Nazianzeni exarata verba, & addit: *Quamuis Philosophi doceant, cæli substantiam esse incorruptibilem, licet composita sit ex materia, & forma.·.·.·. Nihilominus verissimum est per se, & intrinsecè non repugnare·.·.·. materiam, ac formam cæli disiungi, & partes integrales cæli diuidi:*

32 Stabilitur quintò ex ratione, quam exhibent S. Thomas 1. p. q. 9. ar. 2. in corpore, & iterùm, q. 104. art. 3. in corpore, Biel lectione 4. in canonem Missæ littera *R*, & quam præallegati Patres in n. 30. edocent conceptis verbis: Empyreum, & quæuis creatura eius esse debet conditionis, vt liberè à Deo producatur. Quare repugnat creatura, quæ mutationem de non esse ad esse exigat essentialiter, seu ad cuius ex nihilo productionem Deus essentialiter teneatur. Ergo Empyreum, & quæuis creatura cuius debet etiam esse conditionis, vt postquam producta est, conseruetur à Deo libere, seu cum potestate continuandi, & suspendendi conseruationem. Ergo repugnat; quòd Empyreum, & quæuis alia creatura essentialiter respuat mutationem de esse ad non esse, exigatque essentialiter sui à Deo manutenentiam in æternum. Antecedens videtur omnino certum, & fide catholica sanctum. Secunda consequentia legitimè infertur ex prima. Hæc verò probatur, tum ex perfectione Dei, tum ex imperfectione creaturæ. Ex perfectione quidem Dei, quasi ad eam spectat libertas, qua possit pro libito producere, & non producere Empyreum, & quamcumque creaturam, spectabit non minus libertas, qua possit pro libito conseruare, & non conseruare. Non absimiliter ex imperfectione creaturæ promptum tibi erit argumentari. Confirmatur rationis vis: actio, qua Deus primò produxit Empyreum est indistincta ab ea, qua conseruat. Si ergo in actione primo productiua sic Deus se debet gerere ob sui perfectionem, & imperfectionem Empyrei, vt pro priori sit absolutè indifferens indifferentia contradictionis ad actionem, & carentiam actionis: cur pari indifferentia non debebit gaudere pro priori ad eandem actionem vt conseruatiuam? Etsi aliquorum effectuum actio conseruatiua distincta sit à primo productiua diuina, vt quando Deus se solo conseruat ignem v. g. qui primò productus est, à Deo, & simul ab alio igne, non ideò titubat, sed potiùs inualescit confirmatio, Etenim si effectus creati prima productio quæ fit à Deo simul, & ab alia causa secunda, debet esse absolutè libera ipsi Deo, non minori, sed maiori in specie debebit esse sic libera eius effectus conseruatio, quæ solo à Deo fit. Confirmatur rursus: creatæ causæ è quarum perfectione est, producere liberè suos effectus, id etiam habent, vt eos conseruent liberè. Constat id in voluntate tam Angelica, quam humana. Nam actus, quos liberè producunt, liberè etiam conseruant. Ergo multò potius increata causa, è cuius perfectione est, producere liberè quemcumque effectum creatum, id etiam habebit, vt quemcumque postea libere conseruet. Alioqui respectu effectus, quem liberè productum non posset non conseruare Deus, gereret se imperfectiori modo in ratione causæ conseruantis, quàm voluntas Angelica, & humana, respectu actuum, quos liberè producunt, & deinceps liberè conseruant.

33 Ebulliunt hinc confirmationes aliæ. Nam Deo tribuenda est summa perfectio excogitabilis in ratione causæ cõseruantis, habito respectu ad quemcumque effectum creatum. Non tribuitur autem, si aliquem conseruet necessariò, quia in ordine ad talem effectum carebit perfectione, quam in ratione causæ conseruantis habet voluntas Angelica, vel humana erga suos actus liberos. Præterea non dignè cogitaretur de Deo, si aliquem effectum creatũ diceretur producere necessariò absolutè, & simpliciter, fieretque Deum, vt primo producentẽ effectũ & vt comparatum cum Angelica, vel humana voluntate primo producẽte liberè aliquos suos effectus superari ab ea imperfectione. Ergo pariter, &c. Insuper erga quamcumque creaturam, vt conseruandam debet adscribi Deo non minus perfectum dominium, quàm erga quamcũque vt primo producendam. Sed erga quamcumque vt primò producendam habet dominium quo possit primò producere, & non producere. Igitur erga quamcumq; vt conseruandam tale habebit dominiũ quo possit conseruare, & nõ conseruare. Et quidẽ nullius creaturæ prima productio fundare potest impotentiã destruendi à Deo. sed potiùs fũdare debet oppositã potentiam. Proprietatis enim diuinum dominium erga creaturas tam longe abesse debet à læsione ex productione, vt potiùs ex hac tanquam ex nouo titulo quasi compleatur, & perficiatur. Hinc Patres, & Theologi duo dominia erga creaturas deprædicant

deprædicant in Deo, alterum iurisdictionis, alterum proprietaris, & huius duos primarios titulos, nempe creationem, & conseruationem, quin libertati conseruationis præiudicet creatio. Lege Lessij de perfectionibus diuinis librum 10. qui totus est de Dominio Dei. Tandem si non repugnaret creatura indestructibilis essentialiter à Deo vix assignabis rationem, ob quam ea deberet dependere à Deo adæquatè, vel inadæquatè, vt à causa immediate conseruante; & saltem præclusus tibi esset aditus ad præcipuam rationem, qua ducuntur Theologi, tam prisci, quàm moderni. Vtrique enim rerum creatarum dependentiam immediatam à Deo in conseruari probant exinde præsertim quòd eas valeat in nihilum redigere. Alensis 2. p. quæst. 13. membro 4. discutiens in terminis, an repugnet creatura indestructibilis essentialiter à Deo, nostram resolutionem, cui fauet, sic confirmat; quia id, quod habet diuersam naturam à diuina, vti haberet quæuis creatura non ex se, sed ex nihilo est, & proinde non potest non esse simpliciter contingens, & potentiale, obnoxiumque mutationi de esse ad non esse. Noster Gillius lib. 2. commentationum Theologicarum tract. 8. c. 13. n. 6. Hanc Alensis confirmationem pulchrè adornat. Adiicere quis potest aliam confirmationem, quia non alia de causa dicunt Theologi cuncti, humanitatem Christi non potuisse vniri æternitati diuinæ, vt redderetur æterna à parte post, neque immortalitati diuinæ, vt redderetur omnino indefectibilis, quemadmodum vnitur subsistentiæ, & sanctitati diuinæ, vt reddatur subsistens, & sancta; non inquam, alia de causa, nisi quia alioqui vnio, ratione cuius humanitati communicarentur effectus formales æterni à parte post, & immortales, esset essentialiter æterna à parte post, & indestructibilis omnino; quod repugnare, vel vnioni hypostaticæ verbi cum humanitate, persuadent sibi omnes.

Peropportuna Corollaria.

34 EX veritate stabilita infertur primo contra Arriagam disp. 10. Physicorum à num. 17. disp. 15. à num. 64. repugnare substantiam creatam, quæ essentialiter se ipsa duret per vnum diem, aut horam. Nam sicut repugnat substantia ad cuius productionem in hac die, aut hora Deus necessariò teneatur, ita etiam illa alia: contra quam authoritates scripturæ, & Patrum, rationesque nostræ faciunt æquè, ac contra substantiam creatā durantem essentialiter se ipsa per totam æternitatem à parte post. Et prioris illius admissa possibilitate nequit consequenter negari huius posterioris possibilitas. Infertur secundò eisdem de causis contra eundem Arriagam, repugnare indiuisibilem durationem creatam, distinctam adæquatè à re durante, affixam essentialiter spatio vnius diei, aut horæ. Vnde laudanda est ingenuitas præfati authoris, qui Theologum agens tom. 2. in 1. part. d. 2. num. 6. retractauit scripta antea in Philosophicis. *Sicut enim laudabile est à vera sententia non moueri, ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare, vt aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa, succedat.* Quæ sunt S. Augustini verba lib. 3. aduersus Cresconium cap. 3. Infertur tertiò contra aliquos recentiores in manuscriptis, si Angelus produceretur à Deo in æternitate, non duraturum in hac per modum indiuisibilem durationis; quia alioquin hic modus esset indestructibilis essentialiter à Deo in tota æternitate à parte ante. Duraret ergo Angelus vel per durationes successiuas, vt tenrat Arriaga dist. 17. Physicorum à num. 12. vel per coëxistentiam sui cum æternitate, vt censent, qui non agnoscunt modum distinctum ad rei creatæ permanentiam, siue in æternitate, siue in tempore. Durationes illæ successiuæ in æternitate, nescio quàm consequenter defendantur possibiles ab Arriaga, cum ipse paulò antea tradidisset, repugnare ens ab æterno successiuum.

35 Sed vertes in me tela nam Angelus, quem admitto posse à Deo produci in æternitate, foret indestructibilis à Deo in tota ea æternitate. Respondeo, non fore ex se, & essentialiter indestructibilem, sed tantùm per accidens, ex suppositione scilicet decreti diuini efficacis de eius productione, & conseruatione in æternitate, & per æternitatem; quod decretum non exigeretur ab ipso Angelo ex se, & essentialiter. Replicabis, impotentia destruendi in æternitate Angelū, qui in ea esset productus, nihil incommodi importaret, quia esset ex suppositione Deo libera de ipsius productione in æternitate. Ergo idem censendum est de impotentia destruendi in tempore Angelum, qui in eo sit productus, & qui peteret essentialiter durare in æternum, siquidem hæc etiam impotentia erit ex suppositione Deo libera de productione Angeli in tempore. Respondeo, toto cælo distare vnam impotentiam ab alia; nam prior impotentia non fundatur in exigentia vlla essentiali Angeli, sed præcisè in suppositione consequenti diuinæ voluntatis, quæ eo ipso, quod decernat producere Angelum in æternitate; non potest non decernere eiusdem in æternitate conseruationem. Cæterùm posterior impotentia fundaretur saltem ex parte in Angelo exigente essentialiter decretum diuinum de conseruatione sui. Deus autem, sicut non potest necessitari ad decretum de productione prima alicuius creaturæ? ita neque ad decretum de alicuius conseruatione. Et non satis est ad perfectionem Dei libertas in prima productione creaturæ, sed vlterius opus est libertas in conseruatione, ita vt creatura, iure suo essentiali, non adigat Deum ad conseruationem sui. Aduerterimq; si non repugnaret Angelus indestructibilis essentialiter, fore, vt ante omne decretum liberum competeret essentialiter Deo, non posse producere talem Angelum, nisi vt duraret in æternum. Ea verò impotentia essentialis in Deo tam est absurda, quàm esset absurda impotentia essentialis in eodem Deo ad producendum Angelum nisi in æternitate, aut nisi in hoc determinato instanti nostri temporis. Et tam est repugnans Angelus, cuius essentia, si producatur in vno instanti, petat necessariò durare in sequentibus; quàm est repugnans Angelus, cuius essentia, si producenda sit, exigat necessario produci in æternitate, aut in aliquo determinato nostri temporis instanti. Ex quo amplius elucescit, impotentiam Dei ad destruendum Angelum in æternitate à parte ante vel per æternitatem à parte post, ex suppositione quòd voluerit libere creare in æternitate, vel creatum in tempore conseruare liberè per æternitatem, discordare summoperè ab impotentia Dei ad destruendum illum alium Angelum potentem essentialiter durare in æternum.

36 Infertur quartò contra Martinonum dist. 6. de

de Deo sect. 1. num. 10. sect. 3. num. 34. repugnare actum Angelicum, vel humanum supernaturalis fidei, proindeque essentialiter verum, qui siue productus ab æterno, siue in tempore reflectens supra se enuntiaret: *Ego nunquam mutabor, ego æternitati diuinæ à parte ante, vel à parte post semper coexistam.* Etenim talis actus esset essentialiter indestructibilis à Deo per æternitatem vel à parte ante, vel à parte post: propterea que non minus repugnat, quam actus enuntians de se cum veritate essentiali: *Ego producor ab æterno, vel ego producor in hoc determinato instanti.* Infertur quintò ob dicta in numer. 34. contra Arriagam, repugnare cognitionem creatam essentialiter veram, quæ affirmet, se duraturam per duo tantùm instantia. Infertur sextò; contra Martinonum d. 10. de Incarnatione sect. 3. à num. 27. vsque ad 30. & contra Modernos aliquos in manuscriptis visionem Dei beantem permanenter Angelos, & homines non esse essentialiter indestructibilem à Deo. Ita communiter Theologi 1. 2. quæst. 5. artic. 4. quo loci ait Salas tract. 2. dist. 11. sect. 2. numer. 4. *Supponimus, non ita esse perpetuam visionem, postquam producta est, vt nec de potentia absoluta possit corrumpi; sic enim solus Deus est perpetuus, & incorruptibilis: omnes autem creaturæ sunt corruptibiles.* Præterea Eminentissimus Lugus dist. 19. de Incarnatione sect. 1. num. 18. tentans varia, vt conciliet visionis destructibilitatem cum notitia Beati de eius æterna duratione. Franciscus Amicus tomo 6. dist. 19. de Incarnatione num. 28. dicens, Dei visionem, quà est visio Dei, posse destrui, non verò quà est beata, quia sic inuoluit decretum diuinum actu manifestatum Beato, de perennitate visionis. Sed cum iuxta ipsum Amicum tom. 3. disput. 2. de vltimo fine num. 243. Visio Dei indiuisibiliter attingat Deum, & decretum diuinum de conseruatione sui, idque cum essentiali veritate, non bene percipio istius Authoris conciliationem. Nonnulli Neoterici non audentes concedere creaturam, quæ ratione suæ perfectionis sit indestructibilis à Deo, tamen visionem Dei, & alios actus intellectuales intrepidè admittunt indestructibiles ratione intentionalis veritatis essentialis. Reiiciendi sunt primò, quia in actibus intellectualibus creatis essentialis veritas est perfectio. Et vel est perfectio maior, vel minor, quàm quæ reperitur in ente creato non intentionali? Si maior, ergo ex perfectionis capite magis repugnabit in actu intentionali indestructibilitas essentialis. Si minor, ergo Deus, qui potest absolutè destruere quodcumque ens creatum non intentionale, poterit multo potius euertere ens intentionale ignobilius, siquidem minor perfectio entis intentionalis potius deseruiat ad ruinæ subeundæ, quàm arcendæ possibilitatem. Secundò quia scripturæ, & Patrum testimonia loquuntur generaliter de omni creatura. Tertiò, quia simili iure possent dicere, non repugnare actus intellectuales creatos, qui ratione intentionalis veritatis essentialiter exigerent produci à Deo in æternitate, vel in aliquo determinato instanti nostri temporis; & qui exigerent essentialiter, vt si destruerentur, reproducerentur postea. Possent etiam dicere, non repugnare lumen gloriæ, quod ob essentialem connexionem cum actu essentialiter vero affirmante de ipso perennaturum in æternum, esset omnino indestructibile à Deo. Certè quod Beatus debeat habere notitiam de æterna duratione suæ visionis, vt si securus omnino sit, non fuit sufficiens motiuum ad asserendam ipsam visionem essentialiter indestructibilem. Non enim opus est, vt visio reflectens supra se enunciet cum essentiali veritate æternam sui durationem; sed satis est, si per aliam cognitionem distinctam pertinentem ad constitutiuum, vel complementum integrale beatitudinis, & supponentem pro priori naturæ visionem, cognoscat, & affirmet beatus cum euidentia, cum essentiali veritate & cum reflexione secundæ cognitionis supra se æternam durationem ipsius visionis non postulantis, nisi naturaliter tantùm secundam hanc cognitionem. Sic iuxta plures beatitudo constituitur, vel impletur integraliter per amorem Dei, per peccati habitualis carentiam, quin visio connectatur essentialiter secundum se cum amore; cum neq; carentia peccati habitualis. Et secundùm omnes beatitudo in statu connaturali constituitur, vel completur integraliter per carentiam actualis tristitiæ, & doloris. Si hoc modo (vt omittam alios satis familiares inter Theologos) declaretur notitia Beati de perennitate visionis, euitatur huius indestructibilitas essentialis, siquidem visio erit ex se destructibilis à Deo non minus, quàm Angelus de facto existens, quem conseruare in æternum decreuit Deus, quemque videt duraturum in æternum. Sed inquies, fore, vt Deus non posset destruere visionem ex suppositione saltem secundæ cognitionis. Respondeo, hanc impotentiam esse omnino consequentem, nimirum ex duplici suppositione omnino Deo libera. Alia productæ visionis, alia productæ secundæ cognitionis, quin visio postulauerit essentialiter secundam cognitionem, & quin alio titulo Deus coactus fuerit ad productionem secundæ cognitionis. Et licet producta secunda cognitione in primo instanti beatitudinis, nequeat Deus in secundo instanti destruere visionem, potuisset tamen in primo, neque visionem neque secundam cognitionem producere; & in secundo habet tantum impotentiam destruendæ visionis prouenientem ex exercitio suæ potentiæ, & libertatis; qualem habet postquam per fidem diuinam innotesceret alicui homini, vel Angelo in vno instanti decretum Dei de producenda creatura aliqua in sequente instanti; qualem inquam, habet, ad impediendam productionem talis creaturæ. Nam vtraque impotentia fundatur præcisè in decreto libero diuino manifestato de conseruanda visione, & producenda ea creatura.

Occurritur duplici obiectioni.

37 Restant duo non contemnenda argumenta aduersus veritatem hactenus sancitam. Primum, complures sunt entitates creatæ, ad quarum productionem primam, vel conseruationem tenetur essentialiter Deus, si semel liberè produxerit primò, vel conseruarit alias naturæ prioritate anteriores. Cur ergo repugnabit creatura, ad cuius continuatam productionem teneatur essentialiter Deus, si semel liberè ipsam de non esse reuocauerit. Antecedens probatur multis exemplis. Nam in plurium sententia non potest Deus producta materia prima non producere formam substantialem, & producto Angelo non potest non producere

re durationem; vbicationem, subsistentiam. Responderi potest primò, admittendo antecedens quatenus non repugnat Deum ex productione vnius entitatis teneri essentialiter ad productionem alterius, ita tamen vt nulla singulariter, & indeterminatè sit assignabilis, ad quam teneatur. Nam hoc pacto respectu cuiuslibet in particulari habebit libertatem, & dominium, quoad productionem & conseruationem. Ast si possibilis esset Angelus essentialiter indestructibilis, teneretur Deus ad eius in particulari conseruationem. Discrimen istud, etsi minuat, non tamen penitus eleuat vim argumenti. Et dicent aduersarij; cur impossibilis erit creatura, quæ sui, vel alterius conseruationem exigat essentialiter? Addent, posita actione creatiua, vel generatiua impediri non posse à Deo existentiam effectus determinati, & singularis; quem prioritate naturæ præcedit actio. Responderi secundò potest negando antecedens cum Moncæo in selectis d.1. cap. 8. & cum Meratio tract. de Angelis disp. 15. sect. 1. quibus in locis statuunt vniuersim, debere, quicquid est posterius, impediri posse, absoluta saltem Dei virtute, posito priori in rerum natura. Et suadent primò, quia nisi hoc principium sit verum, deerit ratio ad probandum, posse corpus Christi habere in Eucharistia totam suam quantitatem sine vlla extensione locali. Suadent secundò, quia quod est prius alio, eique præsupponitur tanquam iam constitutum, & existens, non potest secundùm id præcise, quo prius est, dependere à posteriori, alioquin esset prius, & non prius. Si autem prius secundùm id, quod est prius, non potest à posteriori dependere, neque poterit exigere habere istud posterius tanquam quid omnino necessarium ad hoc vt sit secundùm illam rationem, qua prius est. Sed si non exigit, quid obstare potest, ne valeat poni prius illud, posteriori isto non posito? Quæ ratio efficax est non solum de posteriori singulariter, & determinatè, sed vagè, & indeterminatè spectato. Suaderi tertiò potest, quia cum ei, *qui non condidit, nulla sit in id, quod conditum non est, potestas*, vti sapienter ait S. Iustinus in 1. oratione cohortatoria ad Græcos; ideo Deo tribuitur immediatus concursus simul cum qualibet causa secunda in quemlibet eius effectum, vt mera sui concursus negatione, vel suspensione queat impedire existentiam, vel conseruationem cuiuscumque effectus creati. Id enim pertinet ad perfectissimum Dei dominium erga creaturas. Sed si Angelus v.g. habeat essentialem connexionem, cum productione alicuius vbicationis, non poterit Deus per meram negationem, vel suspensionem sui concursus impedire existentiam, vel conseruationem omnium vbicationum illius: debebit namque aut destruere Angelum, aut concurrere ad productionem, vel conseruationem alicuius vbicationis. Ergo. Quartò illustrari potest ex S. Basilio homilia 6. in Examеron, vbi contendens, impossibile non fuisse Deo producere, & conseruare lucem initio orbis tribus diebus ante solem, inquit: *Itaque ne mihi dixeris, fieri hac non posse, vt lux à corpore solis separetur. Neque enim ego lucis à solis corpore separationem mihi, aut tibi possibilem esse dico: sed asserendum esse censeo, qua mentis sola cogitatione, cogitatione que disparari possunt, ea reipsa seiungi posse facultate creatoris vtriusque naturæ.* Germana alia legere licebit: apud Sanctum Cæsarium Fratrem Sancti Gregorij Nazianzeni dialogo 1. Procopium Gazeum in cap. 1. Genesis vers. 14. Si obiciatur, constituta actione pro priori non posse à Deo pro posteriori cohiberi existentiam termini. Occurrit Monzæus inquiens; mirum non esse, siquidem actio habeat essentialem habitudinem ad terminum. Sed non satisfacit; nam aduersarij habitudinem etiam essentialem contendunt in Angelo ad aliquam vbicationem vagè, & indeterminatè, & similiter in materia ad hanc, vel illam formam substantialem; quæ habitudo laxior est, quàm quæ datur in actione ad terminum singularem, & determinatum. Melius diceretur, actionem esse exercitium actuale diuinæ omnipotentiæ erga terminum, & esse viam ipsius termini. Quamobrem sicut non est contra perfectionem Dei, quod terminum in instanti, in quo producitur, non possit impedire vt iam existentem in facto esse pro posteriori signo naturæ, sic neque erit contra eiusdem perfectionem, quod non possit impedire, vt iam existentem pro priori signo naturæ in exercitio actuali diuinæ omnipotentiæ, & in via ipsius termini ratione actionis: *cuius vis tota in faciendo est.* Vt docet S. Damascenus cap. 8. Institutionum. Dum itaque hanc ponere, & non ponere sit Deo liberum, nihil aliud requiretur. Si rursus obiiciatur, habere albedinem, aut carentiam illius est posterius ad hominem v.g. qui tamen aliqua ex eis, neque diuinitus carere potest. Respondebitur, carentiam albedinis non esse exercitium positiuum diuinæ omnipotentiæ, ac libertatis; est principium Moncæi, ac Meratij, intelligendum de posteriori, quod sit quid positiuum, & non oppositū contradictoriè formaliter alteri posteriori. Vnde Petrus, exempli causa, poterit simul carere albedine & nigredine & simul vtrãque habere, non tamen poterit, si non afficitur albedine, non habere eius carentiam, neque quibit non habere albedinem, si non afficitur eius carentia; neque item valebit pariter habere albedinem, carentiamque illius. Nonnulli Neothetici, ne Deus essentialiter connectatur cum existentia creaturæ, vel eius carentia, quarum vtraque sit ens essentialiter imperfectum, respuunt carentias, quæ distinctæ sunt à nolitionibus diuinis existentiarum creaturarum; sed hæc paradoxa sunt, & essentialis connexio Dei cum volitione, vel nolitione existentiæ albedinis esset æquè contra perfectionem diuinam, ac supponitur à Modernis fore connexionem cum albedine, vel eius carentia distincta à nolitione Dei, sicut connexio cum volitione albedinis vel nolitione nigredinis argueret tantam imperfectionem, quantam connexio cum existentia vel albedinis, vel nigredinis. Præhabita priori responsione.

38 Amplector illud principium, & independenter à præsenti puncto repudiantur à me exempla in antecedentis probationem allata; & quoad durationem attinet, vel ea non distinguitur à creatura, & in instanti coëxistenti, vel si distinguitur, poterit creatura existere, quin formaliter, & positiuè duret, impediente Deo durationem per potestatem absolutam. De vbicatione nonnihil dixi numer. 49. exercitationis proximæ. Et materiam primam sine forma substantiali, substantiamque sine subsistentia posse diuinitus existere, celebres sunt multorum sententiæ. Sed non dissimulabo rationes. Moncæi, & Meratij pro illo principio non esse admodum vrgentes. Nam prima, vt non probat, posse

corpus Christi existere sine omni vbicatione tam circumscripta, quàm definitiua (hanc habet in Eucharistia) sic neq; probat, posse quidquid deest posterius, impediri potestate Dei absoluta, posito priori in rerum natura. Et ad defendendam existentiam corporis Christi in Eucharistia sine vbicatione circumscriptiua seu extentione locali, non est opus veritate vniuersali illius principij; satis est, nullam apparere repugnantiam in doctrina fidei de existentia corporis Christi sub speciebus sacramentalibus absque præsentia vnius partis extra aliam. Secunda ratio peccat ab excessu, cum æquè faciat contra dependentiam naturalem à posteriori aliquo, & comitante; à posteriori quidem, qualem habet materia prima à quantitate; à comitante verò, qualem habet indiuisibile copulatiuum, si non sit vnio, à partibus, vel punctis continui. Procedit etiam ex æquiuocatione quadam, quia dependentia sine essentialis, siue naturalis in aliquo priori ab alio posteriori non est dependentia, vt à causa, sed vt ab effectu, ideoque melius vocabitur cõnexio alicuius prioris cũ alio posteriori, vt sui cõplemento, vel perfectione, siue intrinseca, siue extrinseca. Ratio tertia à nobis addita plausibilis quidem erit apud eos, qui contra Durandum, Aureolum, Ludouicumque Bereur Dolanum, ea vtuntur, vt euincant coucursum immediatum Dei cum causis secundis in effectus ipsarum. Sunt tamen multi moderni; qui eam repudiant, & aliis fidunt. Nam si immediatus Dei concursus cum causis secundis, non ex alio titulo esset, quàm vt Deus posset immediatè impedire existentiam, vel conseruationem effectuum prodeuntium á causis secundis, aiunt, deficere titulum illum, vt Deus per modum causæ primæ, & vniuersalis concurrat cum intellectu Angelico, vel humano, & lumine gloriæ ad visionem beatam; haberet namque immediatam facultatem impediendi visionem per subtractionem concursus obiectiui, quem vt causa particularis in ipsam exhibet, etiamsi vt causa prima, & vniuersalis aliunde non concurreret. Cum ergo in visionem concedendus sit Deo influxus per modum causæ primæ, & vniuersalis, non secus ac in alios effectus, concludunt, influxum per modum causæ primæ, & vniuersalis, simultaneumque cum causis secundis, in quoslibet earum effectus, concursum adscribendum Deo contra Durandum ob alios titulos, & rationes. Quarta denique à nobis adiecta ex authoritate S. Basilij valet, vt probetur, euitandum esse, quantùm fieri possit, sic cogitare effectum creatum connexum cum sui causa creata, vel è conuerso, vt neque diuinitus possint seorsim, ac diuisim existere. Sed nihilominus vt sunt aliqui effectus, qui sine causis creatis nequeunt diuinitus existere, aut conseruari, quales sunt modales: ita dicent aduersarij, dari causas, quæ nequeant existere, aut conseruari diuinitus, absque effectibus creatis aliquibus.

39 Secundum, quod restat argumentum, est huiuscemodi. Non repugnat actus, qui eum essentiali veritate enuntiet & de se. *Ergo non durabit nisi in hoc vnico instanti*, Talem actum non poterit Deus conseruare in duplici instanti. Quin imo de facto entitatem durationis, qua ego duro in præsenti instanti, nequit Deus conseruare in sequenti. Et penes Cardinalem de Lugo d.19. de Incarnatione S.1. num.20. identificantem perceptiones, appetitionesque creatas cum actione ipsarum productiua, hancque cum duratione, nulla erit perceptio, aut appetitio creata, quam Deus vltra vnum instans possit retinere in rerum natura. Si ergo non repugnant entitates creatæ, quæ essentialiter renuant sui à Deo conseruationi, neque repugnabunt aliæ, quæ eam essantialiter postulent. Respondeo primò, ex præfato actu, & duratione non rectè argui ad creaturam essentialiter indestructibilem à Deo. Nam creatura, si sit conseruabilis, debet esse conseruabilis liberè à Deo ob nostra argumenta. Ast neque actus ille, neque duratio supponuntur conseruabiles. Quare non est necesse, vt Deus gaudeat libertate, quoad conseruationem, & non conseruationem eorum. Sic erga ea, quæ sunt producibilia, debet Deus gaudere libertate; non autem circa ea, quæ sunt improducibilia, vt chimeræ. Respondeo secundò, impossibilem esse actum illum, non secus ac qui de se diceret cum essentiali veritate. *Ego producor in hoc instanti determinato:* & durationem non distingui à re creata durante, & instanti coexistente probari ab aliquibus, ne detur entitas creata; cuius continuata existentia non sit in potestate Dei. Adduntque alij, repugnare actum illum, & durationem distinctam, quia alioqui exigerent sui destructionem, sed viam ad euitandum in actu saltem illo id inconueniens ostendit Ripalda tomo 2. de ente supernaturali lib.5. disp.104. sect. 4. num.30. Possibilis permanentia nostrarum cognitionum non tantùm diuinitus, verùm etiam naturaliter, traditur à S. Augustino tract. 1. super Ioannem his verbis, *Quid est ergo illud in corde tuo, quando cogitas quandam substantiam viuam perpetuam, omnipotentem, infinitam, vbique præsentem, nusquam melusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo in corde tuo. Nunquid autem hoc est sonus ille, qui quatuor literris constat, & duabus syllabis? Ergo quacumque dicuntur; & transierint, soni sunt, litteræ sunt, syllabæ sunt. Hoc verbum transit, sonat. Quod autẽ significauit sonus, & in cogitante est, qui dixit, & in intelligente est, qui audiuit, manet hoc transeuntibus sonis.* Sic S. Augustinus, ob cuius authoritatem repudiari debet identificatio adæquata nostrarum cognitionum cum duratione essentialiter successiua; vt alia impugnatis capita dissimulem, præcipuè ex visione beatifica Angelica, atque humana, quæ docente eodem S. Augustino lib.15. de Trinitate cap.16. *Volubilis non est ab alia in aliam iens, atque rediens, & qua nulla vice variatur*, vt ipsemet S. Doctor inquit l.12. Confessionum cap.11. quæque *postquam inchoata fuerit:::: sine aliqua intermissione, seu euacuatione:::: continuata existet, & continuabitur:::vsque in sempiternum*, vt dicit Summus Pontifex Benedictus XII. in Extrauaganti, de qua copiosissimè agam in exerc.21. quamuis verò vnus actus visionis beatificæ succedat immediatè alteri absque interruptione; verba tamen Pontificis indicare videntur continuationem eiusdem actus. Vtinam Eminentissimus Cardinalis de Lugo primam suæ Theologiæ partem, quàm cuncti expetunt, proferret in lucem, ibi enim authoritatis propositæ explicationem disceremus ab vniuersali Magistro, & nostræ ætatis Clarissimo Theologo.

SECTIO

SECTIO V.

Ad sectionem IV. Appendix, in qua tractatur, an sicut repugnat entitas creata, ex cuius productione teneatur omnino Deus ad productionem alterius, ita etiam impossibilis sit creatura, cuius productio prorsus obliget Deum ad aliûs destructionem.

40 ACutissimi. Recentiores doctrinam traditam in sect. 4. sic, dum contra nos publicè disputarent, impetierunt. Potest Deus ex productione vnius entitatis creatæ omnino adstringi ad destructionem alterius, vt ex productione gratiæ habitualis in natura rationali ad destructionem peccati læthalis actualis. Ergo & potest ex productione vnius entitatis creatæ prorsus teneri ad alterius productionem. Nam si non est alienum à perfectione, dominio, & libertate Dei, vt ex suppositione suæ determinationis liberæ ad effectionem vnius creaturæ debeat destruere aliam, cur alienum erit, vt debeat aliam efficere. Hæc obiectio occasionem nobis attulit expromendi id, ad quod iam dudum inclinabamus animum, scilicet nullam rem creatam incompossibilem esse cum alia sibi contraria, si habeatur respectus ad potentiam Dei absolutam: ex quo principio aliquando defendimus gratiam habitualem, & peccatum mortale actuale posse diuinitus componi. Liber hic cum bona lectoris gratia nostrum fundamentum producere in medium, & emersuras difficultates nonnullas præocupare, ne Recentiorum obiectio pluris habeatur, quàm par est, & ne sectionis 4. doctrina nutet, argumento tam in speciem valido impetita.

41 En itaque fundamentum nostrum. Nullum est ens creatum, cuius contradictorium sit impossibile absolutè, & simpliciter. Ergo similiter nullum erit, cum quo sit incompossibile omnino suum contrarium. Vt enim impossibilitas contradictorij arguit summam, & infinitam necessitatem existendi habitam ab entitate, cuius contradictorium est impossibile, ita incompossibilitas omnimoda cum suo contrario argueret summam, & infinitam vim resistendi in entitate, cuius contrarium sit prorsus incompossibile cum ipsa. Tunc sic: gratia habitualis, & peccatum lethale actuale (quod suppono consistere in positiuo) sunt entitates creatæ, & oppositæ contrariè, vel quasi contrariè. Ergo quemadmodùm earum contradictoria nequeunt esse impossibilia, sic nec ipsæ inter se possunt esse omnino incompossibiles. Confirmatur vis argumenti. Nullum est ens creatum, quod, si habeat contrarium, sit indestructibile essentialiter ab ipso; id enim argueret summam, & infinitam resistentiam. Ergo pariter nullum erit ens creatum, quod cum suo contrario sit essentialiter infæderabile, nam & id etiam argueret summam, & infinitam resistentiam. Declaratur exemplo humanitatis Christi Domini sanctificatæ infinitè per gratiam vnionis hypostaticæ ad Verbum diuinum. Etenim vnionis gratia, quia est infinita, neque potest componi cum peccato, neque potest per illud amitti, vt supponendum est pro præsenti difficultate; nec ab aduersariis negatur. Et quidem aduersarij, dum disquirunt, an cum gratia vnionis possit diuinitus componi peccatum? Respondent, non posse componi, quia ea gratia est infinita; & hæc est optima ratio, etiam, si ipsi alias assignent communes, tam gratiæ vnionis quàm gratiæ habitualis. Cùm ergo neque gratia habitualis, neque peccatum habeant infinitudinem per essentiam, & sint entitates contrariæ, vel quasi contrariæ, sequitur, posse diuinitus conuenire simul.

42 Dices primò, volitionis liberæ diuinæ non est impossibile contradictorium. Ergo falsò à nobis asseritur proprium esse entis infiniti, vt eius contradictorium sit impossibile. Vrgetur obiectio; etsi volitionis liberæ diuinæ non sit impossibile contradictorium, tamen ea est incompossibilis essentialiter cum nolitione libera diuina eiusdem obiecti habente se vt contraria respectu illius volitionis. Ergo non benè infertur omnem entitatem, cuius contradictorium est possibile, esse etiam compossibilem cum sui contrario. Promouetur obiectio; non est impossibile contradictorium gratiæ vnionis hypostaticæ; & nihilominus gratiæ vnionis hypostaticæ contrarium, quod est peccatum habet essentialem incompossibilitatem cum ipsa gratia vnionis hypostaticæ. Ergo non rectè infertur, &c.

43 Respondeo permittens, possibile esse contradictorium formaliter volitionis liberæ diuinæ; nam fortè solum possibile est contradictorium virtualiter, id est, nolitio libera diuina eiusdem obiecti. Respondeo, inquam, volitionem liberam diuinam (quicquid sit an gaudeat perfectione infinita) non facere impossibile suum contradictorium, siue formale siue virtuale; alioqui ea volitio non esset quidpiam contingens. Verumtamen ad nostram rationem sufficere, si omne & solum ens necessarium infinitum faciat impossibile suum contradictorium, licet detur aliqua formalitas infinita, sed non necessaria, quæ non faciat impossibile suum contradictorium. Ad primam confirmationem permitto, volitionis diuinæ liberæ non esse impossibile contradictorium formale, & fateor, ipsammet volitionem esse incompossibilem essentialiter cum nolitione libera diuina eiusdemmet obiecti ob eandem ferè rationem, ob quam inferiùs adstruam incompossibilem esse essentialiter effectum formalem creati amoris cum effectu formali odij respectu eiusdm obiecti in voluntate creata. Vnde admetto integrum confirmationis primæ antecedens; & ad consequentiam dico, intendi solummodò à me entitatem, cuius contradictorinm sit possibile, debere esse compossibilem cum contrario, quod habeat, nisi vtraque entitas non posset non communicare, eo ipso, quod existeret, suum effectum, vel quasi effectum formalem, quorum vnus inuoluat essentialiter carentiam alterius. Explicabitur id posteà. Ad secundam confirmationem concedo, non esse impossibile contradictorium gratiæ vnionis hypostaticæ; concedo etiam hanc gratiam componi nequaquam posse cum peccato siue lethali, siue veniali. Quare consentio maiori, ac minori confirmationis; & ad consequentiam aio, me non sic argnmentari; omnis entitas, quæ non facit impossibile suum contradictorium, debet facere eo ipso compossibile suum contrarium. Aliter namque argumentor, sic nimitùm; in entitate faciente impossibile suum contradictoriumi non potest non dari infinita necessitas existendi. Ergo in entitate faciente incompossibile suum contrarium, non potest non dari infinita resistentia. Vnde consequentia non

eneruatur, sed potiùs roboratur exemplo gratiæ vnionis hypostaticæ, vt visum est supra.

Dices secundò: gratia habitualis potest naturaliter expelli per peccatum lethale, & hoc vicissim per illam. Ergo sitam debilem habent resistentiam, vt possint mutuò se vincere naturaliter; habebunt etiam tam tenuem vt queãt vnâ fœderati naturaliter, vel certè ratio resistentiæ à nobis proposita vires nullas continebit. Respondeo, multa, quæ non possunt simul naturaliter coniungi: expellere se quam facillimè. Gratia vincitur per peccatum, quia eam Deus subiecit vsui nostri liberi arbitrij. Peccatum vincitur per gratiam, quia Deus applicat suam omnipotentiam ad productionem gratiæ, non obstante resistentia peccati. Et licet præfata applicatio sit miraculosa, tamen peccatum dicitur expelli naturaliter per gratiam, quatenus Deus decreuit producere hanc existentibus talibus dispositionibus in homine, qui peccauit. Sed vt notaui, productio gratiæ est miraculosum valde opus, & solius omnipotentiæ diuinæ operantis absque vllo debito naturali imò vtentis summa & infinita indulgentia, ac misericordia, in productione gratiæ, cuius productione miraculosa posita; sequitur naturaliter destructio peccati. Et in hoc etiam sensu potest asseri peccatum expelli naturaliter per gratiam. Ast quo ad simultatem gratiæ; & peccati Deus non subiecit gratiam vsui nostri liberi arbitrij. Resistit ergo gratia simultati peccati; sed non tam validè, vt eius resistentia nequeat superari de potentia absoluta.

45 Dices tertiò, peccatum lethale etsi sit infinitæ malitiæ, potest non tantùm diuinitùs, sed etiam naturaliter deturbari per gratiam habitualem. Ergo perperàm à nobis deducitur, gratiam habitualem fore infinitam secundùm essentiam, si non posset, aut expelli per peccatum, aut cum peccato componi diuinitùs. Respondeo, peccatum lethale esse infinitæ malitiæ, quatenus vt summùm nulla pura creatura potest condignè satisfacere pro eo, & quatenus nullum est assignabile pro ipso supplicium, quo maius aliud non mereatur. At non est infinitæ malitiæ secundùm essentiam. Replicabis, saltem peccatum lethale habet maiorem malitiam, quam habeat gratia habitualis bonitatem. Et tamen per gratiam potest vinci peccatum lethale. Contra, quia magna resistentia, quæ datur in peccato lethali, vincitur per bonitatem diuinam infinitam, vel applicantem suam omnipotentiam ad productionem gratiæ habitualis, ita vt gratia vincat formaliter peccatum lethale, & omnipotentia vincat actiuè, vel condonantem extrinsecè peccatum, sine infusione gratiæ habitualis. Loquor in casu, quo expellitur habituale peccatum. Cæterum dum in præsentia peccati siue actualis, siue habitualis coexistit diuinitus gratia, vincitur etiam à Deo resistentia peccati.

46 Dices quartò, Possibilis est gratia habitualis infinitè intensa Ergo si nostra ratio quicquam valet erit incompossibilis essentialiter talis gratia cum peccato mortali sui contrario. Respondeo, gratiam habitualem infinitè intensam, non esse infinitam simpliciter, atque absoluiè; ideoque communicatam animæ non habere, neque exigere infinitam resistentiam ad peccatum; & proinde vinci posse per peccatum, componique cum illo. Replicabis, gratia vnionis hypostaticæ non est infinita simpliciter: ergo poterit vinci per peccatum & cum illo coniungi, vti potest gratiæ habitualis infinitè intensa. Contra, nam quamuis modus participandi gratiam vnionis hypostaticæ non sit infinitus simpliciter, sanctitas tamen participata mediante illa, est infinita simpliciter. Porrò gratia habitualis infinitè intensa ne participaretur modo simpliciter infinito, nec ipsa in se esset simpliciter infinita. Ex quo patet disparitas.

47 Dices quintò, visio beata habita ab homine, vel Angelo nec stare simul potest cum peccato, nec per illud deperdi, quin sit infinita. Ergo non sequeretur; gratiam habitualem esse infinitam, si cum peccato lethali nequiret componi de potentia absoluta. Respondeo, visionem beatam non posse stare cum peccato actuali: etiam veniali neque posse deperdi, per peccatum, quicquid sit, num habeat rationem formæ sanctificantis: nam vtraque ea impossibilitas prouenit ex tendentia intentionali propria visionis beatæ declarata in n. 26. Replicabis: non repugnat sanctitas creata indistincta ab actu effectiuo, videlicet à dilectione Dei. Ergo saltem talis gratia erit incompossibilis essentialiter cum omni peccato, saltem actuali lethali, si in actibus intentionalibus, aut affectiuis nostra ratio non militet, vt videtur non debere militare; si quidem actus intentionales, aut effectiui contrarij non concedantur à nobis posse diuinitus componi, si velimus parere communi sententiæ. Contra, si dilectio Dei super omnia, aut contritio sit forma sanctificans, aut si non repugnet dari aliquam dilectionem, vel contritionem, quæ sint formæ sanctificantes, talem sanctitatem fore incompossibilem essentialiter cum peccato lethali actuali, naturaliterque saltem cum peccato habituali, admittendum est; at priorem incompossibilitatem habebit non ratione sanctitatis creatæ, sed ratione tendentiæ affectiuæ. Quapropter naturalis dilectio Dei super omnia gaudebit incompossibilitate eadem cum peccato lethali actuali, quamuis fatendum sit, hanc naturalem dilectionem nullatenus esse formam sanctificantem. Præterea attritio de peccato generaliter propter turpitudinem peccati esset incompossibilis essentiater cum peccato actuali etiam veniali, & tamen talis attritio estò supernaturalis foret, neutiquam accederet ad gradum formæ sanctificantis. Non nihil restat difficultatis in argumento 5. & in replica, sed exantlabitur postmodum.

48 Dices sextò, forma cadauerica, & forma vitalis nequeunt conuenire etiam diuinitus, nihilominus sunt entitates, quarum contradictoria non sunt impossibilia, & quæ haud quaquam infinitæ sunt. Ergo nostra ratio non obstat, quominus gratia, & peccatum componi queant, diuinitus. Sed omisso, formam cadauericam putari fictitiam ab Ægidio de Conink in 3. p. q. 76. num. 14. respondeo, formam cadauericam, quæ sit essentialiter incompossibilis cum forma vitali, excogitatam esse à nonnullis absque sufficienti fundamento. Dum animal repentè occiditur, quo præcipuè in casu recurritur ad formam cadauericam, satis est, si in corpus animalis introducatur forma accommodata corpori organico, & habens naturalem incompossibilitatem cum forma vitali, maioremque quàm cum quauis alia forma non vitali. Certè si licet excogitare formam substantialem, quam vocant cadauericam, gaudentem essentiali incompossibilitate cum forma vitali, licebit & mihi affirmare, omnem formam substantialem non vitalem habere essentialem incompossibilitatem cum quauis forma substantiali vitali. Et saltem

saltem non possem efficaciter impugnari, si dicerem, omnem formam substantialem, non vitalem esse incompossibilem essentialiter cum quauis forma substantiali vitali. Replicabis, corpus animalis, necessariò constituitur mortuum per formam cadauericam; sed corpus mortuum, vt mortuum requirit essentialiter carentiam formæ vitalis. Ergo forma cadauerica affert essentialiter hanc carentiam. Contra, est namque falsa maior, si quidem vt detur corpus mortuum, satis est carentia animæ vnitæ corpori. Vnde corpus in quod non introduceretur de potentia absoluta forma cadauerica, postquam anima destructa est, vel separata, diceretur, essetque mortuum. Et lapis est corpus mortuum, quin habeat formam cadauericam. Insuper distingui potest maior, constituitur mortuum positiuè per formam cadauericam, conceditur; mortuum negatiuè, negatur; positiuè, inquam quatenus forma cadauerica est forma positiua gaudens incompossibilitate naturali cum vita. Non negatiuè, quia forma cadauerica non affert essentialiter negationem vitæ. Replicabis rursus, si idem corpus ponatur diuinitus in duplici loco, non poterit in vno habere formam vitalem, & in alio cadauericam. Ergo quia hæ formæ sunt essentialiter incompossibiles. Contra, nam posset nouo miraculo affici duplici ea forma, & per cadauericam redderetur mortuum positiuè, non autem negatiuè.

49 Dices septimò, assensus, & dissensus, amor, & odium eiusdem obiecti, etsi sint entitates cõtrariæ ac, finitæ, & quãtum contradictoria non sunt impossibilia, nequeant tamen diuinitus componi. Ergo neque poterunt diuinitùs componi gratia, ac peccatum, non obstante ratione à nobis assignata, quæ exemplo entitatum, de quibus in antecedenti, videtur eneruari. Responderi posset ex Paludano in 3. dist. 15. quæst. 2. Gabriele in 4. dist. 10. quæst. vnica, & dub. 3. quibus proximè accedunt Ouiedus controu. 6. de anima puncto & §. 3. Alfonsus d. 15. de anima sect. 7. assensum, & dissensum, amorem, & odium eiusdem obiecti posse diuinitus componi. Quod aliquo in sensu verum esse, aperiam paulò post. Nunc, omisso antecedenti, nego consequentiam. Et pro indemnitate nostræ rationis dico, eam intelligendam esse de entitatibus putè physicis, seu de entitatibus, quæ non sint intentionales, neque affectiuæ. Debentque ex parte conniuere nobis aduersarij. Etenim entitates creatæ, quæ non sunt intentionales, neque affectiuæ, com poni possunt diuinitus cum entitatibus aliis non contrariis sibi rigorosè, licet darentur aliquæ entitates creatæ, quæ cum aliquibus sibi rigorosè contrariis nequirent adhuc diuinitus coniungi. Ast actus intentionales, & affectiui, non possunt penes aduersarios componi cum pluribus actibus, qui non sunt rigorosè contrarij. Exempli gratia dilectio Dei super omnia non tantum est incompossibilis cum Dei odio, quod est rigorosè contrarium illi dilectioni, sed etiam est incompossibilis cum complacentia in peccato lethali; quæ complacentia non est rigorosè contraria ei dilectioni. Ampliùs; secundum aduersarios nihil intentionale, aut effectiuum est compossibile diuinitus cum suo contrario etiam in gradu remisso: at plura physica sunt compossibilia diuinitus cum sui contrariis in gradibus intensis, & naturaliter in remissis. Replicabis primò, assensus, & dissensus sunt incompossibiles essentialiter, quia per vnum actum destruitur obiectum alterius. Sed etiam per gratiam destruitur formalis effectus peccati lethalis, & è conuerso. Sicut ergo assensus, & dissensus sunt essentialiter incompossibiles, ita etiam gratia, & peccatum. Probabis Minorem, quia gratia denominat animam sanctam, hic autem effectus formalis destruit formalem effectum, quem communicat peccatum. Respondetur inficiando Minorem, ad cuius probationem aio, gratiam se sola non denominare animam sanctam; nam denominatio animæ sanctæ inuoluit peccati carentiam, quam vt subsequam importat ex natura rei gratia, non tamen essentialiter. Replicabis secundò, si potest anima affici habituali gratia, quin ab hoc denominetur sancta, proindeque potest gratia adunari cum peccato: cur intellectus non poterit affici assensu, quin ab isto denominetur assentiens; proindeque cur non poterit coniungi in eodem intellectu assensus, & dissensus eiusdem obiecti? Respondetur, assensum existentem in intellectu non posse non denominare ipsum intellectum assentientem; nam licet hæc denominatio inferat essentialiter carentiam dissensus, nihilominus non constituitur ex tali carentia, sed præcipuè ex assensu, & ex intellectu, vt subiecto capaci, atque item ex vnione: Quæ tria, si existant, non potest nõ resultare denominatio assentientis, & impedire denominationem dissentientis; itemque & dissensum vnitum intellectui vt subiecto capaci. Cæterum, vt iam animaduerti, denominatio animæ sanctæ constituitur inadæquatè ex carentia peccati, quam carentiam infert tantùm ex natura rei gratia habitualis.

50 Addo, assensum, & dissensum eiusdem obiecti posse diuinitùs componi in subiecto incapaci, vt in petra, si actus intensionales, & affectiui sint qualitates absolutæ, & non modi dependentes se ipsis essentialiter ab intellectu, & voluntate. Imò addo, & respondeo principaliter ad septimam obiectionem, posse in subiecto capaci dari assensum, quin denominet intellectum assentientem, darique simul dissensum, si hic queat intellectui vniri quin denominet; vt si vniatur, quin producatur ab intellectu, aut quin in eo sustentetur. Sunt enim, qui velint, opus esse ad denominationem ex actibus intentionalibus, & affectiuis deriuandam in intellectum, & voluntatem creatam, vt actus producantur ab istis potentiis, & in eis sustententur; neque sufficere, si infunderentur à Deo, aut si ab eis producerentur diuinitus per creationem, quin sustentarentur. Vt vt sit, fatendum esse iudico, dissensum posse fieri præsentem intimè in intellectu denominato per assensum, si actus intentionales sint qualitates absolutæ. Vnde deducitur assensum, & dissensum non opponi contradictoriè virtualiter, si considerentur secundùm se, & non secundùm formales affectus. Et hinc retorqueo argumentum in aduersarios hoc pacto: assensus, & dissensus possunt diuinitus componi, si vnus ex illis non communicet effectum suum formalem intellectui, vel quia non vniatur intellectui, sed solummodò sit ipsi intimè præsens cum altero actu, vel si vniatur quidem, sed non sufficienter ad communicandum effectum formalem. Ergo pariter poterunt semel diuinitùs coniungi gratia, & peccatum, si gratia non communicet suum effectum formalem animæ. Quòd si gratia secundùm se opponeretur contradictoriè virtualiter cum peccato, non posset intimè

intimè esse præsens animæ, in qua existeret peccatum; neque posset esse præcise vnita sine communicatione adhuc sui effectus formalis. Hæc omnia eò deseruiunt, vt ostendatur, gratiam, & peccatum non opponi essentialiter, nisi secundùm suos effectus formales. Id autem libentissimè à nobis conceditur, imò & à nobis nihil aliud contenditur. Et solùm discordamus ab aduersariis, quatenus defendimus, gratiam vnitam animæ, & ex illa vt subiecto eductam non communicare essentialiter denominationem sanctitatis. Ex dictis in hoc numero inferri potest integra responsio ad obiectionem n. 47. de incompossibilitate visionis beatæ cum peccato actuali, nam ea incompossibilitas non erit ratione solius beatæ visionis secundùm se, sed ratione effectus formalis, qui poterit diuinitus impediri ex defectu alicuius requisiti ad ipsum, & tunc manebit vnà peccatum actuale, non secus ac dictum est de assensu, & dissensu. Inferri etiam potest plena solutio ad argumentationem num. 42. de incompossibilitate volitionis, & nolitionis liberæ diuinæ circa idem obiectum; nam cum effectus, vel quasi effectus formales vtriusque actus sint essentialiter incompossibiles, & aliunde inimpedibiles sint tales effectus, si semel existant actus diuinæ volitionis, & nolitionis liberæ, fit, eos actus incompatibiles esse tam secundùm effectus, vel quasi effectus formales, quàm secundum se, & entitatiuè.

51 Sed adhuc in tutò non sumus, tum quia vbicationes circunscriptiua, & definitiua eiusdem corporis in eodem loco sunt entitates positiuæ incompossibiles essentialiter, & in eis vbicationibus non valemus recurrere ad id, quod in assensu, ac dissensu erga idem obiectum. Tum quia subsistentia propria, & aliena nequeunt diuinitùs coniungi in eadem natura Angelica, aut humana, vt tenet communissima sententia; & non pauci sunt, qui censeant, duas formas substantiales neutiquam posse conuenire simul in eadem materia; de formis autem substantialibus, & subsistentiis dicere non possumus id, quod de actibus illis vitalibus. Nihilominus quantum ad subsistentias propriam, & alienam defendimus iam in exercit. 8. num. 69. & 81. non tantùm entitatiuè, sed etiam communicando suos effectus formales afficere posse diuinitùs eandem naturam simultaneè. Quantum ad formas substantiales adæquatas non subordinatas vulgò docetur, posse diuinitus conuenire simul in eadem materia, exhibereque ipsi suos effectus formales. Sic Murcia lib. 2. Physic. d. 4. q. 7. Auersa quæst. 16. Philosophiæ sect. 5. Alfonsus d. 3. Physic. sect. 5. Arriaga d. 3. Physic. sect. & subsect. 6. cum Suario, Fonseca, Rubio, Petro Hurtado, quos allegat Alfonsus in n. 49. Quantùm ad vbicationes circunscriptiuam, & difinitiuam eiusdem corporis in eodem loco dicere quis posset cum Vazquio in 3. d. 191. cap. 2. n. 13. vbicationem definitiuam corporis non esse entitatem positiuam, sed priuationem extensionis localis, seu vbicationis circunscriptiuæ. Deinde dicere posset, non repugnare, quòd vnum corpus in vno loco gaudeat vtraque vbicatione, etsi vtraque sit entitas positiua. Suarius tomo 3. in 3. p. d. 48. sect. 4. v. *Quinta ratio.* interserit hæc verba. *Sed hac ratio in primis non procedit in præsentiis diuersarum rationum, quia illæ secundum se distinguuntur: poterit ergo in eodem spatio idem corpus esse semel quantitatiuè, & iterum sacramentaliter, vt si Christus appareret intra hostiam extensus, & in propria specie conseruata sacramentali præsentia, quam antea habebat.* In quibus verbis videtur tradere eximius Doctor competere posse definitiuam, ac circunscriptiuam præsentiam simul eidem corpori ad idem spatium. Et in exemplo apparitionis illius concordant non tantùm quoad possibilitatem, sed etiam quo ad factum. Patres Coninch 3. p. q. 76. art. 8. dub. 1. à num. 128. Bresserus lib. 6. de conscientia cap. 24. à n. 346. Et verò cum idem corpus queat in vno loco habere præsentiam difinitiuam, simulque in alio circunscriptiuam, docente fide, videtur, posse in vnico loco ambas habere, nam formæ contrariæ, quæ non repugnant essentialiter in ordine ad idē subiectum, minimè sic repugnant in ordine ad locum eundem, vt probat Cardinalis de Lugo in tractat. de Eucharistia disp. 5. sect. 2. à num. 50. Vnde in tract. de Incarnatione disput. 12. sect. 6. num. 9. infert, duas subsistenti[illegible] alteram propriam, alteram alienam, si non repugnent naturæ humanæ constitutæ in duplici loco, nequaquam ei repugnaturas, etiamsi in vno tantùm loco existat.

52 Neutra ex his solutionibus mihi placet, nam vbicatio definitiua est ens positiuum, non minus, quàm circunscriptiua; & vtriusque vbicationis in eodem corpore, penes eandem omnino partem spatij non credam admissam esse à Suario compossibilitatem; sed solummodò admisisse, corpus, quod in parte *A*, spatij afficitur præsentia definitiua, posse in parte *B*, contigua affici circunscriptiua, quin deperdat definitiuam. Et ita indicant Conink v. *Suppono secundo.* Bresserus n. 348. Ideo autem non credo illud prius siue de Suario, siue de Conink, & Bressero, quia inextensio, & extensio vnius corporis in ordine ad idem omnino spatium implicant ex ipsis terminis contradictionem. Ergo si corpus in parte *A* spatij sit inextensum per vbicationem definitiuam non poterit in eademmet esse simul extensum per circunscriptiuam. Regula præscripta à Cardinali de Lugo patitur exceptionem in præfatis vbicationibus, vt adnotaui n. 92. Exercit. 8. Insinuauitque Eminentissimus Purpuratus dum n. 53. dixit, sermonem sibi esse de formis independentibus à loco determinato.

53 Age vero, & à difficultate de vbicationibus illis nos expediamus exinde, quòd incompossibiles sint essentialiter, quoad effectus formales respectu eiusdem corporis, ac loci, non tamen entitatiuè. Impedietur autem effectus formalis, si Deus vtrique vbicationi deneget vniones cum corpore, aut existente vna, & vnita communicanteque suum formalem effectum, & cohibeat Deus concursum ad vnionem alterius, tunc enim hæc altera non præstabit corpori effectum suum formalem, secùs prior illa. Suppono ex sect. 6. exerc. 11. vbicationes esse entitates absolutas & non modales.

54 Opponet quis, & vrgentissimè, vniones saltem ipsæ erunt essentialiter incompossibiles, & ex productione vnius in corpore tenebitur Deus ad destructionem alterius. Non ergo vniuersim verum est, nullam rem creatam esse incompossibilem essentialiter cum alia sibi contraria. Si respondeatur, euitari non posse in entitatibus aliquibus creatis modalibus essentialem incompossibilitatem, vti euitari nequit, quòd Deus non possit non destruere entitates, modales, si cesset à conseruatione extremorum, à quibus essentialiter dependent, vt attigi in num. 38. Contra, quia iam fundamen

fundamentum præiactum in num. 41. labefactatur, & redit argumentum propositum in n. 40. Facit hæc obiectio, vt quasi in aqua hæream, seu potiùs fluctuem, & vt.

Quo me cumque rapit tempestas, deferat hospes.

Nam licet ab omnibus cogitari debeat diuersimodè de entitatibus absolutis, quàm de modalibus, omnes namque reputare debent impossibilem creaturam absolutam, quæ constituat filium Dei naturalem, exigendo essentialiter, aut tantùm naturaliter constituere illum, cum tamen non repugnet, imo de facto existat modalis entitas creata vnionis hypostaticæ humanitatis cum verbo diuino, cui modali entitati connaturale, & essentiale sit constituere filium Dei naturalem. Nihilominus si admittamus entitates modales incompossibiles essentialiter inter se, fateamurque, nostrum fundamentum habere in eis exceptionē non ob eminentiam perfectionis, sed potiùs ob exilitatem, atque ignobilitatem in gradu entitatiuo, certè, facta ea exceptione, iam fundamentum vniuersaliter prolatum non valet, si autem sic non valet, nihil valet; & ex reliquis huius sectionis vt summùm suadebitur, vitandas esse, quantùm fieri possit, &, nisi cogente manifesto argumento non concedendas entitates creatas, quæ in eodem subiecto stare simul nequeant, vt neque sunt ponendæ absque comperta necessitate entitates creatæ modales iuxta dicta in n. 51. Exercit. Præcedentis, ne multiplicentur creaturæ, quas Deus non valeat conseruare, si deficiant aliæ, quarum sunt modi. Ergo sicut hoc non obstante non possunt non admitti aliquæ entitates modales, quales sunt actio, passio, & vnio, ita negari nequibunt aliquæ entitates creatæ importantes essentialem incompossibilitatem. Nec ideo sequetur possibilem esse aut existentem creaturam; cuius productio connectatur essentialiter cum productione alterius. Nam creaturæ essentialiter connexæ productio necessitaret ex se, & absolutè Deum ad productionem alterius. At productio creaturæ incompossibilis essentialiter cum alia non necessitaret ex se, & absolutè Deum ad destructionem alius, siquidem exerceri possit productio illius creaturæ in subiecto in quo non detur hæc alia quare necessitas destruendi hanc aliam, erit tantum ex suppositione Deo libera producendi illam creaturam in subiecto, in quo alia existat: sicut necessitas destruendi modum destructa re, quam modus afficit, est necessitas non allata ex se; & absolutè à destructione rei, sed ex suppositione, quòd Deus liberè produxerit in re modum, quia si non produxisset modum (& potuit vtique non producere) saluaretur destructio rei absque destructione modi, Hinc dissoluitur obiectio n. 40. quin opus sit suscipere onus defendendi, quamcumque creaturam debere esse diuinitus compossibilem; cum alia sibi contraria.

55 Sed qui adhuc vellet persistere in ea prouincia, posset dicere, denominationem corporis vbicati definitiuè in loco *A*. constitui partialiter ex negatione vbicationis circumscriptiuæ vnitæ cum eodem corpore respectu eiusdem loci *A*, quam negationem importet connaturaliter, non verò essentialiter vbicatio definitiua vnita; non secùs ac denominatio sancti per gratiam habitualem resultat partialiter ex peccati lethalis negatione, quam non essentialiter; sed tantùm connaturaliter exigit habitualis gratia vnita naturæ rationali. Vnde sicut habitualis gratia, & peccatum lethale possunt diuinitus existere simul in eadem natura rationali, quin hæc sit sancta, ita de potentia absoluta stare simul valebunt in eodem corpore vbicatio definitiua & circunscriptiua vnitæ respectu eiusdem loci *A* quin corpus si vbicatum definitiuè. Eritne tunc vbicatum circunscriptiuè in loco *A*? Minime, Non enim est potior ratio, & denominatio corporis vbicati definitiuè ibi constituatur ex negatione vbicationis circunscriptiuæ vnitæ, quàm vt è contra denominatio corporis vbicati circunscriptiuè ibi constituatur ex negatione vbicationis definitiuæ vnitæ. Igitur si prioris denominationis partiale constitutiuum est negatio vbicationis circunscriptiuæ vnitæ, erit etiam posterioris constitutiuum negatio vbicationis definitiuæ vnitæ. Et hoc pacto discurrere posset quis in actibus assensus, & dissensus vnitis eidem intellectui, respectu eiusdem obiecti, vt scilicet denominatio intellectus assentientis constituatur partialiter ex negatione assensus vniti cum eodem intellectu circa idem obiectum, & vice versa denominatio intellectus dissentientis constituatur partialiter ex negatione assensus vniti, quin assensus vnitus connectatur essentialiter cum negatione dissensus vniti, & quin hic connectatur essentialiter cum negatione illius vniti, sed tantùm connaturaliter; ideoque possint diuinitus existere simul vniti, & non denominare intellectum assentientem, aut dissentientem. Si hæc arrideant, erit vniuersim verum, nullam creaturā esse essentialiter incompossibilem cum alia sibi contraria; Sin minus, tentauimus viam, quam forsan alij feliciori euentu percurrent, inuentis aptioribus solutionibus earum difficultatum, quæ cursum nostrum præpedierunt. Sed quo ad actus intentionales, & affectiuos contrarios gratius est nobis quod scripsimus in calce n. 49. Quapropter aut dicatur, posse diuinitus intellectum v. g. assentiri simul & dissentiri eidem obiecto, aut non negentur entitates aliquæ creatæ diuinitùs incompatibiles. Et hæc est vltima nostra resolutio in præsenti puncto: quod si non nemini nimis extensè discussum appareat prima facie, aduertat ex S. Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 57. *veram breuitatem cum perspicuitate coniunctam non in argumentorum prætermissione, sed in earum rerum quæ ad institutam materiam nihil opis conferunt, reiectione sitam esse; vt enim ea, quæ ab orationis argumento aliena sunt, ponere supervacaneum est: ita etiam eorum, quæ ad ipsius confirmationem aliquid momenti afferunt, nihil omittere necesse est. Quocirca, nec tu quoque si in pugnacem, atque argutricem orationem incidas, prolixitatem causes: verum illud cogita, non aliter eam, id quod quærebatur, perspicuè declarare potuisse, nisi longo verborum ambitu vteretur.* Si rursus alicui videamur ancipites, nec in vna doctrina fixi, audiat ex Iulio Firmico Materno lib. 1. Astronomicon cap. 2. *Difficilia esse semper, & ardua, ad quæ rudes, & indocti inconstantia trepidationis accedimus. Nec facile posse nos consequi ratione quicquid non præcepta nobis magisteria tradiderunt, sic prima litterarum signa cum quadam fastidij aspernatione cognoscimus. Sic in incognito itinere constituti in primis vestigiis penè deficimus. Vides vt primos discentes computos, digitos, tarda agitatione deflectant.*

SECTIO

SECTIO VI.

An Empyreum sit incorruptibile substantialiter à causa prima, ita vt, quantùm ex se est, exigat naturaliter, ab ea in perpetuum conseruari?

56 EX gratia seu priuilegio Dei incorruptibiles esse cælos vniuersim ait S. Damascenus cap. 6. Physicæ, & lib. 2. de fide cap. 6. *Cum alia omnia* (sic ille) *quæ ortum habuerunt, iuxta naturæ suæ seriem corruptioni obnoxia sint, tum ipsi quoque cæli tametsi gratia Dei contineantur, atque conseruentur, At Deus solus naturâ, & principij, & finis est expers.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Iulianum prope finem loquens de cælo inquit. *Quod ex confesso factum est, quo pacto extra corruptionem est; & quo pacto immortale naturâ, quod natiuitatis, & corruptionis vim patitur* .:.:.:. *Quo pacto igitur, quod soluitur immortale naturâ; quomodò autem est absque interitu, quod sola voluntate opificis incorruptionem sortitum est? Neque enim natura in illis soliditatem habet, neque bonum fundamentum.* S. Iustinus in reprehensione non benè datæ responsionis ad quæstionem 5. Christianorum. *Cælum quod creatum est, à Dei voluntate habet, quod non intereat* S. Hilarius in P. 22. *Necesse est, verò, vt habitatio habitatore suo digna sit. Etsi corruptibili loco id, quod infinitũ est, & incorruptibile includimus, etsi Deum in cælo hoc habitare credimus, quæramus ergo, quæ habitatio sit Dei.* Hugo de S. Charo in 2. Petri cap. 3. v. 12. notat speciatim de ipso cælo Empyreo, *fundatum esse, & soliditatum diuina bonitate, & non propria natura.* Hic loquendi modus vsurpatus à Patribus videtur non leuiter fauere negatiuæ parti quæstionis propositæ. Et confirmatur à simili ex communi Patrum effato de immortalitate Angelorum, & animorum rationalium per gratiam Dei. Ita vltrà S. Cyrillum Alexandrinum, & S. Damascenum exaratos num. 30. effantur Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in epistola recitata à synodo sexta generali, actione 11. & approbata in actione 13. S. Cyrillus Patriarcha etiam Hierosolymitanus catechesi 16. illuminatorum. Clemens Alexandrinus in Petri Canonicam primam S. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 64. Arnobius lib. 1. contra gentes cap. 64. S. Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. S. Hieronymus in cap. 1. epistolæ ad Titum, Dialogo 1. contra Pelagianos non longè ab initio S. Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium cap. 4. Zacharias Mytilenensis in libro de mundi opificio S. Hilarius in Psal. 148. Theophylus Alexandrinus apud Gennadium in libro de viris illustribus S. Dionysius Areopagita cap. 6. de diuinis nominibus S. Augustinus epist. 56. ad Dioscorum. Tatianus Assyrius in oratione contra Græcos. Nicetas tomo 1. annalium, & lib. 2. thesauri cap. 40. Elias Cretensis in 1. orationem S. Gregorij Nazianzeni, Philippus Abbas in epist. 20. ad Richerum, aliique permulti, quibus familiare est dictitare, Angelos, & animos rationales non esse immortales naturâ suâ, sed gratiâ, munere, voluntate Dei. Iunilius Africanus lib. & cap. 2. de partibus diuinæ legis pronuntiat generaliter. *Nihil comparatione Dei esse immortale* S. Iustinus in responsione quæst. 13. ad Gentes scribit. *Quorum immortalitas ex alterius voluntate pendet, ea immortalia esse non possunt. Itaque Deum solum immortalitatem habere dicimus, propterea quod non aliena voluntate, sed suapte naturâ hæc in eum cadant.* Polyxenus in capitulis contra Diodorum Tarsensem apud Mosem Barcepham p. 3. de paradiso cap. 5. inquit. *Immortalitas ad solum Deum spectat, etsi vlla sit natura, quæ non dissoluitur, nec illa mortis fato perimitur, id ex gratia donatum sibi ab illo habet; quod autem alteri acceptum fertur id rursus pro illius arbitrio adimi potest.* Habuerunt præ oculis omnes hi Patres verba illa Pauli 1. ad Timotheum cap. 6. v. 16. prædicantis de Deo. *Qui solus habet immortalitatem.* Accedit ratio, quia, omni enti creato, sicut ex natura sua conuenit potentia, vt sit, antequam producatur à Deo, ita ex natura sua debet conuenire potentia, vt non permaneat, seu vt destruatur à Deo, postquam semel est productum.

57 Nihilominus defensanda est à nobis pars affirmatiua. Et supposito, Empyreum esse incorruptibile substantialiter à causis secundis, assentientur nobis quotquot iudicant, Angelos, & animos rationales esse immortales, & indestructibiles suapte naturâ per respectum etiam ad Deum Creatorem. Possumus ab authoritate arguere ex Patribus, & Theologis, qui ore pleno Empyreum vocant incorruptibile. Indicaui Patres in num. 1. Theologi autem, tot sunt, quot agunt de isto cælo; omnes enim inter proprietates Empyrei recensent incorruptibilitatem, quæ absolutè prolata significat in entibus creatis indestructibilitatem naturalem à causa etiam prima. Progredior ad rationes. Et argumentor primò non repugnant creaturæ, quæ post semel acceptam existentiam exigant naturaliter durare in æternum. Ergo tale esse de facto Empyreum, Angelos, & animos rationales, credendum est. Pater Ioannes Martinez ob authoritatem Patrum negat consequentiam, sed admittit antecedens in num. 53. disp. 36. tract. de Angelis oblitus quidem eiusdem authoritatis: nam. Patres de omni creatura æquè ac de Angelis, animisque rationalibus asserunt non esse, neque posse esse immortalem natura suâ. Certè admisso antecedente, nobilitas Angelorum, & animorum rationalium, expeditiorque interpretatio Concilij Lateranensis, ac Patrum (de quibus infra) suadent consequentiam. Qua negata reliquum esset, vt diceretur, Angelos, & animos rationales, etsi conseruentur à Deo in æternum citra ipsorum exigentiam, esse tamen de facto ex se, sicut sonum, impulsum, & alias qualitates, quas aduersarij putant naturæ fluxæ, & non diu persistentis. Quæ dixi de Angelis, animisque rationalibus, valent pro Empyreo, seruata proportione.

58 Argumentor secundò, Empyreum non est minus æuiternum, quàm est lucidum, & illuminatiuum. Sed Empyreum ex natura sua est lucidum, & illuminatiuum, ita quidem, vt si à Deo orbetur luce, aut impediatur ab illuminando passum applicatum, & dispositum (quorum neutrum est supra vires Dei, vt neque destruere Empyreum) fiat contra naturalem exigentiam Empyrei. Ergo contra eandem fiet, si à Deo non conseruetur in æternum. Confirmatur, Deus contrauenict naturæ Empyrei, si ipsum priuet luce, quam tamen non potest habere nisi acceptam à Deo producente inadæquatè, vel adæquatè. Ergo magis contrauenict, si ipsum destruat, cum magis appetat permanere

permanere in esse simpliciter, quàm permanere in esse secundùm quid, seu in esse præditi luce. Simile argumentum confici potest pro natiua immortalitate Angelorum, & animorum rationalium. Nam hi non sunt minus æuiterni, quam ignis calidus, & calefactiuus, nec minus exigunt postquam sunt creati à Deo, suam conseruationem perpetuam, quam ignis, dum existit, exigit continuationem actionis generatiuæ caloris, & concursum ad calefaciendum subiectum approximatum, & præparatum. Exemplo ignis eo libentiùs sum vsus, quò video S. Cyrillum Alexandrinum lib. 8. thesauri cap. 2. vsurpasse illud ipsum, dum dixit. *Quæ naturis præcipuè insunt, ea respectu creatoris nihil sunt. Quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non Deo; Sic Angelus immortalis quidem est, sed non Deo.* En S. Cyrillus non minus naturâ sua immortalem Angelum agnoscit, quàm ignem naturâ sua cembustiuum; licet attenta potentiâ Dei absolutâ possit Angelum destrui, & ignis non comburere.

59 Argumentor tertiò, Non conuenit Empyreo respectu Dei alia potentia ad corruptionem, nisi non impossibilitas, seu non repugnantia ab intrinseco, vt ab eo corrumpatur. Sed hæc non repugnantia satis non est, vt naturâ sua dicatur corruptibile à Deo; alioqui similis non repugnantia in elemento terræ, vt à Deo sursum, vel deorsum, vel in gyrum moueatur, satis esset, vt diceretur naturâ sua mobile, alioqui etiam par non repugnantia in nostro intellectu ad beatam efficiendam visionem sufficeret, vt istius effectiuus suapte naturâ diceretur. Hæc ratio (quæ etiam accommodari, potest Angelis, & animis rationalibus) etsi sufficiens sit contra aduersarios, tamen sufficiens non est, vt nos probemus, Empyreum dicendum esse naturâ sua incorruptibile à Deo; Nam homini conuenit non repugnantia, vt à Deo incorruptus conseruetur, & nihilominus vocari non potest naturâ sua incorruptibilis à Deo.

60 Argumentor itaque quartò, explens lacunam rationis proximæ, nisi & hæc, quæ sequitur, desideret etiam aliquod supplementum; Empyreo nulla potentia actiua, aut passiua competit inclinans positiuè in sui corruptionem respectu etiam omnipotentiæ diuinæ? *quia satis apparet*, vt inquit S. Augustinus lib. 11. de ciuitate *Dei c. 27. quantùm refugiat natura non esse*, vtque S. Damascenus lib. 3. de fide c. 23. *omnia ipsius esse, & nequaquam non esse naturale habent desiderium.* S. Dionysius Areopagita c. 8. de diuinis nominibus §. 4. ait nominatim de Angelis desiderare semper esse, & S. Paulus ad Romanos 8. v. 20. scribit. *Vanitati creatura subiecta est, non volens, id est, non ex se ipsa, & propria inclinatione.* Vt interpretatur Dionysius Carthusianus. Ergo Empyreum respectu etiam omnipotentiæ diuinæ, est naturâ sua incorruptibile. Rationis aciem non hebetabis aiendo, nec homini competere potentiam actiuam, aut passiuam inclinantem positiuè in sui corruptionem, & tamen esse corruptibile naturâ sua. Etenim in homine datur ex natura rei aditus ad accidentia conseruationi illius contraria, conferentiaque positiuè ad corruptionem compositi humani. Ast in Empyreo non datur ex natura rei aditus ad similia accidentia causata siue à Deo, siue ab agentibus secundis; quorum accidentium exigentia præponderet exigentiæ, quam suæ conseruationis habet Empyreum. Confirmatur, Empyreum non postulat sui corruptionem, cum hæc non sit eius bonum, & perfectio, quin potiùs appetit innatè, vt & quoduis ens creatum, conseruationem sui. Ergo nisi detur præualens exigentia, erit contra naturam Empyrei destruere ipsum. Sed neque ex parte Dei, nec ex parte causarum secundarum datur exigentia destructionis Empyrei præualens innato appetitui, quem suæ conseruationis habet. Ex his promptè quisque deducet, cur Empyreum dicatur naturâ sua producibile à Deo, aut generabile potiùs, quàm corruptibile; quia nimirùm productioni, aut generationi nihil est, quod naturaliter restiterit; cum tamen corruptioni resistat ius connaturale ante habitæ existentiæ liberum ab exigentia præualente contrarij. Neque opus est ex parte Empyrei aliud, quo se quasi ob armet ad arcendam corruptionem, vt copiosè eos pendit Martinonus in disp. illa 36. à num. 43. vsque ad 46. agens de Angelis, & animis rationalibus, quorum naturali indestructibilitati à Deo fauet æquè hæc ratio quarta, tradita eleganter à S. Gregorio Neocæsariensi in disputatione de anima ad Tatianum, interprete Gerardo Vossio, vel à S. Maximo Martyre apud Petauium tomo 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de Angelis cap. 5. n. 7.

61 Contra quam obiici potest; existunt quædam entitates creatæ, quæ non pendeant in sui destructionem, pereant tamen absque defectu causæ conseruatiuæ, & absque præualente exigentia alicuius contrarij, ita perire species nonnullas impressas, qualitatem impulsiuam, & sonum postquã durauerint per aliquod temporis spatium, censent non pauci: est etiam multorum opinio, sacramenta eleuari ad causandam physicè gratiam habitualẽ media qualitate supernaturali, quæ suapte naturâ transeat post obitam suam functionem; & inter gratias actuales existentes, & præuenientes ad actus salutis numerantur à pluribus præter actus intellectus, & voluntatis quædam supernaturales qualitates non vitales suapte naturâ euanescentes. Non ergo efficax est quarta ratio ad probandum, Empyreum esse suapte naturâ incorruptibile respectu Dei, neque item ad probandum, Angelos, & animos rationales sic esse immortales.

62 Ripalda citatus num. 39. putat, negandum esse antecedens ab iis, qui velint præclusum non esse sibi aditum ad probandum, Angelos, & animos rationales (idem de Empyreo) esse naturâ sua indestructibiles, & æternos à parte post. Id enim communiter probatur ex ratione quarta, quatenus scilicet Angeli, & animi rationales non possunt deficere ex defectu causæ conseruatiuæ, qui est Deus; neque item ex præualente exigentia contrariorum; nulla enim sunt accidentia contraria ipsis, neque denique ex exigentia, quam sui defectus habeant. Alienum namque valdè est à natura, vt innatè appetat non esse. Ast Arriaga, cum sæpe admittat antecedens, fatetur vltrò disp. 10. de anima numer. 8. & tomo. 2. in 1. p. disp. 2. numer. 25. commune istud argumentum pro immortalitate Angelorum, & animorum rationalium non conuincere, nisi suplementum aliquod addatur, quale est, nullam respectu ipsorum assignari posse rationem, aut experientiam, ex qua timemur defectibiles esse eo modo, quo impulsus, aut sonus v.g. Sunt, & alia supplementa. Primum, quia cum de Angelis productis, & de animis rationalibus creatis iam, & creandis ad finem vsque mundi,

mundi, doceat Catholica fides duraturos in æternum, non sine figmento excogitaretur conseruandos præter ipsorum exigentiam ex meroplacito diuino, vti conseruaretur per quatuor instantia impulsus qui vltra vnum non exigeret durare. Secundum, quia rationes, quæ suadent, impulsum, & sonum euanescere suapte naturâ, non valent pro Angelis, & animis rationalibus de facto existentibus, reliquisque eiusdem conditionis. Hinc Vasquez, & alij, dum dixere, Angelos, & animos rationales existentes nunc, & exituros in hoc vniuerso non esse suaptæ naturâ immortales respectu Dei, non ideo voluerunt, esse suapte naturâ euanescentes, neque id velle possent attentis iis, quæ de immortalitate Angelorum, & animorum rationalium tradunt Concilia, & Patres.

63 Ego quidem, si admittatur antecedens, non video apertam repugnantiam in Angelis, & animis rationalibus diuersæ speciei, qui desinerent eodem modo, quo impulsus. Adsonat Arriaga in posteriori loco numer. 32. Si opponat quis, eum modum desinendi fore argumentum magnæ imperfectionis, & exilitatis in Angelis, & animis rationalibus diuersæ speciei, vti est in impulsu. Respondetur, Angelos, & animos rationales diuersæ speciei deficientes suapte naturâ habituros ingentem perfectionem ob prædicata spiritualium. & intellectualium; habituros etiam multo maiorem durationem, quàm qualitates aliæ siue materiales, siue spirituales, quæ concedantur esse suapte naturâ transeuntes. Addi potest, dari complura entia impulsu imperfectiora, quæ nihilominus non possunt deficere ex natura rei, nisi adsit contrarium; & lucem esse perfectiorem impulsu, cum tamen in absentia causæ secundæ, quæ primò produxit, nec per vnum instans conseruari exigat. Consequenter ad hæc non video apertam repugnantiam in corpore cælesti, quod esset præfato modo defectibile tam secundùm formam, quàm secundùm materiam. Sed huius conditionis non esse præsens Empyreum: ostendunt ea, quæ Arriaga, & nos adnotauimus, ne Angeli nunc existentes, & animi rationales creati, ac creandi in hoc vniuerso dicantur suapte naturâ transeuntes. Quare concludo, rationem quartam fore se sola efficacem, si negetur antecedens obiectionis propositæ in numer. 61. Si verò concedatur, adiungendum esse aliquod supplementum quartæ rationi, vt fit efficax.

74 Ad Patres initio adductos, Respondeo primò, loqui de cælis distinctis ab Empyreo, quos fortè iudicarunt corruptibiles, etiam naturaliter à causis secundis; conseruatos tamen hactenus, & conseruandos vsque ad finem mundi integros, & saluos, non alia re, quam creatoris sui verbo, vt ait Theodoretus sermon. 1. de prouidentia, & vt in Timæo dicebat Plato, diuino beneficio præseruatos hucusque & præseruandos à corruptione. Respondeo secundò, Patres conari solummodo cælum vniuersum, & Empyreum speciatim tale non esse vt à se existat, & permaneat sine influxu, & manutenentia Dei, vtque essentialiter repugnet destructioni, quemadmodum sui defitioni repugnat Deus. Eodem modo interpretandi sunt Patres, dum dictitant, Angelos, & animos rationales non esse immortales naturâ sua, sed gratia, munere, ac voluntate Dei. Licet autem, Angeli, & animi rationales semel producti exigant naturaliter conseruationem à Deo præstandam, tamen ea conseruatio vocatur latè gratia, quia fundatur in creationis libito, quod fuit ex mera liberalitate diuina, quodque solet appellari gratia, *ratione quadam non improbanda*, vt cum aliis Patribus Africanis inquit S. Augustinus in epist. 95. ad Innocentium Papam, & S. Hieronymus epistola 189. ad Cyprianum ait, *gratia esse Dei, quod creatus est homo*. S. Anselmus lib. de concordia Præscientiæ prædestinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio cap. 3. *Omnis creatura gratia existit, quoniam gratis facta est.* S. Bernardus tract. de gratia, & libero arbitrio: *liberum arbitrium, vt esset, creans gratia fecit.* Legatur Ripalda tom. 1. de ente supernaturali lib. 5. disp. 101. sect. 1. n. 4. lib. 1. tom. 1. contra propositiones Michaëlis Baij disp. 5. sect. 1. n. 4. & 5. vbi ex Patribus aduertit, comprehendi sublata significatione gratiæ omnia bona creationi naturæ annexa, & debita, quorum vnum est conseruatio respectu naturæ Angelicæ; eo quòd donentur cum ipsa natura, secundum illud; *qui dat formam, dat consequentia ad formam.* Est & alia causa, ob quam ea conseruatio nuncupetur gratia, quia scilicet præsupposita adhuc creatione, præstatur à Deo absolutè absque coactione, & necessitate; neque enim exigentiæ connaturales creaturarum cogunt, & necessitant Deum. Instat Martinonus num. 49. quod ex naturali exigentia est, non potest propriè dici esse ex gratia, & non ex natura; nemo namque dicet, ignem esse calidum, aut calefactiuum ex gratia, & non ex natura. Fateor de creaturis irrationalibus magis impropriè dicendum; quia gratia valdè impropriè dicitur fieri erga subiectum incapax rependendi grates. Sic donum creationis respectu Angelorum, & hominum consueuit dici gratia latè, non autem respectu brutorum. Iunilius explicandus est, quatenus comparatione essentialis immortalitatis diuinæ vix afferat caput naturalis immortalitas conueniens aliquibus creaturis. Et hac de causa prædicat S. Paulus de Deo; *Qui solus habet immortalitatem*; vti apud Marcum cap. 10. vers. 18. ait Christus Dominus. *Nemo bonus, nisi vnus Deus.* Vti etiam apud S. Gregorium lib. 2. Moralium cap. 3. Angeli dicuntur *corpus comparatione summi & circunscripti spiritus*, qui est Deus. Ex hinc patet interpretatio ad Sanctum Iustinum, & ad Polixenum, & quam bene scripserit ad Eutonum Diaconum. Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epistola 149. *Immortale de eo, quod cum ortum habuerit, minimè tamen moritur, hoc est de Angelo, cum de anima, prædicari potest: atque item incorruptibile de iis, quæ quamuis effecta sint, ea tamen conditione fuerunt, vt à corruptione aliena essent.* Iam verò, cum tam facile fuerit explicare Patres, qui obiiciuntur contra nos, nescimus, an aduersariis ita facile erit declarare eos, qui contra eos afferuntur. Nam S. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 4. tradit, *Angelos habere vitam sempiternam; & quæ imminui non potest, ab omni interitu, & morte solutam, ac liberam.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de recta fide ad Reginas. *Eminentia Angelorum est, esse extra carnem, & immortales.* S. Athanasius l. de communi essentia diuinitatis. S. Damascenus lib. institutionum c. 7. Author libri de cognitione veræ vitæ c. 6. inter opera S. August. definiunt, Angelos esse non minus immortales, quam

quàm in corporeos, inuisibiles, & intellectuales. Consule Bubalum in 1.p.quæst.50.art.5. quæsito vnico difficultate 1.§.2.vbi quo ad Angelos recenset plures alios Patres. De anima rationali inquit S.Clemens in constitutionibus Apostolicis lib.6. cap.11. *Animam in nobis confitemur expertem corporis, & immortalitate præditam, neque interitu deleri* S. Gregorius Magnus lib.4. dialogorum cap.45. immortalem dicit animam rationalem, *quia essentialiter viuere nunquam desinit, & natura sua vitam perdere non valet.* In Concilio Lateranensi Generali incepto sub Iulio secundo, & finito sub Leone decimo sessione 8. Cõstitutione incipiẽte: *Apostolici Regiminis*, damnantur, & reprobantur omnes asserentes, *animam intellectiuam mortalem esse.·.·.·. cum illa non solum verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone felicis recordationis Clementis Papæ quinti .·.·.·. in generali Viennensi Concilio edito continetur, verùm & immortalis.* Quo loci notetur, particulas *per se, & essentialiter*, quibus significatur, animam intellectiuam esse ex natura, & exigentia sua intrinseca formam corporis, videri etiam cadere supra vltimum verbum. Respondent Aduersarij, nihil aliud concludi ex his testimoniis, quàm Angelos, & animos rationales esse immortales respectu causarum secundarum, & respectu potentiæ ordinariæ diuinæ non operantis, nisi secundùm earum causarum exigentiam naturalem. Sed contra primò, quia æquè (sed non benè) possent respondere, concludi tantùm esse immortales eo præcisè, quòd nunquam sint destruendi, licet essent suapte naturâ transeuntes, quantùm ex se est, vel licet essent ex se destructibiles à causis secundis. Contra secundò quia Angeli ratione producibilitatis naturalis, à Deo dicuntur producibiles simpliciter, & absolutè, licet producibiles non sint à causis secundis; neque à Deo vt operante secundum exigentiam causarum secundarum. Contra tertiò, quia nisi animi rationales habeant naturâ sua permanere indestructi à Deo dum sunt separati à corpore, non erunt, neque dicentur magis immortales, quàm animi irrationales. Etenim permanere indestructos priores illos ex priuilegio solo Dei, non satis est; cum & hi posteriores queant sic permanere; & non magis horum, quam illorum valeant agentia creata dissoluere vnionem ad corpus, quin in vtrosque seiunctos possint aliquid operari. Contra quartò quia absurdum videtur, concedere formis cælestibus maiorem incorruptibilitatem, quàm rationalibus animis. Hoc verò absurdum sequitur, si animi rationales separati à materia conseruentur ex solo Dei priuilegio. Nam & formæ cælestes ab eadem separatæ conseruarentur non aliter, & aliunde excederent animos rationales, quatenus causæ secundæ, & Deus ordinariè non operans, nisi iuxta exigentiam causarum secundarum, nequeunt vniones formarum cælestium ad materiam dissecare. Contra denique, quia eo ipso, quòd animi rationales sint immortales respectu causarum secundarum, & respectu potentiæ ordinariæ diuinæ non operantis, nisi ad exigentiam naturalem talium causarũ, sequitur, immortales etiã esse suapte naturâ respectu Dei, nisi admittantur entitates creatæ suapte naturâ pereuntes, de quibus in n.62. & 63. Qui enim negãt prædictas entitates, assetũt, omnẽ creaturã carentem contrario, & habentem causam conseruatiuam indefectibilem, qualis est Deus, esse eo ipso suapte naturâ immortalem respectu Dei.

65 Ratio, quæ postremo loco attingitur in numer.56. diluta manet ex præcedentibus: ostensum namque iam est in sensu composito acceptæ semel existentiæ non conuenire vlli enti creato potentiam natiuam, vt non permaneat; quin imò reluctari desitioni, quantùm est ex sua natura.

SECTIO VII.

Cuiusdam obiectionis occasione disquiritur, an repugnet creatura, cui connaturale esset durare ab æterno, sicut Empyreo, & nonnullis aliis creaturis connaturale est durare in æternum?

66 Contra doctrinam sectionis superioris opponi singulariter potest, si non repugnent, imò, & de facto existant creaturæ (vt Empyreum, Angeli animi rationales &c.) quas Deus naturaliter teneatur per æternitatem à parte post conseruare; non erit, cur ipsæ tales non sint, vel repugnent aliæ, quas Deus in æternitate à parte ante producere obligatus fuerit naturaliter: de facto tamen non produxerit, vt ex fide catholica constat, contrauenieus propter honestum aliquem finem illarum exigentiæ, siue potiùs obligationi seu naturali. Non secus ac etsi forma syderea nunc existens exigat naturaliter permanere in æternum, destruetur nihilominus in fine mundi iuxta Authores memoratos in num.4. Non secus etiam ac prima die mundi contra naturalem terræ inclinationem omnes eius partes extimæ non sunt dispositæ cum æquali distantia à centro; & contra naturalem aquarum propensionem secunda die pars ingens mansit supra cælos sydereos, pars item magna alueis, & locis subterrestribus inclusa est, imò totum hoc elementum contra eandem propensionem amisit locum superiorem toto terræ elemento, ideoque in fine mundi plures putant terram comparaturam figuram vndequa sphæricam sibi connaturalem, & aquas subcælestes redituras in locum deperditum. Non secus denique ac media regio aerea, quæ naturâ sua debuisset esse calida in gradu excellenti, accepit à Deo frigiditatem in eo gradu ob commune bonum mundi sublunaris, & præsertim animantium, retinebitque illam ex principio orbis, vsque ad huius lustrationem. Sic cum Benedicto Pereyra, & Marco Fritschio Ioannes Geraldinus p.1. de Meteoris sect.3. & huius opinionis cum probabilitatis laude mentionem faciunt Connimbricenses tract.1. de Meteoris c.2. Rubius lib.2. de Generatione tract. de primis qualitatibus q 8.n.117.

67 Et sanè qui tuentur, potuisse fieri ab æterno creaturam permanentem non sine negotio afferent repugnantiam creaturæ, quæ existeret ab æterno ex debito connaturali, imò & quæ ex eodem debito duraret in æternum. Adhuc enim non foret æqualis Deo in modo durationis. Nam Deus ita exigit durare, vt ei essentialiter repugnet non permanere ab æterno, & in æternum. Illi autem creaturæ, etsi naturaliter repugnaret non durare vtroque modo tamen nõ repugnaret essentialiter. Confirmari potest primò, quia si Angelus citra exigentiam naturalem crearetur ab æterno, posset ab

ab æterno elicere actum, qui cum veritate naturali de se annunciaret existere ab æterno. Qui actus eo ipso exigeret naturaliter existere ab æterno, & non produci in tempore; vti actus, qui de se affirmaret cum veritate naturali duraturum se in æternum, exigeret naturaliter permanere in æternum, & nō destrui in tempore. Confirmari potest secundò non repugnantia creaturæ illius à paritate nō repugnantis creaturæ præsentis, & locatæ, vbique vniuersi ex naturali sua exigentia. Pro cuius creaturæ non repugnantia stant Suarez tomo 3. in 3. p d.48. sect.1.v. *Prima ergo ratio*, & lib.4. de Angelis cap.11.num.5. Gillius lib. 2. Commentationum Theologicarum in p.1. tract.11.cap.17.n.5. Præpositus 1.p.q.8. art.4. num.12. quæst.9.art.1. num.3. quæst.52.art.& dub.2.num,18. Fassolus 1. p. quæst.8.art.4.in commentario num.4. Meratius disp.17. de Angelis section.2. Martinonus disp.42. de Angelis section.4.num.35. Gamachæus in 1.p. quæst.8. cap.1. conclus. vltima Episcopus Segobiensis Arauius 1.p. quæst.52 art.3. dub.1. numer.23. Ysambertus 1.p. ad quæst.8. disp.2.art.9. Erit enim adhuc proprium Dei esse vbique, tum quia Deo soli conueniet essentialiter, & per se in toto vniuerso esse, tali autem creaturæ tantùm naturaliter: Tum quia Deus per eandem immensitatem suam, quà est in toto vniuerso, potest esse in alio maiori, & maiori in infinitum spatio, si daretur, talis verò creatura per eandem vbicationem, aut easdem, quibus esset in hoc vniuerso, non posset esse in alio vlteriori: tum quia Deo repugnat moueri, & redigi ad minus spatium: Cæterùm tali creaturæ non repugnaret. Rationes sic discriminandi præsentiam Dei, & creaturæ istius in toto vniuerso applicari etiam queunt ad præsentiam connaturalem creaturæ vltra vniuersum in spatiis imaginariis: & eam possibilem non negant præcitati Theologi, si vnum, aut alterum excipias, qui existentiam in spatiis imaginariis vltra vniuersum, vel ipsi Deo non concedunt. Maius quid audet Arriaga disp.14. Physicorum numer.102. & tomo 2. in 1.p. disp.15.num.11. & 12. disp. etiam 16. num.24. videlicet nullam inuolui repugnantiam in substantia creata, quæ fine addita vbicatione per suam essentiam esset vbique; quia verò posset aut non produci, aut producta destrui, non esset infinita. Si istæ substantiæ creatæ non implicent contradictionem, cur implicabit alia, quæ saltem naturaliter exigeret durare ab æterno, & in æternum? Si quidem inter eius æternitatem, & diuinam satis esset discriminis.

68 Recursus ad Ecclesiæ Patres, qui contra Arium probabant, Verbum diuinum non esse creaturam, quia erat æternum, & ab æterno genitum non admodùm deterrebit aliquem. Nam cum defensores creaturæ producibilis ab æterno ex mero libito diuino intelligant partim illa testimonia vrgentia ad hominem contra Arium admittentem, omne creatum incepisse in tempore; partimque intelligant de creatura producta ab æterno ex connaturali exigentia; posset vlteriùs quis ea interpretari de creatura, quæ æterna esset ex essentiali exigentia, & non præcisè ex connaturali. Neque hæc interpretatio videbitur magis violenta, quàm alia adhibita Patribus adstruentibus, spiritum sanctum esse Deum, quia existit vbique; quod alienum est à creatura; adhibita, inquam, ab Authoribus citatis numero proximo, quatenus Patres arguant, supposito aliunde certo vel experientia, vel reuelatione diuina, nullam creaturam existere de facto vbique; aut quatenus Patres deducant diuinitatem Spiritus sancti ex essentiali ad omne spatium præsentia, & non præcisè ex connaturali; licet autem hæc non repugnet creaturæ alicui possibili, secus illa. Patres, qui contra creaturam à parte ante æternam agunt, collecti extant apud Valentiam tom.1. disp.& quæst.3. puncto 2. apud Toletum lib.8. Physicorum quæst.2. Qui verò agunt contra creaturam vbique præsentem recensentur ab eodem Valentia disp. 1. q.8. puncto 4. & in controuersiis lib.1. de vera Christi præsentia cap.12. à Fassolo 1.p. quæst.8.art.4. S.Thomas in 4.dist.10.quæst.& art.1.in 6. argumento dixit, *Ponere, quod corpus Christi vbique possit esse* (etiam definitiuè, vt in sacramento Eucharistiæ) *est hæreticum, quia hoc solius diuinitatis est.* Sed tamen B. Angela de Fulginio cap.37. suæ vitæ Mayro, & Vorrillog. in 4.dist.10.art.3. difficultate 1. Argentinensis in 4.dist.10.quæst.& art.1. in responsione ad 4. Moyse in resolutione Theologorum tract.6. part.3. quæst 2. Roffensis lib.5. contra Oecolampadium cap.23. Claudius de Sanctes in 4 repetitione de veritate Eucharistiæ cap.7. allegans ex nostro Francisco Turriano lib.3. de dogmaticis Characteribus verbi Dei Magnetem antiquissimum Patrem, vt quem vixisse dicant, tum ipse, tum Posseuinus in Apparatu ante annos mille, ac trecentos. Bellarminus lib.3. de sacramento Eucharistiæ cap.5. Valentia in locis allegatis & præterea tom 4. disp.1. quæst.5. puncto 2. Sotus 4. Physicorum quæst.2. art.3. Suarez tomo 3. in 3.p.d.48. sect.4. libro, & cap.2. de attributis negatiuis Dei num.12. Ioannes de S.Thoma 1.p. q.8.d.8.art.7. Machin ibidem d.13. sect.3. Corollario 3. Daniel. Malonius in 2.dist.8.d.10. Murcia lib.4. Physicorum d.1.q.7. Aucrsa q.27. Philosophiæ sect 6. Lugus d.5. de Eucharistia sect.1. num.19. Meratius d.24. de Eucharistia sect 3. Tannerus d.2. de Deo quæst.4. dub.2.num.13. in tomo 1. & alibi. Arriaga d.14 Physicorum sect.7. num.124. Ouiedus controuersia 13. Physicorum puncto 9.num.6. Alfonsus d.22. Physicorum sect.7. num.63. Tellez p.2. Philosophiæ p.32. sect.4.num.6. Recupitus lib.4. de Deo vno quæst.15. Ysambertus 3. p. ad q.75. d.3.art.5. Gamachæus in 1.p. quæst.8. cap.1. conclus. vltima & in 3.p. quæst.76.c.4. Bartholomæus Amicus tract.20. in 4. Physicorum quæst.7. dub.2. num.9. & 10. Becanus tomo 2. opusculo 14.c.19. num.3. Antonius Perez Benedictinus contro.1. de fide Actuum Apostolorum cap.16. Innumerique alij non verentur dicere, posse Christi corpus constitui vbique definitiuè per potentiam Dei absolutam: & plerique exercitatis persuadent fi 1, non implicare contradictionem, quòd siue idem corpus, siue aliud quodcunque per eandem potentiam occuper circumscriptiuè omne spatium. Illa S.Thomæ censura proposita est inter arguendum pro parte negatiua articuli, ideoque ab aliquibus iudicatur, non tam ex mente Angelici Doctoris, quàm si contineretur in corpore articuli, vel in responsionibus. Sed qui sic putant, ostendunt se parùm versatos in S.Thoma, si quidem in ipso argumenta *sed contra*, soleant habere potieres partes; suntque quasi regula decidendæ difficultatis. Quare præstat fateri ingenuè, S. Thomam tunc temporis in ea fuisse sententia S. Augustinus in epistola 3. ad volusianum inquit, *nullum corpus potest esse vbique totum* & in epist.57. ad Dardanum admonet, non

non esse putandum Christum vbique diffusum secundùm formam humanitatis, *Cauendum est enim, ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.* Cæterùm in epistola 3. loquitur de corpore suapte natura, independenterque à potentia Dei absoluta: & in 57. cum neque ex Incarnationis mysterio, neque aliunde colligatur, humanitatem Christi vbique iam adesse, optime notat, euacuandam veritatem corporis humani assumpti à Verbo diuino, si eo ipso, quòd verbum vbique existat, humanitas etiam ipsi vnita, eiusdemque naturæ eum nostra existeret vbique. S. Hilarius Pictauiensis, lib. de Patris & filij essentia, & in Psalmum 124. Scribens, *homo, aut aliquid aliud ei simile, cum alicubi erit, tamen alibi non erit. Non secundùm nos corporalis est Deus, vt cum alicubi absit aliunde.* Facilem habet interpretationem ex dictis, multóque faciliorem contra Hæreticos abutentes his S. Hilarij testimoniis, vt probent idem corpus nullatenus posse existere diuersis in locis.

69 Non magis retardabit aliquem sequens obiectio: Deus pro aliquo priori naturæ in æternitate esset indifferens absolutè ad producendam, & non producendam creaturam illam. Ergo pro eo priori non posset intelligi existens creatura illa. Ergo cum neque antea, extitisset, non posset fundare exigentiam naturalem suæ productionis; quemadmodùm Angelus fundat naturalem exigentiam suæ conseruationis in instanti *B*, quia etsi in signo priori huius instantis, in quo Deus est indifferens absolutè ad conseruandum, & non conseruandum Angelum, non intelligatur Angelus existens, extitit tamen in instanti *A*, postulans naturaliter, vt conseruaretur in *B*. Non ergò explicari potest, qua ratione creatura exigere queat naturaliter æternam sui à Deo productionem. Respondebit namque primò pro eo priori dari exigentiam naturalem productionis creaturæ illius fundatam in Deo habente naturalem connexionem cum productione talis creaturæ, vti in æternitate pro priori originis, pro quo intelligitur Pater diuinus vt principium reale Filij diuini, datur naturalis exigentia in Patre producendi pro posteriori filium. Et sicut esset contra conceptum filij, si per impossibile non produceretur, sic esset contra naturam illius creaturæ, si non produceretur, vtente Deo sua absoluta potestate. Secundò si rerum creabilium essentiæ, antequàm existant extra causas, sint quid positiuum, æternum, necessarium, distinctumque à Deo, fundari posse in ipsis exigentiam naturalem, vt producantur ab æterno. Si replices, cur post destructam existentiam non poterit saluari exigentia reproductionis? Dicet, posse saluari naturaliter, si possibilis sit naturaliter reproductio eiusdem effectus, si verò impossibilis sit naturaliter reproductio eiusdem effectus, & omnino repugnet substantia creata supernaturalis, repugnaturum [illegible] effectum substantialem, cui esset debita reproductio, eo enim ipso talis effectus esset supernaturalis.

70 Hæc iamdiu excogitaueram, sed posteà incidi in quinque ex nostris Authores, & in exterum quemdam, quorum animos eadem pulsauit difficultas. Primus est P. Franciscus Alfonsus, qui disp. 28. Physicorum sect. 1. num. 14. tradit, repugnare creaturam illam, quia non esset finitæ, & limitatæ perfectionis, cum exigeret naturaliter durationem æternam à parte ante; quæ perfectio esset infinita in suo genere, ita vt verificari deberet secundùm se totam de creatura producta ab æterno, proindeque verificari deberet, vt infinita actu, non enim posset assignari duratio, ad quam non præcessissent infinitæ aliæ. Sed inefficaciter primò, quia exigere perfectionem infinitam in aliquo genere; non arguit entitatem infinitam simpliciter, sed secundùm quid. Hinc si possibilis sit intensio actu infinita discurrunt probabiliter, qui vnioni hypostaticæ tribuunt excellentiam exigendi intensionem infinitam gratiæ habitualis. Secundò Angelus exigens naturaliter durare ab æterno non exigeret durationes actu, & collectiuè infinitas, sed durationes, quarum vna succederet alteri, si ab æterno possit dari ens successiuum, vt plurium sententia fert. Quid? Quòd Angelus posset exigere durare per durationem, distinctam quidem à se, indiuisibilem tamen, vt nonnulli volunt de Angelo producto ab æterno ex mero libito diuino. Præterea si Angelus sic productus constitueretur formaliter durans ab æterno per coexistentiam propriæ entitatis, & æternitatis diuinæ, vt decernit ipse Alfonsus d. 24. Physicorum, sect. 4. n. 34. Non video, cur Angelus productus ex connaturali exigentia non constitueretur similiter durans ab æterno. Tertiò Angelus Gabriel in primo instanti suæ productionis non solùm exigit durationem in secundo instanti, sed in omnibus sequentibus per totam æternitatem à parte post, itavt nullum sit assignabile instans, vltra quod non postulet durare. Ergo etsi non exigat durationem actu, & cathegorematicè infinitam, secus potentia, & syncathegorematicè infinitam. Ast Angelus exigens ex natura sua produci ab æterno creatus tamen in instanti, in quo Gabriel, non alio modo postularet durationem æternam à parte ante, Ergo si non est contra conceptum creati entis exigentia æternæ durationis à parte post, non videtur esse contra eum connaturalis exigentia æternæ durationis à parte ante.

71 Secundus est P. Franciscus Amicus; qui tomo 1. d. 7. sect. 3. n. 39. testatur, se semel audiuisse assertam à Theologis doctissimis non repugnantiam creaturæ illius; ipse verò bifariam in eam arguit. Primò, quia Deus non omnia merè gratis, & liberaliter extra se produceret, si esset aliqua creatura, quæ connaturaliter exigeret produci ab æterno: quod enim connaturaliter exigit creatura, non merè gratis, & liberaliter, sed cum aliquo debito, & obligatione confertur à Deo, Cum tamen huic debeat competere modus producendi ad extra omnium perfectissimus, qualis est, qui merè gratiosus, & liberalis, vtpotè qui magis commendet munificentiam diuinam. Hinc S. Athanasius oratione 1. contra Arianos, S. Hieronymus in epistol. ad Ephesios cap. 3. S. Damascenus libr. 1. de fide cap. 8. docent, omnia extra Deum non nisi voluntate, gratia, & beneficio condi posse, creationemque à Deo non posse non esse opus voluntatis. Secundò in num. 40. quia creatura postulans naturaliter durare ab æterno, postularet sui in æterna duratione immutabilitatem quoad esse, & quoad operari, cum in æternitate nequeat dari mutatio; atque adeò postularet non habere perfectam ad Deum subiectionem, quæ exigentia est contra conceptum creaturæ. Neutra ratio est ineluctabilis. Non prima, quia sicut perfectio Dei, vt causæ in æternum confer

conſeruatiuæ Angelorum de facto exiſtentium, non vendicat ſibi immunitatem ab omni obligatione, & debito; ita eiuſdem perfectio vt cauſæ ab æterno productiuæ illorum, vel alterius creaturæ non videtur debere vendicare; & ſicut obligatio & debitum naturale conſeruandi in æternum Angelos de facto exiſtentes, ſtat cum abſoluta libertate Dei ad eos conſeruandos, & non conſeruandos; ita obligatio, & debitum naturale producendi, ab æterno eos, vel alteram creaturam videtur ſtare cum abſoluta libertate ad productionem, & non productionem. S. Athanaſius, S. Hieronymus, & S. Damaſcenus exponendi videntur, quatenus excludant à Deo in creatione neceſſitatem officientem libertati abſolutæ. Non ſecunda, quia creatura illa potuiſſet à Deo non produci, nonobſtante debito naturali; & licet producta ſemel non poſſet à Deo in æternitate deſtrui, poſſet tamen in tempore, & poſſet etiam conſeruata in tempore habere mutationem, quoad operari. Et inter creaturam illam, & aliam, quam repugnare diximus in 54. hoc intercederet diſcrimen, quod illa ſemel producta non eſſet indeſtructibilis in æternitate à parte ante eſſentialiter ratione ſui, ſed ratione talis æternitatis non admittentis deſtructionem in iis, à quibus participatur. Aſt alia creatura eſſet indeſtructibilis ratione ſui eſſentialiter per æternitatem à parte poſt, & non ratione talis æternitatis, quæ ſecundùm ſe non reſpuit deſtructionem in iis, à quibus participatur.

72 Tertius eſt P. Ioannes Martinum, qui tract. de Angelis diſput. 36. ſect. 5. num. 47. ait primò, non benè argui ex creatura exigente naturaliter durare in æternum ad exigentem naturaliter durare ab æterno, nam quæ exigeret hoc ſecundum, vtique eſt illud primum; quod vtrumque ſimul eſt maior perfectio, quàm illud primum ſeorſim. Ait ſecundò non apertè implicare creaturam, quæ exigeret naturaliter durare ab æterno, & vtitur confirmatione, quæ inter noſtras eſt prima; niſi quod adhibeat exemplum in actu ſupernaturali, qui concrearetur in Angelo producto citra exigentiam ab æterno, & qui de ſe enuntiaret ſe æternum eſſe. Sed hoc exemplum peccat per exceſſum; nam talis actus, ſiquidem eſſet ſupernaturalis, & proinde eſſentialiter verus, eſſet etiam eſſentialiter æternus à parte ante, vti qui de ſe enuntiaret cum eſſentiali veritate, ſe fore æternum, eſſet iuxta ipſum Martinon, vt viſum eſt in num. 36. eſſentialiter æternus à parte poſt. Creatura autem eſſentialiter æterna à parte ante non bene audiret inter Theologos. Quod primo loco ait Martinon non ſine næuo eſt, tum quia poſſet excogitari creatura, quæ exigeret naturaliter produci ab æterno, non tamen durare in æternum, eo quod in tempore deſtrui poſſet naturaliter à contrariis, quibus expoſita eſſet. Sic ſtupa producta citra exigentiam in æternitate non poſſet comburi ab igne producto, & applicato in eadem æternitate; poſſet tamen comburi in tempore; tum quia ex exigentia durationis in æternum ad exigentiam; durationis ab æterno non arguitur, quaſi prima ſupponat neceſſariò ſecundam, ſed quaſi prima ſi veſtigium ad indagandam non implicantiam ſecundæ. Et hinc explicari poſſet damnatio cuiuſdam articuli facta ab Stephano Epiſcopo Pariſienſi, *quod mundus eſt æternus*, (ita articulus 11.) *quia omne, quod habet naturam, per quam poſſit eſſe in futuro toto, habet naturam, per quam potuit eſſe in toto præterito.*

73 Quartus eſt P. Iul. Cæſ. Recupitus, qui lib. 4. de Deo vno quæſt. 19. multam argumentorum ſyluam congerit pro implicantia creaturæ illius. Argumentatur itaque primo ab authoritate Patrum, quorum alij, vt S. Bernardus ſermone 31. in Cantica. S. Anſelmus in Menologio cap. 27. & in Proſologio c. 22. S. Eulogius oratione 5. S. Maximus in centuria 1. Theologica cap. 2. dicunt eſſe de ratione creaturæ, quòd ſit non ens; alij, vt S. Athanaſius in 2. & 3. contra Arianos oratione S. Auguſtinus lib. contra Felicianum Arianum cap. 7. S. Eulogius ſupra, S. Maximus. centuria 4. eſſe de eiuſdem creaturæ conceptu, vt fiat ex nihilo; alij, vt Tertullianus lib. aduerſus Hermogenem cap. 4. S. Chryſoſtomus homilia 2. in Ioannem, S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 18. S. Maximus centuria 1. Theologica cap. 7. S. Fulgentius contra Faſtidioſum Arianum, aiunt, æternitatem eſſe propriam ſolius Dei. Argumentatur deinde ex rationibus. Prima, naturalis exigentia durationis æternæ à parte ante in creatura non poteſt fundari in ratione generica creaturæ, neque in ſpecifica talis creaturæ, ſiue corporeæ, ſiue ſpiritualis. Secunda, æternitas à parte ante eſt proprietas Dei ſecundùm vltimam, & quaſi ſpecificam rationem deitatis. Ergo non poteſt eſſe connaturalis alicui creaturæ. Tertia, ſi non repugnaret creatura connaturaliter æterna à parte ante, neque repugnabit quæ ſit eſſentialiter ſic æterna. Quarta, æternitas, quæ eſt duratio infinita, nequit eſſe naturalis menſura creaturæ finitæ. Quinta, creatura debet eſſe mutabilis ex ſe, cum ſola natura diuina ſit expers mutationis omnis, vt tradit S. Gregorius Nyſſenus tract. 2. in Pſalm. cap. 4. in oratione Catechetica magna cap. 6. & vt S. Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 10. *Et bonum ſolum ſimplex, & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia, & ob hoc mutabilia.* Vnde S. Leo magnus in epiſtola 93. ad Turibium cap. 13. ſcribit: *Chriſtiana ſapientia nouit vera Deitatis inuiolabilem, & inconuertibilem eſſe naturam; animam autem* (rationalem) *ſiue corpore viuentem, ſiue à corpore ſeparatam multis paſſionibus ſubiacere. Quæ vtique, ſi diuina eſſet eſſentia, nihil aduerſi poſſet incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator eſt, aliud creatura; ille enim ſemper idem eſt, & nulla varietate mutatur: hæc autem mutabilis eſt, etiam non mutata, quia vt non mutetur, datum poterit habere, non proprium.* Ergo nulli creaturæ poteſt eſſe connaturalis ſtatus immutabilitatis, qualis eſſet ſtatus æternitatis à parte ante. Sexta, de facto non datur creatura æterna à parte ante; ergo non eſt poſſibilis creatura connaturaliter ſic æterna. Propoſui ſummam argumentorum P. Recupiti, & ſimili breuitate, quid, ad ea reſponderi poſſit, indicabo.

74 Patres primæ claſſis intelligendi videntur, quatenus exiſtentia non ſit de eſſentiali ratione creaturæ. Qui ſpectant ad ſecundam abs re adducuntur, nam creatura producta ab æterno iuxta exigentiam naturalem ipſius non minus fieret ex nihilo, neque minus de non eſſe acciperet eſſe, quam quæ produceretur ſine exigentia. Legatur Faſſolus 1. part. quæſt. 46. artic. 2. dub. 1. num. 16. & 17. rurſuſque à num. 26. vſque ad 28. repetaturque oculis num. 68. exercitationis noſtræ 6. Patres tertiæ claſſis exponi poſſunt, quatenus

quatenus æternitas essentialis sit solius Dei propria. Ad primam rationem respondebitur, naturalem exigentiam durationis æternæ à parte ante fundari in specifica conditione talis creaturæ siue corporeæ, siue spiritualis, non secus ac fundatur naturalis exigentia æternæ durationis à parte post in specifica conditione Angelorum, & in specifica Cæli syderei, vel saltem Empyrei. Neque ostendit Recupitus, cur repugnet aliquis Angelus, cuius maior specifica præexistentibus perfectio exigeret durationem æternam à parte ante, tanquam naturalem proprietatem. Ad secundam, æternitatem essentialem à parte ante esse proprietatem Dei solius, æternitatem verò naturalem ita esse proprietatem Dei, vt à creatura etiam haberi queat. Ad tertiam, sicut ex eo, quòd sit possibilis creatura naturaliter æterna à parte post, non infertur possibilem esse æternam essentialiter, sic neque infertur, possibilem esse æternam essentialiter à parte ante, ex eo quòd esset possibilis æterna naturaliter. Disparitas est, quia creatura naturaliter à parte ante æterna non necessitaret Deum ad sui productionem, secus creatura essentialiter æterna quæ necessitas orta ex iure creaturæ est contra perfectionem Dei, & supra contingentiam creaturæ. Qui dicunt, posse dari creaturam essentialiter æternam à parte post ex suppositione saltem alterius non sic æternæ, difficulter ostendent impossibilitatem creaturæ essentialiter æternæ à parte ante, ex suppositione saltem alterius non sic æternæ. Ipsi viderint quodnam discrimen exhibituri sint; vel si deglutiant possibilitatem creaturæ essentialiter æternæ à parte ante, timeant Theologorum seuerum Tribunal. Multo cohærentius negata est à nobis in sect.4. creatura essentialiter æterna à parte post ex suppositione etiam libera alterius productæ, & conseruatæ. Ad quartam, durationem non solùm æternam à parte ante, sed & æternam à parte post (quarum neque vtraque simul est quid infinitum simpliciter, ne dum vtralibet seorsim) posse esse mensuram rei in essentia finitæ, dummodo ab hac non exigatur vt mensura essentialis, sed solùm vt connaturalis. Ad quintam, respondebitur vt ad secundam ex P.Fracisco Amico in num.71. mens trium illorum Patrum Ecclesiæ non alia est, quàm eorum, de quibus in num.64. Ratio denique sexta præoccupata iam est ex dictis in num.66.

75 Quintus est P.Rodericus de Arriaga, qui tomo 2. in 1.part. dist.28. sect. & subsect.2. n.17. excitatis duabus quæstionibus, Prima vtrum simpliciter mundus debuerit esse ab æterno? Secunda, an casu quo existere deberet mundus in aliqua differentia temporis, probari possit, illi fuisse contingens, quod in hac potiùs, quàm in illa produceretur? Ad primam respondet negatiuè, quia creatura no[n] [p]otest habere necessitatem ad existendum, subiacet enim Dominio Dei, vt si velit illam producat, sin vero, non, sed relinquat eam in esse possibili. Ad secundam ait, non posse ratione naturali id, quod in ea proponitur, probari à se, vt qui dixerit in Physicis, non esse vllam repugnantiam in aliqua creatura, naturâ suâ, tali, vt si existat, debeat necessariò esse ab æterno, quemadmodum vbicatio in hoc loco, & duratio æterna sunt tales, vt potuerint quidem simpliciter non existere, si tamen existant, nequeunt non existere in hoc loco & hodie. Eius conditionis videtur Arriagæ esse durationem, quam haberet creatura permanens producta ab æterno iuxta sententiam distinguentem durationem a creatura durante & tempore imaginario coexistente, docentemque simul, non repugnare, quòd ex mero libito diuino citra vllam exigentiam Angeli verbi gratia produceretur hic à Deo in æternitate. Nam illa duratio Angeli esset creatura, & alligaretur essentialiter ad æternitatem; sin minus poneretur frustra, vt determinaret Angelum ad durandum in æternitate; & alioqui illi durationi addenda esset alia, quæ si per se ipsam esset affixa essentialiter æternitati, procedit argumentum in hac secunda, si verò non esset ita affixa, abitur in infinitum durationum. Ita ferè Rodericus; & concludit: *Data autem possibilitate non possumus nos à ratione naturali ostendere, talem non esse hunc mundum, licet Angeli, qui intuitiuè illum cognoscunt, possint etiam perfectè noscere; non esse in eo eiusmodi exigentiam durationis ab æterno potiùs, quam in tempore, seu non esse eam alligationem magis ad æternitatem, quàm ad tempus præsens.* Hucusque ex Arriaga; qui dum admittit, possibilem esse creaturam, quæ si producatur, exigat non tantùm naturaliter, sed etiam essentialiter produci in æternitate, non videtur negaturus possibilitatem creaturæ postulantis absolutè suapte naturâ, vt non producatur nisi in eadem æternitate; imo videtur talem possibilitatem expressè concedere. Circa argumentum, quod ex duratione Angeli in æternitate desumit, dixi non nihil in num.34. Tandem sextus est Nicolaus Ysambertus, qui 1.parte ad q.10. d. vnica art.7. pronuntiat contra possibilitatem eius creaturæ; nihil tamen exportat, quod nostros præterierit.

76 En pro vtraque parte agitatam controuersiam. Et quidem obsecundans monito S. Basilij in præfatione ad institutionem Monachorum; *Quod deesse mihi ad scientiam putaui, ad communem id protuli inquisitionem. Facilius enim pluribus conferentibus si quid difficile, vel obtectum esse videtur, clarescit, Deo sine dubio inueniendi gratiam largiente.* Exerceant alij ingenia in hac controuersia intricata, & obscura, tunc, auditis hinc, & inde inuentis rationibus, collatisque inter se veritatem claressentem assequar, iudiciumque feram, tum ex Tatiani Assyrij sententia in oratione contra Græcos, *oporteat illum, qui sapit, aliorum expectare testimonium, ac testes ipsos inter se consentire.* Interim neuter esto; nam *periculosæ præsumptionis est, nec dum rebus rectè discussis nec certa ratione collecta, de natura cuiuslibet rei proponere, ac de fragilitatis suæ consideratione capere coniecturam, nec de statu, & qualitate ipsius disciplinæ, vel de aliorum experientia proferre sententiam.* Quæ sunt Cassiani verba collatione 7. cap.4.

77 Manum à tabula amoueram, cum me ad illam duæ obiectiones reuocarunt, Prior ex S.Hilario in Psalmum 129. scribente: *Quicquid compositum est necesse est non fuerit æternum; quia compositio habet initium, quo componatur, vt maneat.* Igitur repugnat creatura composita ex subiecto substantiali, & forma siue substantiali, siue accidentali, cui connaturalis sit existentia æterna à parte ante. Posterior ex ratione, impossibilis est creatura, suapte natura sit absolutè debita prima productio pro aliquo instanti temporis deter-

minato. Ergo & illi pro æternitate à parte ante. Sed neutra obiectio ſufficiens eſt, vt quis r tractet præconceptam opinionem. Nam prior, quæ æquè facit contra creaturam æternam à parte ante ex mera indulgentia diuina, facile eleuatur interpretando S.Hilarium de creatura ſic compoſita, vt ſubiectum ſubſtantiale antecedat realiter formam; quo pacto non antecederet in creatura naturaliter æterna à parte ante; ſolam namque originis, & naturæ præcedentiam ſeruaret ſubiectum reſpectu formæ. Poſterior verò non minus promptè eneruatur, vel negando antecedens, vel (quod mihi magis arridet) negando conſequentiam, concesſo antecedenti. Cum enim nihil ſpeciale habeat inſtans *A*. v.g. præ *B*. deeſt cardo, in quo fundetur abſoluta exigentia primæ productionis pro inſtanti *A*, præ *B*. competens, vt contenditur, creaturæ non alligatæ eſſentialiter abſolutè ad inſtans *A*. Cæterùm quia æternitas à parte ante quid ſpeciale habet præ inſtanti aliquo temporis determinato, mirum non eſt, ſi creatura poſſit naturaliter poſtulare produci potius pro illo, quàm pro hoc. Vrgebis, cur ſaltem repugnabit creatura, quæ naturaliter petat produci in tempore quantocyùs, aut produci in vno vel altero temporis inſtanti indeterminatè? Reſpondebitur, nullam in tali creatura apparere repugnantiam. Submitto hæc, iterumque ſuperiora examini eorum, qui maturè & iudicato pronuntient, tametſi à me Salmanticæ coram ſapientisſimis Theologis fuerint tanquam opinabilia propoſita, & defenſa, nec male audierint.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE ALIIS ACCIDENTIBVS ET QVALITATIBVS EMPYREI CÆLI.

TRES proprietates in præcedenti libro illustratæ habent quasi primatum inter alias Empyrei. Ad has modò accedimus.

EXERCITATIO DECIMATERTIA.

De quantitate permanente Empyrei.

EX accidentibus offert se primò quantitas permanens. Et quia magnitudo, ac figura exterior, interiorque Empyrei annexa est proximè, & per se tali quantitati, ideo de ipsis vnà erit agendum.

SECTIO PRIMA.

An quantitas Empyrei distincta sit in specie à sublunari?

1 NEGATIVE respondent Heruæus tract. de materia Cæli, quæst. 4. in 5. ratione conclusionis Soncinas 8. Metaphysicæ quæst. 13. ad 4. Suarez d. 13. Metaphys. sect. 13. num. 16. tomo etiam 2. in 3. p. d. 48. sect. 3. v. *Ex quo discursu.* & in commentario ad quæst. 54. art. 3. v. *Secundò posset.* Rubius lib. 1. de cælo cap. 2. q. 9. Murcia lib. 1. de cælo cap. 3. in dubiis circa litteram. Tellez parte 2. Philosophiæ d. 22. sect. 5. n. 15. & 16. alijque communiter, apud Auersam quæst. 34. Philosophiæ sect. 1. qui neuter stat; & pro affirmatiua parte noster Pereyra lib. 5. Philosophiæ cap. 10.

2 Subscribo communi placito, & probo primò, quia nulla est necessitas distinguendi specifice quantitatem Empyream à sublunari. Secundò; materia Empyrei est eiusdem speciei cum materia reliquorum corporum siue corruptibilium, siue incorruptibilium. Ergo & quantitas; par enim est, vt habeant inter se hanc similitudinem, & proportionem. Dixi: *par esse*, nam absolutè, & simpliciter non repugnat, quantitatem Empyrei distingui in specie à quantitate aliorum corporum siue cælestium, siue sublunarium, etsi omnia conueniant specificè penes materiam. Vt enim eadem numero causa potest producere effectus specie diuersos ob concursum, vel existentiam variarum aliarum causarum, vel conditionum; sic eadem materia in specie posset ratione diuersarum in specie formarum substantialium, quarum est capax, habere quantitates specificè dissimiles. Probo tertiò, lux Empyrea eiusdem est speciei, cum syderea, ac elementari, igitur, & quantitas.

3 Opponens primò, ea, quorum non est communis materia, differunt genere, & non solùm specie vt pronuntiat Aristoteles, lib. 10. Metaphysicæ, textu 12. sed quantitatis Empyreæ, & sublunaris non est communis materia. Ergo &c. Confirmatur, diuersitas specifica subiectorum indicat diuersitatem specificam formarum. Ast materia, quæ est subiectum quantitatis in corpore Empyreo, & elementaribus, gaudet diuersitate specifica. Idem igitur dicendum est de quantitate. Confirmatur rursus, Quotiescumque essentiæ sortiuntur distinctionem specificam, subeunt hanc etiã præcipuæ, & insigniores ipsarum proprietates. Sed materia Empyrea & sublunaris, quarũ est præcipua, & insignior proprietas quantitas, discriminantur inter se in specie. Ergo & quantitas, quæ est proprietas illius discriminabitur in specie à quantitate, quæ est huius proprietas. Respondeo, falsam esse minorem argumenti, & confirmationum, vt visum est in sect. 1. Exercit. 5. Sed tamen ea vt vera permissa, Aristoteles adductus in maiori argumenti intelligendus est de iis, quæ ex materia non communi componantur

nantur intrinsecè, qualia permixto esse composita cælestia, ac sublunaria. Quantitas autem non componitur intrinsecè ex materia, cui inest. Primæ Confirmationis maior, generaliter prolata, ruinosa est. Nam quando formæ sunt absolutæ, seu non modales, tam possunt, etsi conueniant in specie, informare subiecta disconuenientia, quàm possunt, etsi differant in specie, informare subiecta non differentia. Et quemadmodùm distinctio specifica formarum indifferentium ad eandem in specie materiam non desumitur ex ordine ad istam, sed ex aliis prædicatis; ita diuersitas specifica subiectorum, quæ receptiua sint aliquarum formarum similium inter se specificè, proueniet ex aliis prædicatis, quam ex capacitate ad has formas. Id ipsum à posteriori constat per communem sententiam, quæ calorem ignis, & terræ, cæterasque elementorum symbolas qualitates fatetur esse eiusdem speciei, quamuis subiecta, in quibus recipiuntur, vel naturæ saltem, à quibus exiguntur non pertineant ad eandem speciem. Mixta etiam complura specificè diuersa gaudent qualitatibus non sic diuersis, vt Crystallus, & papyrus albedine eiusdem speciei. Potentia visiua hominis censetur à Rubio in tract. de potentiis animæ in generali q. 8. dub. appendice, eiusdem speciei cum potentia visiua leonis, quamuis oriantur ab animabus, & animalibus specie diuersis tanquam proprietates ipsorum. Maior secundæ confirmationis proprior est vero; adhuc tamen responderi potest; si materia Empyrea distingueretur in specie à sublunari, sicut hæc exigeret aliquam ex primis qualitatibus tanquam notabilem proprietatem, ita exigendam ab illa passionem aliquam nobis occultam, & maximè diuersam à qualibet primarum qualitatum, quin necesse esset, vt distinctionem specificam essentiarum sequeretur distinctio etiam specifica quantitatum. Dici itidem potest, cum materia Empyrea respiceret determinatè substantialem formam diuersam specificè ab ea, quam respiceret determinate materia sublunaris, satis id fore ad discriminandas essentias vtriusque materiæ, tametsi quantitates sub eadem specie continerentur, eo quòd vni, & alteri materiæ consimilem effectum formalem communicarent.

4 Oppones secundò, quantitas Empyrea non est subiectum receptiuum accidentium disponentium ad generationem, & corruptionem; secus sublunaris. Ergo differunt in specie. Distinguo antecedens, non est subiectum receptiuum expeditum, & proximum, concedo; impeditum, & remotum, nego. Ab exemplo materiæ claret distinctio. Ei non acquiescit Auersa, quia si quantitas Empyrei est secundùm se susceptiua illorum accidentium susciperetque, si diuinitùs separaretur ab Empyrea forma, non erit, cur non suscipiat, quando ipsi est coniuncta; siquidem ad suscipiendum supponitur non indigere ope formæ, proindeque ab Empyrea non impeditur. Contra, Etenim Empyrei quantitatem non suscipere accidentia ignis applicati, non proueniret ex eo, quòd indigeret iuuamine formæ, sed ex aliis capitibus assignatis in Exercitat. præcedenti. Certè, si, fatente ipso Auersa quantitas syderea non potest mutationem condensationis, & rarefactionis subire, non ob naturam specificam sui, sed formæ sydereæ, cur idem non liceat mihi dicere de mutatione per accidentia disponentia ad generationem, & corruptionem? Vnde sine necessitate recurrit Auersa ad negandum quantitatem esse subiectum aliorum accidentium, vt satisfaciat obiectioni: quæ minorem vim habebit, si materia Empyrea distinguatur specificè à sublunari; nam tunc quantitas non solùm ratione formæ substantialis, sed etiam ratione materiæ impedietur recipere accidentia extranea.

SECTIO II.

Quanta sit Empyrei magnitudo, seu moles? vbi de eius à terra distantia.

5 Tanta est in cælesti machina, vt meritò quærat Isaias cap. 40. vers. 12. *Quis cælos palmo ponderauit?* Et Ecclesiasticus cap. 1. v. 2. *Altitudinem cæli quis dimensus est?* Quæ verba interpretatur P. Piña non solum de distantia cæli à terra, sed de vnius cuiusque cæli grossitie. Plinius lib. 2. historiæ naturalis cap. 1. sermonem habens vniuersim de mundi mole, inquit, *Furor est, mensuram eius animo quosdam agitasse, atque prodere ausos.* & cap. 23. *Mirum, quò procedat improbitas cordis humani paruulo aliquo inuitata successu : : : . ausique diuinare solis ad terram spatia, eadem ad cælum agunt, vt protinus mundi quoque mensura veniat ad digitos.* Eodem furore correptus non iniuriè iudicarer, si Empyrei certam mensuram sperarem tradere. In re consequibili tantùm per coniectamenta ab humano ingenio, referàm quæ ex antiquis, & modernis potui sedulus comparare. Sed tamen fatendum est, magnitudinem Empyrei meliùs sciri ab eo, qui se eam ignorare prouulget. Aptè ad id S. Chrysostomus homilia 5. contra Anomæos. *Dic, quæso, si inter duos orta altercatio esset de cæli magnitudine, quorum alter negaret, hominis oculum rem posse percipere; alter contenderet fieri posse, vt palmo suæ manus facilè metiendo totam molem transmitteret. Quem cæli nouisse dixeris magnitudinem? Cum ne, qui scire contendit quot palmos cæli ambitus compleat, an eum, qui nescire profitetur? Hunc prorsus.*

6 Simon Magus somniauit lumen immensum supra cælos, vt refertur lib. 2. recognitionum S. Clementis, Franciscus item Patricius in Pancosmia lib. 1. 4. 7. 8. & 14. crebra & indigesta reiteratione machinatur Empyreum infinitæ molis; neque hic sistit, sed vlterius confingit lib. 4. ac 14. penetrari illud cum omnibus aliis vniuersi partibus. Talia hæc sunt, tamque monstrosa, & dissona, vt me suppuderet argumentationis neruos in ea contendere. Adeat qui velit, Nostrum Bartholomæum Amicum tract. 18. Physicorum q. 4. vbi fuisse reuincit infinitam mundi extensionem. Spretis igitur eis deliriis. De magnitudine Empyrei finita, ac terminata (tametsi per exaggerationem vocetur persæpe immensa) Patres pauci speciatim agunt. Origenes lib. 2. Periarchon cap. 3. ait *Immensa quadam sui magnitudine, & ineffabili complexu spatia vniuersarum sphærarum ambitu magnificentiore constringere.* S. Bernardus serm. 2. de Assumptione Virginis expendens illa verba. *Intrauit Iesus in quoddam Castellum*, prorumpit in hæc. *Opportunè satis hoc mihi in loco Prophetica exclamatio assumenda videtur: O Israel, quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius, An non ingens, cuius comparatione Castellum dicitur terra huius spatiosissima latitudo? an non ingens patria, & regio inæstimabilis quando ab ea Saluator adueniens cum ingrederetur orbem terræ, introiret castellum?* Sic S. Bernardus; & adnotandum est, exclamationem, quam affert

affert ex Prophæta Baruch cap. 3. v. 24.accipi à Gaspare Sanchez in sensu etiam litterali de cælo, Beatorumque Sedibus. Et huic interpretationi multum fauent verba aduincta à Propheta in v. proximo. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus* frequensque est apud Patres sic intelligere tam priora, quam posteriora satis fuerit indicasse vnum, vel alterum, nempe S. Ambrosium in oratione funebri de obitu Theodosij lib. 6. Exameron. cap. 8. & epistola 59. S. Anselmum lib. de similitudinibus cap. 44.

7 S. Bernardinus relatus à Mauburno in Roseto titulo 38. Alphabeto 75. littera d. *Affirmat Empyreum ad minus centies firmamentum superare.* Moderatiùs se gessit Cassanæus 3. p. Cathalogi gloriæ mundi consideratione 20. vt qui existimet, Empyreum excedere in decuplo omnes alios inferiores orbes cælestes. *Extendat* (ita ille) *considerationem suam vsque ad cælum Empyreum, discurrendo mente magnitudinem aliorum nouem cælorum, quorum singuli excedunt inferiores omnes in decuplo: & sic aliqualiter intelliget magnitudinem, & altitudinem ipsius decimi cæli Empyrei scilicet, quod excedit in decuplo omnes alios.* Quid Tannerus cum Lessio sentiat tradam in n. 8. Exercitationis confinis. P. Cornelius in cap. 1. Genesis v. 7. docet ex Astronomis, *Multò minorem esse proportionem totius mundi intra concauum firmamenti contenti ad complexum cæli Empyrei, quàm sit globi terræ ad ipsum firmamentum.* Insignes Mathematici eò progrediuntur apud Eusebium Nierembergium lib. 4. de discrimine inter temporale, & æternum cap. 3. vt mensurent magnitudinem huius cæli adeò capcis asseuerantque, eam esse plus, quàm decem mille, & quatuordecim millionum milliarium in longitudine & in latitudine trium mille, & sexcentorum millionum. Desumpsit hæc ex Drexelio, qui 3. p. Æternitatis lib. 2. de cælo cap. 8. §. 2. narrat non absimilia. P. Vasconcellius lib. 1. de Angelo Custode cap. 18. parte 3. n. 4. tam magnum asserit Empyreum, vt ad ipsum ambiendum viginti quatuor horis opus sit motu tam veloci, quam esset ille, quo vigesies auis totam circum terram iret spatio vnius Salutationis Angelicæ. P. Thyræus tract. de iudiciaria Christi apparitione cap. 26. à n. 100. de magnitudine, distantiaque Empyrei hunc in modum curiosè scribit. *Magnus admodùm hic Beatorum est locus, quin imò incredibilis prope modùm magnitudinis, vt pote in cuius comparatione terra veluti punctum existimatur. Et profectò si quid dicitur, verum est, superiores orbes excludere inferiores magnitudine, omnino oportet, magnum, vastissimumque corpus esse vltimum, quod inferiora omnia suo complexu continet.*

8 Licet tanta sit Empyrei, aliorumque cælorum moles,

Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit ———

à Deo tamen velut nihilum cælos extensos decantat Isaias cap. 40. v. 22. & Salomon 3. Regum cap. 8. v. 27. libroque 2. Paralypomenon cap. 2. v. 6. necnon cap. 6. v. 18. ab ipsis illum capi non posse. Hinc Georgius Pisides in mundi opificio sic Deum alloquitur.

Immensitas namque orbium cælestium
Dimensa tecum est velut punctum in angusto situm.

Et paulò anteà dixerat de cælo.

Ingens enim est, velut Dei paruus thronus.

O infatigabilem Numinis potentiam! ô illimitatam Numinis immensitatem! Conferamus magnitudinem Empyrei cum paruitate terræ, *Cuius tanta est comparatio ad cælum, quantum est punctum circuli ad totam circumferentiam; tanta enim est cæli ad terram comparatio*, iuxta S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 6. Mystagogica. Conferamus, inquam, vt despiciamus terram, & aspiremus ad Empyreum. Traho huc consilium Africani ad Scipionem. *Sentio te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari, quæ si tibi parua, vt est, ita videtur, hæc cælestia semper spectato, illa humana contemnito.* Ita in Scipionis somno Tullius, qui meritò addit, *nihil posse videri magnum in rebus humanis ei, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo.* Sed tamen etsi tam parua sit terra, maximè, quæ ab hominibus habitatur, *Hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes, hic honores gerimus, hîc exercemus imperia; hîc opes cupimus, hîc tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam ciuilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus.* Sic conqueritur Plinius lib. 2. historiæ naturalis cap. 68. Nec minus grauiter Boethius lib. 2. de consolatione Philosophiæ metro 6. prosa 7. *Omnem terræ ambitum, sicut Astrologicis demonstrationibus accepimus, ad cæli spatium puncti constat continere rationem: idest, vt si ad cælestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatij prorsus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta ferè portio est, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, si quantum maria, paludesque premunt, quantùmque siti vasta regio distenditur, cogitatione substraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquitur. In hoc minimo igitur puncti quodam puncto circumsepti, atque conclusi, de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitatis?* Alexander magnus audiens ab Anaxarcho ex authoritate Democriti innumerabiles esse mundos: *Heu me miserum*, dixit, *quod ne vno quidem adhuc potitus sum.* Quæ verba, cum retulisset Valerius Maximus lib. 8. cap. 13. addidit: *Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit.* Iuuenalis etiam Satyra 10. cecinit.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyara clausus scopulis, parua que Seripho.

Seneca in epistola 91. inquit; *Alexander Macedonum rex discere Geometriam infelix cœperat, sciturus, quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupauerat. Ita dico infelix ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* Nos verò, qui meliora scimus, & Empyreum totum, quantum est, paratum à Deo pro hominibus, ipsiusque Dei esse Regiam, & Angelorum Metropolim, miseros nos, & infælices reputemus, si eo aliquando non potiamur, si sic transeamus per temporalia, & terrena, quæ tam caduca, & pusilla sunt, vt amittamus æterna: Beati ter, milliesque beati, qui in amplissima tua domo habitabunt, Domine, & quibus.

——— *Nec metas rerum, nec tempora pones,*
Imperium sine fine dabis ———

Ampla Alexandri potentia esset eis angusta custodia, ait S. Anselmus in Elucidario. Vel quisquis est Author eius operis. Adeò longè, lateque patebit Beatorum regnum! Cuius amplitudinem dum animo recogitaret S. Zeno Veronensis pulchra in hæc verba proruPit serm. 1. de Auaritia. *Habitacula præparata sunt infinita, nemo sit de mansione solicitus. Certè gloria nostra insignis res erit, si*

Dei

Dei ciuitatem felicitate nostri numeri fecerimus angustam.

9 Ex distantia inter nos,& Empyreum concipicit Thyræus supra Huius magnitudinem numerans inter nos, & vel cælum decimum milliaria 75577155. alij plura alij pauciora computant. Et quidem quamuis Astronomis decimæ sphæræ distantiam designantibus adhibeatur fides, superat humani ingenij industriam vlteriora spatia dimetiri. Nihilominus Salmeron tomo 11.tract.36.pag. 372. inquit, Empyreum fortassè plus distare à firmamento, quàm hoc à terra. Cassanæus 12. parte Cathalogi gloriæ mundi consideratione 2.memoriæ prodit dictum à nonnullis, *quòd si massa plumbea à cælo Empyreo descenderet, via in quingentis annis ad terram veniret.* Consonant S. Bernardinus tomo.1.serm. 50 pag. 300. Mauburnus in Rosseto titulo 38. alphabeto 75.littera d. Maius quid tradit Cornelius in cap.1.Gen. v. 16.& in 3.Baruch. v.25.nec non in 11.Mathæi v.12. nimirùm si quis per octo mille annos ascendens è terra pertransiret quotidie centum milliaria, vix peruenturum ad concauam Empyrei superficiem;imo etiam si quotidie octingenta milliaria conficeret in hoc ad cælum itinere,non peruenturum ad Empyreum,asseuerat Drexelius præcitatus. Consulantur Abulensis Paradoxo 5. cap. 14. Benedictus Iustinianus in 1.Petri cap. 3.v.22. Neque prætereatur Procopius Gazæus inquiens in c.1. Genes. v.8. *quantum primum cælum remotum est ab secundo (id est Empyreum à firmamento) tantum distat secundum ab orbe habitabili,& quidem primum cælum erit domicilium Sanctorum.* vt sit longissimè disiunctum est Empyreum à terra. Hinc de Beatorum oculis prædicet Isaias cap.33.v.18.*cernent terram de longe.* Idest,interprete Tirino,*eminùs è cælo Empyreo, despicientque omnia quasi punctum vnum,sordes,& nihil.*

SECTIO III.

Quænam sit Empyrei figura exterior?

10 CÆlum vniuersim non esse circulare,sed semisphæricum, vel planum censuere permulti Patres,scilicet S.Iustinus q. 59.& 130. ad orthodoxos (si eius sint hæ quæstiones) S. Basilius homilia 1. & 3. in Exameron. S. Ambrosius lib.1. Exameron cap. 6. S. Chrysostomus homilia 14 in epistolam ad Hæbræos expendetes v. 2. cap. 8. Theophylactus Primasius, Haymo Theodoretus ibidem, rursus S. Chrysostomus homilia 4. in Genesim & 2.de incomprehensibili Dei natura.S.Cyrillus Aierosolymitanus cathechesi 9.Mistagogica S. Clemens Romanus in constitutionibus Apostolicis lib.7.cap. 34.cap. 35. lib. 8. cap.15. S.Damascenus lib. 2. de fide cap. 6. Acatius adductus à Francisco Zephyro fol.14.Cathenæ v.v. P.P. super Pentatheucum.S.Cæsarius dialogo 1. Euthymius in Psal.103.v. 1. Lactantius lib. 3. diuinarum institutionum cap. 34. Procopius in Genesim cap.1. &.7. Anonymus Græcus in opere, cui titulus est *liber Christianorum*, quodque extat M. S.in Vaticana, & ex parte legitur in Bibliotheca Photij codice 36. Seuerianus Gabalensis in oratione 3. de mundi opificio, Diodorus Tarsensis in ea Photij Bibliotheca codice 223.Theodotus Mopsuestenus apud Philoponum lib.3. de mundi opificio cap.9. & sequentibus.Author chronici Alexandrini,dum de S.Paulo Apostolo agit, Sed S.Dionysius Areopagita cap.4. de diuinis nominibus §. 4. vti exponitur à S. Maximo Georgioque Pachymerio & non pauci alij, quorum catenam conterit Martinengus in Glossa magna litterali ad cap.1. Genesis pag. 612. iudicarunt figura prorsus sphæricâ. Nec omnes à nobis memorari constantes semper fuerunt in priori opinione,vt S.Ambrosius, & Theodoretus,ille in Psal.118.serm. 12.hic q. 20. in Genesim, & serm. 1. de prouidentia S. Damascenus non magis vni,quàm alteri opinioni defert, proinde & S.Augustinus lib. de Genesi ad litteram cap. 9. Nos recepte apud Philosophos, Astronomos, Theologos, & scripturæ Interpretes de sphærica vndequaque cælorum mobilium figura lubentes adhæremus. Et omissa cura exponendi sacrarum litterarum testimonia, quibus Patres illi nitebantur,gressum facimus ad cælum immobile.

11 Illud esse sphæricum secundum partem etiam conuexam,credunt Caietanus,& Suarez 3.p.q.57. in commentario ad Artic.5.& secundus iterùm lib. 1.de opere sex dierum cap.10.n.16.Granadus 1.p. controuersiæ 13.de Nouissimis tract.2. d. ac dubio 6.n.5.& 3.p.ac tract.d.5.sect. 3.n.12.Ribera,& Iustinianus in cap. 8. ad Hebræos v. 2. Cornelius,& Tirinus in Apocalyps,cap.21. v.16.Lorinus in Ecclesiastem cap.1.v.6.& in Psalm.103. v.3. Delrius in sacra lectione 13.pag.200.Ex antiquis S.Bonauentura in 2.dist.14.art 2.q.1.n. 17. supponit esse circulare. Scisellus tract.2.lucæ,Zara in Anatomia ingeniorum sect.2.membro 13. pag. 263. Tena in cap.8.ad Hebræos difficultate,& n.1.Auersa q.32. Philosophiæ sect. 4. Iosephus de la Zerda in Mariali,Academia 29 sect.4.n.42. Parauisinus in ser. de Visitatione Virginis §.1. Martinius lib. 4. Physic.pag.367.Et id ipsum affirmant Bartholomæus Anglicus lib. 8. de proprietatibus rerum cap. 3. Pelbartus lib.2. Rosarij Theologici verbo *cælum* §. 9.Ioannes de S.Geminiano in summa de exemplis lib.1.cap 32 Berchorius in Reductorio morali lib. 5.cap. 4. Esse tamen quadratum penes superficiem conuexam innuit Molina d.3.de opere sex dierum v.*secundo* propenderque magis Thyræus in tract. de apparitione Christi gloriosa cap.26.n.105.Tradunt apertè Connimbricenses lib. 2. de cælo cap. 4q.vnica art.4.& cap.5.q.1.art.2.Petrus Hurtadus d.3,de cælo sect.2. §. 23. Iosephus Augustinus in 1.p.q.7. art. 3. n. 19. Duuallius tract. de quatuor Nouissimis q.6.art.4. Ludouicus Diaz in doctrina Philosophica tract.&q.2.cap.5.n.43. Ferdinandus Escalante in Clypeo Concionatorum lib.8.cap.3. Philippus Offuleuanus in Decade Patritiana lib.9. cap.10. Franciscus Scriba discursu 2.de Gloria §. 3. Henriquez lib.vltimo de fine hominis cap.24. §.5.in lit.d.Nierembergius lib.4.historiæ naturalis cap.5. Pintus lib. 3. de Christo crucifixo tit.1.loco & num.4.Thyræus de iudiciaria Christi apparitione cap.26. num. 104. Ouiedus d. cælo puncto 3. §.& num.1. Alfonsus in eadem d. sect. 6. Poza in Elucidario Deiparæ lib.2.tract.16.cap.1.Hormaechea prologo 4.in Cantica num. 201.& in cap.1. v.1. n.335. præterea v.6.num.22.& 29.

12 Probat autem hic Author ex similitudine arcæ testamenti,quæ erat quadrata,seu potiùs quadrangula,vt aduertit Becanus cap. 13. Analogiæ veteris ac noui Testamenti num.12.iuxta cap.25.Exodi v. 10. Addere poterat Hormaechea sanctum fuisse quadrangulum, nec non, & sanctorum, vt post alios ostendit Cornelius in cap.41. Ezechielis vers. 41. In sanctis verò sanctorum denotabatur

batur Empyreum penes S.Hieronymum in ep. ad Fabiolam de vestitu sacerdotum. S.Thomam 1.2. quæst.102. art.4. ad 4.& ad 6. S.Antoninum 1.p. Summæ Theologiæ titul. 14. cap.4. §.3. & nonnihil indicat Iosephus Iudæus lib.3. antiquitatum cap.8. Verum symbola ista nimis remota sunt, & magis ad suggesti concionatorij, quam ad Cathedræ Theologicæ vsum; nec arca fuit figura Empyrei, sed cætus Beatorum hominum ob rationem requirendam ex Beccano supra n.11. Quòd si allegoricis significationibus agendum sit, cidaris, seu tyara intornamenta Pontificia, in quibus *erat totus orbis terrarum.* Vt dicitur sapientiæ 81. v.24. additurque, *Et magnificentia tua* (idest Dei) *in diademate capitis illius scripta erat*, adumbrabat Empyreum, Deumque in eo præsidentem, vt docent S. Thomas supra art. 5. ad 10. Cornelius ac Lorinus ad locum præcitatum sapientiæ, Becanus supra cap.7. quæst.5. n. 9. Cidaris autem describitur à S.Hieronymo, *rotundum pileolum, quasi sphæra media sit diuisa, & pars vna ponatur in capite.* Sic in epistola illa ad Fabiolam. Adducit rursus Hormaechea. S.Brunonis sermon.8. de confessoribus hæc verba. *Ad mensuram palmi factum est* (Rationale Pontificium) *ipsum videlicet, de quo scriptum est, & cælos palmo ponderauit. Cæli ergo, & rationale vnius mensuræ sunt.* Sed S.Bruno dicetur loquutus populariter de omnibus cælis; quare eandem admittet interpretationem, quam Isaiæ locus cap.40. v.12.

13 Probari secundò potest, quia si Empyreum non sit sphæricum, adest ratio satis Philosophica eius immobilitatis. Etenim figura quadrata erit motui impedimentum: alioqui si moueretur, daretur vacuum in rerum natura; vt in simili de cælo mobili, quod esset figuræ rectilineæ, ratiocinatur Aristoteles lib.2. de cælo cap.4. textu 27. *Præterea cum videatur, ac supponatur* (ita ille) *vniuersum ipsum versari, demonstratumque sit extra conuersionem extimam, nec locum nec vacuum esse, rotundum etiam esse ob hæc etiam ipsa necesse est. Nam si rectarum linearum erit figura, eueniet & locum esse, & corpus, & vacuum extima. Nam cum rectarum linearum figura versatur, nunquam eundem occupabit locum, sed vbi prius erat corpus, nunc non erit, & vbi nunc non est, rursus ob angulorum transitionem erit.* En ab Aristotele absurdum reputari, si spatium occupatum semel ab aliquo corpore naturali relinquatur inane. Ne ergo hoc inconueniens sequatur ex motu Empyrei, rectè adstruitur immobile naturaliter ob figuram quadratam. Dices, si dari vacuum ex natura rei est inconueniens incurrere in illud, qui quadratum adstruunt Empyreum; erit enim in eius angulis locus carens corpore. Respondetur, non fore locum carentem corpore, quo antea repleretur; nec item fore locum aptum naturaliter repleri corpore; proindeque non sequi vacuum strictè sumptum. *Vacuum enim non est, quod nullius capax est.* Naturaliter, vt inquit S.Claudianus Mamertus. lib. 3. de statu animæ cap. 5. At si Empyreum sit quadratum, & moueretur, spatium modo occupatum naturaliter, careret postea corpore, & iterum occuparetur. Sic Auersa quæst. 27. Philosophiæ sect. 8. Superior tamen probatio non est admodum efficax, tum quia plures dicunt, non repugnare ex natura rei vacuum intra ipsum etiam vniuersum; tum quia rationes, quæ pro repugnantia illa adducuntur ab aliis, idem non persuadent de vacuo, quod resultaret ex motu Empyrei quadrati. Ob id Conimbricenses lib.4. Physicorum cap.9. quæst.1. artic.4. v. *ad secundum* fatentur ratiocinationem Aristotelis pro figura rotunda cæli mobilis non esse necessariam, sed probabilem. Escalante censens vbi supra Empyrei concauam etiam superficiem esse quadratam, euitat vacuum in eius angulis ob repletionem aquarum supercælestium. Sic cap. 7.

14 Frequentius arguitur in fauorem quadratæ superficiei extimæ ex illo Apocalypsis 21. v.16. *Ciuitas in quadro posita est.* Quod videtur sincerius ita intelligi; maximè cum in oppositum nulla appareat vrgens ratio, & sic concilientur Patres Ecclesiæ, quatenus alij habuerint sermonem de toto cælo quoad conuexam superficiem, dum dicunt, esse semisphærium, vel planum; alij verò de toto de cælo quoad concauam, dum aiunt, esse sphæricum seu circulare. Confirmatur, quia figura quadrata est magis accommoda quieti, & habitationi. Si ergo Empyreum est immotum, conditumque à Deo ad habitationem Beatorum, verisimile valdè est, accepisse eam figuram, quæ proposito fini est congruentior. Confirmatur iterùm; ciuitates quadratæ commodiores sunt, & pulchriores; perfectiores itidem, & fortiores: Empyreum autem eo fine principaliori construxit Deus, vt esset Beatorum ciuitas. Par ergo fuit eâ figurâ architectari, quæ magis referret perfectæ, absolutæque verbis structuram. Hinc etsi figura sphærica secundùm se sit nobilior, & perfectior, quam quadrata, vt enim de illa dixit Manilius lib.1. Astronomicon:

Hæc æterna manet, diuisque simillima forma,
Cui neque principium est vsquam, nec finis in ipsa,
Sed similis toto remanet, perque omnia par est.

Et Philippus Abbas tomo 2. moralitatum in cantica canticorum; *quicquid est rotundum, videtur esse perfectum.* Tamen Empyrei fini non esset tam proportionata. Ad hæc ferè omnia sufficienter respondet Tirinus inquiens. *Quod verò ex hoc loco Apocalips.21.v.16. probare contendunt, cælum Empyreum non esse rotundum, sed quadrangulum, & quadratum, non sat solidum videtur. Nam illa quadratura tantum est symbolica, significans primò ciuitatem omni ex parte æquè magnam esse; quod licet præstet forma quadrata, tamen maximè locum habet in forma rotunda. Secundò forma esse vt commodissima, ita & pulcherrima, qualis in minoribus locis est quadrata, sed in maioribus rotunda. Tertiò munitissimam, ac fortissimam esse; nam in paruis vrbibus fortiores sunt, quæ in quadrum efformantur, binis semper angulis vtrinque oppositis, & se mutuo tutantibus. At in magnis vrbibus, si quadrilateræ essent, anguli nimis à se mutuò distarent, nec alter alteri posset præsidio esse. His ergo rotunda figura maius addit robur, cum præstet incolis æqualem è centro accessum ad quodvis latus, vel punctum. circumferentiæ. Quod igitur symbolo quadratura nobis adumbratur in vrbibus, quibus assueuimus, quasque oculis vsurpare, & metiri possumus, idem in aliis, quæ sui magnitudine excedunt sphæram visus nostri (qualis est vrbs, quæ hic describitur (longè commodius præstat forma rotunda. Cuius tamen hic non meminit Ioannes, quia nec Ezechiel cap.48. vers. 16. meminerat ad cuius ciuitatem hic alludit Ioannes, licet Ezechielis (quæ repræsentat Ecclesiam militantem) longè minor sit hac Ioannis Ciuitate, quæ est Ecclesia triumphans. Item illa Ezechielis (quæ etiam imper-*

fectos continet) variis suburbiis constat vt patet ex vers.17. & ex cap.45. vers.2. qua hic nulla ad sum, quia hic omnes sunt ciues, & domestici Dei, omnes perfecti in charitate in gaudio, in gloria. Hucusque Tirinus. Adiecerim ego locum Apocalypsis, si deseruiat ad probandum, superficiem conuexam Empyrei esse quadratam, vtilem æquè fore, vt probetur id ipsum de concaua, quam nihilominus rotundam esse volunt Authores huius sententiæ. Nec silendum est S. Ioannem non loqui de toto Empyreo, sed de quadam eius parte, in qua tanquam in ciuitate degunt Beati; neque enim dimensiones vrbis ibi descriptæ quadrant in totum Empyreum, vti apposite admonet S. Bernardinus Senensis cap. 21. Apocalypsis v.15. vel Nicolaus Lyranus,cui Cartagena in homilia 8. de transfiguratione adiudicat commentarium Apocalypsis additum nouissimæ editioni operum S.Bernardini. Vnde vt summum colligere licet ex S.Ioanne partem occupatam à Beatis esse quadratam. Sicque nuper asseruit Neothericus perdoctus, tum ob testimonium illud, tum vt omnes Beati,se inuicem simul aspiciant.

15 Tandem arguitur ad idem intentum, quia forma quadrata est conuenientior, vt Beati sint velut in theatro supra eam partem si o, quæ respondet Hierosolymorum vrbi, & terræ, quam Christus Dominus, dum inter mortales degeret, incoluit; & vt corporeis oculis continuò intueantur Christum glorificati homines. Confirmant aliqui apud Martinengum pag. 612. quia alioquin *vna pars Empyrei à coruscantissimo Christi corpore magis, quàm cælum à terra distaret. Vnde vel Beatis vacua ea pars esset, vel Beati in ea degentes nimis à Christo gloria fonte longinqui cernerentur.* Respondet ipse Martinengus pagina 615. *Corpora glorificata in cælo sic locari, puerile admodum est existimare, Deo siquidem, & splendidissimæ Christi humanitati esse proximum in cælo, nihil aliud est, nisi ex meritorum copia ad ampliorem, seu præcelsiorem, augustioremque gloriam assumi.* Hæc eruditi verba viri displicent nobis vehementer, & insuauia erunt, ni fallimur, legenti exercitationis 23. sectionem 5. sequentesque duas alias, Auersa quæst.32. Philosophiæ sect. 4. agnoscit maiorem conuenientiam pro Beatorum sedibus, & mansionibus si Empyreum sit sphæricum. *Nam si esset quadratum, vel vna sola eius quadrati facies esset Beatorum locus, & sic ad sextam solam illius cæli partem cælestis patria sine causa restringitur, vel adhuc totum quadratum secundum omnes facies est Beatorum sedes, & sic præstat sanè cælum esse rotundum, quia maior est communicatio, & vniformitas in ipso toto, & inter omnes partes.* Sic Auersa, cui & Tanero tomo 2. d.1. quæst.3. dubio 4. numer 33. opinantibus, Beatos ordinariè habitaturos in tota Empyrei amplitudine, non consentio, sequutus Claudium Seisellum tract. 2. in cap. 2. Lucæ Roam de statu Beatorum cap.6. Granadum 3. p. controuersiæ 13. de Nouissimis tract. 3. dist. 5. sect. 2. num. 8. Sed de hoc in exercitatione præcitata. Verum etsi Beati extituri sint frequenter non sparsi per totum Empyreum, sed in parte quadam velut in theatro, cuius supremum locum occupet Christi humanitas, omnibus se spectabilem exhibens, opus non est, vt Empyrei conuexa superficies sit quadrata,maximè si Beati intra, & non supra ipsum commoraturi sunt, quemadmodum tradam in sect.2. exercitat.18. Satis itaque est, si Christi humanitas existat in celsissimo loco Empyrei respondenti vrbi Hierosolymorum, & Beati à dextris, & sinistris in semicirculum teneant propinquiora loca pro meritorum, & gloriæ præcellentia; quod amplius explicabitur in exercitatione illa 23. Authores, qui cogitant, Beatos pedibus contingere extimam Empyrei superficiem, si dicant, existere omnes in vna quadrati facie, non saluabunt maiorem vnius præ alio altitudinem in situ locali, comparatione facta inter vnum, & alium. Si verò dicant, existere omnes in superficie globosa Empyrei, existent plures in parte cæli è diametro opposita; quod supra est reiectum,& omnes erunt æquales in situ locali,comparatione facta ad centrum vniuersi, vt magis ex instituto declarabo in exerc.18.

16 Cum ergo nulla sit ratio, quæ efficaciter suadeat, Empyreum non esse conforme reliquis cælis, & elementis in rotunditate vtriusque superficiei, suffragium ferre pro ea decreui. Quam aliqui apud Rubium lib.2. de cælo cap.5.quæst.3. probant exinde, quia si Empyreum quadratam figuram haberet non possent illa, in quæ influit, recipere æqualiter, aut saltem secundum proportionem influentias ipsius. Parnipendit hoc argumentum Rubius, qui vtriusuis opinionis liberam optionem relinquit. Est quidem anceps influxus Empyrei. Sed etsi admittatur proueniet ab illo immoto, ideoque nonobstante figura quadrata seruabit æqualitatem, ac proportionem sua ex parte.

SECTIO IV.

Quænam sit Empyrei figura interior, seu an intra ipsum sint domus & palatia?

17 P. Sebastianus Barradas tomo 3. in Euangelia lib.10. cap.3. existimat, esse in Empyreo ampla, admirabiliaque palatia ex incorruptibili materia ipsisque margaritis pretiosiore fabricata. Nitorem, gratiamque suam ademisse tanti viri opinationi vererer, ni eius apponerem verba: *Respondetur* (inquit) *in cælo non fore quidem necessaria palatia, aut domus ad propulsandas aeris molestias. Sed tamen videri concedendum, decorem cælestis ciuitatis palatia magnificaque postulare adificia. Nunquid nihil in cælo præter cæli immensam illam latitudinem, longitudinemque apparebit? Nunquid Beati omnes in cælo veluti in agro oues erunt simul in eodem loco? Nunquid immensi cæli Empyrei loca quam plura vacua erunt, & deserta? Non videtur hoc decorum ::: Habebunt Beati mansiones, vt ex Euangelio constat. Cur non palatia, alia aliis superiora, quibus non concludantur, erunt enim translucida, sed decorentur, & alij ab aliis separentur pro dignitate, ac distinguantur iuxta illud Ioannis* 14. *In domo Patris mei mensiones multa sunt.* Et post pauca: *Intra ipsum cælum Empyreum ad conuexum vsque Beatorum palatia admirabiliter summi artificis manu constructa sunt, ordineque ita disposita, vt alia sint inferiora, alia superiora, & alia aliis sint pulchriora, ac pretiosiora, in celsissimo cæli loco palatium summi Regis Christi est, quod omnem superat admirationem. Eo inferius Deipara Virginis palatium alterum, quale tantæ Regina dignitas postulat. Ordine sequuntur alia penè*

penè infinita tam Angelis, quam hominibus attributa. Habent enim Angeli quoque peculiares sedes, atque palatia, quibus aly ab alijs seiungantur loco. Sunt namque etiam in loco, si non circumscriptiuè, certè, definitiuè.

18 Et ne aliquid inexplicatum relinqueret, addit: *Pariunt hæc palatia quæstiones alias. Prima, quonam tempore sunt fabricata? Respondetur, cum cælum ipsum conditum est, tunc fabricata, & Angelis sunt attributa. Cecidere permulti Angeli, ad palatia illorum vacua vocantur homines. Quod si plures sint homines prædestinati, quàm Angeli damnati, non deerunt omnibus palatia. Secunda. Numquid Christi palatium vsque ad ascensionem Christi ab initio orbis desertum fuit? Quid mirum fuisse vacuum, Regemque multis expectasse annis, sicut alia vacua palatia homines expectant. Tertia. Nouerant ne Angeli quemnam Regem palatium illud expectaret? Nouerant, siquidem Incarnatio illis à Deo est reuelata. Quarta, Angelorum pene infinita multitudo est: Adde homines beatos: non videtur cælum tot palatia capere posse. Respondetur, cælum esse capacissimum, posseque capere omnia. Quod si non vis, esse palatia ampla, concede minora, vel saltem concede admirabiles quosdam thronos beatis hominibus esse fabricatos: Angelis, qui corporibus carent, sed in loco sunt, loca thronis similia esse attributa.* Hactenus piè, & floridè Barradas. Qui pro hac existimatione refert Caietanum 3.p. quæst. 53. in commentario artic. 5. Sotum in 4. dist. 49. quæst. 4. art.7. conclus. 2. Ast hi duo, non palatia, sed distinctas mansiones locales tribuunt Beatis. Refert prætereà Patrem Ferdinandum Perez è nostra. Societate, quondam primarium Vniuersitatis Euoiensis Doctorem, litteris, & virtute præclarum: Adiungit item S.Anselmum c.44. de similitudinibus, vbi hæc habet: *In superna Hierusalem locus est amænus, & magna dulcedine refertus, domus parata, ædificia ampla, diuersi generis mansiones.* Et in cap. 43. dixerat. *Domus, & ædificia magna, & spatiosa ex parte vacua remansisse.* In cælo decidentibus Angelis.

19 Ex modernis adiicio Cornelium in cap. 21. Apocalipsis vers. 19. Benedictum Fernandez in cap. 1. Genesis sect. 2. num. 1. Tannerum tomo 2. d. 1. quæst. 3. dub. 4. num. 30. Drexelium 3. part. æternitatis lib. 2. de cælo cap. 8. §. 3. Nierembergium lib. 4. historiæ naturalis cap. 3. Ludouicum Cresolium in Antologia sacra cap. 1. sect. 6. Ex Patribus antiquis obseruaui nonnullos. In primis S.Athanasius quæst. 90. ex varijs ait: *Quid est, quod inquit, gloriabuntur pij in gloria, & exultabunt in cubilibus suis? Pios dicit spirituales, & sanctos homines, qui gloriabuntur post mortem in cubilibus suis. Cubilia verò sunt mansiones, & domicilia sanctorum, quæ post mortem inuenient, & exultabunt in regno cælorum.* S. Epiphanius apud Cresolium: *in sanctissimis domicilijs, inter Angelorum choros versabuntur* beati homines. Constantinus magnus oratione ad sanctorum cælum cap. 9. apud Eusebium Cæsariensem tradit ex Platone, animabus piorum euolantibus ad cælum, *domicilia pulcherrimis cæli locis velut consecrata esse.* Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam adhortatur nos, vt cogitemus *aureas super cælos sanctorum omnium domos.* S. Vincentius Ferrer. serm. 2. de Assumptione scribit: *Intra Cælum Empyreum sancti Angeli cum magna lætitia recipiunt animam beatam: Angeli, & sancti recipiunt per fenestras, & ibi sunt palatia corporalia de materia cælesti.* Repetit eadem in sermone vnico pro sabatho post Ascensionem. Consonat Guillelmus Parisiensis in primæ partis de vniuerso parte 2. cap. 47. & fortè alij antiqui reperientur. Illustrari possunt palatia Empyrea ex plateis in ciuitate cælesti perspectis à Ioanne cap. & vers. 21. Apocalypsis. *Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.* Quippe per τῷ platea in singulari numero, multas intelligat Cornelius. Accedit illud Tobiæ c. 13. v. 21. *Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur.*

20 Fateor, opinationem Barradæ aliorumque, qui ei adhæserunt, habere satis ponderis à ratione, & ad speciem habere non nihil authoritatis in antiquis. Verumtamen dum Beatis distinctæ mansiones assignentur pro meritorum dignitate, possunt reliqua metaphoricè percipi. Parem ferunt censuram Thyræus tractat. de iudiciaria Christi appositione cap. 26. num. 110. Vasconcellius lib. 1. de Angelo Custode cap. 18. parte 5. Rota de statu Beatorum cap. 8. & talis quidem ferenda est, si illorum, qui sequuntur, præponderet Authoritas Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 36. narrat ex quodam milite rediuiuo. *Transacto autem ponte, amæna erant prata, atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur. Tantusque in eodem loco odor suauitatis inerat, vt ipsa suauitatis fragrantia illic deambulantes habitantesque satiaret. Ibi mansiones erant diuersorum, singulæ magnitudine lucis plena. Ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset non potuit agnosci.* Cætera videbis in S.Gregorio, à quo sic sciscitatur Petrus Diaconus: *Quid est hoc, quæso te, quod in amænis locis cuiusdam domus laterculis aureis ædificari videbatur? Ridiculum est valde, si credamus quòd in illa vita adhuc metallis talibus egeamus.* Respondet S.Pontifex, *Quis hoc, si sanum sapiat, intelligat? Sed per hoc, quod illic ostensum est, quisquis ille est, cui mansio ista construebatur, apertè datur intelligi, quid est, quod hic operatur.* Hæc S.Gregorius animaduersione digna. Si enim nemo sanum sapiens debet intelligere esse in paradiso terrestri domus ex laterculis aurum referentibus ædificatas; neque etiam in Empyreo ex materia, auro, ac margaritis pretiosiori. Dionysius Carthusianus tract. de particulari iudicio singulorum artic. 31. post traditam visionem illius militis, de quo Sanctus Gregorius, & alias, addit, *Vnde videtur in paradiso terrestri esse quædam remuneratio hominum, cum in cælesti palatia non sint.* Quid cauendum sit in his Carthusiani verbis, adnoto in exercitatio 21. Rabbanus transcriptus in Catena aurea S.Thomæ super illud Petri apud Matthæum 17. vers. 14. *Faciamus hic tria tabernacula,* inquit, *Errauit in eo, quod cælesti conuersationi tabernacula facienda putauit, in qua domus necessaria non erat, cum scriptum sit, templum non vidi in ea.* Sanctus Anselmus enarratione in cap. 17. Matth. vers. 14. Remigius apud Syluestrum in Rosa aurea tract. 1. Sabbatho post. 1. Dominicam quadragesimæ, Radulphus Ardens homilia 2. in transfiguratione. Tostatus quæst. 73. in præfatum caput Matthæi eisdem ferè verbis errorem Petri detegunt. Et ex indicato loco Apocalypsis cap. 21. vers. 22. *attendendum,* ait Vbertinus

Casalensis lib. 5. Arboris vitæ cap. 12. *quod propter hoc, quod dicit, templum non vidi in ea, quod gloriam Beatorum iam patet, quod non erunt ibi materialia templa.* S. Chrysostomus homilia 1. de Resurrectione Christi, inquit, *Et nunc quidem opus est nostro corpori domicilio, propter carnis infirmitatem; tunc verò* (nempe post resurrectionem, & existentiam in cælo) *idem & corpus erit & domicilium, neque tecto, neque vllis velamentis habens opus, pro omnibus his contentum sui ipsius incorruptibilitate.* Proclus relatus à S. Epiphanio hæresi 64. (si Proclum hunc adducere liceat) *vult Deus non lapideam domum Dauid ædificare; nec vt in regno Cælorum pulchram domum habeat, sed carnem tabernaculum animæ, quod ipse suis manibus fabricauit.*

21 Neque desunt rationes contra domus & palatia in Empyreo. Etenim summa loci temperies & Beatorum immunitas à passione, ac corruptione inutilem videtur ostendere domorum vsum, vbi Beatos non *percutiet æstus, & sol.* Isaiæ 49. v. 10. neque item frigus. Præterea in statu innocentiæ si perseuerasset, nullæ construerentur domus, vt aduertit Arriaga tomo 2. in part. 1. dist. 43. n. 12. & in aureo sæculo confićto ab Ethnicis, & Poëtis putarunt ipsi, non fuisse; Vnde Ouidius lib. 1. Metamorphoseon canit de hominibus post transactum illud sæculum.

Tunc primum subiere domus--------

Alludit Iuuenalis Satyra 15. dum ait indultum nobis à Deo animum,

Mutuus vt nos

Adfectus petere auxilium, & præstare iuret,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere syluas,
Ædificare domos, laribus coniungere nostris
Tectum aliud............

Ergo rationabile ad modum apparet, vt nos iudicemus in Empyreo neutiquam assurgere ædes, & palatia. *Etsi autem ampla etiam, & magnifica domus possessio ad humanam fœlicitatem pertineat: quid cælo ipso, quod Dei claritate vndique collustratur, vel amplius, vel magnificentius cogitari potest?* Quæ sunt Catechismi Romani verba p. 1. cap. 13. num. 12. Et alicui forsan videbitur domorum diuisionem non decere cælitum conuićtum, & concordiam. Hinc Valerianus Episcopus Cemeliensis in vna homiliarum de misericordia, suadens hanc diuitibus erga pauperes inquit, *Quare illos non vna patrimonij in terra diuisio maneat, quos in cælo eadem portio promissæ hæreditatis expectat?* Sed certè ea diuisio indecens haud quaquam esset, vti neque indecens est distinćtio mansionum, & locorum in cælesti ciuitate; quam tamen Beati omnes adeo vnanimiter possidebunt, vt vnus alium excludere non velit à propinqua, siue mansione, siue domu. *Sæculare vitium est,* notat S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. *vt diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quantò ditior quis fuerit, tantò auidior ad possidendum. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere.* Iuuenalis in Satyra 14. perstringit acutè eosdem diuites mundales,

Ergo paratur. ———
Altera villa tibi, cum res non sufficit vnum.
Et proferre libet fineis, maiorque videtur,
Et melior vicina seges. ———

Plus ab hoc sæculari vitio, quam cælum à terra, distabunt Beati, etsi opulentissimi.

22 Alia, quæ ad interiorem, & exteriorem figuram Empyrei pertinent, attingentur in exercitationibus sequentibus. Semper tamen fatebimur cum V. Beda serm. 18. de sanćtis, *vt verè illa ciuitas, comprehendere nullus sermo sufficit.* Incusabit nos aliquis de nimia in his curiositate. *Non enim est cura sanctis* (quos imitari debuissemus) *axem cæli, & elementorum spatia philosophico more numerosque describere. Quid enim hoc prodest saluti? Quia sancti spiritualibus semper intenti, & vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere.* Ita Sanćtus Ambrosius in Psalm. 118. serm. 12. Et S. Claudianus Mamertus lib. 1. de statu animæ cap. 25. inquit: *Quid mihi proderit vspiam altitudinem corporei cæli quærere, planorum syderum diastemata, vel circulorum vias, vel singulorum interualla rimari? Quid spatia terræ cognoscere, vel abyssi profunda penetrare? Non de his me, vt reor, Apostolus commonitum volait quæ non solum laboriosa sunt, sed etiam noxia, si cum per hæc ad æterna, semperque manentia transeundum sit, in his hæreatur, atque remaneatur.* Eadem ferme scribit S. Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 9. & 10. B. Isidorus Pelusiota lib. 2. epistol. 273. Sed hæc omnia immeritò distorquentur contra nos; vt vt valeant aduersus quosdam Philosophos antiquos, ex quibus Eudoxus, referente Petronio Arbitro in Satyrico; *Consenuit in celcissimi cacumine montis, vt astrorum, cælique motus deprehenderet.* Philosophi illi, *qui se ipsos scire non poterant,* vti exprobrat S. Ambrosius serm. 10. in Psalm. 118. *Cæli scrutabantur plagas*, nimis curiosè, & immoderatè, adeoque exquisita sua de cælo, & astris afficiebantur inquisitione, vt dixerit Ptolomæus Astronomorum Princeps, aut nescio quis eius nomine lib. 1. Florilegij variorum epigrammatum Græcorum.

Mortalem scio me, ac vitæ breuis; ast vbi flexus
Astrorum, atque orbes mente agito varios,
Non iam contingo pedibus sola; sed Iouis almi.
Consors, Ambrosiæ pabula sacra fruor.

Ouidius lib. 1. Fastorum vers. 297.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inque domos superas scandere curæ fuit.
Credibile est, illos pariter, vitiisque, locisque
Altius humanis exeruisse caput.
Admouere oculis distantia sydera nostris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Nosque que sub ducibus cælum metabimur illis,
Ponemusque suos ad vaga signa dies.

Et Seneca in lib. de consolatione ad Heluiam c. 9. *Dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt, non obducantur, dum mihi lunam, solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere syderibus, dum ortus eorum, occasus, interuallaque, & causas inuestigare velocius meandi, vel tardius, spectare, tot per noctem stellas micantes, & alias immobiles, alias non imaginum spatium exeuntes, sed intra se circumagentes suum vestigium, quasdam subito erumpentes, quasdam igne fuso perstringentes*

stringentes aciem, quasi decidant, vel longo tractu cum luce multa praeteruolantes: dum cum his sum, & caelestibus, quae homini fas est, immisceat, dum animam ad cognatarum rerum conspectum tendentem in sublime semper habeam, quantum refert mea, quid calcem? Ast nos caelo sydereo, & astris, nec tam prolixè distinemur, nec tam intemperanter afficimur, *non enim hoc caelum, quod oculis nostris suspicimus, valdè pretiosum est Deo.* vt docemur à S. Augustino enarratione in Psalmum. 98. Sed cum Empyreum, vtpotè Beatorum sedes & metropolis, Deo sit valde pretiosum, nobisque proinde debeat esse, liceat aliqualis de illo curiositas, & inuestigatio, maiorque, quàm de sydereo. Et licet quidem per Hilarium in Psalmum 129. cuiusuis caeli perscrutatio quae de perfecta assequutione non glorietur, dum inquit. *Quis causas, naturasque caeli & huius, & superioris, & caeterorum sciet? secreta illa, & profunda imperspicabilis iudicij secreta mens terrena non penetrat. Inuestigare ea, perscrutarique pium est: sed inscrutabilia ea esse, & inuestigabilia, confitenda sunt; quorum est alterum religiosa voluntatis, alterum imperspicabilis naturae.*

EXERCITATIO DECIMAQVARTA.

De Empyrei soliditate, & diffluentia.

Rectus ordo petit, vt de his quantitatis affectionibus modò tractemus, videamusque, an vtraque, an alterutra Empyreo competat? Quo in puncto, quia copiosi erimus, ideo specialem instituimus Exercitationem, ne praecedens, in qua expendimus alias Empyreae quantitatis affectiones, nimis excresceret.

SECTIO I.

An Empyreum sit corpus solidum, vel diffluens?

Authorum sententiae.

1 Empyreum esse diffluens, seu liquidum contendunt ex Modernis Daniel Malonius in 2. dist. 2. d. 7. sect. 5. Lessius lib. 3. de summo bono cap. 8. & in 1. 2. quaest. 4. a. ac dub. 6. n. 45. Barradas tomo 3. in Euang. lib. 10. cap. 3. Alcazar lib. 2. in eas Testamenti partes, quas respicit Apocalypsis pag. 62. Cornelius in Genesim cap. 1. v. 6. in Apocalyps. cap. 22. v. 6. in epist. 2. S. Petri cap. 3. v. 10. Tirinus in cap. 22. Apocalyps. v. 2. Granadus 3. parte controuers. 13. de Nouissimis d. & sect. 3. num. 27. Tannerus tom 1. disp. 6. quaest. 3. dub. 1. num. 45. & sequentibus, rursus tomo 2. disp. 1. quaest. 3. dub. 2. num. 33. Arriaga. tom. 2. in 1. partem disput. 29. num. 15. disp. 57. num. 9. Drexelius 3. p. Aeternitatis lib. 2. de caelo cap. 8. §. 3. Salas in 1. 2. tract. 2. d. & sect. 14. num. 101. Roa de statu Beatorum cap. 6. Celada in cap. 1. Genes. v. 6. num. 41. Auersa q. 32. Philosophiae sect. 4. ac 3. p. Theologiae quaest. 53. sect 2. & 1. 2. q. 4. sect. 9. Franciscus Torreblanca Villalpando libr. 7. iuris spiritualis practicabilium cap. 3. num. 37. Hieronymus Columbus de Angelica, & humana Hyerarchia lib. 8. cap. 9. num. 3. Bonacina in 3. parte disput. 3. quaest. 5. punct. 4. §. 1. Mendoza in quodlibetis q. 6. scolastica. n. 15. Indicat Estius in cap. 15. Marci v. 19.

2 Ex antiquioribus Guillielmus Parisiensis secundae partis de vniuerso parte 2. cap. 81. fauet huic sententiae; in fine tamen addit: *Verùm secundùm Aristotelem, & sequaces eius non est possibile in corpore caelesti quocumque esse, vel fieri scissuram, vel diuisionem quancumque: quantòminus corpus illud comparatione aliorum caelorum gloriosum, immune est ab huiusmodi passionibus.* Fauet etiam S. Thomas in 2. d. quaest. & a. 2. ad 5. inquiens: *Potest dici, quòd etiam erit confractio caeli Empyrei. Nec hoc erit ei ignobilitas, quia erit instrumentum motum à lingua glorificata, & materia vocis prolata in laudem diuinam. Neque propter hoc sequitur, quòd sit generabile, & corruptibile; quia raritas, & densitas sunt aequiuocè dicta in isto corpore, & in istis corporibus. Sicut etiam ponunt Astrologi inter duas sphaeras, quae non possunt scindi, aliquod spatium repletum corpore diuisibile cum in isto spatio sit motus Planetarum secundùm motum Epicicli.* De hac positione quorundam Astrologorum non adeò benignè loquitur S. Thomas in 2. de caelo. lect. 5. propè finem, & in 12. Metaphysicae lect. 10. Positionis alterius de Empyreo cum meminisset Sotus in 4. dist. 49. quaest. 4. art. 5. in 4. conclus. ait: *Profectò non est facile, sic de incorruptibili caelo sentire, cum scindi, corruptio sit.* Obseruantiùs de ea sentiunt Bartholomaeus Sybilla in speculo quaestionum peregrinarum. decade 1. cap. 3. quaest. 8. Medina in 1. 2. quaest. & art. 3. *Ad argumentum contra auditum.* Bañez in 1. p. quaest. 66. art. 3. in solutione ad vltimum. Gregorius Martinez in 1. 2. quaest. art. & dub. 3. & videtur amplexari Ledesma in secunda quartae quaest. 86. art. 3. Eam altè insedisse Angelico Doctori, colligeret quis exinde, quòd tum in 2. d. & q. 2. artic. 1. ad 3. & ad 1. in scripto ad Annibaldum, tum 1. p. quaest. 66. art. 3. ad 4. respondeat, ideò Empyreum non emittere lucem, quia est corpus rarum, vti ignis in concauo Lunae. Sed haec coniectura infirma esset; nam saluari optimè potest, Empyreum esse rarum, & nihilominus non sectile. Sicque sentiunt aliqui citandi in n. 5. S. Bonauenturae in 2. dist. 2. in expositione litterae n. 32. Alberto in 2. dist. 3. art. 6. Roberto de Licio serm. de Beatitudine consideratione 3. non displicet superior sententia, vt nec Richardo in 4. dist. 49. art. 4. quaest. 3. ad 7. Durando in 4. dist. 44. quaest. 5.

quæst. 5. n. 15. Tatareto in 4. dist. 49. quæst. 14. ad 1. Georgio Veneto in Harmonia mundi cantico 3. tom. 8. controu. 2. & pro illa refertur à Ioanne Maiore in 4. dist. 49. quæst. 14. conclus. 4. in responsione ad 1. quidam Middiltonus, qui dixit, *Cælum Empyreum intus suscipi, & expelli, & reuniri more aeris, dum beati homines loquantur.*

3 Neque aliena est ab Ecclesiæ Patribus. S. Basilius homilia 3. in Exameron vocat firmamentum; *natura solidioris*, quàm Empyreum. Concordat S. Ambrosius lib. 2. Exameron c. 3. Nam discriminans firmamentum à cælo prima die creato ait: *Sed monet nos, quia & nomen aliud significatur, & species solidior, & causa discernitur, & persona cooperatoris adiungitur.* Acacius apud catenam Lypomani super cap. 1. Genes. inquit: *Par esse, quod primum, ac supremum cælum sit longè tenuius.* Moses Barcepha parte 1. de Paradiso cap. 8. *Firmamentum præcedentia quadam subtilitatis cælo illi sublimiori, spiritibusque dicato cedere.* Præterea Origenes homil. 1. in Genes. *Cum iam antea Deus fecisset cælum, nunc firmamentum fecit :::: id est corporeum cælum, omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum.* In quibus verbis animaduertendum est, ideò Empyreum ab Origene vocari incorporeum, non quia sit spiritualis, seu immaterialis substantia, sed quia facilè cedit. Inspiciantur lynceis oculis S. Basilij isthæc verba homilia 3. in Exameron: *Scriptura sacra nomine firmamenti in iis rebus, quæ robore viribusq; exsuperant, uti consueuit. Nam externi homines id firmum corpus dicunt, quod quasi solidum est, densum, ac plenum, vt à Mathematico corpore distinguerent. Est autem Mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit latitudine, in quam, longitudine, & profunditate. Firmum autem, solidumque quod cum dimensionibus & reniti, resistereque potest. Scriptura autem sacra, quod per robustum est, neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit atque adeò vt & in aere addensato hac ipsa voce plerumque vti videatur, veluti cum dicit, qui tonitruum firmat, soliditatem enim, & resistētiam eius spiritus, qui in nubium concauis finibus includitur Firmitudinem tonitrui scriptura nuncupauit. Igitur & hic etiam pro quadam firma, solidaque natura ad detinendas aquas, ac coercendas idonea, quæ suapte natura dilabuntur, perfacileque dissoluuntur, hanc à scriptura vocem ordinatam esse arbitramur.* En sydereum cælum, quatenus distinguitur ab Empyreo (corpore quidem Mathematico) solidum est, densum, ac perrobustum, & nullatenus cedens. Eodem in sensu intelligendus est Eusebius lib. 13. de præparatione Euāgelica c. 6. dum scribit. *In creatione mundi sensibilis solidum cælum creauit; solidum porrò nihil aliud, quàm sensibile est.* Idest renitens, ac resistens. S. Gregorius Nyssenus in Exameron profert alia verba impensè etiam perpendenda. *Ego* (sic fatur ille) *corpus quidem densum, & spissum, solidum, resistens, ac durum, siue ex quatuor illis vnum, siue etiam aliquod aliud præter hæc, quemadmodùm externis Philosophis visum est, nullum circa firmamentum arbitror spectari; sed extremitatem naturæ sensibilis, quam natura ignis irrequieta, semperque se mouente vi illustrat, & ambit, ea à scriptura firmamentum dici comparatione sempiterna, incorporea, tactumque effugientis proprietatis. Quis enim ignorat, quòd quicquid solidum, ac firmum est, per quandam duritiem prorsus densatum, & consolidatum sit. At quod densum, & durum est, à qualitate ponderis, & grauitatis vacuum, ac purum non est. Quod autem graue est ad supera ferri naturâ non potest. Atqui super omnem sensibilem creaturam firmamentum est Non igitur aliquid crassum & corporeum circa ipsum putare esse, consequentia sermonis dat: sed vt dictum est, comparatione cum eo, quod cogitatione, & mente percipitur, & incorporeum est, quicquid sensibilis generis est, solidum dicitur, etiamsi naturali tenuitate effugiat animaduersionem, & visum.* Hactenus S. Nyssenus, docens, tum firmamentum potiori iure dici corpus, quàm cælum, *quod cogitatione, & mente percipitur*; quod videtur esse Empyreum: tum ipsum firmamentum esse corpus tenue, & molle, licet non adeò, ac aliud cælum *sempiternum* (seu antiquius mundo sensibili secundùm hunc Patrem) *Incorporeum, tactumque effugiens*, quod videtur etiam esse Empyreum. Nisi alicui magis placeat per cælum distinctum à firmamento intelligere in S. Nysseno Angelicos spiritus. S. Cæsarius in dialogo 1. rogatus. *Quid est secundum naturam firmamentum, quod intermedium separat aquam, & aquam vltra cælestem, & marinam?* Respondet. *Primo quidem die cælum creabatur, quod situm est supra firmamentum: secundo vero id firmamentum, quod supra caput nostrum cernitur: quod alterius, quàm superius illud, est naturæ.* Rogatus rursus: *Quomodo veri cum vnius, & eiusdem sunt nominis, alterius & diuersæ erunt naturæ?* Respondet: *Qui studiosè, & non perfunctoriè litteram examinant, etiam in appellatione multum differentiæ deprehendent. Aliud enim cælum, aliud verò est firmamentum. Proinde & ex ipsa appellatione discimus id, quod cernitur, solidioris esse naturæ, quàm sint in adspectabilia. Moses siquidem inquit: In principio fecit Deus cælum, & terram. Hinc verò firmamentum illud memorat, & dixit Deus: Fiat firmamentum. Et Isaias asserens illorum quidem tenuitatē, & leuitatem naturæ, huius verò soliditatē, & crassitudinem corporis, inquit. Qui firmauit cælum veluti fumū, & extendit ipsum, veluti tabernaculum. De eo verò, quod cernitur, inquit. qui fixit cælū veluti cameram:·:·:· Superiorum igitur substantiam silentio præteriens, quantùm assequi possum, eius, quod cernitur, natura crystallinam inquit esse diuino præcepto fixam, & roboratā, vt faciliùs ferat vltra mandata: ideoq; nostra crassitudinis expers esse vitrosq; vero cælos sustineri ab ea, quæ omnia vincit, & sustinet, diuina virtute.* Sic S. Cæsarius: qui in eodem Dialogo iterùm tradit; cælum superius firmamento *subtilioris esse substantiæ, quàm superiora, & leuiora, velut bullæ in glacie enascentes.* Siquis interpretetur S. Cæsarium, quatenus cælum illud subtilius sint Angeli apud ipsum; & non Empyreū, litem interpretationi non intēdam. Nicetas Choniates lib. 4. thesauri in confutatione hæresis 9 & Georg. Cedrenus initio Cōpend. Histor. æmulati sunt Patres supra memoratos.

4 Non defuere Authores, qui in Empyreo cauitates aëre plenas machinati sunt, & qui cū ipso secūdùm se solido penetrari aerē fluidum excogitarunt. Ita nōnulli impugnati ab Hērico, & Abulensi locis infra allegandis, ac Ioannes Maior vbi supra loquens in hunc modum: *Aer erit cum cælo. Nā corpora Beatorū in cælo erūt simul penetratiuè, alioquin oporteret calū cedere. Suasio est ad hoc, quia omne, quod ad Beatorū corpora cōducet, stabit cū cælo, vt aer, sine quo non benè viuit homo, suas operationes exercēdo. Hoc autē modo tenēdo nulla est difficultas, quin beatus loqui poterit.*

Porrò Empyreum esse solidum, & inflexibile affirmant Henricus Quodlibeto & q. 7. Ægidius Romanus in quodlib. 6. q. 25. & in 2. dist. q. & art. 2. in responsione dubij 2. Argentinensis dist. & q. 2. art. 1. v. *Respondeo, quod resuscitatis.* S. Antonius. 3. p. summæ Theologicæ tit. 30. cap. 7.

§. 2.

§. 2. Aureolus in 4. dist. 48. art. 1. v. *Alii eiusdem opinionis.* Scotus in 4. dist. 49. q. 16. v. *contra, fide tenemus* Bassolis ibidem art. 1. Paludanus in 4. dist. 44 q. 3. in fine. Iauellus 8. parte Philosophiæ Christianæ tract. & cap. 3. Abulensis in Paradoxo 5. cap. 190. Viguerius in Institutionibus cap. 14. §. 2. v. 6. Sotus in 4. dist. 49. q. 4. art. 7. v. *dubium autem est.* Suarez lib. 1. de opere sex dierum. cap. 5. & tomo 2. in 3. p. disp. 47. sect. 6. Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 27. §. 2. Connimbricenses l. 2. de Anima c. 8. q. 3. à 2. Theophylus Raynaudus in Theologia naturali dist. 2. q. & art. 1. n. 23. Ægidius Lusitanus tomo 3. de Beatitudine lib. 4. q. 7. art. 2. §. 4. à n. 4. Benzonius in Canticum Magnificat lib. 2. cap. & dub. 4. libertus Fromondus in vesta tract. 1. cap. 1. Martinus Mersennus in cap. 1. Genes. v. 8. q. 7. art. 1. n. 12. Alijque non pauci recentiores. Ex relatis scriptoribus Argentinensis. v. *Respondeo, quòd licet.* Abulensis cap. 191. & Iauellus volunt nihilominus, Empyreum esse tam raræ substantiæ, sicut aetea materia,

Nostrum iudicium.

6 Variis assertionibus digestum expromo. Prima, Empyreum est solidum penes superficiem concauam. Habet patronos Lessium, Tannerum, Roam, & Auersam; à mente Patrum Ecclesiæ non est extranea. Probatur 1o. ex Apocalyps. cap. 21. v. 12. vbi de ciuitate cælesti dicitur; *Et habebat murum magnum, & altum.* nomine enim muri venit satis aptè percipienda superficies solida Empyrei tam concaua, quam conuexa. 2. ex Apostolo in epist. ad Hæbræos cap. 4. v. 14. prædicante de Christo *penetrasse cælos.* At si Empyreum esset vndequaque liquidum, & permeabile propriè illud non penetrasset; cum tamen Apostolus loquatur de stricta penetratione, vti interpretatur S. Thomas 3. p. q. 57. art. 4. ad. 3. Probatur 3. ex cap. 6. Paralypomen. v. 30. & 33. vbi asseritur cælum, quod est habitaculum Dei, *esse firmum, & firmissimum.* Id autem non ita benè stat, si totum Empyreum sit fluidum. 4. Machina huius mundi visibilis fabricata ad mortalium habitationem continet pauimentum solidum, firmum, & stabile. Ergo par est, vt illud etiam contineat machina mundi inuisibilis constructa à Deo ad habitationem immortalium. Sed quia responderi poterit, hos, vt insistant pedibus, non indigere pauimento, sicut indigent illi, & prætereà stationem ordinariam Beatorum non fore in superficie concaua Empyrei, ideo aliter instauro probationem, eo quòd videatur rationi consentaneum, vt Dei Regia, pulcherrimumque vniuersi opificium separetur à reliquis corporibus cælestibus solido aliquo, & constanti termino circunscriptium. 5. nisi inter Empyreum liquidum, & aquas supercælestes esset aliquod firmum, & stabile interstitium, confunderentur, & miscerentur. Vnde sicut inter supernas aquas, & terrestres interpositum est firmamentum, ne confunderentur vt canit Ecclesia in hymno ad vesperas Feriæ secundæ

Immense cæli conditor,
Qui mista ne confunderent,
Aqua fluenta diuidens,
Cælum dedisti limitem.
Firmans locum cælestibus
Simulque terræ riuulis.

Ita similiter &c. video responderi posse, corpora liquida Empyrei, & aquarum supercælestium non permiscenda, ita vt vnum continuaretur cum alio, obstaret enim diuersitas specifica formarum; quæ etsi non obstaret contiguitati, nihil incongruentiæ in hac apparere. Sed tamen vt minimùm sequitur, corpus liquidum Empyrei, accedentibus glorificatis corporibus, occupaturum partem spatij possessi antea ab aquis, relicturumque eam, dum glorificata corpora recederent. Nam si totum Empyreum est liquidū, recurreretur sine causa ad rarefactionē, & condensationem. Incongruum autem est dicere Empyreum iam se extendere ad limites aquarum, iam se intra suos coarctare. Neque proderit cogitare, extensurum se versus partem superiorem. Etenim id etiam præsefert absurditatis speciem. Et prætereà cur potiùs versus superiorem, quam inferiorem extenderetur, maximè quando corpora glorificata accederent primò ad inferiorem? 6. Nisi superficies concaua Empyrei sit densa, adeoque solida, difficilè expeditur, cur eius interior lux initio orbis non illuminauerit abyssum, & cur à nobis nunc non ornatur. Scripsi: *difficilè expeditur,* conscius saluari ab Auersa q. 33. Philosophiæ sec. 3. q. 34. sect. 2. & 8. differentias opacitatis, & diaphaneitas in corporibus cęlestibus absque differentiis densitatis: constat quippe Crystallum esse magis densam, quam lignum & tamen illa est diaphana, non verò istud. Nonnullis constat etiam aerem infimæ regionis plus densitatis, & minus opacitatis, habere quàm nubes siquidem his ille succumbat? & radius solaris altiùs in illum, quam in has penetret, vt peritè notat Fromondus lib. 5. Meteorologicorum c. 5. art. 1 qui lib. 4. cap. 2. art. 5. animaduerterat, marinas aquas densiores quidem esse fontanis; simulque pelluciores. Lege Hieronymum Trimarchy in lib. 1. Meteoro. d. 5. sect. 7. n. 41. & in lib. 2. d. 1. sect. 5. n. 56. Nicolaum Cabeum lib. 4. Meteorologicorum textu 14. q. vnica v. *verum quidem est.* Vbi notat eum, qui obstinatè negaret duritiem, & mollitiem in corporibus cælestibus, non posse euidenter conuinci; idemque de densitate, & raritate dictum puta. Mihi satis est, opacitatem summam ægrè saluari posse absque soliditate. Superficies verò concaua Empyrei debet modo esse opaca summè, vt tradidi in Exercitation. 10. num. 19. & 20.

7 Secunda assertio. Empyreum est etiam solidum penes superficiem conuexam. Sic Authores recenseri pro prima. Probatur primò, quia conuenientissimum videtur, vniuersum hoc circumuallari constanti, & immobili aliquo corpore, quod sit terminus limitaneus naturæ, & mundi. Insuper ornatus recti decet supremum domicilium. Secundò, quia alioqui ex accessu corporum glorificatorum moueretur corpus liquidum Empyrei versus spatia imaginaria, & ex dicessu retroduceret. Terriò, quia cū superficies concaua Empyrei sit solida, deest ratio negandi id ipsum de conuexa. Probabit quartò aliquis, quia beati homines commoraturi sunt ordinariè supra conuexam Empyrei superficiem; ideoque debet esse solida; aliter non nisi miraculosè insistent pedibus supra ipsam. Sed hoc argumento non vtar. Nam in primis beati homines non nisi intra Empyreum existent frequenter, iuxta dicenda in sect. 2. Exercitationis 18. Deinde si à glorificatis corporibus auferenda sit naturalis grauitas, vt opinantur nonnulli apud Ægidium Lusitanum tomo 3. de Beatitudine lib. 4. q. 1. art. & §. 2.

n. 3. lib. 5. quæst. 5. art. 7. §. 2. num. 5. consistent æquè facilè supra liquidam superficiem, ac supra solidam. Imò etsi auferenda non sit grauitas naturalis, quod multò verius est, consistent æquè facilè, non quia superficies non obstante liquiditate, grauior esset, quàm corpora glorificata, & sic sustentarentur supra illam, non secus ac ligna supra aquas, vt ait Arriaga tomo 2. in 1. parte. d. 33. num. 23. tribuens sine causa grauitatem corpori cælesti, & Empyreo, maioremque, quàm humano: Sed quia potiùs superficies illa nec grauitatem, nec leuitatem haberet, & proinde corpora glorficata supra eam nec grauitarent, nec leuitarent, vt idem Author meliùs considerat disp. 56. num. 27. ac 28. Plura de hoc puncto in exercit. 18. Et aduerterim hic contra Sotum v. illo *Dubium autem est*. Posse beatos homines pedibus gradiendo mouere, & sistere se supra ignem, aërem, & aquam, quia impedire possunt grauitationem suorum corporum, & non impellere, neque diuidere ea alia. Ita Ægidius (cum Ouando) lib. 4. quest. 22. art. 3. §. 2. num. 8. Suarez tom. 3. in 2. p. d. 48. sect. 4. v. *Nihilominus hæc Durandi sententia.* Salas in 1. 2. trac. 2. d. 14. sect. 18. num. 148.

8 P. Tannerus quæst. 3. dub. 1. num. 26. existimat, superficies, de quibus in præcedentibus assertionibus, consolidatas secunda die mundi, cum ex diuino imperio factum est firmamentum. Non enim erat, cur initio crearetur Empyreum solidum penes vtramque superficiem, siquidem in prima sui creatione esset solummodo sedes Dei, & Angelorum, pro quibus necesse non fuit, fieri firmum. Simili argumento posset dicere non condensatam vtramque superficiem vsque ad ascensum Christi Domini in Empyreum, aut vsque ad diem magni Iudicij non consolidandam. Vlteriùs nomine firmamenti nullus huc vsque intellexit Empyreum, aut eius aliquam partem, vt notant Delrius in cap. 1. Genes. num. 36. Petrus Hurtadus disp. 2. de opere sex dierum sect. 3. Et absurdum videtur ex condensatione vtriusque superficiei facta in secunda die minus spatij occupare vniuersum, quàm antea. Quod si vsque ad secundum diem permansit liquidum totum Empyreum, cur eius lux non se extendebat ab abyssum, tenebrasque non fugabat? Denique beati homines non existent ordinariè, iudice ipso Tannero, supra conuexam Empyrei superficiem, neque item supra concauam, sed in altissima parte regionis mediæ, *quæ occupabit distantiam, seu spatium longè maius, quàm sit interuallum inter superficiem terræ, & cælum Lunæ, quod Astronomi statuunt, esse plus quàm centum, & sexdecim millium milliarium; maximè cum spissitudini sphæræ Octauæ tribuant centum octoginta milliones milliarium. Imò ob hanc ipsam causam distantia illa intra superiorem, & inferiorem partem Empyrei spissitudinem, seu crassitiem totam totius globi elementaris ad concauum lunæ vndique protensi longè excedit. Alioquin enim aut cælum Empyreum cum aliis cælis, aut sedes, & habitatio illa Beatorum, (in qua iuxta S. Thomam 3. p. q. 57. art. 4. & communem Doctorum erit distinctio locorum secundum altitudinem pro diuersa Beatorum perfectione) cum cælo Empyreo non haberet debitam proportionem. Neque enim in angusto palatio decet, vt locus habitationi destinatus, variisque quasi contignationibus interstinctus, angustius spatium occupet, quàm tectum, aut pauimentum, seu fundamentum.* Omnia hæc verba ipsius sunt Tanneri in num. 45. Si ergo frequens Beatorum hominum statio futura non erat supra alterutram superficiem, assignet aliam causam consolidationis factæ secundo die. Sed etsi supra vnam, vel alteram futura esset; constat ex numero confini, non debuisse ob hunc titulum condensari. Satius itaque est dicere, Empyreum dum primò creatum fuit, accepisse soliditatem in vtraque superficie ob rationes à nobis præstitas.

9 Idem Tannerus q. 4. dub. 5. num. 14. cum asseruisset, fore, vt cælum sydereum liquescat post diem iudicij, addit: *Excipio tamen hic cælum Empyreum, quod Beatorum habitationi destinatum, soliditatem vtique suam ob eandem causam perpetuò duraturam retinebit.* Videlicet quoad superficiem concauam, & conuexam. Lubens assentior cum Bonacina supra quæst. & punct. 5. propos. 4. n. 9. dummodò soliditas vtriusque superficiei non adstruatur, vt necessaria ad glorificatorum corporum sustentationem. Hinc dissentior Cornelio in c. 1. Gene. v. 6. inter vsus aquarum supercælestium hunc designanti, *vt sicut aqua hic aeri nostro, ita aquæ illæ subseruirentætheri, qui est in cælo Empyreo.* Etenim impeditæ interstitio solido superficiei concauæ non poterunt deseruire ætheri Empyreo. Neque video quid officij, si expeditæ essent, præberent.

10 Tertia assertio; Empyreum est diffluens, & molle penes partem mediam. Ita Authores relati num. 1. & 2. ac 3. Probatur primò à Tannero q. 3. dub. 2. num. 47. quia corpora vniuersi, quo nobiliora sunt, sublimioremque occupant locum, eò sunt liquidiora, & subtiliora. Ergo Empyreum, quod est corpus omnium nobilissimum & supremum, excedet omnia in liquiditate, & subtilitate secundùm regionem mediam; nam secundùm superficies proprio iuri quasi, cedit propter Beatorum corpora, quemadmodùm aqua propter habitationem mortalium non occupat locum sibi naturalem supra elementum terræ. Non fido huic probationi; nam licet in corporibus elementaribus valeret antecedens, non sic in cælestibus; cum sydera ex communi sententia solida sint suapte natura; quod saltem de Planetis, & Stellis nullus quem sciam negat. Adde, corpora mixta, quò nobiliora, eò plerumque esse densiora, ac firmiora, vt in metallis, lapidibus, & pluribus viuentium partibus obseruat Petrus Hurtadus d. 2. de cælo sect. 5. §. 62. Probatur itaque secundò, quia Empyreum vndequaque durum instar æris, aut Crystalli non concipitur, vt capax illarum amænitatum, & deliciarum, quas vulgaris Christicolarum existimatio putat continere, neque enim

—— *Largiùs vsquam*
Indulsit natura sibi ——

Tertiò & meliùs, quia cum Empyreum conditum sit à Deo, vt in ipso tanquam in perpetuo, & stabili domicilio degant corporaliter Beati immortalitatem corporum consequuti, oportuit construi habitationi commodum. Sed nisi liquidum ponatur, non erit commodum magis, quàm marmor, aut Crystallus. Ecquis autem commodè habitet intra solidum marmor, aut Crystallum? Quartò nisi pars media Empyrei sit permeabilis Beatorum corpora semper penetrabuntur miraculosè cum Empyreo ipso: nec poterunt se naturaliter mouere: neque loqui, nisi sit spirabilis: neque item audire, & olfacere, nisi sit scindibilis, & liquida. Quare mille miracula multiplicant sine necessitate

necessitate, qui illam veluti marmoream, aut crystallum fabricantur.

11 Quarta assertio: Supercælestis aquæ, de quibus in sacris litteris fit mentio, non replent spatium medium Empyrei. Est contra singulorum opinionem Tanneri quæst. 3. dub. 1. à n. 39. aliorumque paucorum, de quibus in num. 21. Probatur primò quia tam peregrina opinione non egemus ad defendendā Empyrei fluiditatem. Secundo, si nomen aquarum competit parti mediæ Empyrei, sequitur tenebras, quas *super faciem abyssi* fuisse, ait Moyses cap. 1. Genes v. 2. extensas vtique vsque ad illam. Etenim per τὸ *abyssi* significatur iuxta Tannerum *totus mundus corporeus, tam cælestis, quàm elementaris, iam antea quoad substantiam creatus*: & per τὸ *aquas* in illis verbis: *Spiritus Domini ferebatur super aquas* intelligitur *totum liquidum, ac Diaphanum tam cæleste, quàm elementare corpus, quod à terra sursum per infinita quasi spatia diffusum erat.* Sic ipse in synopsi totius opificij sex dierum. Tertiò: incredibile est, vocem hanc, *aqua* in breuissima narratione capitis 1. Geneseos significare tum totam mundi substantiam liquidam, & permeabilem, ac diaphanam; tum quia corpus spirabile Empyreum, diuersum specie secundum materiam (vt ipse Tannerus censet (& formam substantialem ab aquis elementaribus; tum cælum sydereum, antequam, consolidaretur, & firmamenti nomine insigniretur; tum aquas ipsas elementares.

12 Quinta assertio: Si in Empyreo assurgant palatia (de quibus in sect. 4. exercitationis proximæ) non erit ex integro liquida pars eius media. Et credibile est, dari intra ipsam solidum aliquod quasi pauimentum theatri, seu montis summitatē, in qua aderunt Beati Christo Domino, vt Principi. Id indicare videtur S. Ioannes cap. 21. Apocalips. v. 10. dum se sublatum dicit *in montem magnum, & altum*, & ostensam ibi *ciuitatem Sanctam Hierusalem*. In quorum verborum declaratione scribit Cornelius: *Mons hic non erat extra ciuitatem, quasi eò ductus sit Ioannes, vt eminus ex eo conspiceret ciuitatem, sed fuit mons ipse ciuitatis, siue in quo ædificata erat hæc ciuitas. Porrò mons hic in cacumine, vbi erat ciuitas, planus erat, & æqualis, nam de ciuitate ipsa dicitur v. 16. longitudo, & altitudo, & latitudo eius æqualia sunt.* Hæc Cornelius, cui consentit, multoque antea notarat S. Bernardinus Senensis, vel Nicolaus Lyranus ibi: *Per montem designari cælum Empyreum, quod secundum Sanctos, & Doctores est locus bonorum, & in corporalibus habet locum, & situm supremum.* Præter pauimentum theatri erunt solidi aliqui throni pro Christo saltem, & eius sanctissima Genitrice, vt dicam in Exercitat. 18. & in Exercitat. 19. Neque hi throni, aut illud pauimentum necessaria erunt, vt Beati pedibus insistant, vti de pauimento indicat Auersa supra: sed conducent ad maiorem pulchritudinem Regiæ cælestis, & ad ostentationem maioris maiestatis.

Soluuntur obiectiones.

13 PRima contra tertiam assertionem; cæli cæteri imperfectiores Empyreo solidi vndequaque, & ex natura sua. Ergo à fortiori ipsum Empyreum debet excogitari solidum secundum se totum. P. Tannerus negat cælos sydereos suapte natura esse solidos, licet de facto habeant soliditatem P. Balthazar Tellez parte 2. Phylosophiæ d. 40. à n. 16. vsque ad 21. cum Paulo Aresio, Arriaga, Schomberno Cysato, & Templio, qui citant multos alios antiquiores, defendat, cælos tam stellarum fixarum quàm errantium, & Planetarum esse liquidos: concordat Martinonus tomo 1. disputationum Theologicarum disp. 33. sect. 4. n. 26. Libertus Fromondus in Vesta tract. 2. c. 1. quoad cælos Planetarum, idque valde probabile est Marino Mersenno in c. 1. Genesis vers. 8. q. 7. & Hieronymus in c. 7. Genesis vers. 11. libenter saltem admittit, corpus firmamenti porosum esse. Naclantus in Medulla scripturæ sacræ pag. 481. cælum inferius stellatum permeabile instar aeris à Planetis iudicat; in idque inclinat animum Torniellus die mundi prima, num. 2. Sed etsi concedatur antecedens, diuersa est Empyrei, & aliorum cælorum causa; cum illud conditum sit in eum præcipue finem, vt sit domicilium fixum Beatorum; quare par est, vt sortiatur conditiones, quæ commodiores sint ad habitationem. Vna autem ex conditionibus est liquiditas secundùm profunditatem. Vt taceam, soliditatem non esse vniuersim maioris perfectionis indicium, quin si ex elementis exemplum sumatur, quò perfectiora sunt, eò sunt liquidiora.

14 Secunda: Beati pro libito, & arbitrio suo cælos inferiores solidos, cum velint, perambulabunt. Ergo soliditas Empyrei non obstaret eorum actionibus, quemadmodùm non obstabit aliorum cælorum soliditas. Respondetur, Alios cælos non fore ordinarium domicilium Beatorum; ideoque congruentias à nobis allatas retinere specialem vim respectu Empyrei, in quo non videtur poni conuenienter medium semper resistens naturaliter corporeis Beatorum actibus præcipuis.

15 Tertia: Beati erunt cum Christo supra Empyreum: ergo sine necessitate adstruitur medium Empyrei permeabile, respirabile, ac scindibile. Respondetur negando antecedens, de assistentia crebra supra Empyreum, vt iam promisi, me tractaturum in sect. 2. exercitat. 17. Inquies, vt quid regionem mediam Empyrei constituo diuisibilem, & liquidam, cum intra eam indiuisibilem, & densam queat à Beatis dearticulari vox, audiri sonus, olfieri odor, non aliter ac extra, & supra Empyreum ipsum, cumque fieri queat motus localis eodem modo, & æquè facilè, ac per globum solis? Concedo, motum localem fieri posse eodem modo, & æquè facile per regionem mediam Empyrei, si esset inscindibilis, ac per globum solis, casu, quo Beatus velit vti dote subtilitatis, quia tamen penetratio cum regione media esset miraculosa, nō minùs quàm cum globo solis ideo incongruū videri, talem esse eam regionem, quæ occupatur tanquam perpetua sedes, & domicilium, vt ad mouendum se, & existendum inibi opus sit continuato miraculo. Quod enim ad tempus deferri valeat à Beato regio media ascendendo supra, vel discendendo infra Empyreum, non faciet, ne miraculosa sit frequens cum ipso penetratio. Spectat autem ad suauitatem diuinæ prouidentiæ sic condidisse ciuitatem cælestem, vt quantùm fieri possit euitentur miracula in motu, & existentia cælitum intra illam. Et licet respectu status Beatitudinis, cui connaturalis est dos subtilitatis in corporibus humanis, miraculosa non si penetratio cum alio corpore non glorificato; at respectu humanorum corporum semper est miraculosa. Hinc à fortiori pro loquutione, auditione, & olfactione

non

non sunt multiplicanda miracula in Empyrea aula, si quidem munera dotium gloriæ, quibus ornātur glorificata corpora, non ad id deseruiunt, vt sine percussione respirati aeris, vel quasi aeris formetur vox, articuleturque per syllabas, ac verba; neque item vt soni, & odores; vel species eorum ferantur ad auditum, & olfactum non percurrendo medium liquidum; neque tandem vt odores, vel eorum species immutent olfactum humanum absque attractione aeris, vel quasi aeris externi. Nam impossibilitas, agilitas, & subtilitas corporum glorificatorum ordinantur procul dubio ex instituto suo ad alias functiones longè diuersas; & supposita concessione prædictarum dotium intercederent noua miracula in formatione vocis, auditione soni, olfactione odoris intra regionem mediam Empyrei, si inflexibilis esset, & solida. Inquies iterùm: Si Empyrei pars media sit respirabilis, proindeque solo aere incluso in corpore Beati non sit efformanda vox, sed necessarium sit corpus externum molle, quod trahatur, & emittatur, quodque impulsum, & repulsum reddat vocem, & sonum, quodque sit vehiculum vocis, & soni vsque ad aures, ebulliunt inde non pauca absurda. Primum, fore illud corpus eiusdem speciei cum aereo; siquidem commisceretur aeri emisso ex ore Beati, quando formaret vocem impulsione, attractioneque corporis illius liquidi. Secundum, ab illo corpore occupandum in pulmone, & aliis interioribus partibus Beati locum, quem antea occupabat aer internus elementaris: quare calefieret. Tertiùm, fore deportandum in terram, si Beatus ad eam descenderet, illo enim os, & interiora esset repletus. Vnde sequeretur vacuum in Empyreo. Et adhuc extra istud non posset loqui: si enim loqueretur, emitteret, & perderet corpus illud liquidum; quandoquidem ad vocem dearticulatam opus sit emittere aerem, vel quasi aerem extra os, vtpote quæ efformetur in dentibus, & labris, experientia id ostendente. Qua de causa, vt notat Aristoteles lib. 2. de anima cap. 8. textu. 90 non valemus inspirare, seu attrahere aerem, & loqui simul. Qua etiam de causa cum S. Thomas in 2. dis. q. & art. 2. ad 5. dixisset, *ad formationem vocis* vt cumque *non esse necessariam expulsionem, vel attractionem aeris*, addit paulò post, *ad vocem* (nempe dearticulatam) *non tantum exigi aerem interiorem, sed etiam exteriorem, cuius confractione, & motu sonus deferatur*. Respondetur, si commisceantur aer internus elementaris (qui forte in Empyreo non erit, vt posteà attingam) & corpus illud liquidum, non sequi esse eiusdem speciei; aer enim, & aqua commiscentur, cum tamen sint diuersæ. Neque sequi calefaciendum, etiam si diffusum esset per interiora Beati; est namque incapax alterationis prouenientis à primis qualitatibus. Quare sicut manus Beati temperatè calida non afficiet calore Empyreum siue solidum, siue fluidum, sic nec cor afficiet ipsum. Denique non sequi deportandum ad terrā; etenim impediet Deus, & ne sequatur vacuū intra corpus Beati, infundet ei Deus aerem elementarem. Et licet deportaretur, non sequeretur vacuum in ipso Empyreo; quippe rarefieret aliquantulùm regio ipsius media. Quod adiicitur in tertio absurdo solutionem exposcit, & ab iis, qui solo aere elementari existenti intra glorificatum corpus volunt efformari vocem in Empyreo. Ideo Suarez, Henriquez, Salas, & alij respōdent, Beatum non permissurum exire extra os aerem, aut si exeat reuocaturum imperio. Et hæc quidem traduci facilè possent ad corpus liquidum Empyrei, quando Beatus descenderit in terram; nisi mauis vsurum tunc aere elementari, quia videlicet ex Empyreo non deportarit corpus illud liquidum. Si verò Beatus ascenderit supra conuexam Empyrei superficiem, vel descenderit ad orbes sydereos, tunc pro formanda voce vtetur corpore liquido, quo in Empyreo, nimirum, vel aere elementari, vel aura Empyrea. Et magis propendeo, vt putem, in Beato nullum fore aerem elementarem internum, dum existat intra Empyreum; non enim est necessarius siue ad refrigerandum corpus, caloremque temperandum, siue ad efformandos spiritus vitales. Quapropter loco aeris elementaris succedet tenuissima aura Empyrea, replebitque cauitates internas, quas modo ille occupat vna cum superfluis humoribus ac fæcibus. Sermonem non habui de aere innato potentiæ auditiuæ, si (secus ac censet Rubius lib. 2. de anima tract. de sensu auditus q. 6. n. 121.) sit similes elementari; nam sine dubio corpus glorificatum eo non carebit. Aduerterim, Beati loquentis vocem, dum ad tempus commoretur supra Empyreum, vel intra sphæram stellatam, posse audiri ab alio ibidem existente, delatis per vacuum, vel per medium solidū speciebus soni, aut translatis in facultatē auditiuā quin percurrāt spatium interiectum; tam enim vnum, quam aliud fieri valet diuinitus. Qui dicunt, aut speciei concursum à Deo supplendum, aut solo Deo illam producendam in audiente, superuacaneè ponunt loquutionem. Vt quidem externè, & sensibiliter alloqueretur vnus Beatus alium, si sonus ore prolatus, aut species ab ipso causata non inmutet physicè auditum alterius? Nullus iam non videbit, quàm expeditè in nostro modo discurrendi defendatur loquutio, & auditio Beatorum, maximè intra Empyreum. Neque minus expeditè defenditur olfactio, tū qua parte necessarium est pro odoris vehiculo corpus liquidum, tum quā requiritur (experientia teste, & obseruatore Aristotele lib. 2. de anima c. 9. text. 98.) in homine olfaciente attractio aeris, vel quasi aeris externi. Meritò itaque ob hanc causam Tannerus tomo 2 d. 1. quæst. 3. dub. 4. num. 38. & Arriaga tom. 2. in 1. p. d 57. num. 10. admittunt respirationem in Beatis intra Empyreū, quicquid desudet Ægidius Lusitanus tom. 3. de Beatitudine lib 4. quæst. 8. art vnico §. 4. à n. 27. ne eam concedat. Inquies, pisces olfacere, quin attrahant aerem, vt fallus est Plinius lib. 9. historiæ naturalis cap. 7. Ergo ex eo quòd Beati olfaciant, non rectè infertur necessitas inspirati aeris, vel quasi aeris. Respondeo, pisces habere organum olfactus patens, & apertum; ideoque non requiri in ipsis inspirationem ad eleuandum operculum; cuius eleuationis de causa est in hominibus necessaria.

16 Quarta: Empyreo debet tribui omnis incorruptibilitas possibilis non solùm quo ad qualitates, sed etiam quoad quantitatem. Si autem esset liquidum, & tranabile, fieret in illo frequens diuisio, & corruptio indiuisibilium; imò & sequeretur substātialis destructio ipsius; posset enim scindi in partes minores quantitate requ sita ad cōseruationē formæ substātialis Empyreæ. Respondetur, satis esse dignitati Empyrei, si sit incorruptibile substātialiter, & accidentaliter per qualitates elementares. Neq; ex eò quòd vniones partium Empyrei sint destructibiles, ipsū dicetur absolutè, & simpliciter corruptibile, vti materia non sic dicitur corruptibilis

bilis, quantamuis partium ipsius vniones possint destrui ab agente naturali. Replicabis, homo ob destructibilitatem vnionis substantialis inter animam & corpus dicitur simpliciter, & absolutè corruptibilis. Ergo similiter &c. Sed contra, quia vnio partium quantitatis Empyreæ non est de huius essentia, vel licet vt summùm sit ei essentialis exigentia vnionis, non tamen ipsa vnio. Ast substantialis vnio inter animam, & corpus est de essentia hominis, ita vt vnionis exigentia etiam essentialis non sufficeret ad constituendum hominem. Insurges rursus cum Bernal. d.12. de Incarnatione num.39. Arriaga disp.4. Physicorum à num.124. Alfonso disp.2. num.144. pars quantitatis est essentialiter diuisibilis in partes, & debet essentialiter includere vnionem partium, cuius destructæ ratione possint partes separari. Contra pars quantitatis non est essentialiter diuisibilis vt totum in partes, sed vt pars in partes. Quare etsi essentialiter exigat vnionem, tamen eam essentialiter non includit, cum vna pars aliam non includat essentialiter, sed exigat; eo quidem pacto, vt in qualibet parte saluetur tota essentia quantitatis. Quod additur in obiecti ne principali, nullius est momenti. Etenim non poterit diuidi Empyreum in partes minores minimo necessario ad conseruationem formæ substantialis. Id autem prouenit ex eodem capite ex quo incorruptibilitas substantialis, & accidentalis per qualitates contrarias: de quo iam egimus in exercitat.12. à num.14. Vnde quemadmodùm non posset corrumpi cælum sydereum ab Angelo, & si valeret naturaliter in aliquas partes scindere illud, vt suspicatur Auersa quæst.34. Philosophiæ section.1. quia adhuc non valeret secare vltra terminum paruitatis ad conseruationem necessariæ: ita excogitandum est de Empyreo. Ad hæc; forma eius substantialis in qualibet minima parte posset conseruari naturaliter; quia formæ non viuentes nullum sibi præfigunt terminum in paruitate, & vel in vno indiuisibili queunt ex natura rei conseruari, maximè si absint contraria. Ideo dicit Arriaga d.2. de Generatione num.58. si ignis, redactus ad indiuisibile materiæ, poneretur in vacuo, vel inter corpora non contraria se non videre, cur non permaneret. Quod potiori iure existimari debet de forma Empyrea quæ à nullo agente contrario debellaretur; quæque etiam in ingenti magnitudine non est operatiua, vt fert multorum sententia. Non silebo timendam non esse magis corruptionem formæ substantialis Empyreæ, quàm aeræ elementaris inclusæ intra corpora glorificata pœnes aduersarios. Vt ergo ipsi aiunt, aerē illum internum non corrumpendum quantumuis millies refrangatur in ore Beatorum, sic mihi promptum erit, Empyrei indemnitatem tueri non obstante quacumque partium diuisione. Quòd si aeri illi communes faciant dotes gloriæ supernaturales, habet etiam Empyreum suam naturalē incorruptibilitatem. Scripsi id conscius cuiusdam recentioris, qui præfato aeri propter permanentiam intra corpora Beatorum affingit dotes gloriæ, contradicente Ægidio supra q.22. art.7. n.9. & renuēte etiam ratione. Nam cum prædictus aër non fuerit socius meriti, nec sit humani corporis pars, alienus videtur à participatione dotium gloriæ. Et cōfirmatur à simili assumpti ab Angelo aeris, quem non eo ipso reddet penetrabilem Angelus etiam Beatus, vt optimè docet Arriaga tom.2. in 1.p. d.21. n.3. Ex quo obiter conficio nouam meæ sententiæ probationē. Etenim admisso gratis illo aere intra corpora glorificata, nisi regio media Empyrei sit permeabilis, & fluida, sequeretur iugis penetratio regionis mediæ, & aeris illius sine dote subtilitatis.

Quinta; Empyreum est immotum. At si spatium medium esset liquidum, velut aerea regio, moueretur saltem intra eundem locum secundum varias partes per modum accessus, & recessus, fluxus, & refluxus. Respondetur, esse tantummodò immotum secundum tectum, & pauimentum.

17 Sexta; conuenit Empyreum esse solidum in significationem, quòd nunquam inanescent Beatorum gaudia, & quòd nunquam erit diuisio Deum inter, & illos. Respondetur, satis esse ad hanc significationem, quòd Empyreum sit solidum penes vtramque superficiem. Si ex significationibus moralibus res sit decernenda, plures cuilibet occurrent pro liquiditate Empyrei.

18 Septima designari certò non potest, quanta sit liquiditas regionis mediæ Empyreæ. Verū nec à recto determinari potest quanta sit soliditas. Tantam iudico fore liquiditatem, quanta sufficiens sit ad functiones corporeas hominum glorificatorum sine recursu ad miracula. Tenuior, vt credo, erit aura Empyrea, quàm suprema aeris elementaris, multoque purior, & defæcatior. Nec ideo beatos homines aut sustentare non poterit, si in ipsa velint consistere, aut ad respirationem non deseruiet, vt de aere in vertice montis olympi, nubes excedentis, perhibent antiqui apud S. Augustinum lib.3. de Genesi ad literam c.2. & lib. imperfecto de Genesi c.14. Nosterque Iosephus Acosta in historia naturali, & morali Indiarum cap.9. de aere Peruani montis cui nomen *Pariacaca*. Nam cor, suauissima gaudens temperie, non indigebit refrigeratione auræ crassioris, & humidioris; & vt Beati insistant pedibus, nulla opus est soliditate regionis mediæ Empyreæ, vt dixi num.7.

19 Octaua ex Tannero contra quartam assertionem desumitur ab authoritate sacræ paginæ. Etenim aquæ supercælestes sunt *supra firmamentum*, vt constat ex Genesi 1.v.7. Firmamentum verò secundùm substantiam est idem, quòd cælum, vt etiā constat ex v.8. Præterea Danielis 3.v.60. Vocantur *aquæ, quæ super cælos sunt*: & Psalmo 103.v.3. dicitur: *Extendens cælum sicut pellē, qui tegis aquis superiora eius*. Psalmo etiam 148.v.4. coniunguntur cum cælis cælorum, id est cum supremo, dum canit Regius Vates: *Laudate eum cæli cælorū, & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*. Denique in Apocalipsi c.4.v.6.c.7.v.17.c.2.v.7.c.21.v.1.&7. Fit simul mentio habitationis cælestis & aquatū. Respondetur, nomine *firmamenti* intelligi cælum sydereum in illo loco Genesis: per *cælos* autem in Daniele, & in Psalmo 103. *per superiora cæli* percipi debere cælos aereum, & sydereum, conuexumque huius superficiem. Quòd si Paulum picentem de Christo de Ephæsios 4.v.10. *super omnes cælos ascendisse* non interpretatur Tannerus de ascensu super conuexam Empyrei superficiem, idem nobis liceat de concaua. Psalmus 148. & Apocalipsis nō fauent huic Authori. Nam cælis cælorum aquæ supercælestes coniunguntur, vtpotè post Empyreū proximè succedentes. Et notetur cum Pereira lib.1. in Genesim num.98. neque à Dauide, neque à Daniele dictum esse: *& aquæ omnes, quæ super cælos cælorum sunt*, quo dicendi modo si vsi fuissent, magis in speciem argueret Tannerus. Notetur iterùm, ex ordine memorandi aquas supercælestes firmum vllum indicium non haberi, siquidem

si quidem à Dauide inuitantur post solem,& Lunam ad laudandum Deum,& à Daniele ante. Ipse Dauid.Psal.101.v.26.ait: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Vbi etsi priùs meminerit terræ, quàm cæli, non idcircò quispiam colliget, conditam esse terram ante cælum. Apocalypsis verba de corporeis aquis, quæ tamen sint infra Empyreum, percipienda veniunt; si in sensu non mystico tantùm, sed & in litterali velit prolata Tannerus.

21 Nona ex eodem contra eandem assertionem desumitur ab Authoritate Antiquorum. In primis S.Gregorius Nyssenus in examerон sic loquitur. *At quæ illic aqua dicitur, cum neque videatur, neque fluat, nec vllis prorsus eiusmodi terminis coerceatur, quibus naturâ humida continentur, sed extra locum sit, & expers omnium qualitatum; ut sub sensum cadunt, super ipsa feratur spiritus Dei, & supra cælos esse credatur, & omnibus, quæ sensu cognoscuntur, superior sit, qui non à communi aqua diuersam putet, naturamque sensibus non obnoxiam, sed animo, ac mente solùm comprehensam existimet inter eos, qui iudicare possunt, arbitror esse neminem.* Deinde quidam Anonymi apud Bedam libro de mundi cælestis terrestrisque constitutione censuere *nihil nisi inane esse* vltra supercælestes aquas. Et ipse Beda lib. de naturis rerum cap.8. ait *aquas super firmamentum positas, cælis quidem spiritualibus humiliores esse, sed tamen omni creatura corporali superiores.* Præterea Guillelmus Parisiensis in 1.partis de vniuerso parte 1. cap.39. asserit, Beatorum corpora commoratura in aquis supernis.Adicio Richardum de S.Victore lib.2. exceptionum cap.7. dicentem: *Aquæ,quæ supra firmamentum sunt,sunt extrema, & ipsa omnium sunt suprema.* Richardus etiam de Mediauilla in 4.dist. 49. quæst.3. ad 7. inquit: *Cælum aqueum ad eos (nempe beatos homines) se habebit aliquo modo, sicut ad nos se habet terra, quoad hoc, quod habebunt pedes suos supra conuexitatem illius, quamuis quandocumque placebit eis, ita se sine quacumque difficultate eleuare poterunt, vt illud non tangant.* Respondetur,adduci perperam S.Gregorij authoritatem; cum ille aquarum super firmamentum euectarum nomine non nisi Angelos ad beatitudinem adscitos intellexerit, vt ait Martinengus in Glossa magna pag.619. & patebit legenti non perfunctoriè S.Gregorium, aut quæ ex ipso congerit idem Martinengus pag.627. De Anonymis illis apud Bedam ecquis scit, an constituerint aquas supra conuexam Empyrei superficiem, ita vt præter eas sit aliud corpus molle replens Empyreum? Ec quis etiam scit, an agnouerint Empyreum? Beda ipse multis in locis tradit, supercælestes aquas inferiores esse Empyreo: in cap.8. libri de naturis rerum comprehendit illud inter cælos spirituales. Quod quidem non est Patribus insolitum, vt sæpe alias obseruaui. Parisiensis Paradoxum abs re affertur. Ille enim non facit partem Empyrei aquas supercælestes,quin imò eas manifestè discriminat ab ipso. Est tamen singularis, quatenus in eis Beatorum corpora habitatura significat. Sed pro intelligendo Parisiensi, & impugnando vlterius Tannero legatur num.11.exercit.23. Exceptionum opus non est magni momenti,cum ambigat, & meritò, Cardinalis Bellarminus, an sit legitimum Richardi Victorini; easdemque ob rationes ambigendum est, an sit Hugonis Victorini, inter cuius etiam scripta circumfertur. Et cuiuscumque sit Authoris, respondetur, vt ad Anonymos ex Beda.Richardus de Mediauilla indicat vt summùm, supercælestes aquas esse pauimentum, cui insistant homines glorificati, & apertè antea distinxerat ab ipsis corpus Empyreum *habens se ad corpora glorificata, sicut aer ad corpora corruptibilia.* Tanneri itaque opiniationi porpinia non est antiquitas, quin potiùs inimica. Idque prætereà exinde liquet, quod inter tot de supercælestibus aquis apud Patres sententias nulla colludat cum Tanneri cogitatione; quam tamen præmeditatus est Alcazar lib.2 in eas Testamenti partes, quas respicit Apocalypsis pag.62.vbi scribit. *In hac re mea fert opinatio, cælum Empyreum liquidum natura sua vocari aquas superiores.* Et Tirinus in Psal.148. v.4.non videtur respuere;ait namque: *Posuit verò has aquas Deus supra omnes inferiores* (Empyreo) *cælos,& forte in parte cæli Empyrei, tanquam loco* (ex decreto Dei) *ipsis naturali, sicut phlegma in homine posuit in ipso capite, inquit S. Augustinus. Et quidem ad ornatum vniuersi, & vt æternum extet matrix cælorum. Addit Cornelius, seruire quoque oblectamento sanctorum, qui vt in cælo Empyreo habent aerem suum connaturali respirationi sensationi, & motui corporum necessarium, ac speciebus omnium rerum deuehendis aptissimum, ita verosimiliter habent & aquam variis rerum formis effigurandis, omnique ornatui recipiendo accommodatam.* Gerardus etiam Mercator in Atlante c.9. fabricæ mundi Empyreum, & aquas illas non discernit.

SECTIO II.

Quo pacto fiant in Empyreo rarefactio, & condensatio.

22 Constat ex sectione præcedenti in Empyrei parte media dari rarefactionem & condensationem;sed explicare oportet,quo pacto fiant: est enim in ipso specialis difficultas. Et primò quidē densitas inducit grauitatem, raritas leuitatem,& inquit Philosophus lib.4 Physicorum.cap.9. textu 85. Empyreum autem alienum est à grauitate & leuitate. Hac ratione ductus S. Gregorius Nyssenus, cuius verba exaraui in n.3.vi detur renuere densitatem in corporibus cælestibus. Deinde densitas oritur ex frigore,raritas ex calore, aut saltem densitas (idem de raritate) consistit in quadam qualitate promanante ex temporamento primarum. Ast Empyreum est incapax caloris, & frigoris, neque habet temperamentum primarum qualitatum. Et non apparet, per quam qualitatem possit destrui vnio continuatiua partium Empyrei, vti opus est ad rarefactionem, & condensationem. Quare quemadmodùm non posset rarefieri, & condensari corpus completum simplex, vt sentit Arriaga d.5. Physicorum sectio 3. sic nec poterit Empyreum. Vlterius, si rarefactio fiat per introductionem aeris, vel subtilium corpusculorum, vt cum Okamo, Gabriele Vallesio deffensant Arriaga d.6. Physicorum à num.195. Ouiedus controu.6.de Generatione à puncto 7.& Tellez parte 4. Philosophiæ d.73. sectio 2. nec aër,nec talia corpuscula sunt in Empyreo. Si verò rarefactio fiat per additionem nouæ quantitatis, non deperdita antiqua,vt cum Scoto in 4.dist.12.

quæst.4.

quæst.4. & Caietano in 3.p. quæst.77. art.5. teneant plures memorati ab Auersa quæst.38. Philosophiæ sect.4. aut deperdita antiqua, vt volunt Gotfredus quodlibeto 11.quæst.3. Marcilius in 4. quæst.9.ar.2. Pomponatius lib.2. de augmentatione cap 13. Veracruz lib.1. de Generatione speculatione 7. aliique relati à Rubio lib.1. de Generatione tract. de rarefactione quæst.1. num 126. satis ex se apparet, non produci de nouo, neque deperdi partes aliquas quantitatis in Empyreo; maximè cum eo ipso deberent produci nouæ partes materiæ, & formæ substantialis, ac etiam destrui vltimo si cum antiquioribus quibusdam Philosophis apud Aristotelem lib.4. Physicorum cap.6. rarefactio dicatur fieri per vacuitates paruulas inter discontinuatum corpus, absurda est inductio vacui tam parui, quàm magni, tam in sublunaribus, quàm in cælestibus.

23 Vt à propositis liber euadam, dico primò, nec densitatem in Empyreo inducere grauitatem, nec raritatem inuehere leuitatem. Cum enim non sint in ipso qualitates primæ, & in harum temperamento consistat grauitas, & leuitas, aut saltem ex illo oriantur, fit exinde, densitatem in Empyreo non debere reportare grauitatem (idem de raritate) si, vt probabitur, possit stare in illo densitas sine primis qualitatibus. Aristoteles autem loquutus est de densitate orta ex qualitatibus elementaribus. S. Gregorius Nyssenus eandem subit interpretationem.

24 Dico secundò, densitatem non debere semper oriri ex frigore, nec raritatem ex calore. Probatur, tum quia in cælo sydereo sunt aliquæ partes densiores aliis, vt docent Auerroes lib. de substantia orbis c.2. Albertus lib.2. cæli tract.1. c.2. S. Thomas in 2. dist.q. & art.2. ad 5. & dist.14. q. vnica art.2. ad 4. Ægidius Romanus lib.2. exameron cap.32. & 35. Connibricenses lib.1. de cælo cap.2. q.5. art.3. & lib.1. de Generatione cap.5. q.17. art.1. Rubius lib.1. de cælo cap. & quæst.3. permultique alij: & à fortiori quotquot putant, stellas, & Planetas solidis corporibus constantes peragere suos motus in spatio fluido cælorum: cum tamen partes illæ corporum cælestium densiores, vel rariores non patiantur frigiditatem, vel calorem penes Peripateticam scholam. Tum quia elementaris etiam aer condensatur quandoque absque nouo frigore superaddito; vt si per fistulam immittatur maior portio aeris in vesicam, quæ antea erat aere, non tamen adeò condensato, plena; & cum titione ardenti scindimus aerem, condensatur hic, quin ipse titio, neque aliud agens circumstans producat specialiter frigus in aere. Hinc non est, cur corpus gloriosum nequeat comprimere spatium liquidum Empyrei, & proinde causare condensationem in aliquibus partibus, quin debeat in eis superuenire frigus.

25 Dico tertiò. Estò corpora addensentur, & rarescant per quasdam qualitates superadditas, non debent semper tales qualitates oriri ex temperamento primarum, nec est, cur talium qualitatum sit incapax corpus Empyreum. Prima pars probatur, quia sine fundamento diceretur oppositum. Et quia opacitas, & diaphaneitas non debent semper oriri ex temperamento primarum qualitatum, vt patet in cælo sydereo. Ergo nec densitas, & raritas. Et quia si demas ab aere temperamentum primarum qualitatum, adhuc ex transitu corporis solidi condensaretur. Probatur pars secunda, quia non est, cur Empyreum sit incapax talium qualitatum, cum proximè non disponerent ad corruptionem. Neque esset maior imperfectio in receptione talium qualitatum, quàm in receptione specierum intentionalium, aut lucis. Et quia Empyreum non est incapax qualitatis impulsiuæ, vt actutum suadebo. Ergo nec illarum, per quas condensaretur, & rarefieret.

26 Dico quartò, vnio continuatiua partium Empyrei destruitur ad exigentiam qualitatis impulsiuæ. Etenim supposita liquiditate Empyrei penes regionem mediam non apparet in ipso specialis difficultas præ aliis corporibus diuiduis, & liquidis, igne v.g. aere, & aqua. Neque corpora cælestia vendicant sibi immunitatem à qualitate impulsiua, vt compertum est in sphæris volubilibus. Oppones corpus gloriosum non posse destruere vnionem continuatiuam partium Empyrei per substractionem concursus, nec corruptionem subiecti, nec per formam contrariam. Non primum, siquidem corpus gloriosum non conseruet vniones continuatiuas Empyrei, siue sint generatæ, siue creatæ. Non secundum, quia quando condensatur Empyreum, nihil materiæ, formæ substantialis, quantitatisue perit. Non tertium, non enim dissicitur qualitas contraria vnioni continuatiuæ. Simili argumento conatur Arriaga corpus completum simplex fore indestructibile ab agente naturali. Respondeo, destruendam vnionem continuatiuam ob exigentiam impulsus recepti in partibus Empyrei, talis namque impulsus exigit vel partes cessare ab eductiua conseruatione, vnionis, vel Deum à creatiua, ne sequatur penetratio corporis impellentis cum ipsis partibus. Sic diuisio capitis à collo in homine exigit, vt cesset Deus à conseruatione vnionis inter animam rationalem, & corpus. An autem in corpore simplici completo inuenire sit aliquod discrimen, nullatenus ad nos spectat modò.

27 Dico quintò: rarefactio in Empyreo fit per introductionem corporis aduentitij, destructis solummodò vnionibus, quibus partes Empyrei continuabantur. Vt intelligar, suppono primò, in corpore quanto præter partes, aut puncta materiæ, & quantitatis, nec non formæ materialis, si ea informetur, dari vniones continuatiuas materiales, siue productas per creationem, siue per eductionem distinctas à partibus, seu punctis coontinuatiuis. Voco *partes*, seu *puncta*, vt abstraham modo ab Aristotelis, & Zenonis placitis circa compositionem continui ex partibus in infinitum diuisibilibus, aut ex solis punctis. Conspirant pro hac suppositione omnes illi, qui inter materiam, & formam substantialem admittunt vnionem distinctam. Ex Authoribus, qui Aristotelem sequuntur, Rubius lib.6. Physicorum tract. de compositione cuntinui q.1. dub.2. à v. *secundum igitur* Petrus Hurtadus disp.15. Physicorum sect 3. propendente Toleto lib.6. Physicorum cap.2. quæst.1. à conclus.1. conantur mediare puncta inter partes continui in infinitum diuisibiles, eaque esse actuales vniones partium. Cæteri aut non concedunt puncta, vt Libertus Fromondus in Labyrintho, seu libro de compositione continui à cap.32. vsque ad 38. Nicolaus Cabeus lib.4. Methorologicorum textu 9.q.8. aut præter illa adstruunt vniones distinctas, vt Suarez d.40. mathaphisicæ sect.5. n.46 Consulatur Balthazar Tellez parte 2. Philosophiæ d.35. sectio 3. nùmer.5. & 15. ac 16. Suppono secundò, vniones cōtinuatiuas occupare diuersum spatium locale à partibus

partibus, aut punctis, quæ non sunt vniones. Ita Rubius supra, Chrysostomus Cabetus tractatu 6. Physicorum d.1.dub. 4. à num.2. Franciscus Ouiedus controu.17. Physicorum punct.7. à num. 6. & alij, quos suppresso nomine indicat Alphonsus dist. 25. Physicorum sect. 7. num.85. Suppositio hæc indicata iam in num. 21. exercitat. 7. lateque stabilita ab Ouiedo, paucis subiacet difficultatibus, & satis plausibilis apparebit, si ex ea rarefactio, & condensatio declaretur.

29 Vt iam sic contendo. Habeat tractus aliquis Empyrei viginti partes, aut puncta v. g. materiæ quantitatis, & formæ occupantes totidem localis spatij, cũ inter quaslibet duas partes, aut puncta mediet vnio distincta occupans spatium diuersum sequitur partes, aut indiuisibilia loci esse triginta. Si ergo in tractũ illũ introducatur linea, cuius partes (idem de punctis si hæc sola, vel simul cum partibus agnoscas) & vniones possideant decem partes loci, amittentur decem tantum vniones Empyrei, siquidem partes, & vniones non se extendent ad vlteriora spatia, sed in deserta ab vnionibus succedet linea introducta. Si verò ingrediatur corpus occupans viginti partes loci, deserentur viginti quoque partes loci occupandæ à corpore ingrediente. Quare partes Empyrei contentæ in illo tractu extendentur ad proximũ, & ex eo occupabunt decem partes loci: quod quidem fiet destructis decem vnionibus partium tractus proximi; in quarum vnionum spatia succedunt decem partes alterius tractus, coniungenturque immediatè partibus aliis absque vnionibus occupantibus spatium aliquod intermedium. Nam si decem partes coniungantur aliis per vniones respondentes diuersis spatiis, deerunt illis spatia, aut partes totius regionis mediæ Empyreæ reliquæ antiquæ, & vltimæ penes tectum, aut pauimentum solidum, ac immobile penetrabuntur. Vnientur itaque decem partes aliis decem per vniones non respondentes diuersis spatiis. Nec admirationi debet esse dissimilitudo vnionum ex determinatione diuina, quarum aliæ occupant spatia diuersa à partibus vnitis, aliæ non diuersa: vti admirationi non est in sententia postea referenda, partium, quarum aliæ occupent duo spatia, aliæ vnum dissimilitudo. Imo minor apparet difficultas in præfata dissimilitudine vnionum; quandoquidem illæ habebunt ex essentia sua occupare diuersa, aut eadem spatia, determinante Deo ad huius potiùs, quam alterius vnionis productionem ob exigentiam corporis rarefacti, aut condensati; partes verò non habebũt ex essentia sua esse in duobus spatiis; aut in vno; sed modo erũt in duobus, modo in vno.

Explicui rarefactionem Empyrei, nec non & condensationem. Eo enim ipso, quòd partes vnitæ antea per vniones occupantes spatia intermedia accipiant vniones respondentes spatiis ipsarum partium, coarctantur ad pauciores partes loci; proindeque condensantur; rarefiunt verò eo ipso, quod recuperent vniones similes prioribus. Hinc cum corpus Christi seruatoris ingressum est Empyreum, destructæ sunt à Deo tot vniones occupantes spatia media; quot à corpore Christi possidentur partes loci, & tot sunt productæ occupantes spatia partium Empyrei, quot sunt destructæ. Si autem nunc discederet ab Empyreo, fierent à Deo vniones pares, destructis, & partes Empyrei dilatarentur ad plura spatia.

30 In mundo sublunari possunt rarefactio, & condensatio explicari eodem modo, seruata proportione. Sed obseruandum est primò, nunquam in eo contingere nouam rarefactionem formalem (idem de cõdensatione) absque qualitate, quæ sit radicalis raritas, siue hæc sit distincta siue indistincta à tẽperamento primarũ qualitatum. Cæterũ corpus rarefactum ad exigentiã illius qualitatis non potest occupare spatium maius, quin discontinuetur ratione aduentitij alicuius corporis introducti. Fiat itaque rarefactio ceræ, exempli causa, per introductionem aeris occupantis spatium maius illo, quod antea occupabatur ab vnionibus continuatiuis partiũ ceræ amissis per intromissionem aeris. Fiet etiam condensatio ceræ per recuperationem talium vnionum sequutam ex expulsione aeris, qui successerat loco prædictarum vnionum. Hic modus coincidit ex parte cum opinione Okami, & aliorum suprà n.22. delibata; non tamen est expositus tot difficultatibus, quibus illa. Ex eo percipitur, quo pacto non resultarit vacuum in mundo subcælesti, cum Seruatoris corpus penetrauit cælos tunc enim productæ sunt vniones occupantes tot spatia media inter partes, quot respondebant corpori seruatoris. Arriaga d.14. Physicorum n.160. ait, productum de nouo à Deo aliud corpus æqualis molis. Sed parum Philosophicè id excogitatur, ni fallor. Obseruandum est secundo, non sufficere ad rarefactionem formalem in mundo sublunari, quòd partes alicuius corporis dilatentur vtcumq; alioqui daretur rarefactio follium, vel vtris, dum eius latera per ingressum aeris dilatantur, alioqui etiã vitri corpus palmare, quod miraculosè extenderetur ad duos spatij palmos immediatos, diceretur rarefieri. Opus ergo est, tum vt dilatatio partium proueniat ex vi alicuius qualitatis, quæ eam exigat, tum vt partes, quæ antea erant physicè vnitæ, discontinuentur. Similiter ad condensationem formalem non satis est contractio partium, alioqui corpus Christi in Euchatistia esset magis densum, quàm in Empyreo. Sed requiritur prætetea vnio ipsarum ex exigentia alicuius qualitatis, quæ sit radicalis densitas. Hinc cum præcisè scinditur aqua à naui, non sequitur condensatio formalis. Ex quo infertur, eam non fieri præcisè ex eo, quod corpus glorificatum se moueat progressiuè per Empyreum. Nam vtrobique deest qualitas, quæ sit densitas radicalis & præterea vtrobique non datur contractio partium, siquidem spatium desertum à naui, vel corpore glorificato se mouente, occupetur ab aqua, vel aura Empyrea circumstante, & in harum spatium succedant, quæ loco expelluntur. Obseruandum est tertio, existere in mundo sublunari corpora aliqua rara ex natura sua & alia densa ex natura etiam sua. Priorum exemplum sint aqua, aer ignis, &c. Posteriorum verò terra, Adamas, ferrum, &c. Ex illis aqua, & aer sunt rara sine calore, & licet priuarentur humanitate, manerent adhuc rara. Ex his ferum, & adamas, quantumuis calefiant, non redduntur rara. Illa corpora dicenda potiùs sunt mollia, seu subtilia, quàm rara, hæc potiùs dura, quàm densa, vt apprimè notauit Ouiedus controu 6. de generatione puncto 6. num.8. Illis corporibus similis est regio media Empyrei, his tectum, & pauimentum ipsius, siue regionis mediæ subtilitas formalis præsuponat qualitatem, quæ sit subtilitas radicalis, siue non præsupponat: idem de duritie formali tecti, & pauimenti liberum est censere. Verisimilius tamen est, non præsupponere, cum satis esse videatur vnio facilè solubilis. Verum quemadmodum corpora sublunaria, quæ sunt

sunt subtilia ex natura sua, possunt condensari accidentaliter; ita etiam regio media Empyrei ex ingressu noui corporis in ipsam, & aliis ex causis, videlicet ex loquutione, & ex efformatione corporum similium humanis facta ab Angelis, de quo in exercitatione 26. sectio n. 2. Et tunc densitas quasi radicalis erit impulsus præstitus, vel qualitas indita à Deo exigens compressionem partium; nam huius qualitatis asseri potest capax Empyreum, vt tentabam in num. 25. Obseruandum est quartò, corpora, quæ suaptè naturâ sunt subtilia, & tenuia, habere multas vniones occupantes distincta spatia ab spatiis partium, vel punctorum, è contrà verò accidere in corporibus duris, & solidis; quæ quò fuerint solidiora, eò pauciores habebunt vniones, vt & illa è conuerso eò plures, quò tenuiora fuerint. Vnde in corporibus suapte naturâ raris non est nec esse constituere corpuscula extranea, & aduentitia. Ridendus quidem esset, qui ea semper incombusta confingeret intra ignis spheram. Ex hinc intelligitur, quo pacto corpora etiam sic rara, vel densa habeant sub magnis, vel paruis dimensionibus parum, vel multum quantitatis. Obseruandum est quintò, etsi plerumque corpora suaptè naturâ subtilia, & tenuia possint condensari, acidentaliter tamen stare posse subtilitatem, ac tenuitatem sine capacitate naturali ad condensationem accidentalem, vti sine capacitate naturali ad diuisionem; quia nimirum vniones inter partes, vel puncta sint inamissibiles naturaliter; quòd enim occupent spatia diuersa ab spatiis partium, vel punctorum, non satis est præcisè, vt naturaliter subiaceant destructioni. Certè sicut dantur corpora aliqua spissa, quæ facilè, & alia quæ non nisi difficilè; queunt rarefieri, ita videntur dari posse aliqua rara quæ vllo absque negotio cendensentur, & alia, quæ naturaliter recusent condensationem. Imò tale esse corpus Empyreum reculi ex sententia grauium Doctorum numer. 2. ac 5.

31 Si cui modus is declarandi rarefactionem, & condensationem in orbe Empyreo, & sublunari non placeat, eligat alium inter Neothericos familiarem, probatumque nouiter à P. Francisco Alfonso d. 9. de Generatione sect. 4. qui mihi etiam præ cæteris gratus fuit. Consistit in eo, quòd partes, vel puncta per rarefationem ponantur in duplici, vel triplici spatio; per condensationem autem redigantur ad duplex, vel ad vnum: ita quidem vt vtrumque contingat ex vi qualitatis, quæ sit raritas vel densitas radicalis. Et quia is, *cui sua omnia placent, acquirendi meliora, potestate se priuat*, vt inquit Tatianus oratione contra Græcos, ideo vterque hic modus non adeò à nobis adamatur, vt illi, qui meliorem attulerit, occludamus aures, quin potius lectorem Benignum rogamus.

——Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti, si non his, vtere mecum.

SECTIO III.

An ex Diuinis litteris Empyreum aliquando discissum colligatur.

32 FOrtasse aliquis putaret disruptum aliquando Empyreum, tum ob illud Ezechielis c. & v. 1. *Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.* Tum ob illud Matthæi 3. v. 16. *Et ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei*, tum præcipuè ob illud Actuum Apostolorum 7. v. 56. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à Dextris Dei*; & vers. antecedenti: *Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à Dextris Dei*: Nam per *gloriam Dei* intelligunt communiter interpretes cum P. Salmerone *claritatem quandam corpoream in cælo præseferentem Dei præsentiam.* In cælo quidem Empyreo, vt omnes, quotquot vidi, indicant, excepto Lorino, qui ait sibi videri, *Christum ipsum tantisper exiliisse de cælo, ac propiùs accessisse, vnde se ipsum commodè videndum exhiberet.* Realis cælorum discissio in baptismate saltem Christi insinuari videtur à S Chrysostomo, vt testatur Maldonatus in cap. 3. Matth. vers. 16. si dicatur Empyreum esse solidum, & insectile. Visum iam est, quàm probabiliter molle, & sectile illud adstruxerimus. Et quamuis admittatur, durum esse, ac inflexibile suapte naturâ, secundùm omnes sui partes, quid vetat dissecari à Deo? Si dicatur vlteriùs, disrupto cælo, aut in spatio intermedio introducendum aliud corpus diaphanum, per quod transmitterentur species; tale autem corpus quodnam futurum sit, non apparet: aut vacuum fore impedimento, ne videretur à S. Stephano Christus sedens à Dextris Dei. Responderi potest, non repugnare, quòd corpus Christi locatum in Empyreo, luxque ipsum circunstans, traducant species vacuum, easue causent in distans, quin diffundant per medium.

33 Nihilominus sine necessitate miracula hæc confinguntur. Vnde meritò scribit Cornelius: *Aliqui imaginantur cælos verè fuisse apertos, quasi realiter eorum soliditas diuisa, & scissa sit. Verum hæc est rudis, crassaque vulgi imaginatio: hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter superfluũ.* Sic in visione S. Stephani, Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 17. sect. 1. in principio tractans, vtrum baptizato Christo verè fuerit cælum apertum, inquit, *Doctores omnes sine controuersia, & ferè sine disputatione docent, cælum, quod elementis imminet, non fuisse re ipsa diuisũ; non quia id fuerit Deo impossibile, sed quia tam inusitatum miraculum neque fuit tunc necessarium, nec verba scripturæ cogunt, vt id fingatur.* Concordant Ecclesiastici Patres, S. Hieronymus in cap. & v. 1. Ezechielis, rursus in 3. Matth. v. 16. Beda in c. 1. Marci v. 10. Author operis imperfecti in Matth. hom. 4. Author etiã commentariorum in Marcum sub nomine S. Chrisostomi homilia 3. S. Thomas 3. p. q. 39. art. 5. ad 2. & Theologi ibi; nec non Biblici interpretes, ad præcitata scripturæ loca. Legantur Barradas tom. 2. in Euangelia lib. 1. cap. 13. Toletus in cap. 3. Lucæ annotatione 47. Syluei a in c. 3. Matthæi v. 16. Cornelius ibi, Estius in acta cap. 7. v. 55.

34 Existimare tamen aliquis posset, eatenus fuisse apertos cælos inuicto Protomartyri Stephano, quatenus redditum est patens Empyreum, facta rara, & transparenti concaua huius superficie, quæ sola ob densitatem, & opacitatem, quam habet, est in causa, ne à nobis videatur, vt dixi in exercit. 10. sect. 3. Si permissa adhuc rarefactione, & transparentia, respondeas, non potuisse naturaliter conspicere lucem Empyreum ob distantiam, & ob interpositos alios cælos, afferet patrocinantem sibi multiscium Antistitem Abulensem in cap. 3. Matth. q. 80. *Si aliquid, quod in cælo sit, videri debet* (sic Abulensis) *oportet, quòd istud sit*

sit valde magnum, & etiam lucens:::: quia alias, etiamsi magnum esset, non videretur, cum in tanta distantia species sine naturali luce non habere: efficaciam mouendi. Si autem ista duo concurrunt, etiam clauso cælo poterit videri id, quod interius est. Et patet hoc, quia stellæ sunt in octauo cælo, & tamen videntur à nobis, licet septem cæli Planetarum sint interpositi inter nos, & ipsa. Ratio huius est, quia corpora cælestia sunt diaphana, & non obstant visioni, licet sint aliquid solidum, sicut aer non obstat visioni.

35 Ego rarefactionem, & transparentiam superficiei Empyreæ in casu Beati Stephani, quia gratis poneretur non approbo. Quòd si in ea ponenda esset aliqua mutatio, satis esset transparentia, quin vlteriùs adderetur rarefactio, vti satis erit post diem iudicij vniuersalis iuxta scripta in num. 59. exerc. 10. Neque ex rarefactione, & multo minus ex transparentia saluatur Grammaticus sensus scripturæ; non enim dicitur aperiri, quod præcisè rarefit, quodque præcisè redditur transparens. Quare cum ab omnibus fatendum sit, aut diuina virtute corpus Christus diffudisse sui species vsque ad oculos Stephani (non enim naturaliter posset eas traducere in tantam distantiam, cum non sit tam ingentis molis) aut hos eleuatos fuisse sine interuentu specierum: fateamur etiam par est, alterutram ex his eleuationibus sufficere, vt cerneretur ab Stephano lux Empyrea, non obstante densitate, & opacitate antiqua superficiei concauæ Empyreæ. Et confirmatur, quia si tunc reddita fuisset rara, & diaphana hæc superficies, resplenduisset luce deriuata ex Empyreo totus mundus sublunaris, & lux ipsa contenta intra Empyreum non soli Stephano, sed & aliis, qui cùm ipso erant, patuisset: quorum primum voluntariè, & sine fundamento diceretur, & secundum est contra S. Augustinum in sermonibus 92. & 94. de diuersis. Nam in 92. ait: *Solus videbat, quia illi soli apparebat.* & in 94. *Non illi videbant, sed inuidebant, & ideo non videbant, quia inuidebant.* Licet autem S. Doctor loquatur de visione terminata ad Christum si tamen menti attendatur, cōprehendit æquè visionem terminatā ad lucem eo loci fulgentem, quo Christus conspiciebatur ab Stephano. Addo ex Lorino; si Iudæi vidissent vel Christum, vel lucem ostensam fortissimo Protomartyri, non abhorruissent tantoperè hunc profitentē, cerne te se gloriam Dei; ac Christum. Sed instas percontans, cur cæli asserantur aperti, si neq; in Empyreo neque in subiectis sphæris facta est vlla mutatio? Respondeo cum Cornelio; ideo asseri apertos, quia Stephanus non aliter corporeis oculis intuitus est Christum existentem intra Empyreum, ac si istud cælum, & inferiores alij diuisi fuissent ad præbendum visui aditum: fuit ergo loquutio metaphorica. Verumtamen non eodem modo interpretanda est apertio cælorum in baptismate Christi: ibi namq; ob rationes à Suario expensas proxima aerei cæli regio apparuit Christo, & adstantibus, quasi discissa, quatenus partibus aliquibus hinc inde condensatis medium mansit rarius, retulitque speciem cuiusdam hiatus, & fissuræ. Contingit id ipsum die Ascensionis Christi, innuit S. Chrysostomus serm. de Ascensione Domini, & opinantur Catharinus lib. 3. adnotationum aduersus Caietanum, Salmeron tomo 4. p. 1. tract. 18. pag. 231. censentes tunc impletum, quod Ioannis 1. v. 51. dixit Christus ad Nathanael: *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Apertio cælorum memorata ab Ezechiele potest sic etiam explicari, vt & alia narrata cap. 10. Actorum v. 11. nisi quis malit vtrobique agnoscere metaphoricam tantum loquutionem, vel saltem scissuram cæli aerei respectu solius visionis imaginariæ. His breuiter enodaui omnia, quæ in n. 32. obiecta sunt ex sacris monumentis. Vbinam autem S. Chrisostomus indicet, diuisum esse realiter cælum sydereum, quando Baptizatus est Christus, hactenus non inueni post accuratam inquisitionem.

SECTIO IV.

An per loquutionem Angelorum in Empyreo condensentur partes aliquæ illius? & an Beatorum nomina scripta sint in illo?

36 DVrandus in 2. dist. 11. quæst. 2. numer. 6. Heruæus ibidem quæst. 1. referunt opinionem aliquorum asserentium, Angelos inter se colloqui per quasdam figuras impressas cælo Empyreo habentes apud Angelos peculiarem significationem. P. Franciscus Amicus tom. de Angelis d. 15. n. 3. cum proposuisset modum explicandi loquutionem Angelorum per signa sensibilia ad placitum, vel per modum scripturæ virtute Angeli loquentis in Empyreo impressa, vel per modū vocis in aere formata, ait sentire sic Ægidium in 2. d. 10. q. 30. in resolutione articuli. Argentinatem ibidem art. 2. Molinam 1. p. q. 106. art. 1. Sed Ægidius, & Argentinas longè sunt à figurarum sensibilium in Empyreo impressione, vt animaduertit Theophyl. Raynaud. d. 4. Theologiæ naturalis. n. 128. cōpertumq; erit legenti Argentinatem in solutione ad 2. Molina admittit quidem, posse Angelos loqui adhibendo signa corporea per motionem, aut impressionem in corpore factam, non tamen declarat in quonam corpore. Et prætereà hi tres Authores non negant, loquutionem Angelorum fieri posse alio modo purè spirituali.

37 Quorumcumque fuerit Authorum ea opinio, reiici solet ob condensationem, quæ ex talium figurarum impressione sequeretur in corpore Empyreo. Sed enim ex capite reiicitur inefficaciter; secus ex aliis, si impressio figurarum dicatur necessaria ad sermocinationem Angelorum. Et primum caput sit quia S. Paulus in 1. ad Corint. c. 13. v. 1. scribens, *si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c.* significat non obscurè discrimen inter linguas, seu loquutionem hominum, & Angelorum, quatenus scilicet hi non indigeant adminiculo corporis, indigeant verò illi. Quo in sensu intelligitur communiter à Patribus S. Paulus. Secundum, quia ridiculum est, affirmare creaturas rationales purè spirituales, quales sunt Angeli, pendere ex corporeis figuris ad habendam societatem rationalem, & politicam inter se per manifestationem internorum conceptuum, & affectuum; nec posse inter se loqui, si existerent supra Empyreum, aut in vacuo intra mundum. Tertium, quia loquutio Angelorum non est opus potentiæ exequutiuæ ad extra, sed intellectiuæ internæ, & spiritualis, vt tradunt Patres apud Metarium tractat. de Angelis dist. 34. sect. 1. act. 2. Si autem necessariò consisteret in figurarum inscriptione, esset necessario

necessario

necessario opus potentiæ exequutiuæ ad extra; imò proprie non esset loquutio, sed scriptio. Quartum, quia præfatæ figuræ, cum non significarent naturaliter, debuissent ipsi Angeli conuenisse de earum significatione ad placitum; quæ conuentio facienda esset per loquutionem purè mentalem; nam si per alias figuras, abitur in infinitas. Quintum, quia cuncti Angeli perciperent & audirent quicquid quilibet loqueretur; nisi fingatur, quemlibet Angelum posse efficere tot figuras, quot sunt Angeli, & animæ, quibuscum secretè loqui potest; ita vt figuram directam à Gabriele ad Raphaëlem nequeant alij Angeli callere, etsi cognoscant esse impressam Empyreo. Sextum, quia saltem non posset vnus Angelus alloqui alium, quin cæteri deuenirent in notitiam loquutionis, etsi res loquuta lateret. Cæteri namque Angeli vident figuras insculptas; nisi fingatur, dum vnus Angelus vellet alloqui aliū secretè, secessurum vtrumque in locum remotum Empyrei. Et permissa hac fictione, ad vtriusque Angeli ex conuentione mutua secessum præcessisset loquutio merè intellectualis. Omitto complura alia, quæ cuiuis se se offerent. Sed non ideo negandum est, posse Angelos inter se, & cum Beatis animabus, aut hominibus loqui, si velint per figuras in Empyreo condensato inscissas; quarum ad placitum significatio nota esset vel per scientiam à Deo infusam, vel per conuentionem iam antea factam inter loquentes seu potiùs scribentes. Quod si in Empyreo Angeli assument quandoque corpora, poterunt etiam more hominum loqui ibi sensibiliter, & externè. Poterunt itidem absque assumptis corporibus sic mouere, & comprimere aërem, seu auram Empyream, vt emittat sonum similem voci humanæ dearticulatæ. Denique poterunt variis eiusdem auræ commotionibus hoc, vel illo modo factis, non subsequuto sono, communicare suos internos actus, dummodo antea constituerint significatiuos ad placitum tales impulsus.

38 Arrepta occasione ex superioribus figuris, seu characteribus, disquiro, An beatorum, vel potiùs prædestinatorum nomina scripta sint in Empyreo? Quæstioni huic, cum Ioannes de Vercellis Generalis Magister Ordinis Prædicatorum eam proposuisset S. Thomæ, respondit Angelicus Doctor. *Videtur mihi, non esse verum, videlicet nomina sanctorum digito Dei scripta esse in cælis ad honorem eorum. Si tamen dicatur, quod sic, nullum est periculum.* Ita in opusculo 10. art. 29. & cum rogatus etiam fuisset: *An nomina impiorum in inferno existentium digito Dei scripta sint in terra ad vituperium eorum?* Respondet in art. sequenti. *Non hoc verum puto si corporaliter intelligatur. In nullo tamen fides obsistit, vt mihi videtur.*

39 Pro sanctorum nominibus exaratis in Empyreo adduci possunt verba Christi Lucæ 10. v. 20. *Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Sed ea de libro vitæ exponuntur à Patribus, vt obseruat ibi Maldonatus: ita quidem vt voce *Cælorum* intelligatur Dei vita per essentiam, in qua velut in charta scriptio Prædestinatorum facta sit. Cur autem essentia Dei significetur *Cælorum* nomine in appositis verbis Christi disces ex Suario lib. 1. de Prædestinatione c. 20. n. 10. S. Ambrosius videtur non nisi materiale cælum intellexisse: Nam lib. 1. in Exameron c. 6. ait. *Extenditur enim vel quasi pellis ad tabernacula, habitationesque sanctorum, vel quasi liber, vt plurimorum scribantur nomina, qui Christi gratiam fide, & deuotione meruerunt; quibus dicitur: Gaudete, &c.* Non absimiliter noster Benedictus Fernandez in c. 1. Genesis sect. 2. n. 1. inquit. *Tum etiam dicitur cælum nominis, quia liber nominum Dei quidem manu exaratus nominibus. O illi fælicissimi, quibus à Domino dictum est; Gaudete, &c. Quasi iam tunc à primæua cælorum conditione videantur in ipso Empyreo Beatorum patria, Dei omnipotentis Regia sumptuosissime, & apparatissima fabricata edes, quarum in postibus inter aurum & Margaritas, de quibus Apocalypsis 21. inscripta legantur nomina Prædestinatorum: quem sensum Christus Dominus respexit iis in verbis: venite, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Matth. 13. Hactenus Benedictus. Verum neque S. Ambrosius, neque ipse accipiendi sunt in sensu adeo rigoroso, & Grammatico. S. Vincentius Ferrer serm. 2. in Feria 2. Dominicæ 1. Quadragesimalis loquens de Beatis redeuntibus ex vniuersali iudicio ad Empyreum, fatur in hunc modum: *Inuenient suas Cathedras cum nominibus suis, & ibi collocabuntur.* Vtetina sunt quæ leguntur serm. 1. in Dominica 1. Aduentus, sed vtraque concionatoriè, populariterque dicta, & pro captu rudis vulgi: vt & cum Prudentius in hymno de S. Romano describit perennitatem tabularum cælestium, in quibus facta Martyrum sunt consignata,

Hic in regestis liber est cælestibus.
Monumenta seruans laudis indelebilis:
Relegendus olim sempiterno iudici:
Libramine æquo, qui malorum pondera,
Et præmiorum comparbit copias.

Pauloquè antea fuerat modulatus:

Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit vllus in calis apex.

Et in alio hymno de sanctis Emeterio, & Celedonio:

Scripta sunt cælo duorum Martyrum vocabula
Aureis, quæ Christus illic annotauit litteris.

40 Qui apud Martinum de Roa c. 8. de statu Beatorum adstruunt in Empyreo triumphales arcus, in quibus cælata conspiciantur ægregia cælitū facinora, trophæaque ex hostibus reportata, forrassis non aspernarentur præfatas nominum inscriptiones. Illis autem Authoribus consentire videtur Ludouicus Cresolius in Antologia sacra cap. 1. sect. 6. & Antonius Vasconcellius lib. 1. de Angelo Custode cap. 18. parte 5. Nihilominus de nominum inscriptionibus in cælo Empyreo eandem fero censuram, quam S. Thomas. Reproborum scriptio in terra, improbata etiam à S. Thoma, fundari potest in verbis Hieremiæ c. 17. v. 13. *Recedentes à te, in terra scribentur.* Hæc tamen intelligentia nimis crassa est. Consulantur Prophetæ istius Expositores.

EXERCITATIO DECIMAQVINTA.

De nonnullis Empyrei qualitatibus.

DE luce, quæ est nobilior, & notior qualitas inter cælestes, egi in libro præcedenti. Quapropter de aliis qualitatibus primis, & secundis non nihil restat tractandum.

SECTIO I.

An in Empyreo sit aliqua ex primis qualitatibus?

1 QValitates primæ sunt calor & frigus, humiditas, & siccitas. Eas à cælo sydereo exterminat Peripatetica schola, & potiori iure ab Empyreo Theosophia. Soli S. Hilarius, & Venerabilis Beda innuunt, aquas super cælos mobiles locatas à Deo, vt Empyrei retundant ardorem. En verba Sancti Hilarij in Psalmum 135. *Cum regionem cognitionis suæ, qui infinitus est, collocaret, cælo superiore, atque primo, eodemque in orbem collocato, terminum quendam virtutibus, quæ primùm ad se cognoscendum gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris obiectu, sedem hanc moderata, ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis enim elevatis illam ipsam primi cæli naturam temperauit, quæ superni Dei accensa virtute nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cælum verò inferius non uniforme, sed multiplex tetendit, quod totum firmamentum nuncupans validâ ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aeris nostri firmitate solidauit. Et idcirco plures cælos Prophetica doctrina prodidit: quia necessarium naturæ nostræ fuit per momenta quædam, & profectus rationabilium moderationum regionem hanc indulti nobis ad præsens habitaculi temperari.* Hactenus S. Hilarius, quem imitatus est V. Beda in lib. de natura rerum cap. 7. inquiens: *cælum superioris circuli proprio discretum termino & æqualibus vndique spatiis collocatum, virtutes continet Angelicas, quæ ad nos exeuntes ætherea sibi corpora sumunt, vt possint hominibus, etiam in edendo similari, eademque ibi reuersæ deponunt. Hoc Deus aquis glacialibus temperauit, ne inferiora succenderet elementa. Dehinc inferius cælum non vniformi, sed multiplici motu solidauit, nuncupans illud firmamentum propter sustentationem aquarum.* Sic Beda.

2 Volupe erit scire, quid de hac causa censeat Ascanius Martinengus in glossa magna litterali ad Genes. cap. 1. pag. 667. *Hilarij causa*, ait, *non tantum Philosophis sed & Theologis priscis invenusta visa fuisset, atque commentitia Omnes siquidem Patres vno consensu supremum illud cælum Dei, Angelorum domicilium, Regiamque perennem, incorruptibile prorsus, ab omnique affectione, & qualitate elementari immune, & coruscantissimum esse; sed lumine longè à lucis huius nostræ natura, semoto, & absque flagrantia diiudicarunt* ::: *Quapropter definitio est cunctorum Patrum cælum supremum affectionem nullam peregrinam ad vnamque (quemadmodum etiam scholasticorum acies vniuersa decernit) nactum esse. Immune igitur, atque expers ardoris, cum cælum ipsum statuatur, neque aquas ad eius retundendum flagorem super cælos euectas fuisse, existimandum est.*

3 Empyreum esse expers harum qualitatum, probatur primò; quia non apparet conducentia ipsarum ad finem, obquem est illud conditum. Secundò, Empyreum est ingenerabile, & incorruptibile ab agentibus creatis. Ergo caret qualitatibus proximè disponentibus ad generationem, & corruptionem; quales sunt primæ. Tertiò, Empyrei forma est diuersæ speciei ab omnibus elementaribus vt stabiliui in exercitation. 6. a. numer. 1. & aliunde nullum est indicium, ex quo valeamus coniectare, quod communicet cum ipsis in qualitatibus primis. Quartò, alij cæli alieni sunt ab his qualitatibus. Ergo multò potiùs Empyreum, cuius natura est longe superior, & excellentior. Quintò, locus, in quo prædominetur aliqua ex qualitatibus præfatis, non est accommodus habitationi ordinatiæ corporum glorificatorum. Nam etsi ista sint impassibilia, & incorruptibilia, tamen ad suauem Dei prouidentiam pertinebat, talem ipsis deputare locum, qui, quantùm ex se est, non importaret nocumentum habitatoribus suis, vel spectatis secundùm naturalia. Inuenies alias rationes in exercitatione præcitata contra calorem speciatim: & faciunt etiam complures, quas congerit Suarez libr. 2. de opere sex dierum capit. 4. numer. 16. ac 17. contra illos, qui dixerunt, aquas supercælestes ad id deseruire, vt temperent ignitam, & ardentem cælorum naturam, ne actione sua corrumpant cætera corpora. Et fortè Sanctus Hilarius & V. Beda non sunt loquuti de cælo Empyreo, sed de sydereo; sic enim communiter intelliguntur, vt & impugnantur.

4 Oppones ex Sancto Thoma 3. part. quæst. 54. artic. 3. ad 2. *Ad rarum & spissum sequuntur graue, & leue, calidum, & frigidum, & alia eiusmodi contraria, & quæ sunt principia corruptionis corporum elementarium.* Ergo cum per nos Empyreum habeat differentias raritatis, & spissitudinis, seu densitatis, habebit etiam qualitates caloris, frigiditatis &c. Neque proderit respondere S. Thomam loquutum fuisse solummodò de raritate, & densitate in corporibus elemen

elementaribus. Addit enim illicò. *Vnde corpus, quod est palpabile humano tactu, est naturaliter corruptibile. Si autem sit aliquod corpus resistens tactui, quod non sit dispositum secundum prædictas qualitates, quæ sunt propria obiecta tactus humani, sicut est corpus cæleste: tale corpus non potest dici palpabile.* In his verbis Præceptor Angelicus præbet impalpabilitatem corporibus cælestibus ob carentiam, non quidem resistentiæ, sed densitatis: alioqui forent palpabilia, si densitatem haberent, nam ad hanc sequerentur reliquæ qualitates, quæ sunt propriæ obiecta tactus. Caietanus in Commentario horum verborum S. Thomæ, inquit, negari ab eo in corporibus cælestibus densitatem, quæ eiusdem sit rationis cum densitate corporum elementarium. Qua ex interpretatione fit densitatem, & raritatem à nobis adstructas in Empyreo, non debere supponere, aut importare primas qualitates, siquidem illæ non sint eiusdem rationis cum elementaribus, à quibus hæc supponuntur, aut importantur. Displicet Suario interpretatio Caietani, maximè si quantitas corporum cælestium, & elementarium sit eiusdem speciei nam vtraque corpora conuenirent in habendo multum, vel parum quantitatis sub paruis, vel magnis dimensionibus; id quod præcisè est conuenire in densitate, vel raritate. Sed quicquid sit de interpretatione Caietani, respondemus doceri à S. Thoma, spissitudinem resistentem tactui ob præcisam rationem talis, importare grauitatem, & qualitates primas, reddereque corpus, quod afficit, palpabile. Cum ergo spissitudo corporum cælestium, quà præcise talis, non resistat tactui; sed quà habet coniunctam indiuisibilitatem: inde est, non debere importare grauitatem, nec primas qualitates, nec reddere ipsa palpabilia per tactum sensitiuum. Hæc est mens S. Thomæ. dices ergo corpora cælestia resistentia tactui afficientur præter spissitudinem alia qualitate, ratione cuius reddantur indiuisibilia, & quæ etiam reperiatur in corporibus cælestibus minus spissis, seu raris si omnia sint indiuisibilia. vel quæ desit in non resistentibus, & diuisibilibus, si aliqua talia sint. Illatio visa est probabilis Patri Suario, & de duritie aquæ gelidæ non apparet improbabile Patri Arriaga d. 4. de Generatione n. 15. esse qualitatem quandam impedientem tactu, ne facilè diuidantur partes, licet n. 31. ac 32. procliuior sit, vt affirmet, esse ipsum frigus petens, ne vnio partium dissoluatur. Dici præterea potest, indiuisibilitatem corporum cælestium prouenire ex intensiori spissitudine, seu densitate, vel ex firmiori vnione continuatiua partium. Hucusque ex mente Sancti. Thomæ; nam in exercitat. 31. v. 1. tentabimus, non improbabiliter, posse circa corpora cælestia exerceri actum sensitiuum tactus, & non tantum quantitatiuum contiguitatis, qualis exerceretur à gustu, si applicaretur linguæ corpus nullo sapore præditum.

SECTIO II.

An in Empyreo sint colores? an viridaria, gemmæ, lapidesque pretiosi?

DEuenio ad secundas qualitates, vt sunt color, sonus, odor, & sapor; nam de aliis non occurrit dubitandi ratio. In primis Pater Cornelius in cap. 1. Genesis. v. 6. videtur admittere veros colores in Empyreo, dum dicit, *habere suum aerem, vel aeterem omnium rerum specie ornatissimum.* Clarius fatur in cap. 21. Apocalypsis v. 19. *Corpora & oculi sanctorum, suas habebunt opes, & obiecta pulcherrima, ac præstantissima, quibus se pascant, & oblectent. Oculi autem non sola luce pascuntur, sed & varietate colorum, & virore vario camporum, arborum, florum, fructuum; item fluuijs, & fontibus pellucidis instar vitri, ac præsertim gemmis fulgentibus. Ergo in cælis hæc eis non deerunt; alioqui faliciores fuissent in terra, quàm erunt in cælo.* P. Arriaga tomo 2. in 1. p. dist. 57. num. 2. scribit: premens vestigia Tameri tomo 2. d. 1. quæst. 3. dub. 4. num. 32. *Cælum ipsum Empyreum probabiliter & amænissima luce, & variis etiam in diuersis partibus diuersis coloribus depictum creditur. Certè Sanctus Ioannes Euangelista Apocalypsis 21. omnes lapides pretiosos in ea ciuitate ad ipsius ornatum reperiendos affirmat, & licet illi veri lapides non admittantur, nihil tamen vetat, quo minus in ipsam cæli substantiam colores varios Deus indiderit, qui diaphaneitate, & quasi crystallina densitate refracti longè pulchrius, ac efficaciùs micent, variosque emittant radios, quàm saphyri, topazij, Rubini, cæterique pretiosi lapilli: quæ omnia saltem in pauimento ipsius cæli, quod solidum esse probabiliter creditur, locum habent, imò etiamsi respirabile, & permeabile totum sit, adhuc in eo facilè eiusmodi colorum varietas potest reperiri, vt in Iride cernitur.* Sic duo isti Authores.

Sed cum veros colores naturales oriri ex temperamento primarum qualitatum, sit ferè ab omnibus receptum, & primis qualitatibus non afficiatur Empyreum, vt probaui in sect. præcedenti, credendum est, Cornelium, & Arriagam non loquutos nisi de apparentibus, quales videmus in cælo sydereo, Iride, nubibus ceruicibus columbarum, & caudis pauonum. Eis ob diuersam incidentiam lucis variegabitur Empyreum, satisque sunt ad voluptatem Beatorum. S. dicas pro coloribus veris, posse non oriri ex temperamento primarum qualitatum, si supernaturales sint, aut finaturales extrinsecùs tamen à Deo inditi. Sed contra, quia colores supernaturales, nec diuinitùs videri valent ab oculis hominum glorificatorum, vt in sect. 4. Exercitationis 32. contendam. Et colores naturales, extrinsecùs tamen à Deo inditi, excogitarentur sine causa; cum per apparentes facilè sit Deo recreare incredibiliter Beatorum oculos. Si dicas aduersus colores apparentes, regionem mediam Empyrei esse liquidam, ad colores autem præfatos requiri corpora congruenter densa, & nonnihil terminata, in quibus figi possit visus, vt

vt decernunt Zabarela lib. 1. de visu. cap. 2. Conimbricenses lib. 2. de Anima cap. 7. q. 3. num. 1. Respondeo, densæ fient, & opacæ aliquæ partes regionis mediæ Empyreæ, prout Deus voluerit variis coloribus oblectare Beatorum oculos. Et id ipsum necesse esset ex natura rei ad colores veros naturales, siquidem ob defectum densitatis, & opacitatis alicuius carent colore subtilissimi vapores, & exhalationes ascendentes è terra vsque dum coalescant in nubem, vt ait Franciscus Alfonsus d.10. Animastica num.27. qui etsi num.26. inficietur, colores cæli syderei, Iridis, nubis, &c. esse apparentes, non tamen hos vniuersim negat sed admittit nonnunquam, videlicet cum lux nimis remissa in vmbrosis locis apparet nigredo, & cum lux nimis intensa in vitro apparet albedo.

7 Ex eorumdem locorum apparentium varietate cementur in Empyreo *prata amænissima, nemora, similiaque alia quæ Beatorum oculis afferant ipsa varietate oblectationem, & ciuitatem illam celestem exornent*, vt mediatur Barradas tomo 3. in Euangelia lib.10 cap.3. quem sequuti sunt Drexelius in 3. parte Æternitatis lib.2. de cælo cap.8.§.3. & Cornelius. loco supra citato, Sed hic Author in cap. 22. Apocalipsis vers. 2. explicans illud. *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Scribit. *Fluuium hic, arbores, & poma ad litteram, vti sonant, accipi posse. Quid enim obstat? Nam si hic in paradiso terrestri fruitus est Adam, multò magis iisdem fruentur Beati in paradiso cælesti huius enim specimen & imago fuit terrestris.* Huc vsque Cornelius, quin in cap. 5. Matthæi v. 4. repetit isthæc non ingrata Tirino in cap.22. Apocalipsis.v.1.

8 In confirmationem adducuntur carmina Sancti Augustini libro Meditationum capit. 26.

——Quis promat, summæ pacis quanta sit lætitia,
Vbi viuis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis hæc structura nititur,
Auro mundo tanquam vitro vrbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hyems horrens, æstas torrens illic numquam sæuiunt.
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata riui mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor, & aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum:

Sed quis intelligat hæc omnia in sensu litterali? Citatur idem Sanctus Augustinus in cap.6. Meditationum à Tirino, & Sanctus Laurentius Iustinianus in lib. de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis cap.23. nec non Sanctus Anselmus in lib. de similitudinibus cap.37. nihil tamen ad intentam rem habent. Solus Sanctus Anselmus cap.44. vocat cælestem Hierusalem *locum amænum*; quæ verba nimis remota sunt, vt & illa alia, quibus ab Ecclesia instructi vtimur in commendatione Animæ. *Constituat te Christus filius Dei viui intra paradisi sui amæna virentia.*

9 Adducuntur etiam verba Sanctæ Dorotheæ Virginis, & Martyris ad Tyrannum *Imus* (omitto alia) *per hasce pœnas breues, & exiles ad padisum deliciarum, vbi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia, & flores innumeri, qui nunquam marcescunt, vbi sunt fontes aquæ vitæ, qui nunquam siccantur, quibus animæ sanctorum fruuntur, & exultant in Christo.* Hæc audiens Theophylus, Præsidis Assessor dixit Dorotheæ non sine irrisione: *Mitte mihi poma è paradiso sponsi tui, cum eò perueneris.* Respondit illa: *faciam.* Cum tunc esset dies sexta Februarij, vix Mertyrio coronata euolauit ad cælum, cum Angelus in pulcherrimi pueri specie attulit Theophylo calathum pomis, & rosis refertum. Motus miraculo Theophylus addixit se Christo, pro cuius confessione mortem perpessus, Martyris Lauream comparauit. Non absimiliter S. Digna paulò ante Martyrium suum: *assistere sibi per somnum videt puellam habitu, & specie percompta m Angelico, rosas, & lilia manu gestantem, quam cum de nomine, causaque sui exploraret aduentus. Ego sum, inquit, Agatha, olim propter Christum diris attrita suppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huius afferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino.* Ita Sanctus Eulogius. in memoriali Sanctorum lib.3. cap.8. Attamen verba S. Dorotheæ aut terrestrem paradisum commendabant, aut si cælestem (quod magis credo) prolata fuerunt acconmodatè ad captum audientium, vt per illa, quæ inter mortales summæ sunt voluptati, manu duceret ad altiores, & solidiores Empyrei delitias, ac oblectamenta. Et putarim, rosas, ac poma Theophylo allata ex paradiso terrestri, si fortè perseuerat; aut ex alia regione, quæ eo tempore tales ferret fructus; aut virtute diuina fuisse procreata.

10 In eiusdem opiniationis confirmationem addi possunt nonnulla alia S. Elysabeth Schonaugiensis lib.2. visionē c.3. ait: *Vidi procul hinc versus orientem ædificium valde gloriosum, quasi tribus muris circumdatum, & varia distinctiones mansionum in eo, & splendor lucis immensæ omnia illustrabat. In circuitu autem eius arborum, & herbarum, & florum iucundissima amænitas.* Guntelinus quidam apud Vincentium Bellouacensem allegandum in num, 17. *Vidit intra paradisum herbas, & arbores, pulcherrimas.* Simile quid conspexit Oenus miles, de quo infra numer. 18. In libro quodam Hæbraico, de quo Galatinus lib.12. arcanorum Catholicæ veritatis capit. 6. vocatur paradisus cælestis: *Ager arboribus plenus.* Paschasius lib. 4. in lamentationes Hieremiæ ait: *Sanctorum animas requiescere in herbis virentibus.* S. Paulinus epist.12. ad Seuerum in titulo apponendo Basilicæ Fundanæ.

Ipse Deus nobis princeps Crucis, atque corona
Inter floriferi cæleste nemus paradisi.

S. Augustinus serm.1. de omnibus Sanctis (qui est

est 85. de diuersis in appendice (*Floribus cœli nec rosæ, ne lilia desunt. Certent singuli ad verosque honores amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas, In cælestibus castris pax, & acies habent suos flores, quibus milites Christi coronantur.* Clemens Alexandrinus libro 2. Pædagogi capit. 8. *Pulchra amaranthi corona est ei reposita, qui se rectè gesserit. Hunc florem terra ferre non potest, cælum solum modò potest producere.* Alludit ad 1. Petri. 5. vers. 4. *Et cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Venantius Fortunatus in orationem Dominicam. *Magis illud regnum quærendum est, vbi semper liliorum, rosarumque blandior lux arridet, vbi pictura floris odoriferi non marcescit, vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur, vbi non finitur cum possessore possessio, vbi quicquid desiderat animus, dat aspectus, vbi iustus gemmas calcabit in plateis, quas modo Reges non habent in coronis vbi mortalitas translata in immortalitatem cum Angelis sorte simili gloriatur, vbi hominibus, & Deo fit vna possessio.* S. Cyprianus de laude Martyrij: *Quibus inquisitus fuit Deus semper, aut notus, nunquam excidit Christi locus, vbi iacet gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno se induit gramine, & redolente pascitur flore, vbi altum nemora tolluntur in verticem & vbi arbor densiore coma vestit, quicquid curuantibus ramis scena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris nec vt in autumno arua requiescant, aut iterum verè nouo tellus fœcunda parturiat, vnius cuncta sunt temporis, vnius poma feruntur ætatis. Quippe cum nec mensibus suis tunc luna deseruiat nec per horarum sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, sedes tenet placida, vbi fons scaturiens medius sinu aluei prorumpentis emergit, & rauco per internalla circuitu sinuosis flexibus labitur, vt in ora nascentium sibi fluminum diuidatur. Hinc ergo magna laus Martyrum, hinc nobilis corona victorum, quibus maiora his repromissa sunt, quibus auctiora sunt præmia.* Germana alia passim reperiuntur in Patribus: quæ sicut & hæc, non sunt accipienda in sensu Grammatico: de visionibus autem in sectione 4.

11 Nam veras arbores, & rosas ad Empyreum traducere, parum è Theologia est, ve enim inquit Moses Barcepha part. 1. de paradiso cap. 6. *Corporatæ arbores :: : è terra stata pullulant, non autem supra cælum nascuntur.* Et vt Sanctus Cæsarius Dialogo 3. *vbi autem in cælo sunt fici, palmæ, mala punica, cæteraque, quæ paradisus plurima continet, & quibus flores naturaliter?* Huc adscisco inuectiuam illam Tertulliani contra Valentinianos capite vigesimo. *Satis meminerat Ptolemæus puerilium dici bulorum in mari poma nasci, & in arbore pisces, sicut & in cælestibus nuceta præsumpsit. Operatur Demiurgus ignorans; & ideo fortasse non scit arbores in sola terra institui oportere.* Aduoco etiam illud Lucretij libr. 3. & 5. de rerum natura.

Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes esse queunt, neque pisces viuere in aruis:
Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse,
Certum ac dispositum est vbi quicquid crescat, & insit.

Certè etsi Beatorum oculos hisce oblectari oporteat, transferuntur sine necessitate arbores, & rosæ ad Empyreum, si quidem colores apparentes referent eas; aut Deus inder oculis glorificatorum corporum species repræsentatiuas similium obiectorum. Non ergo Empyreum cogitemus, sicut Xenophanes, & Anaxagoras lunarem globum arboribus, montibus, ac vallibus discriminatum.

12 Petrus Cornelius non contentus iis, quæ ex ipso retulimus, adiicit in capite vigesimo, primo Apocalypsis vers. decimo nono *videri sibi veras fore gemmas in cælis non terrestres, sed cælestes, & longè hisce nostris præstantiores. Id colligitur ex Sancto Ioanne hic, qui eas se in cælo vidisse asseuerat, atque ex Tobia capite decimo tertio vers. vigesimo primo. Portæ Hierusalem ex Saphyro, & smaragdo ædificabuntur, ex & lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur. Ad quæ verba hic alludit. Ioannes. Verba enim scripturæ propriè, vt sonant, accipienda sunt, ait sanctus Augustinus, nisi quid absurdi ingerant.* Hactenus Cornelius, à quo non videtur distare Rupertus, cum libro primo in Genesim capite quadragesimo sexto ait. *De illa terra paradisi illud sciendum est, quia mox, vt dixit Deus, congregentur aquæ, quæ sunt sub firmamento in locum vnum, & appareat arida, sic apparuit, vt posteà nunquam disparuerit, sicut nihilominus mox vt dixit Deus, Germinet terra herbam virentem, &c. sic germinauit, sic floruit, & fronduit, fructumque attulit, vt iam vltra deflorescere non possit. Nam vt taceam de luce Angelicarum specierum, quæ nunquam ibi desunt, si in hoc exilio quædam terræ huius particula, scilicet pretiosi lapides, quales maximè carbunculi sunt, sic apparent, vt in nocte pro lucernis esse possint, quam splendidè putas terram illam apparuisse, vbi neque huiusmodi lapidum, nec alicuius boni, quòd visum delectet quicquam abesse potest.* Cæterùm Tuitiensis Abbas non de paradiso cælesti, sed terrestri fatur, licet illa verba: *Nam vt taceam de luce Angelicarum specierum, quæ nunquam ibi desunt*, ansam aliquam præbeant putandi sermonem habuisse, vbi Angeli commorantur. Recogitet lector, an probabile sit, iam hos, iam illos Angelos digredi ex cælesti in terrestrem paradisum, ita vt ab hoc aliqui nunquam absint? de quo rursus in Exercitation. 18.

13 Hoc omisso, si per sanctum Gregorium Magnum transcriptum num. 10. Exercitat. 13. nemo sanum sapiens debeat intelligere, esse in terrestri paradiso domus ex metallis veris, idem iudicium

iudicium æquiori iure ferendum est de veris gemmis in Empyreo, maximè cum ad oblectationem glorificatorum oculorum satis sit, quòd per colores apparentes repræsententur aliquæ partes Empyrei, ac si essent gemmæ. Et hoc modo aptiùs dicetur de celesti terra, quod de Romana cecinit Propertius, libr. 3. elegia 21.

Omnia Romana cedant miracula terræ,
Natura hic posuit, quicquid vbique fuit.

S. Ioannes in Apocalypsi intelligendus est (vt & Tobias adnotante ibi nostro Didaco Celada) loqui symbolicè, dum describens pulchritudinem cælestis Hyerusalem congerit omnia, quæ in sublunaribus æstimamus vt pretiosa & quibus vt pulchris iucundamur; nec nisi sumpta ab istis similitudine poterat (vt admonet S. Gregorius. Nyssenus oratione 2. de Beatitudinibus) explicare inter mortales ornamenta ciuitatis Empyreæ; te quidem vera longè superantia quicquid apud nos cernitur. Vnde Valerianus Episcopus Cemeliensis in homilia 15. peropportunè hortatur Christicolas. *Aptemus animos ad futuram gloriam, quæ reposita est nobis & præponamus terrenis cælestia, vt possimus illa æterna vitæ promissa contingere. Nemo autem sibi de huius mundi ambitione blandiatur, quam videt. in diem deficere accessu ætatis, & temporis. Si comparemus denique æternis præsentia, satis vilia, & inutilia constat esse, quæ temporaliter possidemus. Require denique gratiam debitæ hæreditatis, & intelligis huius mundi diuitias displicere, actu dicas, nihil auro obscurius, nihil argenti splendore sordidius. In comparatione autem paradisi, vitro similis est gemma pretiosior. Ita est enim huius lucis, & futuri temporis dignitas, ac si stante in cælo luna oculis hominum radius se matutinalis infuderit. Tandiu enim placet lunare commercium, quandiù tenebrosa noctis constitutis legibus præstat officium, quæ quamuis placeat candore nocturni luminis, obscuratur tamen superuenientis syderis claritate melioris.*

SECTIO III.

An in Empyreo sint soni?

14 SOni non oriuntur vt proprietates ex temperamento primarum qualitatum, licet ad eorum varietatem magnoppere conducat diuersitas illius, quatenus corpora se percutientia debent esse magis, aut minus dura, & leuia. Sed cum per nos Regio media Empyrei sit liquida, quemadmodum aer, & aqua, nihil ei deest, vt medio ipso edatur sonus ex percussione, siue vnius, siue duorum corporum solidorum.

15 Et fortè ex collisione vnius partis Empyreæ cum alia, siue ex impetu, vnius in aliam, proueniente commotione, vel à Deo solo, vel à Beatis simul cum ipso, resultabit gratissimus sonus. sic ex collisione marinorum fluctuum efficitur sonus nec non ex impetu venti in aerem, & halitus accensi in nubem, vt obseruant Auersa quæstion. 54. Philosophiæ section. 5. & Cabeus libro secundo, Meteologicorum textu quinquagesimosexto, quæstione prima. Quare suo modo reperietur in Empyreo species quædam concentus Pythagorici cælorum. De vocibus à Beatis efformandis ex confractione Empyrei tractabo cumulatissimè in Exercitatione vigesima nona, nec pauca dixi in præcedenti.

SECTIO IV.

An in Empyreo sint odores?

16 BEatus Laurentius Iustinianus libro de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis capite vigesimo tertio, ait: *Fragans suauitas celestium odoramentorum mira liquefactione respergit odoratum in cælo.* Barradas tomo tertio in Euangelium, libro decimo, capite tertio, Lessius libro tertio de summo bono, capite octauo, numero 102. Drexellius parte 3. æternitatis libro secundo, capite tertio, paragrapho primo, Ros de statu Beatorum capite decima, Tannerus tomo secundo, d. 1. quæstione tertio, dubitatione quarta, numero trigesimo sepmo, Laurentius Cuperus de quatuor hominum nouissimis concione vigesima secunda, pagina 469. Arriaga tomo secundo in prima parte d. 57. numero decimo; non renuunt concedere ipsum Empyreum efflare odorem. In huius comprobationem afferet quis narrationem cuiusdam hominis ad vitam reuocati, teste S.Bonifacio Archiepiscopo Moguntino in epistola apposita ex integro à Baronio tomo 9. Annalium Ecclesiasticorum anno Christi 716. num.21. *vidit quoque* (ita S. Bonifacius) *mira amœnitatis locum, in quo pulcherrimorum hominum gloriosa multitudo miro lætabatur gaudio, qui eum inuitabant ad eorum gaudia, si ei licitum fuisset, cum eis gauisurus veniret. Et inde mira dulcedini fragrantia veniebat, quæ Beatorum aditus fuit ibi congaudentium spirituum; quem locum Sancti Angeli affirmabant famosum esse Dei paradisum.* Sed videtur distinxisse illum à cælesti Hierusalem cum post visionem Purgatorij dicat num. 22. *Et citra illud flumen speculatus muros fulgentes clarissimi splendoris, stupendæ longitudinis, & altitudinis immensæ; & sanctos Angelos audiri dixisse: Hæc est enim illa sancta, & inclyta ciuitas celestis Hierusalem, in qua istæ perpetualiter sanctæ gaudebunt animæ. Illas itaque animas, & istius gloriosæ ciuitatis muros, ad quam post transitum fluminis festinabant, tam magna immensi luminis claritate, & fulgore splendentes esse dixit, vt reuerberatis oculorum pupillis præ nimio splendore eos nullatenus aspicere potuisset.* Sic de cælesti Hierusalem, vt distincta ab illo Dei famoso paradiso. Quare cum in eo solo perceperit miræ dulcedinis fragrantiam, testimonium hoc non adeò est ad rem. Vti neque aliud apud Sanctum Damascenum capit. 30. Historiæ Barlaam & Iosaphat, vbi refert mirabilem aliam Regis Iosaphat visionem, in qua etiam vrbs Empyrea discernitur à quodam paradiso. *Pulchris floribus, atque ingenti suauitate prædito, vbi & plantas omnis generis cernebat*

(Iosaphat)

(Iosaphat) *inusitatis, quibusdam & admirandis fructibus, tum visu iucundissimis, tum perceptu suauissimis redundantes. Arborum porrò folia ex tenuissima quadam aura dulcem sonum edebant, & dum impellerentur, inexplebilem odoris fragrantiam emittebant*, &c.

17 Non valdè aptior est ad rem alia visio Drithelmi tradita à V. Beda libr. 5. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum. cap. 13. Nam post multa de quodam paradiso, *in quo recipiuntur animæ eorum, qui in bonis quidem operibus corpore exeunt, non tamen sunt tantæ perfectionis, vt in regnum cælorum statim mereantur introduci*, inquit, *Cumque procedentes transissemus::: aspicio ante nos multò maiorem luminis gratiam, quàm prius, in qua etiam vocem cantantium dulcissimam audiui, & odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, vt is, quem anteà degustans quasi maximum rebar, iam permodicus mihi odor videretur; sicut etiam lux illa campi florentis eximia, in comparatione eius, quæ nunc apparuit, lucis, tenuissima prorsus videbatur, & parua.* Sic Drithelmus; pro cuius visione, & duabus aliis superioribus, & altera quæ habetur apud Ioannem Subdiaconum in diuinis apohtegmatibus libr. 1. de contemplatione, num. 15. altera etiam, quam refert Vincentius Bellouacensis in speculo libr. 29. à capit. 6. vsque ad 10. legenda est cautio, quam adhibeo in Exercitatione 21.

18 Congruentior, multóque insignior est alia visio sancti Saluij Episcopi Abigensis memoriæ prodita à S. Gregorio Turonensi lib. 7. historiar. cap. 1. *Cum me ante hos quatuor dies, contremiscente cellula exanimem vidistis, apprehensus à duobus Angelis in cælorum excelsa sublatus sum, ita vt non solum squalidum hoc sæculum, verùm etiam Solem, ac Lunam, nubes, & sydera sub pedibus habere putarem. Deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pauimentum erat quasi aurum, argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis. Quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, vt longitudo, ac latitudo cateruæ prorsus peruideri non possit. Cumque nobis via inter comprimentes ab iis, qui præcedebant, Angelis pararetur, peruenimus ad locum, quem iam de longinquo contemplabamur; In quo super pendebat nubes omni luce lucidior, in quo non sol, non luna non astrum cerni poterat sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat. Et vox procedebat de nube tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali, ac sæculari, quos mihi, qui præcedebant, narrauerunt, esse Martyres, ac confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nimiæ suauitatis, itavt ab hac suauitate refectus, nullum adhuc cibum, potumque desiderem, & audiui vocem dicentem: Reuertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris.* Prætermitto visionem aliam cuiusdam militis relatam à S. Gregorio magno lib. 4. Dialogorum cap. 36. nam eam ex parte dedi n. 20. exercit. 13. In ea etiam traditur, tantum odorem suauitatis inesse paradiso, *vt ipsa suauitatis fragrantia illic deambulantes, habitantesque satiet.* Extat & alia Ludouici Oenij militis apud Henricum Altereiensem in narratione de Purgatorio S. Patritij, tomo 2. Sanctorum Hiberniæ, Thomam Mesinghamum cap. 10. de Purgatorio eodem. Angelumque Manrique in annalibus Cisterciensibus anno Christi 1154. cap. 5. In qua dicitur *tantæ suauitatis odorem* ex paradisi aperta porta prodiisse, *vt si totus mundus in aromata verteretur, huius suauitatis abundantiam non vinceret.* Sed in vtraque visione habetur sermo de paradiso terrestri, indigentque circumspectione accurata.

19 Et verò Empyreum emittere ex se odorem, negandum prorsus est. Etenim odor per Aristotelem libr. 2. de Anima cap. 9. textu 100. & libro de sensu & sensibili capit. 5. oritur ex temperamento primarum qualitatum, prædominante siccitate, & calore. Hinc in elementis, dum sincera sunt, & pura, non experimur odores. Cum ergo Empyreum careat temperamento primarum qualitatum, non erit ex se odorosum. Erit tamen eius regio media satis ac commoda, vt ferat odores, aut ipsorum species, ob defectum densitatis, ac soliditatis.

20 Sanctus Laurentius Iustinianus, & si qui alij sint Patres, interpretandi sunt de odoribus extrinsecis, & aduentitiis Empyreo. Similiter venit percipienda visio transcripta n. 18. Prædicti ordores profluent ex corporibus Beatorum, & præsertim Christi Domini, de cuius carne sentient alij glorificati homines mirificam fragrantiam, vt ait Ambrosius Catharinus in libro de Bonorum præmio, & nos latiùs examinabimus in Exercitatione 38. Quòd si velis addere odores naturales quo ad entitatem immissos à Deo extrinsecus Empyreo, tecum non contendam. Etsi enim in numer. 6. detrectauerim colores naturales, qui extrinsecùs inderentur à Deo, ideò fuit, quia per apparentes ob diuersam lucis incidentiam prospicitur satis voluptati oculorum prouenienti ex Empyreo.

SECTIO V.

An in Empyreo sint sapores?

21 SApores oriuntur ex temperie primarum qualitatum, humiditate prædominante Siccitati. Et quia Empyreum ea caret temperie, sequitur, sapores non esse naturales ipsius proprietates P. Arriaga tomo 2. in 1. parte d. 57. num. 11. cogitat corpus cæleste Empyreum habiturum se, sicut Israeliticum Manna, in ordine ad exercitium gustus glorificati. Admittam facile Deum imprimere aeri Empyreo varios sapores naturales quo ad entitatem. Id tamen non est necesse, vt in gustu Beati homines sua fruantur voluptate; prouiderit enim Deus alia ratione, de qua in Exercitat. 31. Et cum aer sublunaris, cuius loco succedit cælestis ille, non afficiatur qualitatibus sapidis aduentitiis forsan aliquis ob hanc causam dicet, neque cælestem illum affici. Precemur Deum, vt experientia discamus hæc præparata diligentibus se, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Interim nos, qui tam ingentes delitias in Empyreo speramus, *erigamus oculos ad ipsum, ne oblectamentis, & illecebris suis, nos terra decipiat.* vt admonet S. Cyprianus

S.Cyprianus epistola 8. *Angustus animus est*, aiebat Seneca in consolatione ab Heluiam cap.9. *quem terrena delectant. Ad illa adducendus est,* scilicet ad cælestia latè patentia. Felices nos, si, vt de Christianis antiquis. Sanctus Iustinus Martyr. in epistola ad Diognetum, *Degamus in terra, sed in cælo politiam nostram habeamus.*

Finis primæ partis Empyreologiæ, ad maiorem Dei gloriam & Deiparæ Virginis sine labe conceptæ.

Subiicit Author se, & sua correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

ADmonuit nos Author, vt quoties in prima parte occurreret titulus *Sancti* præfixus Claudiano Mamerco Presbytero Viennensi in Gallia, deleretur ob causam, quam exhibet in secunda parte Exercit.XXI. Sed cum is scrupulus renuntiatus nobis sit post excusam primam partem, noluimus hîc Authoris voto non satisfacere; idquecirco, candide Lector, monitiunculam hanc adiecimus, vt ad nos transmissa est.

INDEX

INDEX LOCORVM

Sacræ Scripturæ, quæ in prima parte Empyreologiæ elucidantur.

Littera E, *indicat Exercitationem*; *littera* P, *Præloquia*: *littera* n, *numerum*.

Index Locorum Sacræ Scripturæ.

Ad Timotheum.

Ad Hebræos.

Ex Petri Canonica 2.

Ex Ioannis Epiſtola 1.

Ex Apocalypſi.

INDEX

INDEX THEOLOGICVS

Difficultatum, quæ iuxta methodum Summæ S. Thomæ diſcutiuntur vel delibantur in prima parte Empyreologiæ.

Littera *E*, indicat Exercitationem; littera *S*, Sectionem; litrera *P*, Præloquia, littera *N*, numerum.

In I. p.

In primam Partem Empyreologiæ,

In 1. 2.

In 2. 2.

In 3. p.

q.6.a.3.

In Supplementum 3. p.

INDEX RERVM

Notabilium, & Verborum, quæ in Empyreologiæ parte prima continentur.

Littera E, *indicat exercitationem : Littera* P, *præloquia littera* N, *numerum.*

Condensa

In primam partem Empyreologiæ,

Finitum.

FINIS.